UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris, Sacræ Theologiæ Professoris ... De Immvnitate, Et Ivrisdictione Ecclesiastica

**Bene, Thomas del**

**Lugduni, 1674**

urn:nbn:de:hbz:466:1-98676

Visual Library

Th. 1354a.

NL
V
26

R. P. D. THOMÆ

# DELBENE,

## MARVBIENSIS,

CLERICI REGVLARIS,

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS,

In Vrbe Examinatoris, Sanctæ Romanæ Vniuersalis Inquisitionis Qualificatoris, aliarumque sacrarum Congregationum Consultoris;

# DE IMMVNITATE,

## ET IVRISDICTIONE ECCLESIASTICA,

OPVS ABSOLVTISSIMVM, IN DVAS PARTES DISTRIBVTVM,

In quo non solùm pertractantur dilucidè omnes dubitationes discussæ à Doctoribus, qui de hac materia hucvsque scripserunt; sed etiam plures aliæ ab aliis penè intactæ, pervtiles, & necessariæ; omnesque huius materiæ casus ad vtrumque forum, tam internum, quàm externum spectantes, ex suis principiis, probationum claritate, admirabili per omnia methodo, ex Summorum Pontificum Constitutionibus, Sacrarum Congregationum Cardinalium declarationibus, ac Sacræ Rotæ Romanæ decisionibus plenè, & accuratè diluuntur.

EDITIO TERTIA PRIORIBVS LONGÈ CASTIGATIOR.

*CVI ACCESSERE BVLLÆ PONTIFICIÆ, DECLARATIONES, & Decreta tum S. Congregationis Immunitatis Ecclesiasticæ, tum SS. Congregationum S. Concilij Tridentini, & super Episcopis, & Regularibus; nouissimæque Additiones alphabetico ordine digestæ, quæ totam ferè doctrinam in hisce duabus Partibus traditam vel confirmant, vel explicant.*

Summo studio, parique fide, partim à R. P. Fr. Angelo Lantvsca, partim ab eruditissimo viro D. Iacobo Pignatello ad annum vsque 1673. cum eorum indice collecta, recognita, & in meliorem formam digesta.

## PARS POSTERIOR.




LVGDVNI,

Sumpt. Lavrentii Arnavd, & Petri Borde.

*M. DC. LXXIV.*

CVM APPROBATIONE ET PERMISSV.



# IN HAC SECVNDA PARTE
## Tractatus sequentes continentur.


XVI. DE immunitate Ecclesiarum. pa. 1
XVII. De bonis Ecclesiasticis non alienandis. p. 29
XVIII. De bonis Ecclesiasticis non locandis. p. 184
XIX. De clausura Monialium, & prohibito ingressus intra claustra Monasteriorum, tàm mulierum, quàm virorum. p. 190

Sequitur additio Bullarum, quæ ad materiam de Immunitate spectant, iuxta seriem Summorum Pontificum, qui de ea aliquid sanxerunt. p. 289

Additiones nouissimæ ad Opera R. P. THOMÆ DELBENE de Immunitate, & Iurisdictione Ecclesiastica, collectæ partim à R. P. Fr. ANGELO LANTVSCA, partim ab eruditissimo viro D. IACOBO PIGNATELLO; & alphetico ordine digestæ, quæ totam ferè doctrinam in iis traditam vel confirmant, vel explicant, ad calcem huius secundæ Partis annexæ sunt.


# SERIES
## Capitum, Dubitationum, & Sectionum, quæ in hac secunda Parte de Immunitate & Iurisdictione Ecclesiastica continentur.

### CAPVT XVI.


*De Immunitate Ecclesiarum.* p. 1

DVBIT. I. AN, & quomodo violetur Immunitas Ecclesiastica per Rei extractionem ab Ecclesia? ibid.
II. An, & de quo iure Immunitas Ecclesiarum introducta sit? p. 2
III. An Immunitas Ecclesiarum latè interpretanda sit? p. 3
IV. An Gregorij XIV. Constitutio vbique locorum locum habeat? ibid.
V. An quando ius Canonicum, & ius Ciuile non sunt concordantia, interpretatio circa materiam Ecclesiarum facienda sit secundum ius Ciuile, vel secundum ius Canonicum? ibid.
VI. An Immunitas Ecclesiarum consuetudine aliqua diminui possit? 4
VII. An omnes consuetudines ante Tridentinum, & Gregorij XIV. Constitutionem aduersus Immunitatem Ecclesiarum introductæ, sublatæ modò sint? p. 6
VIII. An Gregorij XIV. Constitutio deroget non solùm omnes consuetudines antè introductas, sed etiam ius commune? 7


IX. An

IX. An, & quid veniat nomine Ecclesiæ, quæ gaudeat priuilegio immunitatis? 8
*Sectio* j. Dubitationis Resolutio. ibid.
ij. An priuilegio immunitatis gaudeat Ecclesia non perfectè constructa? 9
iij. An eodem priuilegio gaudeat Ecclesia polluta, etsi nondum reconciliata? ibid.
iv. An eodem priuilegio gaudeat Ecclesia interdicta? 10
v. An eodem priuilegio gaudeat Ecclesia diruta? ibid.
vj. An eodem priuilegio gaudeat Ecclesia solùm quoad ambitum internum? ibid.
vij. An eodem priuilegio gaudeat Ecclesia quoad loca adhærentia? 12
viij. An eodem priuilegio gaudeat Ecclesia quoad confines? ibid.
ix. An eodem priuilegio gaudeat Cæmeterium? 14
x. An eodem priuilegio gaudeat Hospitale, vel quid simile? 15
xj. An eodem priuilegio gaudeat domus Religiosorum? ibid.
xij. An eodem priuilegio gaudeat oratorium? 16
xiij. An eodem priuilegio gaudeat domus Clericorum in communi viuentium? ibid.
xiv. An eodem priuilegio gaudeat Palatium Episcopi? ibid.
xv. An eodem priuilegio gaudeant Palatia Cardinalium? 18
xvj. An eodem priuilegio gaudeat Tabernaculum sanctissimæ Eucharistiæ? 20
xvij. An eodem priuilegio gaudeant statuæ Principis? Vbi etiam de eius Palatio. 21
X. An, & quisnam veniat nomine confugientis ad Ecclesiam, ita vt illius immunitate gaudeat? 22
*Sectio* j. Dubitationis Resolutio. ibid.
ij. An Ecclesiæ immunitate gaudeat suspectus, vel interdictus ab ingressu Ecclesiæ? ibid.
iij. An gaudeat excommunicatus? 23
iv. An gaudeat hæreticus? Vbi etiam agitur de Gentili? ibid.
v. An gaudeat bannitus, & condemnatus ob delictum? 26
vj. An gaudeat captus, & fugiens à carcere, vel exilio? ibid.
vij. An gaudeat, qui ex manibus ministrorum Iustitiæ se recepit ad Ecclesiam: & quid si è manibus eorum ereptus fuerit ab aliis: vel si cum satellite se receperit ad Ecclesiam? 27
viij. An gaudeat condemnatus ad mortem, si similiter, cum ad supplicium ducitur, ex manibus ministrorum iustitiæ se recipit ad Ecclesiam? 28
ix. An gaudeat condemnatus ad triremes, si similiter ex his se recipit ad Ecclesiam? ibid.
x. An gaudeat quis, si præstito iuramento de redeundo in carcerem, se recipiat ad Ecclesiam? 29
xj. An gaudeat clericus comparatiuè ad Iudices seculares? 30
xij. An clericus, qui non subditur iurisdictioni Iudicum secularium, sed Ecclesiasticorum, gaudeat comparatiuè ad Iudices Ecclesiasticos, non quidem in casibus exceptis (in quibus certum est, quod non gaudeat, quia nullibi reperitur hoc speciale priuilegium, & pro eis personali quoque per degradationem immunitate exuuntur, vti docent ex communi Suarez *lib.* 3. *de relig. cap.* 10. *num.* 7. Farinac. *de carcerib. quæst.* 28. *num.* 8. & *in append. de immunit. Ecclesiast. num.* 35. Barbosa *tom.* 2. *de iur. Eccles. cap.* 3. *num.* 45. *vers. & multò magis*, & Cutell. *de immunit. Eccles. lib.* 1. *quæst.* 20. *num.* 11. & *quæst.* 23. *num.* 25. contra Bernardum Diaz *pract. cap.* 123. *in fin.*) sed in casibus non exceptis? ibid.
Difficultates, earumque solutiones. 32
xiij. An gaudeat seruus comparatiuè ad Dominum? 34
xiv. An gaudeat clericus, saltem in casu, tam comparatiuè ad Iudicem secularem, quàm Ecclesiasticum. 35
xv. An gaudeat Religiosus in ordine ad Prælatum Religionis? ibid.
XI. An, & quid dicendum sit in causis ciuilibus? 36
*Sectio* j. Dubitationis Resolutio. ibid.
ij. An, & quid dicendum de debitore? 37
iij. An dicendum, quod debeat debitor laborare, vel seruiendo creditori satisfacere? 38
iv. An, & quid dicendum de debitore suspecto de fuga? ibid.
v. An, & quid dicendum de debitore tributorum? ibid.
vj. An, & quid dicendum de decocto fraudulenter. 39
XII. An, & quid dicendum sit in causis criminalibus? 40
XIII. An immunitate priuetur publicus latro? 41
XIV. An priuetur simplex fur? 42
XV. An priuetur personas captiuans, & componens? ibid.
XVI. An priuetur nocturnus depopulator agrorum? ibid.
XVII. An priuetur diurnus depopulator agrorum? ibid.

XVIII. An

# Dubitationum, & Sectionum.


XVIII. An priuetur viarum grassator? ibid.
XIX. An priuetur, qui occidit, vel mutilat in Ecclesia, vel Cæmeterio? 44
*Sectio* j. Dubitationis Resolutio. ibid.
ij. An priuetur qui vulnerat in Ecclesia. 46
iij. An priuetur, qui cum armis confugit ad Ecclesiam. 47
iv. An priuetur, qui mutilat, vel occidit in Ecclesia quomodocumque. 48
v. An priuetur, qui in Ecclesia existēs sagitta occidit existentem extra Ecclesiam? 49
vj. An priuetur, qui occidit prope Ecclesiam, vel exiens ab Ecclesia, vel existens in sacristia, atrio, tecto, Monasterio, palatio, vel scalis Ecclesiæ, &c. 50
vij. An priuetur, qui existens extra Ecclesiā sagitta occidit existentem in Ecclesia? 51
viij. An priuetur, qui mandat aliquem mutilari, vel occidi in Ecclesia. ibid.
ix. An priuetur, qui vi, vel fraude extrahit aliquem ex Ecclesia, & extractum illum occidit extra Ecclesiam? 52
x. An priuetur immunitate debita pro aliis delictis, qui mutilat, vel occidit in Ecclesia? 53
XX. An immunitate priuetur, qui proditoriè occidit proximum suum? ibid.
*Sectio* j. Dubitationis Resolutio. ibid.
ij. An priuetur, qui occidit aliquē veneno? 54
iij. An priuetur, qui occidit inimicum pro missione facta de non offendendo? Vbi etiam de amico reconciliato. 55
iv. An priuetur, qui occidit proditoriè infidelem? ibid.
v. An priuetur qui occidit per industriam inimicum, etiam incautum? 55
vj. An priuetur qui occidit inimicum in duello? ibid.
vij. An priuetur, qui occidit per industriam, sed non per insidias proximum, quamuis non inimicum? 57
viij. An priuetur, qui per insidias deducit aliquem, vt ab alio occidatur, & is de facto occiditur? 58
ix. An priuetur, qui vulnerat proditoriè animo occidendi, sed mors inde non sequitur? ibid.
x. An priuetur, qui proditoriè alapam viro nobili impingit, vel fustibus illum percutit? 59
XXI. An immunitate priuetur assassinus? ibid.
*Sectio* j. Dubitationis Resolutio. ibid.
ij. An priuetur, qui pecunia conductus occidit infidelem? 61
iij. An priuetur, qui pecunia conductus occidit inimicum mandantis, & suum simul? 62
iv. An priuetur, qui pecunia conducitur ad vulnerandum tantùm? ibid.
v. An priuetur, qui sub promissione pecuniæ mandat aliquem occidi? 63
vj. An priuetur, qui receptat, defendit, vel occulat assassinum? ibid.
vij. An priuetur testis, qui pecunia conductus falsum deponit, vnde accusatus ad mortem damnatus fuit? Vbi etiam de Iudice damnante. 64
XXII. An immunitate priuetur hæreticus? Vbi etiam de hæresis suspecto. ibid.
XXIII. An immunitate priuetur, qui committit crimen læsæ maiestatis humanæ? 66
*Sectio* j. Dubitationis Resolutio. ibid.
ij. Difficultates, earumque solutiones. 70
iij. An immunitate priuetur, qui delinquit in personam Principis superiorem recognoscentis? 71
iv. An priuetur, qui delinquit in Statum Principis supremi, in vxorem, consanguineos, vel officiales eius? ibid.
v. An priuetur rebellis, vel qui offendit statuas, vel imagines dicatas Principi, vel quid aliud simile facit contra Principem? Vbi etiam de sciente, & non reuelante. ibid.
XXIV. An excipiantur ab Ecclesiæ immunitate aliæ causæ criminales, præter suprà dictas, saltem grauiores? 72
*Sectio* j. Dubitationis Resolutio. ibid.
ij. Difficultas prima, eiusque solutio. 74
iij. Difficultas secunda, eiusque solutio. ibid.
iv. Difficultas tertia, eiusque solutio. 76
v. Difficultas quarta, eiusque solutio. ibid.
vj. An Immunitate priuetur raptor virginis, & adulter? 77
vij. An Immunitate priuetur sodomita? 78
viij. An priuetur, qui furatur in Ecclesia, & sacrilegus? 79
ix. An priuetur blasphemus, & superstitiosus? 80
x. An priuetur simoniacus? ibid.
xj. An priuetur deflorans monialem? 81
xij An priuetur periurus, & falsus testis? ibid.
xiij. An priuetur, qui infert sfrigia in Ecclesia? ibid.
xiv. An immunitate priuetur parricida? ibid.
xv. An priuetur incendiarius? 82
xvj. An priuetur apostata à Religione? 83
xvij. An priuetur exul, vel capitaliter bannitus? ibid.
xviij. An immunitate priuetur cudens falsam monetam, vel bonam tondens? 84
xix. An immunitate priuetur Regia tributa, vel fiscum fraudans, aut Reipublicæ pecunias in suos vsus conuertens? Vbi etiam de obstricto ad reddendum ratiocinia ratione tutelæ, vel officij Regij? 85
xx. An immunitate priuetur Iudex, vel alius minister extrahens ab Ecclesia confugientem ad illam? ibid.
xxi. An priuetur occidens clericum, vel Regularem, vel etiam Episcopum. ibid.
xxij. An priuetur immunitate quoad crimi-

na non excepta, delinquens in crimine excepto ? 86
xxiij. An immunitate priuetur, qui vulnerat, vel etiam occidit sacerdoti peccata sua actu confitentem, vel actu quodcumque aliud sacramentum sumentem? 87
XXV. An possit reus è loco sacro extrahi inuitus ? ibid.
*Sectio* j. Dubitationis Resolutio ? ibid.
ij. An, & quid dicendum, si egressus fuerit necessitate ductus ? ibid.
iij. An, & quid dicendum, si extractus fuerit per vim ? 88
iv. An, & quid dicendum, si egressus fuerit per metum ? ibid.
v. An, & quid dicendum, si voluntariè egressus fuerit rogatu, vel blanditiis, vel dolosis verbis inductus ? ibid.
XXVI. An possit reus è loco extrahi contra voluntatem Ecclesiæ ? 90
XXVII. An possit reus in Ecclesia incarcerari, vinculis ligari, vel alio modo vexari? Vbi etiam quid interim fieri possit, donec examinatur causa. ibid.
XXVIII. An possit Iudex laicus immittere satellites, vel milites in locum immunem, vt ob metum reus inde discedat & capi possit ? 92
XXIX. An possit reus in Ecclesia victu, & vestitu, & reliquis vitæ necessariis impediri ? Vbi etiam, an ad Ecclesiam custodia apponi possit ? ibid.
XXX. An possit reus in Ecclesia bonis suis, & iustè possessis, quæ secum ad Ecclesiam transtulit, spoliari? Vbi etiam de bonis aliis, & an possit his per Iudicem laicum spoliari ? 93
XXXI. An possit reus in Ecclesia existens ad pœnam aliquam corporalem damnari ? Vbi etiam, an possit saltem ad aliquam aliam, & per quem. 95
XXXII. An Iudici tentanti extrahere reum è loco sacro resistere possit quis. 97
XXXIII. An debeat reus è loco sacro extractus ante omnia restitui Ecclesiæ. Vbi etiam an extrahentes immunitate priuentur. ibid.
XXXIV. An si reus extractus Ecclesiæ non restituatur, omnia acta sint nulla. Vbi etiam quinam alij effectus inde sequantur. 101
XXXV. An, & quam culpam, & pœnam incurrat indebitè reum extrahens è loco sacro, & quis. 102
*Sectio* j. Dubitationis Resolutio. ibid.
ij. Difficultates, earumque solutiones. 106
XXXVI. An ad dictas pœnas, & præcipuè Gregorij XIV. excommunicationem, incurrendas requiratur extractio Rei è loco sacro secuta, vel sufficiat solum attentata? Vbi etiam an sufficiat quæcumque scientia ? 107
XXXVII. An ad easdem pœnas, & præcipuè Gregorij XIV. excommunicationem, incurrendas sufficiat, quod remota extractione, Iudex laicus iubeat reum occidi in Ecclesia, & ministri ibi eum occidant ? 108
*Sectio* j. Dubitationis Resolutio. ibid.
Prima probatio. ibid.
Secunda probatio. ibid.
Tertia probatio. 109
Quarta probatio. 110
Quinta probatio. ibid.
ij. Difficultates in oppositum, earumque solutiones. ibid.
XXXVIII. An à censura tali, casu quo contracta fuerit, possit solum absoluere Pontifex, vel etiam possit Ordinarius, & sic de illius facultate quilibet Confessor ? ibid.
*Sectio* j. Dubitationis Resolutio. ibid.
ij. Difficultares in oppositum, earumque solutiones. 111
XXXIX. An reus laicus ad locum sacrum confugiens, Iudici seculari puniendus aliquando tradi possit, & qua ratione? Vbi etiam quid dicendum de Episcopo, si extrahendi licentiam indebitè concedat ? 112
XL. Quonam modo reus in casibus exceptis Curiæ seculari tradi debeat ? 113
*Sectio* j. Dubitationis Resolutio. ibid.
ij. An possit Iudex laicus confugientem ad Ecclesiam in casibus exceptis ex illa extrahere sine licentia Episcopi ? 115
iij. An, & quid dicendum de iure communi ? 116
XLI. Ad quemnam Iudicem spectet cognoscere, vtrum casus sit exceptus, necne? 117
*Sectio* j. Dubitationis Resolutio. ibid.
ij. Difficultates in oppositum, earumque solutiones. 118
iij. An cognoscere locum, vtrum sit sacer, ad gaudendum immunitate, spectet ad Iudicem Ecclesiasticum tantùm ? 119
XLII. Qualiternam Episcopus cognoscere debeat, delictum esse exceptum, vt possit reum tradere, remittere, seu consignare Curiæ seculari ? 120
*Sectio* j. Dubitationis Resolutio. ibid.
Prima probatio. 121
Secunda probatio. ibid.
Tertia probatio. ibid.
*Sectio* ij. Responsio ad fundamentum oppositum. ibid.
iij. Altera difficultas, eiusque solutio. 122
XLIII. An Iudex Ecclesiasticus obligatus sit in hac cognitione stare processui facto à Iudice laico, vt possit reum remittere Curiæ seculari ? ibid.
*Sectio* j. Dubitationis Resolutio. ibid.

ij. Diffi

ij. Difficultates in oppositum, earumque solutiones ? 123
XLIV. An Iudex Ecclesiasticus obligatus sit in hac cognitione citare reum, vt possit illum remittere Curiæ seculari ? 125
*Sectio* j. Dubitationis Resolutio. ibid.
ij. Difficultates in oppositum, earumque solutiones. ibid.
iij. An testes examinati in processu informatiuo sint postea repetendi, & quomodo? 126
XLV. Qualiternam Iudex Ecclesiasticus obligatus sit in hac cognitione procedere. ibid.
XLVI. An in dubio, quod delictum sit exceptum, possit Iudex Ecclesiasticus iudicare, quod reus non gaudeat, sed priuetur immunitate ? 127
XLVII. Ad quemnam Iudicem spectet cognitio, si captus à satellitibus affirmet se captum fuisse in loco sacro, illi autem negent. ibid.
XLVIII. An reus ad locum sacrum confugiens, in casibus non exceptis expelli inde possit, & debeat ? 128
XLIX. An si laicus delinquat in loco sacro, possit Iudex Ecclesiasticus cognoscere de delicto, & delinquentem sæcularem punire ? ibid.

## CAPVT XVII.

*De bonis Ecclesiasticis non alienandis.* p. 129

DVBIT. I. AN, & quomodo violetur Immunitas Ecclesiastica per alienationem bonorum Ecclesiasticorum ? ibid.
II. Quænam bona dicantur immobilia, & mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, vt proinde sine solennitate iuris alienari non possint ? 133
*Sectio* j. Dubitationis Resolutio ? ibid.
ij. An, & quid dicendum de re, quæ valorem 25. aureorum non attingit, vel quæ non durat triennio, nec fructificat ? 135.
iij. An, & quid dicendum de pecunia, quæ in capsa, & domo testatoris reperitur ? Vbi etiam quid dicendum, si ad immobilia, vel pretiosa mobilia emenda destinata fuerit, vel in banchis, montibus, aut censibus reperta ? ibid.
iv. An, & quid dicendum de armento boum & similibus ? 139
v. An, & quid dicendum de arboribus ? ibid.
III. Quænam alienatio prohibeatur. 140
IV. An, & quid dicendum sit, si Prælatus in ordinatione sui summo Pontifici iurauerit, se bona Ecclesiæ non alienaturum ? 141
*Sectio* j. Suppositum. ibid.
ij. Difficultatis Resolutio. 142
V. An possit Prælatus suæ Ecclesiæ præiudicare ? Vbi etiam de Prælato Religionis, & de Religioso. 144
VI. An possit Prælatus legatum, vel hæreditatem Ecclesiæ suæ delatam non acceptare. 146
VII. An si relictum sit legatum rei immobilis monasterio incapaci retinendi rem immobilem, possit Prælatus monasterij in proprios, & quotidianos vsus monasterij sine solennitate iuris talem rem legatam alienare ? 148
VIII. An possint Regulares, inconsulto summo Pontifice, fundare censum, vel accipere pecuniam ad cambium, vel ad mutuum, cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis ? 149
IX. An, & quomodo sit licita Ecclesiæ rerum alienatio ? ibid.
Suppositum primum. ibid.
Suppositum secundum. 151
Difficultatis Resolutio. 152
X. An in alienatione rei relictæ loco pio capaci, vel Ecclesiæ capaci cum ea clausula, vt quotiescumque Ecclesia voluerit eam alienare, vel in proprios vsus conuertere, possit id etiam non seruatis iuris solennitatibus facere, seruandæ sint conditiones, seu solennitates iuris ? 155
XI. An, si è contra res relicta sit Ecclesiæ cum ea clausula, seu conditione, vt nunquam alienetur, possit adhuc, existente tamen iusta causa, & seruatis iuris solennitatibus, alienari ? Vbi etiam quandonam incurratur pœna caducitatis ? 156
XII. An seruandæ sint iuris solennitates in cessione iuris, vel actionis ? Vbi etiam quid dicendum in transactione rerum, quæ possidentur ab Ecclesia, & in remissione pœnæ caducitatis ? 157
XIII. An seruandæ sint iuris solennitates in permutatione rerum Ecclesiasticarum, quæ fit inter ipsas Ecclesias ? Vbi etiam quid dicendum in vnione Ecclesiarum, & in dismembratione fructuum ? 158
XIV. An seruandæ sint iuris solennitates in alienatione iuris patronatus, sepulchri, & similium ? 159
XV. An seruandæ sint iuris solennitates in concessione feudi, vel emphyteusis. 161
XVI. An, & quando feudum, vel emphyteusis Ecclesiastica censeatur concessa in perpetuum etiam vt transeat ad hæredes extraneos ? 162

# Series Capitum,


XVII. An seruandæ sint iuris solennitates in alienatione materialis Ecclesiæ, Oratorij, vel alicuius alterius rei similis? 163

XVIII. An cum facultate alienandi res Ecclesiasticas à Sede Apostolica obtenta possit à Regularibus in monasterio, vel Conuentu, vel horto inseruiente monasterio ex pecunia ipsis relicta pro Missa perpetua dicenda fundari census? 164

XIX. An seruandæ sint iuris solennitates in Ecclesiæ rei immobilis, vel mobilis pretiosæ concessione per precarium, vel ad beneplacitum? 165

XX. An alienatio rei Ecclesiasticæ facta sine iusta causa, valida sit in foro externo, vel conscientiæ? ibid.

XXI. An saltem alienatio rei Ecclesiasticæ facta cum iusta causa, sed sine debita iuris solennitate valida sit in foro externo, vel conscientiæ? 166

*Sectio* j. Dubitationis Resolutio. ibid.

ij. Corollaria. 167

XXII. An Extrauagans *Ambitiosæ* Pauli II. recepta sit in omnibus locis? Vbi etiam de pœnis; & an locum habeat in clericis Regularibus Theatinis? 168

XXIII. An in locis, vbi Extrauagans *Ambitiosæ* Pauli II. recepta est, possint bona Ecclesiæ immobilia, vel mobilia pretiosa licitè in aliquo casu sine solennitatibus iuris alienari. 172

XXIV. An in locis, vbi Extrauagans *Ambitiosæ* Pauli II. recepta est, possint fructus beneficiorum licitè in omni casu sine solennitatibus iuris vltra triennium, quin ad vitam, vendi, vel locari? 174

XXV. An possit sine solennitatibus iuris alienari patrimonium, ad cuius titulum quis ordinatus est? ibid.

XXVI. An Cardinalis subiiciatur pœnis statutis contra præsumentes alienare bona Ecclesiastica. 185

XXVII. An saltem possit summus Pontifex bona Ecclesiæ, etiam immobilia, & mobilia pretiosa sine causa alienare. 176

XXVIII. Quandonam censeatur iusta, & rationabilis, seu sufficiens causa, vt Pontifex res Ecclesiæ possit alienare. 177

XXIX. An summus Pontifex peccet contra iuramentum, si alienet bona Cameræ, & Sedis Apostolicæ. 178

XXX. An summus Pontifex peccet contra iuramentum alienando bona Cameræ, & Sedis Apostolicæ, licet alienet illicitè, & alinet etiam inualidè? Vbi traditur regula, quandonam actus contra iuramentum factus sit validus, & quando non. ibid.

XXXI. Quamnam censuram incurrat Commissarius, seu delegatus à Sede Apostolica, si facultatem concedat alienandi in detrimentum Ecclesiæ. p. 449

XXXII. Quamnam censuram incurrat, qui procurat alienationem, vel alienationis decretum à Commissario, seu delegato Sedis Apostolicæ in detrimentum Ecclesiæ? 182

XXXIII. Quamnam censuram incurrat, qui sundet summo Pontifici, vt alienet, vel infeudet ciuitates, & loca Cameræ, & Sedis Apostolicæ? 183


## CAPVT XVIII.


*De bonis Ecclesiasticis non locandis.* p. 184

DVBIT. I. AN, & quomodo violetur immunitas Ecclesiastica per locationem bonorum Ecclesiasticorum. ibid.

II. An si quis bona Ecclesiæ locet ad sex, vel nouem annos, clausula adiecta, quod sint tot locationes, quot sunt triennia, ita vt transacto primo triennio, pro tunc rem de nouo locet, valida sit locatio vltra triennium, tanquam non pugnans cum extrauagante *Ambitiosæ*. 185

III. An si quis, facta locatione pro triennio, ante illud finitum locationem renouet, valida sit contractus renouatio? 186

IV. An si quis Ecclesiæ rem, quæ binis, vel ternis annis solet fructificare, locet, validè illam vltra triennium locet? ibid.

V. An si quis Ecclesiæ rem, quæ singulis annis fructificat, vltra triennium locet, valida sit locatio, saltem citra triennium; & an sit inualida, qua parte excedit triennium? ibid.

*Sectio* j. Dubitationis Resolutio. ibid.

ij. Difficultates, earumque solutiones. 188

VI. An si quis Ecclesiæ, quæ singulis annis fructificat, rem vltra triennium locet, cum iuramento de non contraueniendo, firmetur locatio iuramento, ita vt ipsi non liceat ab ea recedere? ibid.

VII. An valeat mandatum ad locandum vltra triennium? ibid.

VIII. An possit Prælatus sua Constitutione particulari triennium per Extrauag. *Ambitiosæ* concessum ad locandum coarctare? 189.

IX. Ad quænam bona Ecclesiastica prohibitio locationis vltra triennium extendatur. ibid.

X. An etiam extendatur ad fructus, quorum beneficiarius dominium habet? ibid.


CAPVT

## CAPVT XIX.

*De clausura Monialium, & prohibito ingressu intra Claustra Monasteriorum, tam mulierum, quàm virorum.* 190


DVBIT. I. AN, & qualiter clausura Monialium præcipiatur obseruari? ibid.

II. An, & de quo iure Monialibus clausura præcipiatur obseruari? 191

III. An, & qualiter Monialibus iure positiuo potuerit præcipi strictior clausura, quàm ea, ad quam ex vi suæ professionis, aut Regulæ tenebatur? 192

*Sectio* j. Dubitationis Resolutio. ibid.

ij. Corollaria. ibid.

IV. An, & qui sint limites, intra quos clausura Monialium contineatur, quosque Moniales prætergrediendo, clausuram violent? 197

V. Quænam Moniales clausuræ astringantur? 198

VI. Ad quemnam spectet astringere Moniales ad clausuram? 200

VII. Ad quemnam spectet dare licentiam egressus è clausura, & causam egressus approbare. 201

VIII. An dare licentiam egressus è clausura, & causam egressus approbare, spectare possit etiam ad Vicarium. 202

*Sectio* j. Dubitationis Resolutio. ibid.

ij. Corollaria. 203

IX. An ad licentiam Moniali dandam, quod possit egredi è clausura, requiratur causa grauis? 204

X. An hîc epidemiæ nomine veniat morbus contagiosus grauis quicumque, vel solùm morbus contagiosus pestis propriè dictæ? 205

XI. An Moniali præter tres epidemiæ, lepræ, & incendij causas expressas concedi possit egressus è clausura propter alias causas similes, vel vrgentiores. 206

XII. An Moniali concedi possit egressus è clausura propter morbum Gallicum, S. Lazari, ignis S. Antonij, vel similem alium morbum contagiosum? 208

XIII. An Moniali concedi possit egressus propter belli, præsertim ab hæreticis, vel infidelibus imminentis timorem? ibid.

XIV. An Moniali concedi possit egressus, vt fit Abbatissa alterius Monasterij? Vbi etiam de aliis casibus. ibid.

XV. An Moniali concedi possit egressus, vt visitet Monasteria sibi subiecta? Vbi etiam an vt recipiat iuramentum fidelitatis à domino temporali? 210

XVI. An Moniali concedi possit egressus, vt petat eleemosynas necessarias Monasterio? ibid.

XVII. An Moniali concedi possit egressus ob morbum quantumvis periculosum, si contagiosus non est? Vbi etiam de aliis vrgentiis. 211

XVIII. An Moniali concedi possit egressus, si adeò incorrigibilis sit, vt in nullo Monasterio eius correctio speretur? 213

XIX. An Moniali concedi possit egressus, vt ad strictius Monasterium transeat? ibid.

XX. An Monialis ad tempus legitimè egressa teneatur statim redire? 214

XXI. An Moniali, si necessitas exeundi manifesta sit, & Superior tunc pro licentia petenda adiri non possit, liceat, eo inconsulto, egredi? ibid.

XXII. An, & quæ pœnæ Moniali clausuram violanti, & ei fauentibus infligantur? 215

XXIII. An dictæ pœnæ eo ipso ante omnem Iudicis sententiam, etiam criminis declaratoriam, in foro conscientiæ contrahantur? ibid.

*Sectio.* j Dubitationis Resolutio. ibid.

ij. Difficultates, earumque solutiones. 218

iij. Aduertenda. 221

iv. An reus captus possit licitè fugere. 222

XXIV. An, & quid nomine dignitatum, administrationum, & officiorum (quibus Motus Pij V. incipiens, *Decori & honestati*, Moniales absque legitima licentia egredientes, ac facultatem egrediendi concedentes priuat) intelligatur? 223

XXV. An & quando Moniales egredientes è clausura pœnas incurrant? 226

XXVI. An pœnas incurrant Episcopi, Religiosi, & quicumque alij in dignitate constituti? 227

XXVII. An, & quando pœnas incurrant Monialem illicitè egressam comitantes, vel recipientes? ibid.

XXVIII. An, & quis possit in isto casu absoluere ab excommunicatione? 228

XXIX. An, & quis possit in isto casu dispensare à priuatione officiorum, & inhabilitate ad illa? 229

XXX. An, & quis, & sub quibus pœnis prohibeatur ingredi Monasterium Monialium? 230

XXXI. An, & quid veniat nomine Monasterij Monialium? 231

XXXII. An, & quis possit concedere licentiam

tiam ingrediendi Monasteria Monialium. 232
XXXIII. An possit concedere licentiam ingrediendi Prælatus Regularis Conuentualis. 233
XXXIV. An possit concedere licentiam ingrediendi Abbatissa. 234
XXXV. An possit ingredi sine licentia alterius in casibus necessariis, qui potest aliis in iis casibus licentiam concedere. ibid.
XXXVI. An licentia ingrediendi requiratur, quod sit specialis? Vbi etiam, an iam concessa intelligatur pro vna vice tantùm. 235
XXXVII. An requiratur, quod licentia sit in scriptis? 237
XXXVIII. An licentia ad concedendam ingrediendi facultatem, requiratur, quod sit etiam in scriptis? 239
XXXIX. An vt licentia ingrediendi sit legitima, requiratur, quod ingrediendi causa sit iusta, & manifesta? 240
XL. An ingressus causa si iusta in medicis, fabris, musicis, & similibus? 241
XLI. An ingressus causa sit iusta in Confessariis, aliisque Sacramenta ministrantibus, vel exorcizantibus? 242
XLII. An ingressus causa sit iusta in superioribus visitantibus? 244
XLIII. An ingressus causa sit iusta in expellentibus malefactorem, qui Monasterium ingressus est, & egredi recusat? ibid.
XLIV. An ingressus causa sit iusta in Monasterij œconomo ad quærenda instrumenta in Archiuio intra clausuram existenti. 245
XLV. An ingressus causa sit iusta in baiulis Monasterio necessaria intromittentibus. ibid.
XLVI. An ingressus causa sit iusta in puellis, vt honestè in Monasterio Monialium educentur? ibid.
XLVII. An ingressus causa sit iusta in puellis ob alios fines? Vbi etiam de aliis fœminis. 247
XLVIII. An ingressus causa sit iusta in famulis secularibus, vt culinæ, & aliis Monasterij inferioribus officiis inseruiant? 248
XLIX. An ingressus causa sit iusta in nobilibus fœminis, quæ prætextu alicuius muneris necessarij in Monasterio exercendi ingrediuntur, cùm nihil, aut parum ingressæ facturæ sint, nec tale ministerium sit earum statui consonum? ibid.
L. An ingressus causa sit iusta in Superiore, qui electioni Abbatissæ præsit, & Monialium vota suscipiat? 249
LI. An ingressus causa sit iusta in Episcopo, vt alicui Confirmationis Sacramentum administret? Vbi etiam de ingressu pro benedictione, vel consecratione Monialis, vel pro alia causa simili. ibid.
LII. An ingrediens Monialium Monasterium ex legitima licentia, teneatur finito negotio, statim egredi? Vbi etiam de requisitis ad licentiam ingressus. 250
LIII. An transgrediens clausuram modico in ingressu, vel egressu, peccet, & censuras incurrat? 251
LIV. An, & quas censuras, pœnasque incurrat ingrediens Monasterium Monialium extra casus permissos? ibid.
LV. An contrahat ingrediens Monialium Monasterium ex licentia quidem Superioris in scriptis obtenta, non tamen iustè (id est, in casu necessario, vt petit Tridentinum) concessa, Tridentini excommunicationem non reseruatam? 253
LVI. An contrahat Tridentini excommunicationem non reseruatam, ingrediens sine licentia Superioris, sed animo habitum regularem assumendi, & profitendi? 254
LVII. An contrahat Motus Gregorij XIII. *Vbi gratiæ*, excommunicationem reseruatam contra ingredientes Monasteria Monialium virtute facultatum vsque tunc concessarum decretam, ingrediens virtute licentiæ ab Episcopo ante dictum Motum Gregorij XIII. concessæ? 255
LVIII. An contrahat eiusdem Motus Gregorij XIII. pœnas ingrediens solùm virtute facultatis alicuius sibi concessæ, vel etiam ingrediens absque vlla prorsus facultate, seu licentia? ibid.
LIX. An contrahat pœnas dicti Motus Gregorij XIII. quilibet ingrediens virtute prædictarum facultatum quomodocumque culpabiliter, vel solùm culpabiliter ex scientia? Vbi etiam de ingredi faciente, vel permittente? 257
*Sectio* j. Dubitationis Resolutio. ibid.
ij. An hæc eadem scientia, audacia, & præsumptio requiratur etiam in ingredi faciente, vel permittente virtute dictarum facultatum, vt ipse similiter contrahat pœnas supradictas? 260
LX. An excommunicatio in dicto Motu Gregorij XIII. lata in facientes, vel permittentes

mittentes ingredi virtute facultatum, sit Pontifici reseruata, sicuti est reseruata, quæ in eodem Motu fertur contra ingredientes virtute prædictarum facultatum? Vbi etiam de aliis pœnis. 264

LXI. An, & quæ personæ facientes, vel permittentes ingredi virtute facultatum, contrahant excommunicationem, & cæteras pœnas dicti Motus Greg. XIII. ibid.

LXII. An, & quid veniat nomine Conuentuum, quos facientes, vel permittentes ingredi virtute facultatum, punit Motus Gregorij XIII. 265

LXIII. An, & quid veniat in dicto Motu Gregorij XIII. per ly *facere, vel permittere ingredi virtute facultatum?* 266

LXIV. An veniat in dicto Motu Gregorij XIII. per ly *quempiam facere, vel permittere ingredi virtute facultatum*, mas tantùm, vel etiam fœmina? ibid.

LXV. An, & quis contrahat pœnam excommunicationis Pontifici reseruatæ, & priuationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum suorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda in dicto Motu Gregorij XIII. impositam ii, qui ex facultate Episcopi, vel Superiorum (quorum est illam concedere) absque necessitate ingrediuntur, & Monialibus, quæ eos aliter admittere præsumunt? 267

LXVI. An veniat nomine Monialium Abbatissa in pœnis Motus Gregorij XIII. iam suprà dubit. præcedenti dictis? 268

LXVII. An, & quid veniat nomine admissionis in Monasteria virtute licentiarum, cui admissioni pœnæ Motus Gregorij XIII. in dubit. 64. dictæ imponuntur. ibid.

LXVIII. An, & quis contrahat pœnas in Motu Gregorij XIII. (qui incipit: Dubiis quæ emergunt) Prælatis extra casum necessitatis in Monialium Monasteria sibi subsidita ingredientibus impositas? 270

LXIX. An omnes pœnæ huc vsque siue contra ingredientes, siue contra ingredi facientes relatæ, contrahantur quando ingressus, vel admissionis delictum est omninò occultum, prodiit tamen in actum externum? Vbi etiam de eo, qui potest absoluere & dispensare. 271

LXX. An non solùm ingredi Monasteria Monialium, sed etiam ea sine iusta causa, & licentia superioris adire, vel frequentare sit iure prohibitum? Vbi etiam de locutione, & scriptione ad Moniales. 273

*Sectio* j. Dubitationis Resolutio. ibid.

ij. Aduertenda. 274

LXXI. An Monasteria sine iusta causa, & licentia superioris adire, vel frequentare sit iure prohibitum sub mortali? Et quid in specie dicendum de Religiosis? 277

LXXII. An etiam ingredi Monasteria virorum sit prohibitum mulieribus? 278

LXXIII. An sub hac prohibitione comprehendantur puellæ cuiuscumque ætatis, & etiam mente captæ? ibid.

LXXIV. An sub eadem prohibitione comprehendantur etiam Imperatrices, Reginæ, & ipsarum filiæ? 279

LXXV. An sub eadem prohibitione comprehendantur etiam mulieres Monasteriorum virorum fundatrices? ibid.

LXXVI. An sub eadem prohibitione comprehendantur etiam mulieres, quæ nullius facultatis prætextu ingrediuntur? Vbi etiam de Religiosis mulieres sic ingredientes admittentibus? 280

LXXVII. An, & quid veniat nomine virorum Monasterij, in quo fœminarum ingressus, & admissio prohibetur? 281

LXXVIII. An in quibusdam casibus licitus sit ingressus, & admissio fœminarum in Monasteria virorum? 283

LXXIX. An, & quas pœnas contrahant mulieres illicitè in virorum Monasteria ingredientes? Vbi etiam de Religiosis illas sic ingredientes admittentibus? 286

LXXX. An in casu nostro pœna priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa contrahatur absque vlla sententia iudicis? ibid.

LXXXI. An & quis possit absoluere à suspensione à diuinis, quam incurrunt Religiosi admittentes fœminas illicitè in Monasteria virorum ingredientes? 287

LXXXII. An & quis possit absoluere à suspensione à diuinis, & cæteris censuris, etiam si deductæ sint in forum contentiosum? ibid.

# ADDITIO BVLLARVM,

## Quæ ad materiam de Immunitate spectant, iuxta seriem Summorum Pontificum, qui de ea aliquid sanxerunt.

Bvlla 2. Pauli II. De his quæ obseruare debent Iudices à Sede Apostolica delegati, in causis alienationum bonorum Ecclesiasticorum. pag. 289

Bulla 5. Pauli II. prohibitio alienandi bona Ecclesiastica, aut illa vltra triennium locandi. ibid.

Bulla 8. Pauli V. De clausura, & numero Monialium

# Additio Bullarum.

monialium cuiuscumque Ordinis,& pœnis earumdem absque licentia superiorum ex causa magni incendij, vel infirmitatis lepræ, vel epidemiæ tantummodò eis concedenda è monasteriis egredientium, concomitantiumque, & receptantium, ac Superiorum aliter eis licentiam concedentium. Necnon de eleemosynis pro ipsarum monialium subuentione colligendis? 290

Bulla 35. Pij V. Prohibitio alienandi, & infeudandi Ciuitates & loca S.R.E. vel de eorum alienationibus & infeudationibus tractandi quovis prætextu,etiam euidentis vtilitatis. 293

Bulla 20. Pij V. Quod mulieres etiam prætextu cuiusvis priuilegij,facultatis,aut licentiæ ingredi non possint (exceptis casibus hîc expressis) Monasteria & claustra cuiuscumque Ordinis Regularis. 295

Bulla 8. Gregorij XIII. Declaratio circa eleemosynas monialibus seruantibus clausuram præstandas. 296

Bulla 28. Gregorij XIII. Reuocatio licentiarum & indultorum quibuscunque mulieribus concessorum ingrediendi monasteria cuiuscumque Ordinis Regularium. Prohibitioque vtendi huiusmodi licentiis pro casibus necessariis concedendis, præterquam ipsis necessitatibus vrgentibus. Et declaratio, quod Prælati monialium in casibus necessariis, & paucis comitati Religiosis ea ingredi possint. 299

Bulla 65. Gregorij XIII. Innouatio Constitutionum à prædecessoribus editarum contra homicidas, & alios capitaliter bannitos. Et maiorum pœnarum inflictio in eorum receptatores, & auxiliantes, communitatesque eos non persequentes & capientes. 300

Bulla 6. Sixti V. Innouatio Constitutionum à Romanis Pontificibus hactenus editarum contra exules, bannitos, aliosque facinorosos homines, eorumque receptatores & fautores: & multarum impositio pœnarum in eosdem, necnon contra communitates, & alios sua territoria eiusmodi scelestis hominibus expurgata non custodientes. 302

Bulla 7. Gregorij XIV. de Immunitate Ecclesiarum, quibusdam exceptis casibus,inviolabiliter obseruanda. 306

Bulla 41. Clementis VIII. Institutio Congregationis super Baronibus Status Ecclesiastici, cum iurisdictione eorum castra & bona etiam fideicommissis subiecta distrahendi pro satisfactione suorum creditorum. 308

Bulla 52. Pauli V. Contra mulieres ingrediendi Monasteria Monialium licentiis abutentes. 311

Bulla 74. Pauli V. Reuocatio omnium licentiarum Monasteria Monialium ingrediendi, aut cum eis conuersandi, mulieribus hactenus concessarum. ibid.

Bulla 9. Gregorij XV. Reuocatio quarumcunque electionum de Iudicibus Conseruatoribus hactenus factarum; & noua de eis, eorumque electionibus faciendis in posterum dispositio. 313

Bulla 18. Gregorij XV. De exemptorum priuilegiis circa animarum curam,& Sacramentorum administrationem,Sanctimonialium Monasteria, & prædicationem. Verbi Dei. 314

Bulla 5. Vrbani VIII. Confirmatio constitutionis Pij V. de hæreditatibus, Terris,& Locis S.R.E. non infeudandis. 317

Bulla Vrbani VIII. Constitutio super præseruatione Iurium Sedis Apostolicæ, & inferiorum Ecclesiarum, personarumque Ecclesiasticarum à quibuscumque præiudicialibus. 319

Bulla Vrbani VIII. Decreta Sanctæ Congregationis Concilij authoritate edita. 324

Bulla Vrbani VIII. Decretum Congregationis Concilij S. D. N. Vrbani Papæ VIII. iussu editum, de rebus Regularium non alienandis. 326

Bulla Innocentij X. Decretum S. Congregationis Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis in tota Republica Christiana à S. Sede contra hæreticam prauitatem specialiter deputatæ. 327

Bulla Innocentij X. Declaratio nullitatis literarum Senatus Mediolani, & Edicti Gubernatoris Status Mediolanensis super obseruatione festiuitatis S. Dominici in dicto Statu. ibid.

Bulla Alexandri VII. Literæ processus lectæ die Cœnæ Domini 1656. 328

Sequuntur Additiones nouissimæ R. P. Thomæ Delbene, ad suos Tomos de Immunitate, & Iurisdictione Ecclesiastica, quæ totam ferè doctrinam in iis traditam vel confirmant, vel explicant, quibus præmittitur syllabus rerum, quæ in eis continentur à pag. 1. ad 68. inclusiuè.

R.P.

R. P. THOMÆ

# DE LBENE,

## CLERICI REGVL.

# DE IMMVNITATE,

## ET IVRISDICTIONE ECCLESIASTICA.

## PARS SECVNDA.

### CAPVT XVI.

*De Immunitate Ecclesiarum.*

### DVBITATIO I.

An, & quomodo violetur Immunitas Ecclesiastica per rei extractionem ab Ecclesia.

SVMMARIVM.

1 *Immunitas Ecclesiastica violatur, si potestas secularis extrahat ab Ecclesia reum, illuc tanquam ad asylum confugientem.*
2 *Extrahens reum ab Ecclesia, si monitus desistere non vult, excommunicatur.*
3 *Extrahentes reum ab Ecclesia ex constitutione Gregorij XIV. sunt ipso facto excommunicati.*
4 *Reus cuiuscumque maleficij non est ab Ecclesia violenter extrahendus.*
5 *Rei extrahendi non sunt, neque ab Ecclesia atriis, vel domibus Episcopi.*
6 *Rei ideò non sunt extrahendi, quia defendi debent loci sancti reuerentia, & intercessione.*
7 *Tridentini authoritas de hac re.*

1 RESPONDETVR, violari, si Potestas secularis extrahat ab Ecclesia reum illuc tanquam ad asylum, confugientem. Vide *cap. antiquitus* 17. *quæst.*4. vbi præci-
2 pitur, quod extrahens, si monitus desistere nolit, excommunicetur. Vide Gregorij XIV. Constitutionem, *Thom. Delbene, de Immunit. Eccl.* Pars II. quæ incipit, *Cum aliàs nonnulli*, editam 28. Maij 1591. vbi Pontifex excommunicationem ipso iure in-
3 fert contra sic violantes immunitatem Ecclesiarum. Vide *cap. inter alia, de immunit. Eccles.* ibi: *Si liber, quantumcunque grania maleficia perpetrauerit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus, iuxta sacrorum statuta*
4 *Canonum, & traditiones legum ciuilium.* Et *cap. id constituimus* 18. *quæst.*4. ex Concilio Aurleian. 1. *cap.*3. ibi; *Id constituimus obseruandum, quod Ecclesiastici Canones decreuerunt, & lex Romana constituit, vt ab Ecclesiæ*
5 *atriis, vel domo Episcopi reos abstrahere omninò non liceat.* Et *can. eos qui, dist.*87. ex Concil. Arausicano 1. *can.*5. ibi: *Eos qui ad Ecclesiam confugiunt, tradi non*
6 *oportere, sed loci sancti reuerentia, & intercessione defendi.* Vide *can. frater, can. miror, cap. reum, cap. si quis contumax, cap. definimus, & alios canones* 17. *ead. quæst.*4. Tridentinum *cap.*20. *sess.*25. ibi: *Ecclesiæ, &*
7 *personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutam.* Et *cap. quamvis*, vbi per ly *Ecclesiæ immunitatem*, Concilium non tam intelligit immunitatem locorum, quàm rerum Ecclesiæ, sicuti docent Doctores, quos sequitur Mar. Italia *lib. 1. cap. 2. §. vnic. num.* 3. Vide S. Augustinum *epist.*187. *ad Bonifac.* & S. Chrys. *serm. inuectiuo contra Eutropium, tom.*5. Vide etiam *Cod. de his, qui ad Ecclesias confugiunt*, & præcipuè *l.*2. vbi expresè sancitur, nemini licere ad sacrosanctas Ecclesias confugientem abducere: & *auth. de mandatis Principum, §. sed nec homicidis*, vbi idipsum etiam expresè sancitur.

## DVBITATIO II.

An, & à quo iure Immunitas Ecclesiarum introducta sit.

### SVMMARIVM.

1 *Res extrahere ab Ecclesiis, vel Ecclesiarum atriis prohibetur non tam iure Canonico, quàm iure ciuili.*

2 *Immunitas Ecclesiarum non videtur introducta, nec de iure naturali, nec de iure diuino, contra plures Auctores.*

3 *Opinio Couar.* lib.2. variar. resol. *& Georgij Bittherfurij de iure asylorum, contra Abulensem, & Surpum est probabilior.*

4 *Templum Hierosolymitanum in lege veteri prater Ciuitates refugij reis pro asylo constitutum fuisse, de mente prædictorum est probabilis opinio.*

5 *Lex Mosaïca de reorum asylo post Christi mortem exspirauit.*

6 *Immunitas videtur competere locis sacris ad imitationem legis Mosaïcæ, & secundum iuris naturalis congruam aliquam æquitatem.*

7 *Lex naturalis, & etiam lex Euangelica positiua absolutè non præcipiunt immunitatem hanc Ecclesiarum, etiam suppositа loci sanctitate.*

8 *Christus supra legem naturæ, ac fidei nullas leges cæremoniales, nisi circa ritus sacrificij, & Sacramentorum præscripsit, reliqua verò Ecclesiæ disponenda reliquit.*

9 *Ecclesia gaudens dicta immunitate non fit spelunca latronum, quia ibi delinquentes non defendit.*

10 *Ecclesia gaudens dicta immunitate non fouet delicta, sed concedit misericordiam delinquentibus.*

11 *Interest Reipublicæ ne delicta remaneant impunita.*

12 *Rei confugientes ad Ecclesiam pro delictis exceptis consignantur Curiæ sæculari, vt puniantur.*

13 *Reipublicæ etiam interest, quod Ecclesia sint refugium confugientibus ad ipsas, ob honorem, & reuerentiam debitam Deo, quod est bonum maius, & in ordine superiori.*

14 *Ecclesia non debet dare occasionem delinquendi, neque ab ipsa datur talis occasio, quandoquidem immunitatem concedit ob iustam causam.*

15 *Occasio delinquendi sumitur à malitia hominum, & non debet Ecclesiæ prædicta occasio imputari.*

16 *Deus, & Ecclesia delicta abhorrent, sunt tamen delinquentium misericordia, & refugium.*

17 *Apud antiquos erant pauca asyla.*

18 *Rei apud antiquos recurrentes ad asyla pro quibuscumque delictis, immunitate gaudebant, & ab omni pœna liberabantur; at nunc pro delictis exceptis non gaudent.*

1 REspondetur, quod introducta sit, non solùm de iure Canonico, sed etiam de iure ciuili, à Canonicis sanctionibus, & à Pontificum, & Conciliorum, præcipuè Tridentini *cit. sess.25.cap.20.* decretis approbato, & stabilito, quamvis non videatur etiam in-
2 troducta de iure naturali, vel diuino: Posterior pars patebit ex dicendis *infrà num.3. & seqq.* Et contra Decium *in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, de constit. num.14. & seq.* Guttier. *pract.qq.lib.1.q.1. n.8.* Igneum *in l.1. ff. ad Syllan. num.26.* Tusch. *tom.3. concl.8. num.4. & tom.4. lit. I. concluf.59. num.1.* Farinacium *in append. de immunit. Eccles. cap.1. n.9.* Ioan. Lupum *in tract. de libertate Eccles. part.2. q.2.* Addit. ad Capellam Tolos. *disp.423. n.3.* Rebuffum *tom.2. super constitut. in tract. de immunit. in principi. num.2.* Germonium *de sacr. immunit. lib.3. cap.56. num.3.* Marium Ital. *de immunit. lib.1. cap.2. per tot.* Remigium Gonny *de immunit. Eccles. suppos. 2. num.5.* Cenedum *in qq. Canon. quæst.42. num.6. & seqq.* Chartarium *in decis. crimin.46. num.34.* Simonem Rao *in respons. ad dubium super immunitate Eccles.* Pechium *in tract. de Arrest. cap.6. num.5.* & Antoninum Dian. *part.4. tract.1. resol.44 & part.6. tract.1. resol.29.* docent Bacconus *in 4. distinct.12. art.1.* Couarru. *lib.2. variar. resol. cap.20.* Decian. *tract. crim. lib.6. cap.25. num.2.* Suar. *tom.1. de relig. lib.3. cap.8. num.9.* Ambrosin. *de immunit. cap.1. n.3.* Peguer. *in pract. crim. cap.26. num.1.* Pereyra *de manu Regia, part.2. cap.50. num.1.* Gambacurta *de immunit. lib.3. cap.15. num.8.* Sarpus *de iure asylorum, cap.6. fol.61. & seqq.* Fagundez *de præcept. Eccles. præcept.2. lib.4. cap.4. num.59.* Rodrig. *tom.2. qq. regular. quæst.50. art.1.* Bordonus *resol.1.* Lezana *verb. Immunitas Eccles. num.1.* Bobadilla *in Polit. tom.1. lib.2. cap.14. n.3.* Bouard. Polina *lib.2. cap.14. num.3. & seqq.* & Bonacina *disput.3. de primo Decalog. præcepto, quæst.7. §.1. num.2.* ex eo quia licet 3
probabilior videatur opinio Couar. *loco supra cit. n.2.* & Georgij Bittherfurij *de iure asylorum cap.12.* contra Abulensem *in cap.20. Iosuë, quæst.7.* & Sarpum *de iure asylorum, cap.vlt.* quod in lege veteri præter ciuitates 4
refugij, etiam ipsum templum Hierosolymitanum reis
pro asylo constitutum fuerit, *cap.21. Exod.* ibi: *Constituam tibi locum, in quem fugere debeas*; tamen lex 5
illa Mosaïca post Christi mortem exspirauit, ideoque 6
non ex illius obligatione, sed solum ad illius imitationem quandam, & secundum iuris naturalis congruam aliquam æquitatem talis immanitas locis sacris competere videtur, quandoquidem id absolutè 7
non præcipit lex naturalis, etiam suppositа sanctitate
loci, cum ei rei extractio, quæ per se iusta est, non 8
repugnet. Nec præcipit lex positiua Euangelica, cum Christus suprà legem naturæ, ac fidei, nullas leges cæremoniales, nisi circa ritus sacrificij, & Sacramentorum præscripserit, reliqua verò Ecclesiæ disponenda reliquerit, sicuti ex communi tradunt Couar. *loco supra cit. num.2.* & Suar. *tom.1. de relig. tract.2. lib.3. cap.8. num.13.* Prior pars patet ex dictis *in dubit.1.* & meritò sic introductum est ab vtroque iure, tam canonico, quàm ciuili: tum, vt fideles concipiant maiorem respectum in locos sacros: tum vt apprehendant sub tutela Dei esse illic residentes.

Neque hinc inferas, quod Ecclesia Dei fiat spelunca 9
latronum, quia Ecclesia ibi delinquentes non defendit: tum quia defendendo non fouet delicta, sed con- 10
cedit misericordiam delinquentibus, vt rectè notarunt Decian. *loco supra cit. n.2. & seqq. & consil.80. n.12. & 13. lib.3.* Guttier. *pract. qq. ciuil. lib.3. q.5. n.9.* Anast. Germ. *de sacrorum immunit. lib.3. c.16. n.15. & seqq.*

Obiicies. Interest Reipublicæ, ne delicta remaneant 11
impunita: ergo.

Respondetur: Concedo antecedens. At hinc nihil 12
contrà sequitur, quia rei pro delictis exemptis consignantur Curiæ sæculari, vt puniantur; pro delictis autem non exceptis adhuc puniuntur, etsi non pœna mortis, vel abscissionis membrorum, vt infra in locis suis dicetur. Adde, quod si Reipublicæ interest, quod delicta non remaneant impunita; Reipublicæ etiam 13
interest, quod Ecclesiæ sint refugium confugientibus ad ipsas, ob honorem, & reuerentiam debitam Deo, quod est bonum maius, & in ordine superiori.

Obiicies 2. Ecclesia non debet dare occasionem de- 14
linquendi: ergo.

Respondetur, ab Ecclesia non datur occasio delinquendi (quandoquidem immunitatem concedit ob iustam causam, vti dicebam,) sed sumitur à malitia hominum talis occasio. Vnde cum dispositio sit facta 15
propter maius bonum, quod ipsa Ecclesia intendit, non debet ei prædicta occasio imputari.

Obiicies

16 Obiicies 3. Deus, & Ecclesia delicta abhorrent, ergo.

Respondetur, quod licèt delicta abhorreant, sunt tamen delinquentium misericordia, & refugium.

17 Obiicies 4. Apud antiquos erant pauca asyla, at hodie sunt innumeræ Ecclesiæ: ergo.

Respondetur, transeat. At hoc mirum esse non debet, quia maior honor, & reuerentia debetur Deo viuo, & vero, quam Diis falsis, & mortuis. Adde,

18 quod tunc rei, qui recurrebant ad asyla, pro quibuscumque delictis immunitate gaudebant, & ab omni pœna liberabantur; non sic nunc, cum pro delictis exceptis non gaudeant, pro delictis autem non exceptis, licet gaudeant, adhuc tamen aliqua pœna puniuntur, vt infrà suo loco dicetur.

## DVBITATIO III.

### An Immunitas Ecclesiarum latè interpretanda sit?

#### SVMMARIVM.

1 *Immunitas Ecclesiarum in sententia Couar. Deciani, Cutell. strictè est interpretanda ex eo, quod derogat ius commune, quin & naturale.*

2 *Ecclesia non intendit fauere delinquentibus, sed misericordiam præstare miseris, & casu delinquentibus.*

3 *Immunitas Ecclesiarum in sententia Auctoris, & aliorum latè est interpretanda, quia est causa pia, & Ecclesiæ fauorabilis.*

4 *Immunitas Ecclesiarum est priuilegium per modum legis in iure communi insertum, quod latam habet interpretationem, est bonum publicum & nemini præiudicat.*

1 REspondetur, quod (quamvis Couar. *lib. 2. cap. 10. n. 5. in fin.* Cutellius *de immunit. Eccles. lib. 1. q. 4. n. 18.* & Decian. *cit. c. 25. n. 14. & c. 28. n. 6. in fin. & c. 29. n. 1.* velint, strictè illam interpretandam esse ex eo, quod deroget ius commune, quin & naturale, quo cauetur ne delicta maneant impunita, & præterea improbi hac
2 immunitate reddantur audaciores ad committenda delicta, & Ecclesia non intendat fauere huiusmodi ho-
3 minibus, sed misericordiam præstare miseris, & casu delinquentibus, latè tamen interpretanda sit; quia est
4 causa pia, & Ecclesiæ fauorabilis, tum quia est priuilegium per modum legis in iure communi insertum, quod latam habet interpretationem; tum quia nemini in particulari præiudicat, & bonum publicum est quod præstetur reuerentia debita Ecclesiæ, alioquin pro nullo delicto ad Ecclesiam asylus esse deberet, vnde patet ad opposita, atque ita ex communi docent Farinacius *in append. Immunit. cap. 2. num. 21.* Ambrosin. *de Immunit. Eccles. cap. 10. num. 7.* Marc. Ant. Genuens. *pract. Archiepiscop. cap. 22. num. 22. in fin. & cap. 94.* Mar. Italia *de immunit. Eccles. lib. 1. cap. 2. §. vnic. num. 1.* Barbosa *tom. 2. cap. 3. num. 90. de vniu. iure,* & Vincentius de Franch. *decis. 713. lib. 4.* Castill. *decis. Sicilia 156. num. 42.* Guazin. *de defens. reor. tit. ex defectu iurisd. defect. 1. post medium,* & Decian. etiam sibimetipsi contrarius *cons. 80. n. 19. & 22. lib. 3.*

## DVBITATIO IV.

### An Gregorij XIV. Constitutio vbique locorum locum habeat?

#### SVMMARIVM.

1 *Constitutio Gregoriana de immunitate vbique locorum locum habet, contra nonnullos.*

2 *Minus probè asserunt aliqui, nonnisi in illis locis & Prouinciis, in quibus aliqua priuilegia immunitatem Ecclesiarum derogantia concessa erant, locum habere.*

3 *Gregorius XIV. extendit dictam constitutionem ad omnia loca, vt ibi videre est.*

4 *Constitutio Gregoriana derogat omnes consuetudines, ius commune, & prouinciale, & Doctorum interpretationes, reducendo omnia ad vnicam formam.*

REspondetur, quod (quamvis Guttierrez *pract. qq.* 1
*ciuil. lib. 3. q. 1. n. 36.* Cutellius *de immunit. Eccles. tom. 1. q. 1. n. 25. 30. 48. & seqq.* & nonnulli alij velint illam nonnisi in illis locis, & prouinciis, in quibus aliqua priuilegia immunitatem Ecclesiasticam derogantia concessa erant, locum habere, ex eo quod sic videatur colligi ex principio dictæ constitutionis) vbi- 2
que tamen locorum, ex eo quod id, quod dicunt Guttierrez, & Cutellius, non fuerit causa finalis, sed solum occasio, locum habere dicendum sit; quia sic sentiunt communiter Doctores, qui post illam scripserunt; tum quia sic clarè colligitur ex ipsa constitutione, ibi: *Volumus quando præsens temporum calamitas, &* 3
*nimia peruersorum hominum malitia exposcit, aliquid permittere circa immunitatem Ecclesiarum, vltra id, quod à prisca illa maiorum disciplina, & à sacris Canonibus est præscriptum*; tum quia dicta constitutio derogat om- 4
nes consuetudines, ius commune, & prouinciale, ac Doctorum interpretationes, reducendo omnia ad vnicam formam, vti dicetur *infrà dubit. 7. & 8.*

## DVBITATIO V.

### An quando ius Canonicum, & ius Ciuile non sunt concordantia, interpretatio circa materiam Ecclesiarum facienda sit secundùm ius Ciuile, vel secundùm ius Canonicum?

#### SVMMARIVM.

1 *Interpretatio circa materiam Ecclesiarum iuribus ciuilibus, & Canonicis discordantibus facienda est secundùm ius Canonicum, contra nonnullos Doctores.*

2 *Leges ciuiles de immunitate Ecclesiastica loquentes, approbantur a iure Canonico.*

3 *Ius ciuile in materia Ecclesiam, & ius ipsius concernente, non habet iurisdictionem, nisi ad fouendam dispositionem iuris Canonici.*

4 *Ecclesiæ semper sunt à iurisdictione Principis sæcularis exemptæ, & Pontificiis iuribus subiectæ.*

5 *Iudex Ecclesiasticus potest compellere iudices sæculares, vt seruent leges canonicas suum forum respicientes.*

6 *Si exoritur dubium super interpretatione iuris Cano-*

*nici, amplectenda est illa interpretatio, quæ cum iure ciuili conuenit.*

7 *Iura iuribus conuenire decet, & iurium correctio quoad fieri potest, vitari debet.*

8 *Declaratio iuris canonici, & ciuilis in dubio facienda est in materia Ecclesiastica à iudice Ecclesiastico.*

1 REspondetur, quod tunc (quamvis Addentes ad Angel. *de malefic. verb. quod fama publica, num. 59. lit. B.* Alciat. *de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 33. num. 5.* & alij relati à Deciano *cit. cons. 80. num. 3.* velint illam faciendam esse secundum ius ciuile ex eo, quod in pluribus iuribus Pontificiis, & præcipuè *in cap. inter alia,* 2 *de immunit. Eccles. & in cap. id constituimus 17. q. 4.* leges ciuiles de immunitate Ecclesiastica loquentes approbentur, & sic saltem amplectendæ sint pro terris Imperij, & pro iudicibus sæcularibus authoritatem iudicandi ab alio, quàm à Papa recipientibus) tamen facienda sit secundum ius canonicum, quia hæc est materia pia, & Ecclesiastica, in qua ius ciuile iurisdictionem non habet, nisi ad fouendam dispensatio- 3 nem iuris canonici: tum quia Ecclesiæ semper sunt à iurisdictione Principis sæcularis exemptæ, & Pontifi- 4 ciis iuribus subiectæ: tum quia iudex Ecclesiasticus potest compellere iudices sæculares, vt seruent leges 5 canonicas suum forum respicientes, *cap. 2. de foro competenti in 6. c. decernimus, de sentent. excommunic. cod. lib. & in Clement. 1. de pœnit. & remiss.* Atque sic docent Decianus *cit. cap. 25. num. 6.* Alexand. *cons. 145. num. 2. & num. 10. lib. 7.* Ludouic. Peguer. *in pract. crim. cap. 26. n. 6.* Couar. *var. resol. cap. 20. num. 3. & 12.* Suar. *de relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 8. num. 11.* Peregrin. *de immunit. cap. 7. num. 19.* Cutellius *de immunit. Eccl. lib. 1. q. 32. num. 27.* Farinac. *cit. c. 2. n. 28. & 31.* & de carceribus, & carceratis *q. 28.* qui rectè aduertit cum Deciano *in loco suprà cit.* quod si exoriatur dubium super interpretatione iuris canonici, amplectenda sit illa interpreta- 6 tio, quæ cum iure ciuili conuenit, quia iura iuribus conuenire decet, & iurium correctio, quoad fieri po- 7 test, vitari debet. Quæ tamen declaratio, seu interpretatio non à iudice sæculari, sed ab Ecclesiastico fieri 8 debet, cum sit materia Ecclesiastica, vt rectè aduertit etiam Farinac. *ibid.*

## DVBITATIO VI.

### An Immunitas Ecclesiarum consuetudine aliqua diminui possit.

### SVMMARIVM.

1 *Immunitas Ecclesiarum diminui potest ex consuetudine legitimè præscripta, ex non improbabili opinione.*

2 *Ius positiuum per consuetudinem legitimè præscriptam non est cur in parte abrogari non possit.*

3 *Immunitas Ecclesiarum quod diminui non possit, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, sentiunt quamplures Doctores.*

4 *Immunitas Ecclesiarum in sententia nonnullorum est de iure diuino.*

5 *Consuetudo, quæ est contra Ecclesiarum libertatem, non valet.*

6 *Consuetudo extrahendi reos ab Ecclesia per Curiam secularem, nulla temporis diuturnitate defendi potest.*

7 *Consuetudo contra immunitatem, & libertatem Ecclesiarum est irrationabilis, & sic non potest rationabiliter præscribi, & potius corruptela, quàm consuetudo dicenda est.*

8 *Non potest præscribi contra ius naturale, vel diuinum. Constitutio Gregoriana de immunitate non potest dici non esse vsu recepta, nec etiam per consuetudinem in contrarium antiquata.*

9 *Clausula Decreti irritantis apposita in Constitutione Gregoriana, est tanta virtutis, quod non potest probari dictam constitutionem non esse vsu receptam.*

10 *Mediolani contra quendam Reum iudices laici prætendebant non fuisse seruandam Gregorianam constitutionem, eo quod non esset vsu recepta: at ob decretum clausulæ irritantis secus fuit responsum.*

11 *Consuetudo vt prævaleat aduersus canones, & leges Pontificias, opus est quod introducta sit non solum cum scientia, sed etiam cum expresso consensu summi Pontificis.*

12 *Pontifices Romani non solum non consentiunt consuetudinibus contra immunitatem Ecclesiasticam, sed singulis annis potius reclamant in Bulla Cœnæ.*

13 *Vrbanus VIII. in vna ex suis Bullis annullat, reprobat, & declarat semper fuisse nullas omnes consuetudines contra immunitatem Ecclesiasticam.*

14 *Consuetudo etiam particularis non valet aduersus immunitatem Ecclesiasticam, & aduersus canones, & leges Pontificias.*

15 *Consuetudo non potest introducere id, quod lex non potest statuere.*

16 *Consuetudo non potest habere plus auctoritatis, quàm lex.*

17 *Consuetudo equiparatur statuto, & non inducitur super quibus Populus expresse statuere non potest.*

18 *In materia immunitatis Ecclesiasticæ, & Ecclesiarum non solum populus, sed nec etiam Principes sæculares, neque Prælati Ecclesiastici Papa inferiores in generali, vel in particulari quidquam statuere possunt defectu iurisdictionis.*

19 *Valet argumentum de toto ad partem, præsertim vbi militat eadem ratio.*

20 *Non minus est reprobanda consuetudo generalis contra immunitatem Ecclesiasticam, quàm particularis.*

21 *Magis, & minus non mutant speciem, nec variant substantiam rei.*

22 *Immunitas Ecclesiastica neque per consuetudinem generalem in omni casu, neque per particularem in aliquibus casibus tolli, vel diminui potest.*

23 *Immunitas Ecclesiastica in sententia Auctoris prædictis non obstantibus consuetudine, si legitimè sit præscripta, id est habeat omnes qualitates* in cap. finali de consuetud. requisitas, *diminui in aliquibus casibus potest.*

24 *Immunitas Ecclesiasticorum è contra à sæcularium Principum iurisdictione, tam quoad personas, quàm quoad bona, quia est de iure diuino, vel saltem de iure positiuo iure diuino dictante, diminui non potest.*

25 *Reus quod non gaudeat immunitate intra circuitum 30. vel 40. passuum ab Ecclesia, videtur vsu receptum contra, id quod statuitur per sacros canones.*

26 *Immunitas Ecclesiastica hodie de facto est diminuta consuetudine aliqua, siue quod constitutio Gregoriana alicubi recepta non sit, siue quod alicubi consuetudo in contrarium sit præscripta.*

27 *Fures simplices, receptum est in multis locis, quod immunitate Ecclesiastica non gaudeant.*

REspondetur, quod consuetudine (si legitimè sit 1
hæc præscripta, id est, habeat omnes qualitates *in cap. fin. de consuetud.* requisitas) diminui non improbabiliter possit, quia immunitas Ecclesiarum, vt *suprà dub. 2.* dicebamus, introducta est, non à iure natu- 2
rali, vel diuino, sed solùm iure positiuo, quod per consuetudinem suprà dictam non est cur in parte abrogari non

non possit. Atque ita præter Abbatem, Couarruuiam, Martham, Barbosam, Sarpum, Ioan. Petrum Fontanellam, Decianum, & Oldradum mox *infra* citandos, docent Suar. *tom.1.de relig.lib.3.c.9.n.9.* Nauar. *c.25.n.18.* Clarus §. *practica criminalis*, *q.30. n.1.* Briardus *ibid.* Vulpellus *consil.230. n.4.* Farinac. *de carceribus*, *q.28. num.12.* Fagundez *part.2. lib.4. cap.4. numero 61.* Cutellius *de immunit. Eccles. lib.1. quæst. 1. num.50.* Ambrosin. *de immunit. cap.10. numero 4.* Layman. *lib.4. tract.9. cap.3. numero 2.* Gauant. *in addit. ad Manual. Episc. verb. Immunitas Ecclesiastica, num.1.* & Villalob. *in summa, tom.2. tract.39. diffic.5. num.3.*

3 Quamvis contrarium probabilius sentiant quamplures Doctores *dubit. 2. supra* citati, quorum non-
4 nulli ex suo principio particulari, quod scilicet immunitas Ecclesiarum sit de iure diuino, deducunt etiam
5 & fortius, quod quando consuetudo est contra Ecclesiasticam immunitatem, vt esset, si Curia sæcularis reos ab Ecclesia extraheret, & ad ipsius carce-
6 res mancipare ex consuetudine prætenderet, non valeat. Item quod talis consuetudo nulla temporis diuturnitate defendi possit. Item quod dicta consuetudo
7 sit irrationabilis, & sic non possit rationabiliter vnquam præscribi, atque adeò etiamsi à parte rei existat, non teneat, quia potiùs corruptela, quàm consuetudo dicenda est.

Primò, quia dato quòd immunitas Ecclesiarum quoad particulares casus strictè, & in rigore non sit de iure naturali, & diuino: est tamen ei valde conformis, & consona; nulla autem consuetudo introduci potest contra ius naturale, vel diuinum, vt communiter sentiunt Doctores, quia huiusmodi consuetudo potiùs corruptela, quàm consuetudo dicenda est, siquidem rationabilis non esset, vti dicebam.

8 Secundò propter Constitutionem Gregorij XIV. quæ non potest dici non esse vsu recepta, vel per consuetudinem aliquam in contrarium antiquata, quia in
9 illa Pontifex apposuit clausulam decreti irritantis, cuius ea virtus est, quod probari non possit, legem, vel Constitutionem tali clausula roboratam, non esse vsu receptam, vel aliquando antiquatam, sicut post Ancharanum, Archidiaconum, Geminianum, & alios firmat Caputaq. *part.3. decis.204.* Bonac. *tom.2. disp.3. q.8. punct.10. n.4.* Farinac. *in append. de immunit. cap.2. n.5.* Castrus Palaus *tom.2. tract.12. disp. vnic. punct.10. num.2.* Sacra Rot. in Maior. Indultorum, die 1. Aprilis 1639. & in eadem causa, die 16. Nouembr. 1640. & Chartarius *dec. crim.74. num.19.* vbi pro hac sententia adducendo etiam Gabrielem, Gratianum, & Marchesanum, sic ad
10 Iudices laicos Mediolanenses (qui in causa cuiusdam Rei prætendebant, Mediolani Constitutionem Gregorij XIV. seruandam non esse ex eo, quod Mediolani non sit vsu recepta) respondet.

11 Tertiò, quia ad hoc, vt consuetudo prævaleat aduersus canones, & leges Pontificis, opus est, quod introducta sit, non solum cum scientia, sed etiam cum expresso consensu summi Pontificis (vt præter DD. *in cap. cum non ignoras, de præbend. & in cap. literas, de concess. præbend.* & præter Oldrad. *cons.237.244. & 254.* Federicum de Senis *cons.17.* & Nattam *cons.574.* tradit sacra Rota Romana in vna Treuerensi Abbatiæ S. Maximini, die 24. Ianuarij 1635. & in Messan. Decana-
12 tus, die 21. Maij 1641. & in Maior. Indultorum, die 11. Aprilis 1639.) quod in casu nostro non contingit,
13 cum singulis annis Pontifex potiùs reclamet in Bulla Cœnæ. & Vrbanus VIII. ediderit Bullam (quæ incipit Romanus Pontifex) 5. Iunij 1641. vbi annullat, reprobat, & declarat semper fuisse nullas, & reprobas omnes consuetudines contra immunitatem Ecclesiasticam: ergo, &c. Vide, quæ dicebantur *cap.1. dubit.15. cap.4. dubit.31. cap.5. dub.14. & lib. de Parlamentis, dub.15. sect.2. dub.25. sect.2. & dubit.27. sect.5. & seqq.*

Vide etiam Franciscum Aranium *in* 1.2. *S. Thom. q.97. disp.3. sect.5. difficult.4.*

Neque dicas, consuetudinem aduersus immunitatem Ecclesiarum, & aduersus Canones, & leges Pontificias, vt irrationabilem, introduci non posse, solum si tolleret vniuersam Ecclesiarum immunitatem, & in omni casu, & sic, si sit consuetudo generalis, secus si tolleret in aliquo casu (vt accidit in consuetudinibus quorundam Regnorum) & sic si sit consuetudo particularis, sicuti docent Couarru. *in pract. c.31. num.5.* Garcias *de nobilit. gloss.9. num.44. & sequent.* Farinac. *quæst.8. num.3.* Iulius Clarus §. *fin. quæst.36. vers. sed*, Grassus *de effect. cleric. effect.1. num.388.* Gratian. *discept. forens. tom.1. cap.340. num.39.* Giurba *consil.52. num.3.* Guttierrez *de gabell. quæst.93. num.12.* Cenedus *in can. qq. quæst.4. num.3.* Sesse *de inhibit. cap.8. §.3. n.146. 147. 153. & 156.* Pereira *de manu Regia part.2. cap.69. num.19.* Valascus *tom.1. allegat.10. num.5.* Castill. Soto Maior *de Tertiis*, *cap.12. num.34.* Roderic. *de ann. reddit. lib.1. cap.12. numero 58. 62. & 63.* Villalob. *in compend. opin. verb. Clericus*, *numero 80. in fin.* Thom. Bozius *de inr. stat. cap.17. vers. & quod Papa*, & alij.

Respondetur enim nego antecedens, tum ex *cap.* 14
*Clericis, de iudiciis*, vbi à Pontifice damnatur consuetudo, etiam particularis, contra immunitatem Ecclesiasticam: tum quia consuetudo non potest intro- 15
ducere id quod lex non potest statuere (sicuti determinauit Sacra Rota Romana, die 26. Nouembris 1594. & die 22. Martij 1631. penes decisiones posthumas Farinacij *tom.1. decis.20. num.5. & de is.489. n.3.* & meritò, quia consuetudo non potest habere plus 16
authoritatis, quàm lex, vt patet ex iuribus, quæ adducit Sacra Rota, die 23. Maij 1629. penes decisiones Venetas Guerrilij *decis.265. num.18.* & patet ex eo, 17
quia consuetudo æquiparatur statuto, *l. de quibus, ff. de legibus*, & *cap. cum dilectus, de consuetud.* quapropter non inducitur super his, super quibus populus expressè statuere non potest, vt obseruauit Aymon *cons.134. n.25. & de antiquitate temporum, 4. part. sect.1. num.13.*) Sed in materia immunitatis Ecclesiasticæ, & Ecclesia- 18
rum, non solùm populus, sed nec etiam Principes sæculares, quin neque Prælati Ecclesiastici Papa inferiores, in generali, vel in particulari quidquam statuere possunt, defectu iurisdictionis, vt patet *ex cap. Solitæ, de maior. & obed. & ex cap.1. de Constitut.* & ex communi tradit nouissimè Chartarius *decis. crimin.46. num.84.* ergo, &c.

Adde, quod valet argumentum de toto ad partem 19
(præsertim vbi militat eadem ratio, vt est in casu nostro) *l. quæ de tota, ff. de rei vendic.* & docet sacra Rota in vna Romana, die 11. Maij 1609. penes decisiones posthumas Farinac. *tom.1. decis.223. num.1.* Menochius *de præsumptionib. lib.3. quæst.35. n.27. & cons.72. num.5.* Sard. *consil.193. num.6. & cons.435 num.21.* & Thomas à Romasettis *in floribus legum, Regul.46.* ergo si con-
suetudo generalis contra immunitatem Ecclesiasti- 20
cam, & Ecclesiarum per Aduersarios est reprobanda, reprobanda etiam erit particularis: quia vtraque est deformis, & irrationabilis, cum magis, & mi- 21
nus non mutent speciem, nec varient substantiam rei, vt habetur *in l. vltim. ff. de fund. instruct. & in l. si is cui, ff. quemadmodum seruit. amitt.* & docent ex comm. Surdus *consil.305. num.66. & consil.368. num.13.*

Atque ita, quod scilicet immunitas Ecclesiarum, ne- 22
que per consuetudinem generalem in omni casu, neque per particularem in aliquibus casibus tolli, vel diminui possit, docent Mascard. *de interpret. stat. concl.1. num.131.* Tannerus *tom.3. disp.5. quæst.7. dub.1. num.16.* Baldellus *tom.1. lib.5. disput.39. num.7.* Bonacina *in Bulla Cœnæ, disput.1. quæst.20. punct.1. num.10.* Duar-

dus *ibid. lib. 2. canon. 18. quæst. 9. num. 7.* Giumpar. *in defens. iur. Pontif. disput. 6. cap. 4. numero 23.* Ciarlinius *in controuers. forens. lib. 1. cap. 31. numero 17.* Sperellus, *decis. 37. numero 47.* & nominatim nouissimè sacra Rota Romana die 20. Iunij 1636. Vide etiam quæ dicebantur *citat. capi. 1. dubitat. 15. cap. 4. dubitat. 31. cap. 5. dubitat. 14. & lib. de parlamentis, cit. dubit. 15. & 27.*

23 At his non obstantibus, quod dixi, nempe quod immunitas Ecclesiarum consuetudine (si legitimè sit hæc præscripta, ideſt, habeat omnes qualitates *in citat. cap. fin. de consuetud.* requisitas) diminui in aliquibus casibus possit, cùm sit de iure positiuo tantùm (non sic immunitas Ecclesiasticorum à sæcularium Principum iurisdictione, tam quoad personas, quàm quoad bona; quia hæc, sicuti dicebam *citat. cap. 1. dubitat. 2. & cap. 5. dubitat. 8. &* 24 *lib. de Parlamentis, citat. dubitat. 27. section. 4. & 5.* est de iure diuino, vel saltem de iure positiuo, iure diuino dictante; & de hac dici potest, quod reclamet quotannis Bulla Cœnæ Domini, & Vrbanus VIII. *in cit. Bulla, Romanus Pontifex.* Vnde inter vnam, & alteram immunitatem assignari potest aliqua disparitas) non videtur mihi omninò improbabile; tum ob rationem *suprà* dictam *num. 2.* tum quia sic videtur colligi ex ipsamet Constitutione Gregorij XIV. ibi: *Volumus, quando præsens temporum calamitas, & nimia peruersorum hominum malitia exposcit, aliquid permittere circa immunitatem Ecclesiarum, vltra id, quod à prisca illa Maiorum disciplina, & a sacris Canonibus est præscriptum*; tum quia de facto, consuetudine, scientibus, & nullo pacto Prælatis Ecclesiasticis cum summo Pontifice contradicentibus, receptum videtur, 25 quod reus immunitate non gaudeat intra circuitum 30. vel 40. passuum ab Ecclesia, contra id quod statuitur *in c. sicut antiquitus, 17. quæst. 4. cap. quisquis, & c. definiuit, eadem caus. & quæst.*

26 Atque ita, quod scilicet consuetudine aliqua Ecclesiarum immunitas diminui possit, quin de authoritate diminuta sit, ex eo, quod Bulla Gregorij alicubi legitimè præscripta est, affirmant Abbas *in capit. inter alia, de immunitat. Eccles. num. 13. ante fin.* Couar. *libr. 2. variar. capit. 20. per totum*, Martha *de iurisdict. part. 2. capit. 51. num. 23.* Barbosa *de iure Eccles. libr. 2. capit. 3. numero 82.* (vbi propterea ait, quod circa immunitatem Ecclesiarum vim magnam habeat consuetudo, ad quam propterea in multis locis recurrendum sit) Sarpus de iure Asylorum *cap. 6. fol. 61. &* 27 *sequentib.* Ioannes Petrus Fontanella *decis. 200. & 201.* Oldradus *consil. 54. numero 3.* & alij citati *suprà numero 2.* ex eo præcipuè quia, vt inquiunt ipsi, in multis locis de facto iam consuetudine receptum est, quod simplices fures immunitate Ecclesiæ non gaudeant: saltem (vti dicebam ego *num. 45.*) si ad Ecclesiam ipsam, vel eius Cæmeterium non se recipiant, sed solum intra 30. passus propè existant, qua de re vide *infra dubitat. 9. section. 8. dubit. 24. sect. 5. & 8. & dubit. 41. sect. 8.*

## DVBITATIO VII.

### An omnes consuetudines ante Tridentinum, & Gregorij XIV. constitutionem aduersus Immunitatem Ecclesiarum introductæ, sublatæ modò sint?

### SVMMARIVM.

1 *Omnes consuetudines ante Tridentinum & Gregorij XIV. constitutionem aduersus immunitatem Ecclesiarum sublatæ modò sunt per ipsum Concilium Tridentinum, & Bullam Gregorij XIV.*

2 *Concilium Tridentinum reuocauit obseruantiam immunitatis secundum canones, Concilia generalia, & Pontificum constitutiones.*

3 *Concilium Tridentinum fuit confirmatum per Bullam Pij IV. in qua adest clausula Decreti irritantis, quæ tollere videtur omnem consuetudinem præteritam, & futuram, contra nonnullos.*

4 *Consuetudo contra immunitatem Ecclesiasticam quando de ea oritur disceptatio, videndum est an post Tridentinum, & Bullam Gregorianam sit introducta, & præscripta: alias ad nihilum valebit.*

5 *Consuetudo, cùm sit quid facti, in dubio præsumi non debet, nisi legitimè probetur.*

6 *De consuetudine Doctoribus testantibus extra locum, vbi vixerunt, fides adhibenda non est.*

7 *Textus in cap. 1. de constitut. in 6. disponit, quod Romanus Pontifex per constitutionem à se nouiter editam, non intelligatur in aliquo derogasse consuetudinibus locorum, & personarum, nisi expressam de his mentionem fecerit.*

8 *In constitutione Gregoriana nulla expressa mentio fit de consuetudinibus particularibus.*

9 *Textus citatus in cap. 1. de constitutionibus, non procedit, quando per legem consuetudini contrariam reducimur ad ius commune primæuum, vt est in constitutione Gregoriana.*

REspondetur affirmatiuè, quia licèt Gregorius XIV. eas non reuocet expresè; reuocat tamen tacitè, quatenus intendit modum extrahendi à loco sacro reducere ad vnam formam per dictionem *tantum*, quæ est taxatiua, & excludit omnem aliam formam per consuetudinem, vel corruptelam introductam, *l. properandum, Cod. de iudic.* & quatenus aufert quamlibet facultatem aliter definiendi, & iudicandi, redditque irritum aliter factum, ibi: *Sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate, in quavis causa, & instantia iudicari debere; necnon irritum decernimus & inane, si secus* 1 *super his per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.* Contra Constitutionem autem, in qua ponitur clausula irritans, allegari nequit non vsus quin per multos neque contrarius vsus. Puteus *decis. 50. numero 5. part. 1.* Cassadorus *decis. 2. de reseruat.* Caputaquens. *decis. 134. numero 4. part. 4.* & alij apud Farinacium *in append. de immunit. cap. 2. num. 15.*

Secundò, quia sufficienter ea reuocat Tridentinum 2 *sess. 25. cap. 20. de reformat.* quatenus ibi Concilium renouat, & exactè præcipit obseruari ab omnibus sacros Canones, & omnia Concilia generalia, & Apostolicas sanctiones in fauorem libertatis, & immunitatis Ecclesiasticæ editas: siquidem dum Concilium legem edit, iura antiqua renouando, vel contraria reuocando, censetur omnem contrariam consuetudinem, quæ antiquis decretis aduersatur, reuocare; alioquin decreta antiqua reuocari, & in pristino statu constitui non dicerentur. Quod Concilium confirmatur per 3 Bullam Pij IV. in qua similiter ponitur irritantis decreti clausula, quæ tollere videtur omnem consuetudinem præteritam, vt futuram, vti *suprà* dicebatur, & dicetur *dubit. 24. sect. 5. & 8. & dubit. 41. sect. 2. num. 20.*

Confirmatur ex iis, quæ dicebantur *dubit. 6. num. 3. & seqq.* si immunitas Ecclesiarum sit de iure diuino formaliter, vel iure diuino dictante.

Confirmatur secundò ex iis, quæ dicentur *dubit. sequenti, num. 3. & seqq.* Atque ita docent Farinac. *in append. de immunit. cap. 2. n. 14. & c. 22.* Marc. *n. 359.* Anton. Maceratens. *lib. 2. resol. 15. num. 5.* Giurba *cons. 50. num.*

*num.*14.*& conf.*70.*num.*9. Bonac.*de legib.disp.*3.*quæst.*7. §.6.*num.*4. Peregrinus *tract. de immunit. Eccles.cap.*2. *num.*16. *& seqq. & cap.*4. *dub.*8. Diana 1.*part. tract.*1. *resol.*1.*& part.*6.*tract.*1.*resol.*29. Franciscus Leo *in thesauro fori Ecclesiastici* 1. *part. cap.*14. *num.*27. *&* 28. Ambrosin. *de immunit. Eccles. cap.*14. *num.*11. *&* 12. Tuschus *concl.*59. *num.*19. Lezana *verb. Humanitas Eccles.num.*16.Cenedus *in qq. can. q.*42. *num.*11. Antonius de Vallis *lib.*9.*tit.*42.*num.*12.*&*13.Marius Italia *in tract. de immunit. lib.*1. *cap.*6. *in princip.* & alij passim.

Quamvis contrarium sentiant Zerola *in prax. Episcop.p.*1.*verb.Immunitas, num.*7.Gambacurta *lib.*5.*cap.*8. *& seq.*Layman.*lib.*4.*tract.*9. *cap.*9. *num.*2. Tannerus *in* 2.2.*disp.*5.*quæst.*5.*dub.*1.*num.*17.*in fin.* Guttierrez *pract. qq.lib.*3.*quæst.*1. *num.*36. Sarpus *de iure asylorum, cap.*6. *fol.*62. *& seqq.* Cutellius *de immunit. Eccles. lib.*1. *q.*1. *n.*18.*& seqq.*& Venerus *in exam. Episcop. lib.*9.*cap.*37. *num.*32.

4 At quod dixi, videtur omnino propter rationes dictas dicendum. Quapropter cum de consuetudine aliqua circa hanc materiam disceptatio exoritur, videndum statim est, an post Tridentinum,post Pij IV. & post Gregorij XIV. Constitutionem legitimè introducta, & præscripta illa sit ; aliàs ad nihilum valebit.

5 Et in dubio cum sit quid facti, vt benè Surdus *lib.*3. *cons.*354. *num.*24. & Menoch. *tom.*1. *cons.*37. *num.*92.

6 præsumi non debet, nisi legitimè probetur ; quia factum non præsumitur, nisi demonstretur, *l. in bello, §.facte, ff. de captiuis, & postlim.reuers. & l.*2.*ff.de probat.* Quin cum consuetudo mutabilis sit, variasque conditiones requirat, difficulter probari potest. Mascard.*volum.*2.*concl.*423.*n.*1. cum Bart. Bursato,Aretio, & aliis, quos citat.

His adde quod & Doctoribus de consuetudine testantibus extra locum, vbi vixerunt, fides adhibenda non est, vt rectè notauit Farinac.*in dict. cap.*2.*num.*18. Vide etiam quæ dicentur *infra cit. dubit. seq. & cit.dubit.*24.*sect.*5.*&* 8.*& dubit.*41. *sect.*2.*n.*20.

Ex his sequitur, quod Ministri Curiæ secularis non excusentur non seruando Constitutionum Gregorij XIV. etiam in iis locis, in quibus consuetudo ante prædictam Constitutionem inualuerat extrahendi delinquentes absque debita forma, nisi fortassè post eandem Constitutionem de nouo legitimè præscripta illa sit ; quod si ita est, videant qui asserunt : nam in tali casu non audeo illam damnare, iuxta ea quæ dicebam *suprà, dubit. præcedenti.*

7 Obiicies textum *in cap.*1.*de constit. in* 6. vbi Bonifacius VIII. decreuit, quod Romanus Pontifex per constitutionem à se nouiter editam,non intelligatur in aliquo derogasse consuetudinibus locorum, & personarum, nisi expressam de iis mentionem fecerit : sed in

8 Constitutione Gregorij XIV.nulla expressa mentio fit de consuetudinibus particularibus : ergo,&c.Sic Gambacurta *de immunit. lib.*5.*c* 8.*n.*4.

Clarus,& alij apud Farinacium *de carcerib. quæst.*28. *num.*71. apud Peregrinum *de immunit. c.*2.*q.*5.& apud Ambrosium *cap.*14.

9 Respondetur, quod textus *in d.cap.*1. *de Constit.*non procedit, quando per legem consuetudini contrariam reducimur ad ius commune primæuum,vt est in Constitut.Gregor.XIV. tunc enim consuetudo tollitur per legem contrariam, licet de tali consuetudine in illa mentio expressa non fiat, vt rectè dixit præter alios Paulus de Castro *in l.de quibus,n.*54.*ff.de legib.*& Chartarius *dec.crim.*46.*n.*45.

Respondetur secundò, quod dicitur in argumento, exceptionem habere in legibus Concilij generalis ; quia cum in Concilio generali interesse soleant Episcopi, & Prælati ex omnibus prouinciis, non præsumuntur ignotæ Concilio consuetudines particulares, consequenter censentur reuocatæ,dum aliquid in Concilio prædicto consuetudinibus contrarium decernitur. Gambacurta *lib.*5.*cap.*8.*num.*3. Suar. Azorius, & alij, quos citat, & sequitur Bonacina *de legib.disput.*1. *quæst.*1. *punct.vlt.* §.3. *num.*38. *& seqq.* Quamvis aliqui contrarium sentiant ex eo,quia generalia Concilia aliquando exprimunt consuetudinem, quam reuocare intendunt ; quapropter ex non expressione licebit inferri contrarium : Ad quod tamen responderi potest, id facere Concilia ad maiorem cautelam ; quæ maior cautela non obest, *l.testamentum, Cod. de testamentis.*

## DVBITATIO VIII.

### An Gregorij XIV. Constitutio deroget non solum omnes consuetudines antè introductas, sed etiam ius commune ?

### SVMMARIVM.

1 *Constitutio Gregoriana non solum derogat omnes consuetudines ante introductas, sed etiam ius commune, & multò magis Prouinciale, & ampliationes à paritate rationis à Doctoribus factas.*

2 *Constitutio Gregoriana derogat omnia priuilegia, quæcumque illa fuerint, prius concessa,contra Zerolam, & alios.*

3 *Particula (tantum) est taxatiua, & posita in constitutione Gregoriana, omnia reducit ad formam, quam ibi præscribit Summus Pontifex.*

4 *Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis, & ideo exceptis in Constitutione Gregoriana aliquibus casibus, nullus alius censetur exceptus à dicta immunitate.*

5 *Particula taxatiua (tantum) de sui natura impedit extensionem in non exceptis, seu non expressis nomine facultatis.*

6 *Nomine facultatis indicandi, quo Summus Pontifex vtitur in dicta Constitutione, tam statutum, quam lex, consuetudo, & Doctorum interpretatio comprehendi videtur.*

7 *Constitutio Gregoriana pluries fuit Romæ, quod sit seruanda non obstante qualibet consuetudine, vel lege in contrarium.*

8 *Homicida industriosus, ac insidiosus secundum Bullam Gregorij XIV. immunitate Ecclesia gaudere debet, qui tandem* ex cap.1. dè homicid. *non gaudet.*

9 *Per Bullam Gregorianam corrigitur ius commune.*

10 *Determinatio Pontificis tenet, etiam non conuocatis, neque auditis Principibus, quia id non requiritur ad legem, vel declarationem Pontificis, neque aliorum Principum in ordine ad suos subditos,contra Cutellium.*

11 *In Constitutione Gregoriana exprimitur quòd ius commune debet remanere in suo robore : at valet argumentum à contrario, &c.*

12 *In Constitutione Gregoriana reuocantur omnia priuilegia contra, vel præter immunitatem concessa.*

REspondetur, quod Gregorij XIV. Constitutio 1
non solum deroget omnes consuetudines antè introductas, sed etiam deroget ius commune, & multò magis Prouinciale, & ampliationes à paritate rationis à Doctoribus factas, sicuti derogat priuilegia omnia, quæcumque illa fuerint, prius concessa, vt contra Zerolam, Gambacurtam, Tannerum, Layman, Gut- 2
tierez, Venerum in locis *suprà cit.* & Cutellium *cit. quæst.*1.*num.*28.35.42.53.57. *& seqq.* docent Gratianus 3
*disceptforens.tom.*2.*cap.*80.*num.*29. Tuschus *tom.*3.*verb.*

*Ecclesia*, *concluſ.*11. *num.*9. Riccius *part.*1. *deciſ.*141. *num.*1.2.& 5. *collect.*1390. Giurba *conſ.*20. *n.*3.& *ſeqq.* & *conſ.*70. *num.*2. & 13. & *conſ.*100. *num.*18. Leo *in praxi fori Eccleſ. p.*3.*cap.*15. *num.*27. Lazarius *tract.de blaſp.quæſt.*5. *num.*20. Regens de Ponte *deciſ.*14.*in fin.* Filliucius *tom.*1. *tract.*15. *cap.*6. *num.*153. Scortia *Epitom.*153.*Theorem.*385. Duard.*in Bull. Cœn.lib.*2.*can.*15. *quæſt.*16. *num.*27. Megalius *in* 3. *part. lib.*4. *cap.*2. *q.*1. *num.*15. Diana *p.*1.*tract.*1.*reſol.*1. Villalob.*tom.*2.*tr.*39. *dub.*7. *num.*22.& 23. Genuenſ.*in prax. cap.*17. *num.*11. Homobon. *de exam.Eccleſ. p.*2.*tract.*11.*c.*52.*q.*26.*ſuppoſ.*3. Rayn. *in catal. cenſ. cap.*9. *excom.*31. Confettus *in priuil. Mendicant. tit.*5.*cap.*6. Lezana *verb.Immunitas Eccleſ.num.*16. Capiblanc. *de Baronib. pragm.*8. *part.*2. *n.*105. Franciſc.de Caſtell.*tom.*2.*deciſ.*156.*n.*32.& nos dicemus iterum *infrà dubit.*24. *ſect.*5.& 8.

3 Ratio autem eſt, quia Pontifex in dicta Conſtitutione, per ly *tantum*, reducit omnia ad vnicam formam (vt patet ex illis verbis, *ita ad vnam tantum formam reducimus,& moderamur*) ergò reuocat non ſolùm conſuetudines, ſed etiam ius commune, & multò magis prouinciale, & ampliationes à paritate rationis à Doctoribus factas, ſicuti derogat priuilegia quæcumque diuerſam aliam formam ab illa, quam ipſe Pontifex ibi aſſignat, introducentia.

4 Confirmatur, quia Pontifex ibidem expreſsè enumerat, excipiendo quoſdam, & certos caſus, qui Eccleſiæ immunitate non gaudeant: ergo nullus alius præter illos remanet à dicta immunitate excluſus. Conſequentia probatur, quia exceptio firmat contrarium in caſibus non exceptis, ſeu non expreſſis, *l. nam quod liquidè*, §. *fin. ff. de penu legata*, & *cap.domus*, 32. *q.*7.

5 præſertim quia Pontifex excipit per particulam taxatiuam *tantum*, quæ de ſui natura impedit extenſionem in non exceptis, ſeu non expreſſis, *l. ſi cum exceptione*, §.*quod ſi homo*, *ff. quod metus cauſa*, *l.properandum*, §.1. *Cod. de iudic.* & §.1. *in fin. Inſtit. de ſtipulat. ſeruor.* Præſertim ſecundò, quia Pontifex expreſsè ſubdit, quod plures caſus, quàm exprimit, ab Eccleſiæ immunitate non excludantur: ergo, &c.

6 Confirmatur ſecundò, quia Pontifex ibidem expreſsè derogat quamlibet facultatem (quomodocumque illa à Sede Apoſtolica emanauerit) contrarium iudicandi, ſub qua tam ſtatutum, quàm lex, conſuetudo, & Doctorum interpretatio comprehendi videtur, vt rectè adnotarunt Ambroſin.*de immunit.Eccl.cap.*14. Mar.Ital. *de immunit. lib.*1.*cap.*6.*in princip.*& Bonac.*de immunit. diſp.* 3. *q.*7. *punct.*6.*n.*4.

7 Confirmatur tertiò, quia ſic pluries (vt etiam apud Cutellium *de immunit. Eccl. lib.*1. *q.*1. *num.*11.& *ſeqq.* videre eſt) Romæ reſponſum fuit, tum per Congregationem Cardinalium, tum per Pontifices; quandoquidem Clemens VIII. in ſpecie determinauit, quod

8 homicida induſtrioſus, ac inſidioſus ſecundùm Bullam Gregorij XIV. immunitate Eccleſiæ gaudere debeat, qui tamen ex *cap.*1. *de homicid.* non gaudet, ſed excipi-

9 tur: ergo ſignum euidens eſt, quod per dictam Bullam Gregorij XIV. corrigatur ius commune.

Neque dicas cum Cutellio *loco cit. n.*51. 66. & 74. quod talis determinatio Clementis VIII. non obliget, quia facta non eſt conuocatis, auditiſque Principibus;

10 quia id non requiritur ad legem, vel declarationem Pontificis, ſicuti nec requiritur in legibus aliorum inferioris Ordinis Principum in ordine ad ſuos ſubditos. Neque dicas ſecundò cum eodem Cutellio, quod dicta determinatio Clementis VIII. non obliget, quia facta non eſt ex Cathedra, quia id ſolùm requiritur ad ea, quæ ſpectant ad fidem, ſeu ſunt nobis à Deo dicente reuelata, non autem in ordine ad ea, quæ ſpectant ad mores. Quod vtrumque inde confirmatur, quia alioquin neque Bulla Cœnæ Domini, neque leges Pontificiæ ad mores ſpectantes, quæ ſunt in corpore iuris, obligarent, quia neque conuocatis, auditiſque Principibus, neque ex Cathedra conditæ ſunt.

Confirmatur quartò, quia in dicta conſtitutione 11
Pontifex pluries facit mentionem de iure communi, & quando voluit, quod in robore perſeueraret, expreſſit (vt conſtat cùm loquitur de clericis, Monachis, aliiſque perſonis Eccleſiaſticis, & de eorum priuilegiis) ergo è contra, quando non expreſſit, ſignum eſt, quod contrarium intendat.

Confirmatur quintò, quia tandem ibidem Ponti- 12
fex hæc verba habet: *Quod ſi quis quacumque dignitate, & authoritate præditus præmiſſorum* (*nempe indultorum per alios Pontifices conceſſorum*) *aut alio quouis prætextu quidquam præter, aut contra huius noſtræ Conſtitutionis tenorem attentare præſumpſerit, eum ipſo facto cenſuras etiam incurriſſe declaramus.* Ex quibus verbis clarè conſtat, quod intentio Pontificis non ſolum fuerit, priuilegia Principibus conceſſa, ſed etiam omnes conſuetudines, aliaque contraria omnia, præter, vel contra formam in dicta Conſtitutione traditam, introducta reuocare: & ideò poſt factam mentionem de priuilegiis appoſuit illa verba, *aut alio quouis prætextu*, &c. ſed de hac re vide etiam quæ dicuntur *infrà dubit.*24.*ſect.*5.& 8. & *dubit.*41.*ſect.*2.*n.*20.

## DVBITATIO IX.

An, & quid veniat nomine Eccleſiæ, quæ gaudeat priuilegio immunitatis?

### SECTIO I.

Dubitationis Reſolutio.

SVMMARIVM.

1 *Eccleſia nomine venit quilibet locus auctoritate Epiſcopi erectus, etiamſi actu conſecratus, vel benedictus non ſit, ſed ad publicum ſacrificij, & ſacramentorum vſum deputatus.*

2 *Locus deputatus ab Epiſcopo ad ſacrificia ſacer cenſetur, ideoque nullis temerariis auſibus profanandus.*

3 *Eccleſia, in qua diuina Myſteria celebrantur, licet non conſecrata, nullo iure priuilegia immunitatis amittit.*

4 *Oratoria Epiſcopi auctoritate ad diuina officia deputata gaudent Eccleſiaſtica immunitate, licet non conſecrata, nec benedicta. Secus dicendum de Oratoriis priuatis.*

5 *Eccleſia vt gaudeat immunitate in ſententia nonnullorum Doctorum requiritur, vt ibi Sanctiſſima Euchariſtia conſeruetur.*

6 *Opinio prædictorum Auctori non arridet, & ſi in praxi ſeruetur, deberet eſſe conſuetudo legitimè introducta, & præſcripta poſt Concilium Tridentinum, & Bullam Gregorianam.*

7 *Ratio cur Eccleſiæ concedatur immunitas, non eſt quia ibi ſeruatur ſanctiſſima Euchariſtia; ſed quia locus ad publicè ſacra celebranda Epiſcopi auctoritate ſit deſtinatus.*

8 *Eccleſia, vt immunitate gaudeat in ſententia nonnullorum, oportet vt in ea diuina officia celebrari cœperint*

9 *Eccleſia eo ipſo, quo conſtructa eſt Epiſcopi auctoritate, & ad ſacra facienda determinata, fit quod ſit locus ſacer, religioſus, & diuinis obſequiis dicatus, licèt ibi diuina non celebrentur.*

10 *Hoſpitale auctoritate Epiſcopi ad ſacrum vſum deſtinatum*

*stinatum, ita est locus sacer, & religiosus, vt non possit profanis vsibus deseruire.*

11 *Ecclesia non consecrata, nec benedicta, & in qua non asseruatur sanctissima Eucharistia, sed solùm auctoritate Episcopi destinata publicè ad diuina officia, si polluatur, indiget reconciliatione.*

1 REspondetur, venire quemcunque locum authoritate Episcopi erectum, etiamsi actu consecratus, vel benedictus non sit, sed alia ratione, verbi gratia crucis erectione, ad publicum sacrificij, & sa-
2 cramentorum vsum deputatus, quia talis locus sacer censetur; ideoque nullis temerariis ausibus profanandus est, *cap. Ecclesiæ, de immunit. Eccles.* ibi, *Ecclesia,*
3 *in qua diu na mysteria celebrantur, licèt adhuc non extiterit consecrata, nullo iure priuilegium immunitatis adimitur, quia obsequiis diuinis dedicata, nullis sunt temerariis ausibus profananda,* vbi id explicat Abb. *num. 5.* Bacconus *in 4. dist. 13. art. 1.* Suar. *tom. 1. de relig. tract. 2. lib. 3. cap. 9. num. 1.* Sanchez *tom. 2. consil. mor. lib. 6. cap. 1.*
4 *dubit. 7. num. 2.* & Sylu. *verb. Immunitas 1. quæst. 1.* qui eadem ratione inferunt, Oratoria etiam immunitate gaudere, si cum Episcopi authoritate diuinis officiis deputata, licet nec consecrata, nec benedicta sint. Secus dicendum de priuatis Oratoriis, quamvis in iis Pontifex, vel Episcopus licentiam dederit Missam celebrandi; hæc enim immunitate non gaudent, vt *infra* dicemus, & ex communi notauit Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 15. n. 4.*

Nonnulli tamen Doctores (inter quos Couar. *lib. 2. var. cap. 20. num. 4.* Iulius Clarus §. *fin. q. 30. num. 30.* Tuschus *verb. Ecclesia, concl. 9. num. 19.* Sarpus *in lib. de iure Asylorum, c. 4. fol. mihi 39.* & Anastas. Germon. *de*
5 *sacrorum immunit. lib. 2. c. 16. num. 26.*) vt Ecclesia gaudeat immunitate requirunt, vt ibi sanctissima Eucharistia conseruetur, dicuntque sic in praxi seruari: sed mihi (nisi reuerà sic in praxi seruetur per consuetudinem legitimè introductam, & præscriptam contra
6 Tridentinum, & Gregorij XIV. Constitutionem) non probatur, quia *in dicto cap. Ecclesiæ*, & in aliis iuribus de immunitate loquentibus id non exigitur; tum quia ratio, cur Ecclesiæ concedatur talis immu-
7 nitas, non est continua Christi sacramentalis præsentiæ ibi conseruatio, sed quod locus ad publica sacra ibi celebranda, authoritate Episcopi sit destinatus, & sic sacer effectus, atque ita ex communi, & probabiliori sententia Doctorum tenet Farinac. *quæst. 28. num 34.* & *in append. de immunit. cap. 17. num. 254.* Peregrin. *de immunit. cap. 4. num. 2.* Mar. Italia *lib. 1. cap. 4. §. 3. num. 5.* Bonac. *disp. 3. quæst. 7. punct. 4. num. 2.* & Gambacurta *lib. 3. c. 4. & 5.*

Nonnulli etiam (inter quos gl. *verb. celebratur*, & ibi Zabarella, & Butrius *num. 2. & 3.* Item Innoc. & Hostiens. *in cap. inter alia, de immunit. Eccles. verb. ad*
8 *Ecclesiam*, Ambrosin. *de immunit. Eccles. cap. 10. num. 2.* Tuschus *num. 16.* & Decian. *lib. 6. cap. 24. num. 24.*) requirunt vt saltem ibi diuina celebrari cœperint; idque ex eo quod, cum in *cit. cap. Ecclesiæ*, dicatur, non adimi priuilegium immunitatis Ecclesiæ, in qua diuina Mysteria celebrantur, consequens sit à contrario sensu,
9 adimi, si in illa non celebrentur. Sed mihi etiam id non probatur, quia hoc ipso, quod Ecclesia est authoritate Episcopi primum lapidem ponentis constructa, & ad sacra facienda destinata, fit, quod sit locus sacer, & religiosus diuinis obsequiis dicatus: Et si ibi diuina non celebrantur, est per accidens, cum sufficiat, quod solum possint celebrari, vt mox *infrà, sect. 4.* dicetur, & docent ex communi Sylu. *verb. immunitas 1. num. 2.* & Sanch. *tom. 2. consil. moral. lib. 6. cap. dubit. 7. num. 2.*

Confirmatur responsio in principio posita, quia ex hac deputatione Episcopi ad sacra ibi facienda, & sic ex loci aptitudine, vt in ipso diuina possint celebrari, Ecclesia, vel saltem locus sacer, & religiosus nominatur: ergo.

Confirmatur secundò, quia (vt habetur *in cap. ad* 10
*hæc, de religiosis domibus* (Hospitale authoritate Episcopi ad sacrum vsum destinatum, ita est locus sacer, & religiosus, vt non possit profanis vsibus deseruire: ergo idem multò magis dicendum est de Ecclesia authoritate eiusdem ad sacra mysteria facienda destinata.

Confirmatur tertiò, quia si talis Ecclesia, vel locus 11
pius effusione sanguinis, vel seminis illicita polluatur, de iure reconciliatione indiget, vt *suprà cap. 2. dub. 2.* dicebamus, & probat textus *cum gl.* ibi, *verb. non consecrata, in cap. si Ecclesia, de consecrat. Eccles.* ergo signum est, quod sit locus sacer, & sic quod gaudeat priuilegio Immunitatis.

Atque ita ex communi docent Angelus *verb. Ecclesia*, Filliucius *tract. 15. cap. 6 q. 5. n. 150.* Sylu. *verb. Immunitas 1. q. 1.* Azor *part. 2. lib. 9. num. 2. & seqq.* Farin. *q. 28. num. 34.* & *in append. de immunit. c. 17. n. 258.* Suar. *lib. 3. c. 9. n. 2.* Peregrin. *de immunit. c. 4. n. 7.* Raphaël de la Torre *tom. 2. in 2. 2. q. 99. art. 3. disp. 7.* Ludouic. Correa *in relect. de immunit. p. 2. n. 8.* Mar. Ital. *lib. 1. c. 4. §. 3. n. 8.* Gambacurta *lib. 4. cap. 4. num. 6.* & Bonac. *disp. 3. de primo Decalog. præcept. q. 7. §. 2. n. 2.* qui ad fundamentum oppositum Aduersariorum respondent, vt mox *infrà sect. 4.* respondebitur.

## SECTIO II.

### An priuilegio immunitatis gaudeat Ecclesia non perfectè constructa?

#### SVMMARIVM.

1 *Ecclesia eo ipso, quod auctoritate Episcopi construi cœpit, dicitur locus diuinis obsequiis dicatus, & gaudet priuilegio immunitatis, si successiuè, & continuo construatur.*

2 *Ecclesia si construi desistat, non gaudet immunitate Ecclesiastica, quia tunc potius est locus desertus, quam domus orationis. Sed hæc opinio non arridet.*

REspondetur affirmatiuè, quia hoc ipso, quod au- 1
ctoritate Episcopi construi cœpit, dicitur locus diuinis obsequiis dicatus, & sic sacer, vt *suprà sect. 1.* dicebamus, & docent etiam Abb. *in cap. Ecclesiæ, de immunit. Eccl. n. 5.* & ibi. Anchar. *num. 1.* Sanch. *de matrim. lib. 9. disp. 15. n. 39.* & Farinac. *in cit. c. 17. num. 261.* Quamvis id limitet Mar. Ital. *de immunit. Eccles. lib. 1.*
*cap. 4. §. 3. n. 15. & seqq.* vt procedat, si continuò, & suc- 2
cessiuè construatur, secus si construi desistat, quia tunc (inquit ipse) potiùs est locus desertus, quàm domus orationis: sed huius Doctoris ratio non conuincit, quia ob cessationem ab ædificio, deputatio ad sacra facienda non adimitur: vnde si sanguinis, vel seminis effusio illicita ibi contingat, violatur. Vide Sanch. *loc. supra cit.*

## SECTIO III.

### An eodem priuilegio gaudeat Ecclesia polluta, etsi nondum reconciliata?

#### SVMMARIVM.

1 *Ecclesia polluta gaudet priuilegio immunitatis, quia ratione pollutionis non desistit eius sanctitas.*

2 *Ecclesia*

2 *Ecclesia, vt priuetur immunitate ob pollutionem, non requiritur in iure expressum, & pollutio non priuat ipsam suo priuilegio.*

1 REspondetur affirmatiuè; quia ratione pollutionis non desinit eius sanctitas, vt non sit locus sacer; tum quia Ecclesias propter pollutionem dicto priuilegio priuari, gratis dicitur; cum id nusquam in iure reperiatur, & inter effectus pollutionis (sicut & 2 interdicti, non sit, vt pro eo tempore Ecclesia immunitate priuetur; quia hæ iuris censuræ, seu impedimenta, cum sint pœnalia, & odiosa, extendi non debent vltra casus de iure expressos, nec debent pollutio, & interdictum plus operari, ac Canones præscribunt: ergo, &c. atque ita docent Suarez, & Bonacina *in loco supra cit.* Item Abb. *in cap. Ecclesiæ, de immunit. Eccles.* Sylu. *verb. Immunitas 1. quæst. 1.* Clar. *§. practica criminal. quæst. 30. num. 3.* Tuschus *verb. Ecclesia, conclus. 9. num. 9.* Azor. *p. 2. tom. 2. lib. 9. cap. 8. quæst. 4.* Scortia *theor. 385.* Marsilius *in leg. vnic. Cod. de raptu Virg. num. 116.* Laym. *lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 2.* Fagundez *præc. 2. lib. 4. cap. 4. num. 62.* Raphaël de la Torre *tom. 2. in 2. 2. q. 99. art. 3. disp. 7.* Peregrin. *de immunit. cap. 4. num. 14.* Correa *in relect. de immunit. p. 2. num. 9.* Lezana *verb. Immunitas Eccles. n. 2.* Farinac. *in append. de immunit. c. 17. num. 29.* Villalob. *in summ. tom. 2. tract. 39. diff. 5. n. 1.* & Mar. Italia *lib. 1. cap. 4. §. 3. num. 7.*

## SECTIO IV.

### An eodem priuilegio gaudeat Ecclesia interdicta?

#### SVMMARIVM.

1 *Ecclesia interdicta gaudet priuilegio immunitatis.*
2 *Ecclesia non perdit esse sacrum per interdictum.*
3 *Clericus non perdit sua priuilegia per interdictum.*
4 *Ecclesia interdicta, quod solum gaudeat priuilegio immunitatis quoad Peregrinos, non autem quoad homines de populo, qui ea sam dederunt interdicto, limitatur ab aliquibus.*
5 *Ecclesia, si per accidens in ipsa non possit celebrari, dummodo per se possit, gaudet immunitate.*

1 REspondetur, quod propter easdem rationes mox supradictas, eodem priuilegio etiam gaudeat Ec- 2 clesia interdicta. Et confirmatur, quia Ecclesia non perdit esse sacrum ob interdictum; tum quia cle- 3 ricus non perdit sua priuilegia ob interdictum: ergo nec Ecclesia; atque ita docent Suarez, Bonacina, Abbas, Sylu. Clar. Tuschus, Azor, Scortia, Marsil. Layman, Fagundez, Raphaël de la Torre, Peregrinus, Correa, Lezana, Mar. Italia & Villalobos *in locis supra cit.* Item Farinacius *quæst. 28. num. 35. & in append. de immunit. cit. cap. 17. num. 259.* & Decian. *tom. 2. lib. 6. cap. 25. num. 20.* qui tamen non omnino 4 improbabiliter contra Tuschum, Peregrinum, & alios limitando id asserit quoad peregrinos, non item quoad homines de populo, propter quorum delictum Ecclesia interdicta est.

Obiicies: In Ecclesia interdicta non possunt celebrari diuina officia: ergo immunitate non gaudet. Vt enim immunitate gaudeat, requiritur ex *cap. Ecclesiæ, de immunit. Eccles.* quod in ipsa diuina officia celebrentur.

5 Respondetur, nego consequentiam. Et ad probationem eius respondeo, vt supra, quod ad hoc, vt Ecclesia immunitate gaudeat, non opus sit, quod in ipsa celebrentur actu diuina officia, sed sufficiat, quod sit locus ad id Episcopi auctoritate deputatus, vt scilicet ibi per se, si non per accidens, possint illa celebrari. Vide Doctores, qui suprà citabantur.

## SECTIO V.

### An eodem priuilegio gaudeat Ecclesia diruta?

#### SVMMARIVM.

1 *Ecclesia etiam diruta gaudet immunitate, quia saltem ratione soli, in quo posita erat, non desinit eius sanctitas.*
2 *Limita si non sit diruta de licentia Episcopi cum spe reædificationis.*
3 *Ecclesia diruta de licentia superioris, perdit omnia priuilegia.*

REspondetur affirmatiuè; quia saltem ratione so- 1 li, in quo posita erat, non desinit eius sanctitas, vt non sit locus sacer, & amittat sua priuilegia, vt indulgentias, &c.

Quod tamen intellige, si diruta, seu destructa non 2 fuerit authoritate superioris, & cum spe reædificationis; quia si authoritate superioris, & sine spe reædificationis destructa fuerit, desinit esse locus sacer, & fit profanus, vt proinde non solùm priuilegium immuni- 3 tatis, sed etiam cætera omnia priuilegia deperdat.

Atque ita habetur *in l. ad sacra, ff. de contrah. empt. & l. in tantum, §. sacræ, in fin. ff. de rer. diuis.* ex communi contra Ludouicum Corream *in relect. de immunit. Eccles. p. 2. num. 10.* & nonnullos alios, docent Tuschus *verb. Ecclesia, concl. 9. num. 10.* Decian. *lib. 6. cap. 24. n. 27. & cap. 25. num. 22.* Clarus *pract. §. fin. quæst. 30.* Farinacius *de carceribus quæst. 28. num. 70. & in append. de immunit. cap. 17. num. 260.* Gambacurta *de immunit. lib. 4. cap. 2. num. 11.* Mar. Italia *de immunit. lib. 1. cap. 4. §. 3. num. 4.* Ambrosin. *de immunit. cap. 10. num. 3.* Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 7. num. 2. lib. 9. de matrim. disp. 15. num. 37. in fin.* Scortia *cit. theorem. 385.* Carolus Maranta *p. 2. respons. 35. n. 2.* Diana *p. 6. tract. 1. resol. 1.* Barbosa *de iure Ecclesiast. lib. 2. c. 3. n. 62.* Lezana *num. 2.* & Bonacina *disp. 3. q. 7. de immunit. §. 2. n. 4.* & videri etiam poterunt quæ *lib. de Parlamentis, dubit. 4. sect. 19. subsect. 30. Corollar. 5.* dicebantur.

## SECTIO VI.

### An eodem priuilegio gaudeat Ecclesia solum quoad ambitum internum?

#### SVMMARIVM.

1 *Ecclesia non solum quoad ambitum internum, sed etiam quoad totam fabricam gaudet immunitate.*
2 *Capellæ, valuæ, serta, tectum, sacristia, parietes, & turres etiam ipsius Ecclesiæ gaudent immunitatis priuilegio.*
3 *Ecclesia non polluitur per sanguinis, vel seminis effusionem factam in dictis locis.*
4 *Pollutionis effectus cum sit pœnalis, & odiosus, non excedit ambitum Ecclesiæ, secus est de priuilegio immunitatis, quod est gratiosum, & fauorabile.*
5 *Apprehendens manibus valuas ostij Monasterij Monialium non violat claustrum Monialium, & tamen apprehendens valuas Ecclesiæ gaudet Ecclesiastica immunitate.*

6 *Confugiens ad portas Ecclesiæ, etiamsi clausas illas inueniens, easdem, vel illarum ansam, vel vectes manibus apprehendat, gaudet Ecclesiastica immunitate.*

7 *Spatia immunitatis protenduntur vsque ad extremas fores.*

8 *Ecclesiæ & domus appellatione venit ostium.*

9 *Confugiens supra tectum Ecclesiæ, necnon supra tectum Palatij Episcopalis, Monasterij, Hospitalis, vel cuiuscumque alterius loci pij, gaudet Ecclesiastica immunitate.*

10 *Ecclesia, sicut & qualibet alia domus, non solum ex solo, sed etiam ex tecto, eiusque superficie constat.*

11 *Confugiens ad scalas Ecclesiæ, quia & hæ pertinent ad Ecclesiam, & cum Ecclesiæ adhæreant, religiosæ reputantur, gaudet Ecclesiastica immunitate.*

12 *Confugiens ad Campanile, quod sit Ecclesiæ coniunctum, in omnium Doctorum sententia, si disiunctum, in sententia Nauarri gaudet immunitate Ecclesiastica.*

13 *Palatium Episcopi gaudet immunitate, etiamsi sit ab Ecclesia disiunctum.*

14 *Campanile plus spiritualitatis habet, quàm Palatium Episcopi, cum ibi adsint campanæ oleo sancto consecratæ, & ibidem exerceantur opera pia, quando in Dei honorem campanæ pulsantur.*

15 *Palatio Episcopi conceditur immunitas simpliciter, & ratione dignitatis Episcopalis, & sic mirum non est, si gaudeat immunitate, quamvis sit disiunctum ab Ecclesia, & quamvis non habeat oratorium, sed sacellum, in quo Missa celebretur.*

16 *Non omnia loca, in quibus exercentur opera pia, gaudent immunitate.*

17 *Oratoria priuata domorum licet in ipsis Missa celebretur, fideles confiteantur, & Eucharistiam sumant, non gaudent immunitate.*

18 *Campanile disiunctum ab Ecclesia si distet ab illa intra triginta passus, gaudet immunitate ex determinatione S. Congregationis Episcoporum, & immunitatis.*

1 REspondetur, quod priuilegio gaudeat Ecclesia, non solum quoad ambitum internum, sed etiam quoad totam fabricam, ita vt Capellæ, valuæ, serta, tectum, sacristia, parietes, & turres etiam 2 ipsius tali priuilegio gaudeant; quia omnes hi loci in lata significatione Ecclesia dicuntur; & quia satis clarè sic colligitur *ex l. pateant, Cod. de his, qui ad Eccles. confug. ex l. quæ religiosis, ff. de rei vendicat.* ibi: *Quæ religiosis adherent, religiosa censentur: & ex cap. si quis in atrio, & ex cap. id constituimus, 17. quæst. 4.* vbi decernitur, atrium Ecclesiæ, vel porticum gaudere immunitate: ergo eodem priuilegio gaudebunt tectum, parietes, & alia ad Ecclesiæ fabricam pertinentia.

Neque obstat, quod sanguinis, vel seminis effusio in dictis locis facta, Ecclesiam non polluat, sicuti docet gloss. *in capit. vnic. verb. Sanguis, de consecrat. Eccles. & Doctores,* quos ad satietatem refert, & sequitur Persicus *de offic. sacerdot. libr. 1. capit. 7. dubit. 9. numero* 89. quia ad effectum pollutionis (cum sit 3 pœnalis, & odiosus) solum internus ambitus Ecclesiæ spectatur, secus quoad priuilegium immunitatis, quod est gratiosum, & fauorabile: quapropter 4 hoc à iure, & consuetudine optima iuris interprete, magis extenditur, quàm Ecclesiæ pollutio, sicuti *supra, cap. 2. dubit. 2.* dicebamus; & probatur ex textu *in l. pateant, Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt,* vbi dicitur: *Quidquid fuerit interiacens, siue in cellulis, siue in domibus, hortulis, balneis, atque porticibus, confugas interioris templi vice tueantur.* Item *ex textu in cap. frater, cap. si quis contumax, cap.* 5 *illud constituimus, & capit. si quis in atrio, 17. quæst. 4.* Item à simili, quia manibus apprehendens valuas ostij Monasterij Monialium non violat claustrum Monialium, & tamen apprehendens valuas Ecclesiæ gaudet immunitate Ecclesiæ, vt mox *infrà* ex communi dicetur; quia (vti dicebam) illa est materia pœnalis, hæc autem fauorabilis, & sic illa restringenda, hæc autem amplianda; quapropter ita etiam docent Decianus *lib. 3. consil. 80. numero 19. & 22.* Fagundez *præcept. 2. lib. 4. cap. 4. num. 63.* Suarez *de relig. lib. 3. cap. 9. num. 6. & sequentibus.* Tuschus *verb. Ecclesia, conclus. 9. num. 3. & 7. & conclus. 20. per tot. & verb. Immunitas, conclus. 59. num. 5.* Farinacius *in append. de immunit. cap. 17. num. 168.* Ambrosin. *de immunit. cap. 10. num. 6.* Sperellus *decis. 63. num. 10.* Diana *part. 6. tract. 1. resol. 1. in fin.* Bonac. *disp. 3. quæst. 7. de immunit. §. 2. num. 5.* & alij passim.

Ex dictis sequitur primò, quod securus sit, qui confugit ad portas Ecclesiæ, etiamsi clausas illas in- 6 ueniens, easdem, vel illarum ansam, vel vectes manibus apprehendat; quia saltem talis adhæret Ecclesiæ, & quia ita habetur in iuribus *supra cit.* præcipuè *in cit. cap. si quis, 17. quæst. 4.* vbi declarantur spatia immunitatis vsque ad extremas fores (vbi nota ly *extremas*) & meritò; quia appellatione Ecclesiæ, si- 7 cuti appellatione domus (ex *l. si aquæductum, Cod. de contrahend. empt.* præsertim in fauorabilibus, vt no 8 tat Vincentius de Franchis *decis. 402. num. 11.* & Sperellus *decis. 60. num. 38.*) venit ostium; atque ita docent Suarez, & Bonacina *vbi supra.* Igneus *in l. 1. ff. ad Syllanian.* affirmans, sic sæpè decium: Decian. *consil. 6. cap. 25. num. 17.* Nauarrus *cap. 25. num. 17. ad fin.* Farinacius *de carcer. quæst. 28. num. 24. & in append. de immunitat. cap. 17. num. 279.* Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dubit. 7. num. 2.* Couarr. *var. resol. lib. 4. cap. 20. num. 18.* Gambacurta *lib. 4. cap. 1. num. 9.* Megalius *in 3. part. lib. 4. cap. 2. quæst. 2. num. 37.* Correa *in relect. de immunit. part. 2. num. 16.* Villalob. *tom. 2. tract. 39. diffic. 5. num. 4.* Diana *part. 6. tom. 1. resolut. 3.* Bobadilla *in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14. num. 81.* Carthar. *decis. crimin. 7. num. 1. & 11.* Locatell. *in Breuiar. de tortura, inspect. 5. num. 163.* & alij communiter; quidquid in contrarium dicat Ioannes de Vischis *num. 12.* & Sarpus *de iure Asylorum, cap. 3. fol. 41.* An autem securus etiam sit qui confugit ad Ecclesiæ parietes, quoad partem exteriorem manibus illos similiter apprehendendo, dicetur *infra sect. 8. in fin.*

Sequitur secundò, quod securus etiam sit, qui con- 9 fugit supra tectum (idemque dicas cum Sperello *decis. 63. num. 9.* & Diana, *part. 6. tom. 1. resol. 3.* de eo, qui confugit supra tectum palatij Episcopalis, Monasterij, Hospitalis, vel cuiuscumque alterius loci pij) quia talis verè est in Ecclesia, cum in eo loco quis verè sit, in quo pedes habet; vnde Corpus Christi verè est in Cœlo, quamvis à cœlo non circumdetur, sed pedibus solum illud calcet; & Monialis verè est in clausura, quæ pedes habet super tectum clausuræ; tum quia talis verè in situ Ecclesiæ existit; cum Ecclesia, sicut & quælibet alia domus, non solum ex solo, sed etiam ex tecto, eiusque superficie constet, vt 10 habetur, *in l. eum qui, in princ. ff. de vsucapionib.* & ita contra Sarpum *loc. supra cit.* docent ibi gl. Suarez *de relig. lib. 3. cap. 9. n. 8.* Layman *lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 3.* Correa *in relect. de immunit. part. 2. n. 16.* Sperellus *cit. decis. 63. num. 9.* Farinacius *quæst. 28. num. 14. & in append. de immunitate, cap. 17. num. 272.* Fagundez *de præcept. Eccles. præc. 2. lib. 4. cap. 4. num. 63.* Acuña *de Iubil. cap. 7. dubitat. 13. numero 20. ad fin.* Peregrin.

de

*de immunit. cap. 4. num. 40.* Persicus *de offic. sacer. lib. 1. c. 9. dub. 11. num. 98.* Mar. Ital. *de immunit. Eccles. lib. 1. c. 4. §. 9. num. 24. & sequent.* Bonac. *tom. 3. in Bulla Cœna, disp. 2. quæst. 3. punct. 16. num. 14. & 20.* Villalob. *in summ. tom. 2. tract. 39. difficult. 5. num. 3.* & Diana *tract. 1. resol. 73.*

Et hoc adeò verum est, vt non possit delinquens capi per eam pallij partem, quæ prominet extra tectum, valuas, aut alium locum immunem, quia adhuc diceretur, extrahi è loco immuni. Decian. *tom. 2. lib. 6. cap. 25. num. 17.* Suarez *cap. 9. num. 8.* & *cap. 12. num. 4.* Couarru. *lib. 2. var. cap. 20. num. 16.* Azor *quæst. 5.* Peregrin. *cap. 4. num. 18.* Quin neque possit capi per aliquam corporis partem, quam delinquens habet extra locum sacrum, vt si extrahatur brachio, vel pede extra locum sacrum extenso, reliquis principalibus corporis partibus intra locum sacrum existentibus, quia adhuc diceretur extrahi è loco sacro., Suar. & alij in locis *suprà cit.* Secus si ambobus pedibus existat in via publica, & solum humeris attingat parietem Ecclesiæ, nisi manibus apprehenderit terram, vel valuas Ecclesiæ, sicuti suprà dicebam.

Obiicies, qui manibus apprehendit valuas ianuæ Monasterij Monialium, non dicitur esse in Monasterio Monialium, alioquin esset reus violationis clausuræ Monialium: ergo neque qui apprehendit valuas, aut ferram ianuæ Ecclesiæ, dici debet esse in Ecclesia.

Respondetur, quod disparitas est, quia clausura nõ violatur, nisi ingressu intra claustra Monasterij; immunitas autem Ecclesiæ non restringitur ad interiorem ambitum, sed extenditur etiam ad partes exteriores Ecclesiæ, sicuti suprà dicebam. Consequenter immunitas Ecclesiæ violatur, etiamsi quis capiat aliquem in ianua existentem, vel valuas apprehendentem: nec mirum esse debet, quia illa est materia pœnalis, & sic restringenda, hæc autem est materia fauorabilis, & sic extendenda.

11 Sequitur tertiò, quod securus etiam sit, qui confugit ad scalas Ecclesiæ, quia & hæ pertinent ad Ecclesiam, & cum Ecclesiæ adhæreant, religiosæ reputantur, atque ita docent Angel. *de malefic. vers. quod fama publica, num. 59.* Tusch. *verb. Ecclesia, concl. 10. num. 5.* Sperell. *decis. 60. num. 14.* Diana *part. 6. tract. 1. resol. 1.* Nouarius *in summ. Bullar. cit. de immunit. num. 50.* & ex declaratione S. Congregationis Farinac. *in append. num. 280. & quæst. 28. num. 14.* & Barbosa *de iure Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 66.* Dixi, ad scalas Ecclesiæ, quia secus dicendum est, si scalæ pertineant ad publicam viam, eiusque sint pars. Farinac. *in cit. append. num. 281. & 288.*

12 Sequitur quartò, quod securus etiam sit, qui confugit ad Campanile, & quidem si Campanile sit Ecclesiæ coniunctum, docent omnes: si autem sit ab Ecclesia disiunctum, docet non improbabiliter Nouarius *in summ. Bullarum, tit. de immunit. Eccles. num. 26.* à pari ex eo, quod Palatium Episcopi immunitate gaudet,
13 etiamsi sit ab Ecclesia disiunctum; quinimò campanile
14 plus spiritualitatis habet, quàm palatium Episcopi, cum ibi adsint campanæ oleo sanctò consecratæ, & ibidem exerceantur opera pia, quando in Dei honorem campanæ pulsantur; quapropter vulgò Turris sacra vocatur.

15 At responderi posset, quod dispar ratio sit de Campanili, & de Palatio Episcopi, quia Palatio Episcopi (vt infrà dicetur) conceditur immunitas simpliciter, & ratione dignitatis Episcopalis, & sic mirum non est si gaudeat immunitate, quantumvis sit disiunctum ab Ecclesia, & quamvis Oratorium, seu Capellam, in qua Missa celebretur, non habeat, vt ibidem dicetur. Ad id verò, quod subditur, quod in campanili exer-
16 ceantur opera pia, quando in honorem Dei Campanæ pulsantur: Responderi posset, quod non omnia loca, in quibus exercentur opera pia, immunitate gaudeant. Nam in Oratoriis priuatis domorum celebra- 17
tur sacrificium Missæ, & in iisdem fideles confitentur, & Eucharistiam sumunt, & tamen immunitate non gaudent, vt ex *supra* dictis colligitur, & *infrà* dicetur. Quapropter quod campanile disiunctum ab 18
Ecclesia, si distet ab illa intra triginta passus, solum gaudeat immunitate, determinauit sacra Congregatio Episcoporum die 17. Nouembris 1627. & Congregatio immunitatis, die 9. Decembris 1631.

## SECTIO VII.

### An eodem priuilegio gaudeat Ecclesia quoad loca adhærentia?

#### SVMMARIVM.

1 *Claustrum, porticus, ambitus, dormitorium, & cætera loca, seu habitacula quolibet modo Ecclesiæ adhærentia gaudent immunitate.*
2 *Quæ Religiosis adhærent, religiosa sunt.*
3 *Cellulæ, horti, & adhærentia gaudent immunitate.*
4 *Confugæ in Ecclesia cubare, aliaque corpori necessaria peragere opus non habent.*

Respondetur, quod eodem priuilegio etiam gau- 1
deat Ecclesia quoad claustrum, atrium, seu porticum, ambitum, dormitorium, & cætera loca, seu habitacula quolibet modo ipsi adhærentia, sicuti dicitur *in l. si quis contumax 17. quæst. 4.* vbi gloss. *verb. adhærentibus*, allegat: & *in l. 1. ff. de rei vindic.* ibi: *Quando religiosis adhærent, religiosa sunt*; & probatur, quia 2
hæc omnia, vel sunt de fabrica Ecclesiæ, vel sunt Ecclesiæ annexa; atque ita etiam habetur expresè *in cap. si quis in atrio, cap. frater, eadem 17. quæst. 4.* & *in l. pateant, Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt.* Vbi de cellulis, hortis, ac adhærentibus eadem immuni- 3
tate potiendis adiicitur, data quoque causa, vt con- 4
fugæ in Ecclesia cubare, aliaque corpori necessaria peragere opus non habeant, *argum. l. penult. ff. de oper. libert.* ibi: *In omnibus tempora ad curam corporis necessaria relinquenda:* & docet Abb. *in cap. Ecclesiæ, de immunitate Eccles. num. 18.* & probat *ex cit. cap. si quis.* Idem docent Nauar. *cap. 26. num. 17.* Tusch. *verb. Ecclesia, concl. 9. & concl. 20.* Suarez *cap. 9. num. 7.* Barbosa *num. 64.* Lezana *num. 4.* Azor *tom. 2. lib. 9. cap. 8. quæst. 7.* Scortia *theor. 385.* Sperellus *decis. 60. num. 14.* Nouarius *in summ. Bullar. tit. de immunitate, num. 56.* Diana *p. 6. tract. 1. resol. 1.* & Farinac. *de carcerib. quæst. 28. n. 14. & in append. de immunitate, c. 17. n. 268.*

## SECTIO VIII.

### An eodem priuilegio gaudeat Ecclesia quoad confines?

#### SVMMARIVM.

1 *Ecclesia gaudet priuilegio immunitatis, etiam quoad confines.*
2 *Ecclesia Cathedralis, seu maior, gaudet per 40. passus per circuitum; minor autem per 30.*
3 *Quilibet passus supradictorum continere debet quinque pedes, & quilibet pes quindecim digitos.*
4 *Passus prædicti numerari debent ab ostio, seu muro Ecclesiæ.*

5 Passus

5 *Passus prædicti numerandi sunt à cæmeterio, si Ecclesia illud habeat annexum.*

6 *Priuilegium immunitatis per circuitum 30. vel 40. passuum, procedit solum in Ecclesiis, quæ sunt extra murorum ambitum, non autem in Ecclesiis intra muros populi contentis, contra nonnullos.*

7 *Priuilegium immunitatis per circuitum 30. vel 40. passuum procedit in eo, qui iam ad Ecclesiam confugit, & ex illa progreditur per 30. vel 40. passus, non autem in eo, quem Ecclesia nondum iam recepit.*

8 *Processus confugæ per 30. vel 40. passus ab Ecclesia, debet esse ad requisitum naturæ vsum, v.g. ad ventrem exonerandum.*

9 *Amplia quod si intra dicta spatia non sit locus opportunus ad naturæ necessaria, possit vltra progredi, & finita necessitate, statim debet ad Ecclesiam redire.*

10 *Spatium 30. vel 40. passuum habebat locum quando nondum erant tot Ecclesiæ, vnde domus Parochorum, & Canonicorum existentes propè Ecclesias in prædictis confiniis, immunitate etiam gaudebant.*

11 *Cæmeterij ambitus nunc tantum gaudet circuitu supradictorum passuum.*

12 *Confugiens ad domum Parochi, Canonici, vel alterius Ecclesiasticæ personæ etiam existentis intra spatium prædictum, non gaudet immunitate, præsertim si talis domus sit laico locata, vel ad emphyteusim concessa, contra nonnullos.*

13 *An autem, si quis fugiens à Birruariis Ecclesiæ parietem ex parte exteriori tangat, vel amplectatur, Ecclesiæ immunitate gaudeat? est dissensio inter Doctores. Auctor autem sequitur tenentes pro affirmatiua.*

14 *Ecclesiæ appellatione non venit pars parietis exterior, quæ viam publicam spectat, & reus tangens dictum parietem, non dicitur esse in Ecclesia.*

15 *Quæ adhærent sacris sacra censeri debent.*

16 *Accessorium sequitur naturam sui principalis.*

17 *Priuilegia immunitatis in dubio non sunt restringenda, sed potius amplianda.*

1 REspondetur, quod eodem priuilegio etiam gaudeat Ecclesia, quoad confines, *cap. sicut antiquitus 17. quæst. 4. cap. quisquis, & cap. definiuit, eadem causa, & quæst. & l. præsenti, §. ex his, Cod. de his qui ad Ecclesiam confugiunt*, & docent Suares *tract. 1. lib. 3. cap. 9. num. 8.* & Farinac. *quæst. 28. num 14. & seq. & in append. de immunit. cap. 18. n. 283.* & alij multi: ita vt
2 Ecclesia Cathedralis, seu maior gaudeat per 40. passus per circuitum, minor autem per 30. *cit. cap. sicut antiquitus 17. quæst. 4. & cit. cap. definiuit, eadem causa, & quæst.* & docent Couarru. *lib. 2. var. resol. cap. 20.* Nauar. *cap. 25. num. 18.* Tusch. *verb. Ecclesia, concl. 9. & 19. & verb. Immunitas, concl. 59.* Suar. *lib. 3. cap. 9. n. 8.* Farinac. *quæst. 28. num. 14. & in append. de immunitat. cap. 18. num. 284.* Scortia *theor. 385.* & Germon. *de sacr. immunit. lib. 3. cap. 16. num. 38.* Qui passus (ita scilicet vt quilibet eorum contineat quinque pedes, & quilibet pes contineat quindecim digitos, ex Glossa *in cit. cap. sicut antiquitus 17. quæst. 4. in verb. Passus*, Farinac. *cit. cap. 18.*
4 *num. 286.* Tusch. *cit. concl. 59. num. 2.* & aliis communiter *supra* citatis contra Couarru. *cap. 20. num. 5.* & quosdam alios, qui putant, pedem continere mensuram sexdecim digitorum transuersorum) numerari debent, non à candelabro posito in Ecclesia, vt quidam sentiunt, sed ab ostio, vel muro Ecclesiæ, vt satis indicat
5 verbum *per circuitum*, alioquin enim Ecclesia non diceretur gaudere immunitate per tantam distantiam, per quantam dicitur, vti rectè docent Decian. *in tract. crim. lib. 9. cap. 22. lib. 5. quæst. 1. num. 18.* Farinac. *in append. immunit. cap. 18. num. 285. & 286.* & Ambrosin. *de immunit. Eccles. cap. 10. num. 4.* Quamvis si Ecclesia habeat cæmeterium annexum contiguum, numerari debeant à cæmeterio, & sic intelligo Tusch. *verb. Ecclesia, concl. 9. num. 3. & 4.* Farinac. *in append. cap. 18. n. 287.* & Decian. *tract. crim. lib. 6. cap. 25. num. 9.* quatenus docent, quod Ecclesia per circuitum priuilegium immunitatis gaudeat, etiamsi ipsius circuitus, & territorium 40 passus excedat.

Cæterum, quod dixi de priuilegio immunitatis per 6
circuitum 30. vel 40. passuum, intellige primò, quod procedat in Ecclesiis, quæ sunt extra muros, non autem in Ecclesiis in ciuitate constructis; atque ita colligitur *ex cap. quisquis 17. quæst. 4.* & docet Gloss. *in cap. sicut antiquitus, verb. Passus 17. quæst. 4.* Tuschus *verb. Ecclesia, conclus. 9. num. 5. & 6.* Suarez *cap. 8. num. 3. & cap. 9. num. 9.* Farinacius *de carcerib. quæst. 28. num. 12. & in append. de immunit. cap. 18. num. 290.* Decian. *lib. 6. cap. 25. num. 6.* Anastas. Germon. *de immunit. Eccles. lib. 3. cap. 16. num. 40.* Ambrosin. *de immunit. cap. 10. num. 4.* Sarp. *de iure asylorum, cap. 4. fol. 39.* & Bonac. *disput. 3. quæst. 7. de immunit. §. 2. num. 5.* quamvis contrarium, & non improbabiliter, sentiant alij, inter quos Peregrinus *de immunit. cap. 4. num. 33.* & Diana *part. 6. tract. 1. resol. 2.*

Intellige secundò, quod procedat in eo, qui iam 7
ad Ecclesiam confugit, & ex illa progreditur per 30. vel 40. passus, non autem in eo, quem Ecclesia nondum iam recepit, atque ita habetur *ex cap. definiuit 17. quæst. 4.* ibi: *Qui Ecclesias petunt per omnia licitum eis est in 30. passus ab Ecclesiæ ianuis progredi*: & contra Tuschum *verb. Immunitas, conclus. 59. num. 1. & sequent.* & Antoninum Dian. *part. 6. tract. 1. resol. 2.* docent DD. 8
mox *infrà* citandi. Deinde requiritur, quod huiusmodi progressus ad requisitum naturæ vsum (verbi gratia ad ventrem exonerandum) fit, vt constat ex illis verbis: *Qualiter ad requisitum naturæ vsum debiles exeant locis, & nullo teneantur euentu necessitudinis, qui dominicis se defendendos commiserint claustris.* Quam- 9
vis, si non sit alius locus ad talem requisitum naturæ vsum opportunus intra terminum 30. vel 40. passuum, & finita necessitate statim ad Ecclesiam homo redeat, poterit vltra dictum terminum 30. vel 40. passuum exire. Vide Decianum *tract. crimin. lib. 6. cap. 27. numero 6. in fin.* Farinac. *in append. de immunit. cap. 18. num. 293.* Mantua *cons. 6. num. 17. & seqq.* & Mar. Ital. *de immunit. Eccles. lib. 1. cap. 4. §. 7. num. 12. & cap. 6. §. 2. num 26.*

Intellige tertiò, quando nondum erant tot Eccle- 10
siæ (vnde factum videtur, quod domus Parochorum, & Canonicorum existentes propè Ecclesias in prædictis confiniis immunitate etiam gauderent: qua de re Decian. *cap. 25. num. 16.* Ambrosin. *cap. 10. n. 8.* & Scortia *theorem. 385.*) secus de consuetudine, quam contra Tuschum *verb. Immunitas, conclus. 59. numero 1. & 2.* Peregrinus *de immunit. cap. 4. num. 33. in fin.* & Antoninum Diana *part. 6. tract. 1. resol. 2.* testantur nunc esse in contrarium Suarius *lib. 3. cap. 9. numero 8.* Nauar. *cap. 25. num. 18.* Couarru. *lib. 2. variar. resolut. cap. 20. num. 5.* Clarus §. *practica criminalis, quæst. 30. num. 1.* Vulpell. *consil. 230. num. 4.* Fagundez *præcept. 2. lib. 4. cap. 4 num. 61.* Ambrosin. *de immunit. cap. 10. num. 4.* Layman. *lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 2.* Gauant. *in addit. ad manual. Episcop. verb. Immunitas Ecclesiastica, num. 5.* Villalob. *in summ. tom. 2. tract. 39. diffic. 5. num. 3.* Sarpus *de iure asylorum lib. 4. fol. 39.* & Farinac. *de carceribus, quæst. 28. num. 12.* itavt pro 11
dictorum passuum circuitu, nunc tali iure gaudeat tantum ambitus cæmeterij ab Episcopo deputatus. Vide Nauarrum, Clarum, Suar. *in loc. supra cit.* & Sanch. *tom. 2. consil. moral. lib. 6. cap. 1. dub. 7.*

Hinc sequitur, quod si quis confugiat ad domum

Parochi, Canonici, vel alterius Ecclesiasticæ personæ, quin etiam & ipsiusmet Ecclesiæ, infrà 30. passus ad Ecclesiam existentem, immunitate non gaudeat, præsertim si talis domus sit laico locata, vel ad emphyteusim concessa, sicuti notarunt Farinacius *in append. de immunit. cap.* 16. *num.* 260. Mar. Ital. *lib.* 1. *cap.* 4. §. 6. *num.* 6. Oldrad. *cons.* 53. Nald. *in summ. verb. Eccles. num.* 7. & Peregrin. *cap.* 4. *num.* 27. Vide etiam Villalob. *in summ. tom.* 2. *tract.* 39. *diffic.* 5. *num.* 3. & Nouarium *in summ. Bullar. titul. de immunit. num.* 15. Quamvis contrarium (etiamsi dicta domus sit laico locata, vel ad emphyteusim concessa) non omninò improbabiliter, & satis piè tradant Nauar. *cap.* 25. *num.* 18. Sanch. *loc. suprà cit.* Lezana *num.* 2. Decian. *in tract. crimin. lib.* 6. *cap.* 25. *num.* 16. Ambrosin. *de immunit. cap.* 10. *num.* 8. Bonac. *tom.* 3. *disput.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 16. §. 4. *num.* 7. Diana *part.* 3. *tract.* 1. *resol.* 71. Giurb. *consil.* 10. *num.* 12. Villagut. *de extens. leg. titul. de extensione immunitatis Ecclesiarum, num.* 86. & Chartarius *decis. crimin.* 46. *num.* 20. At, quidquid de hoc, illud tamen apud Barbosam *in Collectan. Bullar. verb. Immunitas*, à S. Congregatione Immunitatis declaratum reperio, quod scilicet immunitate gaudeat campana Ecclesiæ intra triginta passus ab ea distans, quæ solummodo pro Ecclesiæ vsu deseruit. 12

An autem, si quis fugiens à Birruariis Ecclesiæ parietem ex parte exteriori tangat, vel amplectatur, Ecclesiæ immunitate gaudeat? 13

Negat Archidiaconus *in cap. vnic. de reliq. & vener. Sanct. in* 6. (quem sequuntur communiter Iuristæ) & nouissimè Sarpus *de iure asylorum, cap.* 4. *fol.* 41. ex eo, quia appellatione Ecclesiæ non venit pars parietis exterior, quæ viam publicam spectat: tum quia reus in tali casu non dicitur esse in Ecclesia. 14

Affirmat autem Riccius *in prax. tom.* 3. *resol.* 1560. *num.* 8. Bonac. *de legibus, tom.* 2. *disput.* 3. *quæst.* 7. *punct.* 4. *num.* 5. Scipio de Rubeis *in Aphor. Episc. verb. Immunitas, num.* 3. Nouarius *in summ. Bullar. de immunit. num.* 16. Trullench. *in Decalog. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 11. *dub.* 1. *num.* 4. & Diana *part.* 3. *tract.* 1. *resol.* 72. ex eo, quia *ex l. quæ religiosis, ff. de rei vendicat.* quæ religiosis adhærent, religiosa censentur, & sic, quæ adhærent sacris, sacra censeri debebunt, tum quia *ex cap. si super gratia, de offic. delegat. in* 6. accessorium sequitur naturam sui principalis: tum quia tandem priuilegium concessum Ecclesiæ, ex vi Canonum concessum est per 40. vel 30. passus, quapropter si hodie non seruatur, vt sic seruari saltem debere videtur quoad adhærentiam parietibus Ecclesiæ, præsertim cum priuilegia immunitatis in dubio non sint restringenda, sed potius amplianda, & in dubio fauendum sit reo: quapropter hæc posterior sententia videtur mihi magis pia, & in praxi amplectenda, præsertim quia eidem fauent ea, quæ de apprehendente portas Ecclesiæ clausas *suprà sect. 6. corollar.* 1. dicebantur. 15 16 17

## SECTIO IX.

### An eodem priuilegio gaudeat cæmeterium?

#### SVMMARIVM.

1 *Cæmeterium etiam gaudet eodem immunitatis priuilegio, quo gaudet Ecclesia.*
2 *Distinctio nonnullorum, quod solum cæmeterium benedictum gaudeat immunitate, refellitur.*
3 *Cæmeterium eo ipso, quod sepultura fidelium est destinatum, præsumitur benedictum, & auctoritate Episcopali sacratum.*
4 *Priuilegio immunitatis non solum cæmeterium, sed ostium, & porticus eius gaudent.*
5 *Cæmeterium gaudet immunitate, etiamsi non sit benedictum ab Episcopo, sed à simplici sacerdote; quinimò etiamsi a nemine sit benedictum, dummodo in ipso aliquis Christianus sepultus sit cum Ecclesiasticis officiis de licentia Episcopi.*
6 *Cæmeterium etiam pollutum, & interdictum, gaudet immunitate.*
7 *Dispositio facta in fauorem Ecclesiæ, censetur etiam facta in fauorem cæmeterij.*
8 *Ecclesia, & cæmeterium, cum sit Ecclesiæ accessorium, æquiparantur, & pari passu ambulant quoad sacrilegium, interdictum, & pollutionem.*

REspondetur, quod eodem priuilegio, scilicet immunitatis Ecclesiæ, etiam gaudeat cæmeterium, atque ita contra Sarpum *cap.* 4. *fol.* 42. expressè habetur *in cap. fin. de immunit. Eccles.* & docent *ibi* Abb. Archidiaconus, Ioan. Andreas, Turrecremata, Archidiaconus, Imola, quos citat, & sequitur Farinacius *in append. de immunit. cap.* 17. *num.* 262. Item ex Theologis S. Antoninus *cap.* 3. *titul.* 12. *in princip. verb. Et cæmeteria earum*, Armilla *verb. Cæmeterium, num.* 1. Suarez *de relig. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 8. Azor. *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 8. *quæst.* 6. Fagundez *præcept.* 2. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 6. Sanchez *in opusc. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 2. Villalob. *in summ. tom.* 2. *tract.* 39. *diffic.* 5. *num.* 6. Palaus *tom.* 2. *tract.* 11. *disput. vnic. punct.* 6. *num.* 16. Persicus *de offic. sacerd. lib.* 1. *cap.* 9. *dub.* 11. *num.* 97. Et ex Iuristis Tuschus *verb. Ecclesia, conclus.* 10. *num.* 3. Decian. *lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 21. Ambrosin. *de immunit. cap.* 10. *num.* 5. Mar. Italia *lib.* 1. *cap.* 4. §. 7. Germon. *de sacrorum immunitate, lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 30. Peregrin. *cap.* 4. *numer.* 58. Mantica *cons.* 60. *num.* 8. Valascus *tom.* 1. *cons.* 58. *num.* 1. Bobadilla *in Polit. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 14. *numero* 80. & Correa *in relect. de immunit. part.* 2. *num.* 12. 1

An autem id intelligendum sit solùm de cæmeterio contiguo, non item de separato?

Respondetur, quod (quamvis nonnulli, sicuti videre est apud Decianum *lib.* 6. *cap.* 24. *num.* 28. & 30. affirment, in casu, quo non constet, hoc esse benedictum) tamen negandum mihi videatur, quia hoc ipso, quod sepulturæ fidelium est destinatum, licet sit separatum, præsumitur benedictum, & auctoritate Episcopali sacratum. Atque ita docent Nauar. *cap.* 25. *verb. Cæmeterium*, Farinacius *in append. de immunit. cap.* 27. *num.* 264. Palaus *tom.* 2. *tract.* 11. *disp. vnic. punct.* 6. *num.* 16. Diana *part.* 6. *tract.* 1. *resol.* 6. Georgius Ritthersusius *de iure asylorum, cap.* 12. Mar. Ital. *de immunit. Ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 4. §. 7. *n.* 28. & *seqq.* Anastas. Germ. *de sacror. immunit. lib.* 3. *num.* 31. & *seqq.* & Bertach. *in Repert. verb. Cæmeterium, n.* 2. 2 3

Et quod dico de cæmeterio, idem intelligas de ostio, & porticu eius, sicuti rectè præter alios docent Correa *in relect. de immunit. part.* 2. *num.* 16. & Peregrin. *cap.* 4. *num.* 55. & 56. qui rectè subdit, ex Farinacio, & Suar. *num.* 7. Ambros. *n.* 5. Deciano *cap.* 25. Mar. Italia *cap.* 4. §. 7. *num.* 28. Gambacurta *lib.* 4. *cap.* 3. & aliis, quod cæmeterium immunitate gaudeat, etiamsi non sit benedictum ab Episcopo: sed à simplici sacerdote, quinimò etiamsi à nemine sit benedictum, dummodò in ipsa aliquis Christianus sepultus sit cum Ecclesiasticis officiis de licentia Episcopi. Rectè subdit secundò, quod cæmeterium immunitate similiter gaudeat, etiamsi sit pollulum, vel interdictum, vt suprà de Ecclesia dicebatur. Et ratio est, quia (cùm contra Sarpum *loco suprà cit.* immunitas cæmeterij non fundetur solum in consuetudine, sed etiam in iure) quidquid ius disponit de Ecclesia, censetur disponere etiam de cæmeterio: quia Ecclesia 4 5 6

&

8 & cæmeterium ( cùm sit Ecclesiæ accessorium ) æquiparantur. Vnde quoad sacrilegium, interdictum, & pollutionem pari passu ambulant. Vide Paulum de Castro *cons.*441. & Tuschum *de visitat. lib.*1. *cap.*12. *num.*7. & 8.

## SECTIO X.

### An eodem priuilegio gaudeat hospitale, vel quid simile?

#### SVMMARIVM.

1 *Hospitale auctoritate Episcopi, cum altari ad celebrandum erectum gaudet Ecclesiastica immunitate. Item dic de omni alio loco, qui canonico iure sacer, vel religiosus censetur.*
2 *Hospitale auctoritate Episcopi, & cum altari ad celebrandum erectum est locus sacer, & religiosus; ita vt ad profanos vsus conuerti non possit.*
3 *Priuilegia omnia, quæ Ecclesiis conceduntur, conceduntur etiam huiusmodi hospitalibus.*
4 *Amplia quod hospitale gaudeat immunitate Ecclesiastica erectum auctoritate Episcopi tantum, licet in eo non sit altare ad celebrandum, neque cmpanile, neque Ecclesia, sufficit enim erectum esse sub inuocatione alicuius sancti, & visitari ab Episcopo.*

1 REspondetur, quod eodem priuilegio gaudeat hospitale auctoritate Episcopi, & cum altari ad celebrandum erectum (idemque dico de omni alio loco, qui Canonico iure sacer, vel religiosus censetur: ) atque ita contra Sarpum etiam *cit. cap.*4.*fol.*42. colligitur *ex cap. ad hæc, de religiosis domibus, ex cap. ligna, dist.*1. *de consecrat.* & *ex cap. definiuit* 17. *quæst.*4. & docent communiter Doctores, & consuetudo con-
2 firmat, & probatur; quia hospitale sic erectum, est locus sacer, & religiosus, ita vt ad profanos vsus
3 conuerti non possit: quapropter omnia priuilegia, quæ conceduntur Ecclesiis, conceduntur etiam huiusmodi hospitalibus, *l. omnia, Cod. de sacros. Eccles.* & ex communi sententia Doctorum docet Innocentius, & Abbas *in cap. penult. de immunit. Eccles.* Decian. *lib.*6. *cap.*25. *num.*18. Sylu. *verb. Immunitas* 3. *num.*1. Nauar. *cap.*25. *num.*17. & 18. Barbosa *de iure Eccles. lib.*2. *cap.*3. *num.*67. & 68. Lezana *verb. Immunitas Eccles. num.*2. Tuschus *verb. Ecclesia, concl.*10. *num.*2. Scortia *theor.*385. Raphaël de la Torre *tom.*2. *in* 2. 2. *quæst* 99. *art.*3. Layman *lib.*4. *tract.*9. *cap.*3. *num.*3. Palaus *tom.*2. *tract.*11. *disput. vnic. punct.*6. *num.*17. Farinac. *quæst.*28. *num.*36. & 37. & *in Append. de immunit. num.*265. & 266. Sayr. *lib.*3. *de censur. cap.*29. *num.*16. Gambacurta *lit.*4. *cap.*4. Filliucius *tract.*15. *cap.*6. *quæst.*5. *num.*150. Mar. Italia *lib.*1. *cap.*4. §.8. Couarru. *lib.*2. *variar. resol. cap.*20. *num.*4. Suar. *lib.*3. *cap.*9. *num.*3. & 9. Sanchez *lib.*9. *de matrim. disput.*15. *num.*39. & *in opusc. tom.*2. *lib.*6. *cap.*1. *dub.*7. *num.*2. Megalius *in* 3. *part. lib.*4. *consil.*2. *quæst.*2. *num.*37. Villalob. *in summa, tom.*2. *tract.*39. *diffic.*5. *n.*2. Georgius Rittershusius *de iure asylorum, cap.*12. Sperellus *decis.*55. *num.*19. Ciarlinius *discept. forens. cap.*116. *num.*7. Diana *part.*6. *tract.*1. *resol.*6. Persicus *de offic. sacerd. lib.*1. *cap.*9. *dub.*11. *num.*97. & Peregrinus *de immunit. cap.*4. *num.*69. vbi ex Paulo de Castro *consil.*458. *lib.*2. & ex Cardinali Tuscho satis probabiliter subdit id verum esse, etiamsi in hospitali auctoritate Episco-
4 pi erecto altare non sit, itavt hospitale, licet in ipso non sit campanile, neque altare, neque Ecclesia, si tamen ex aliis signis colligitur auctoritate Episcopi esse erectum (vt si verbi gratiâ institutum sit sub nomine alicuius Sancti, & visiteturab Episcopo) priuilegio immunitatis gaudeat. Vide etiam Dianam, & Ciarlinium *in locis supra cit.*

## SECTIO XI.

### An eodem priuilegio gaudeant domus Religiosorum?

#### SVMMARIVM.

1 *Domus, Conuentus, Monasterium Religiosorum secundum totum septum, hoc est claustrum, dormitorium, hortus, domus familiarium, animalium, & similia, gaudent immunitate.*
2 *Loca recensita, cum Ecclesiæ adhæreant, loca sacra reputantur ad effectum immunitatis, secus ad effectum pollutionis.*
3 *Grangiæ Religiosorum, hoc est parua domus ipsorum, quæ sunt veluti spatia, & membra Monasterij, & subiacent potestati, & iurisdictioni Monasterij, in sententia aliquorum gaudent immunitate, quod tamen est controuersum.*
4 *Item priuilegium immunitatis extenditur ad cellulas, domus, hortulos, balnea, & septa Ecclesiæ, & Monasterij, sed minus rectè.*

REspondetur, quod eodem priuilegio etiam gaudet 1
domus, Conuentus, seu Monasterium Religiosorum: patet ex Bulla Gregorij XIV. ibi: *Monasteriis, domibus, locisque sacris, vel religiosis.* Addo, hoc priuilegium extendi ad totum septum, ita vt comprehendantur claustrum, dormitorium, hortus, domus familiarium, animalium, & similia, quia hæc omnia, cùm adhæreant Ecclesiæ, ad effectum immunitatis loca sacra, & religiosa reputantur, etsi non re- 2
putentur ad effectum pollutionis, vt suprà dicebam, & contra Sarpum *cit. cap.*4. *fol.*42. habetur expresse *ex l. pateant, Cod. de his, qui ad Eccles. confug.* in illis verbis: *Quidquid fuerit interiacens, siue in cellulis, siue in domibus, hortulis, balneis, atque porticibus, confugas interioris templi iure tueantur.* Item colligitur *ex cap.*2. *de consuetud. ex cap. si quis contumax, ex cap. frater*, & *ex cap. minor* 17. *quæst.*4. & docent præter Sylvestrum *verb. Immunitas* 3. Doctores, quos citant, & sequuntur Sanch. *de matrim. lib.*9. *disput.*15. *num.*41. & Farinac. *in Append. de immunit. cap.*17. *num.*268. Item docent Palaus *tom.*2. *tract.*11. *disput. vnic. punct.*6. *num.*18. Peregrin. *de immunit. cap.*4. *num.*58. & *in compendio priuileg. verb. Immunitas.* Raphaël de la Torre *tom.*2. *in* 2. 2. *S. Thom. quæst.*99. *art.*7. *disput.*7. Georgius Rittershusius *de iure asylorum cap.*12. Portellius *in dubio Regular. verb. Ecclesia immunitas.* Lezana *eod. verb. num.*3. Nauar. *cap.*25. *num.*17. Correa *in select. de immunit. part.*2. *num.*2. & *seq.* Bonacin. *tom.*2. *disp.*3. *quæst.*7. *punct.*4. *num.*10. Idem docent Rodriguez *in qq. regul. tom.*2. *quæst.*75. *art.*2. Villalob. *in summa, tom.*2. *tract.*39. *diffic.*5. *num.*6. & Diana *part.*6. *tract.*1. *resol.*6. qui id extendunt etiam ad Grangias Religioso- 3
rum, id est, ad paruas domus Religiosorum, quæ sunt veluti spatia ipsorum, & membra Monasterij, quæ subduntur potestati, & iurisdictioni Superioris Monasterij, cuius sunt Grangiæ: quamvis contra- 4
rium sentiat Ægidius Trullench. *tom.*1. *lib.*1. *cap.*11. *dub.*1. *num.*6. quoad Grangias, & non improbabiliter: item Barbosa *de iure Eccles. lib.*2. *cap.*3. *num.*73. etiam quoad cellulas, domus, hortulos, balnea, & septa Ecclesiæ, & Monasterij, sed minus rectè; sicuti

conuincitur ex iuribus *suprà cit.* & præcipuè ex *cit. l. pateant*, *Cod. de his, qui ad Eccles. confug.* Quamvis quod subdit Barbosa *num.* 74. & 75. nempe domos, seu villas ab Ecclesiis separatas, quas Religiosi causa recreationis habent, immunitate non gaudere, satis probabile mihi videatur.

## SECTIO XII.

### An eodem priuilegio gaudeat Oratorium?

#### SVMMARIVM.

1 *Oratorium auctoritate Episcopi erectum gaudet immunitate, secus est, si sit erectum priuata auctoritate, vt sunt in priuatorum domibus, & confraternitatum, etiamsi in ipsis Missa celebretur de licentia Episcopi.*

2 *Oratoria, quæ priuatâ auctoritate eriguntur, priuata auctoritate ad vsus profanos conuerti possunt, etiamsi de licentia Episcopi in iis celebretur.*

3 *Loca sacra semel Deo dicata, ad vsus profanos conuerti amplius non possunt.*

4 *Episcopus in oratoriis priuatis non habet ius visitandi, nec exigendi procurationem.*

5 *Oratoria, quæ auctoritate Episcopi erecta sunt, eo ipso cultui diuino in perpetuum sunt deputata, itavt amplius ad vsus profanos conuerti non possint.*

6 *Episcopus habet ius visitandi, & procurationem exigendi, & ipsius iurisdictioni subsunt oratoria eius auctoritate erecta.*

7 *Oratorium in dubio quomodo probetur erectum esse Episcopi auctoritate.*

1 REspondetur, quod eodem priuilegio etiam gaudeat oratorium, si auctoritate Episcopi (secus si auctoritate priuata, vt sunt Capellæ priuatorum Prælatorum, oratoria in priuatorum domibus, & nonnulla oratoria Confraternitatum; etiamsi in iis Missa de licentia Episcopi celebretur, & etiamsi illa contra Henriquez, & Peregrinum *de immunit. cap. 4. num. 58.* alicui Ecclesiæ, vel Monasterio adhæreant) erectum sit. Atque ita declarauit sacra Congregatio Episcop. in vna Marsicensi die 17. Nouembris 1617. & sacra Congregatio immunitatis in vna Perusina, die 9. Decembris 1631. & ex communi docent Abbas *cap. Ecclesiæ, de immunit. & cap. vlt. de censib.* Clar. *lib. 5. q. 30. num. 7.* Decian. *lib. 6. cap. 25. num. 19.* Couarru. *lib. 2. var. resolut. cap. 20. num. 4.* Silu. *verb. immunitas 3. numero 1.* Nauar. *cap. 25. num. 17. & 18.* Barbosa *de iure Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 67. & 68.* Lezana *verb. immunitas Eccles. num. 2.* Farinacius *in Append. de immunit. cap. 17. num. 267.* Gambacurta *lib. 4. cap. 1.* Peregrin. *num. 62.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 3. cap. 9. numero 10.* Filliucius *tract. 15. cap. 6. quæst. 5. num. 150.* & Sanchez
2 *de matrim. lib. 9. disput. 15. num. 39.* Et probatur, quia quæ priuata auctoritate eriguntur, priuata auctoritate ad vsus profanos conuerti possunt (etiamsi de licentia Episcopi in iis celebretur:) ergo non sunt loca sacra (loca enim sacra semel dicata, ad vsus profa-
3 nos redire amplius non possunt, *cap. ad hæc, de reli-*
4 *giosis domibus.*) Quapropter in priuatis oratoriis non habet Episcopus ius visitandi, nec exigendi procura-
5 tionem, *cap. fin. de censibus.* Econtrà verò, quæ auctoritate Episcopi erecta sunt, eo ipso cultui diuino in perpetuum sunt deputata, & sic loca sacra censentur, ita vt amplius ad vsus profanos conuerti non possint, ipseque Episcopus ius habeat visitandi, & procura- 6
tionem exigendi, & iurisdictioni ipsius subdantur, *cap. 1. §. deinde liceat, de censibus in 6.* Vide quæ *suprà, cap. 2. dub. 2.* dicebantur.

Cæterùm in dubio, quando præsumatur oratorium erectum auctoritate Episcopi, quando non, vide 7
*cap. præsentibus, de priuilegiis.* Sanchez *de matrim. lib. 9. disput. 15. num. 19.* Decianum *lib. 6. cap. 25. n. 16.* Mascardum *de probat. concl. 869. n. 1. & 2.* vide etiam quæ *cit. dub. 2. sect. 7.* dicebantur.

## SECTIO XIII.

### An eodem priuilegio gaudeat domus Clericorum in communi viuentium.

#### SVMMARIVM.

1 *Domus Clericorum in communi viuentium, vt Patres Oratorij, sancti Philippi Nerij, Patres Doctrinæ Christianæ, & similium, gaudent dicta immunitate, si sint fundata Episcopi auctoritate.*

REspondetur, quod eodem priuilegio etiam gau- 1
deant domus clericorum in communi viuentium, vt Patres Oratorij, sancti Philippi Nerij, Patres Doctrinæ Christianæ, &c. Domus Seminarij, domus puellarum, vel orphanorum, & similes, si scilicet (vti dicebam) auctoritate Episcopi fundatæ sint, quia tunc censentur loca sacra, pia, seu religiosa: patet ex Bulla Gregorij XIV. ibi: *Monasteriis, domibus, locisque sacris, aut religiosis*: & passim ita docent Doctores, quos citat, & sequitur Genuensis *in praxi, cap. 17. num. 10.* Diana *part. 6. tract. 1. resol. 1.* & Peregrinus *cap. 4. num. 67.* Idemque dicas de Discipli-
natorum, seu Confratrum oratoriis alicui Ecclesiæ, vel Monasterio affixis, quia hæc loca etiam censentur sacra, pia, seu religiosa: Doctores, quos citat, & sequitur Peregrin. *n. 64.*

## SECTIO XIV.

### An eodem priuilegio gaudeat Palatium Episcopi.

#### SVMMARIVM.

1 *Palatium Episcopi gaudet eodem immunitatis priuilegio.*

2 *Palatium Episcopi gaudet immunitate, etiam mortuo, vel absente Episcopo, dummodo tamen Palatium non sit alteri locatum.*

3 *Palatium Episcopi si distet extra 40. passus per circuitum Ecclesiæ Cathedralis, non gaudet immunitate, secus si sit intra passus 40.*

4 *Palatium Episcopi non debet ab Ecclesia distare, sed illi esse contiguum.*

5 *Palatium Episcopi si distet ab Ecclesia, non gaudet immunitate, præsertim si non habeat oratorium, in quo sacrum celebretur: sed contraria sententia est magis tuta in praxi.*

6 *Consuetudo, qua iuri communi non aduersatur, breui tempore potest introduci.*

7 *Palatium Episcopi licet distet vltra 40. passus ab Ecclesia, dummodo habeat sacellum, seu oratorium,*

in

*in quo celebretur, gaudet immunitate.*

8 *Amplia quod Palatium Episcopi licet non habeat sacellum, & oratorium, in quo celebretur, & distet vltra 40. passus ab Ecclesia, gaudet immunitate.*

9 *Priuilegium immunitatis Palatio Episcopi conceditur in reuerentiam, & decorem dignitatis Episcopalis, quæ est suprema dignitas in Ecclesia.*

10 *Familia Episcopi laica gaudet priuilegio fori.*

11 *Causa immunitatis primò, & per se est fauorabilis, non solum ratione Ecclesiæ, sed etiam ratione rei.*

12 *Causa immunitatis non est restringenda, sed potius amplianda, præsertim quia in dubio standum est semper pro Ecclesia.*

13 *Palatium Episcopi, vbi reperitur, quando etiam transcurrit visitando Prouinciam, gaudet Ecclesiastica immunitate, in sententia nonnullorum.*

14 *Canones statuentes Palatium Episcopi debere esse contiguum Ecclesiæ, quoad hoc hodie recesserunt ab vsu, & merito, quia editi fuerunt in antiquis temporibus, quando Clerici habitabant simul cum Episcopo, quod hodie locum non habet.*

15 *Opinio Cutellij reiicitur.*

16 *Bulla Gregoriana nullam facit mentionem de Palatiis Episcoporum, facit tamen mentionem de loco sacro, & religioso.*

17 *Palatium Episcopi venit appellatione loci sacri, & religiosi, licet sacellum non habeat, & multò magis si habeat.*

18 *Pœna, & eleemosynæ pro piis operibus relictæ possunt pro fabrica Palatij Episcopi applicari.*

19 *Palatij Episcopi nomine venit etiam seminarium annexum, quin & furnus, & quæcumque alia domus ipsius seminarij.*

20 *Palatium Episcopi extra propriam Diœcesim non gaudet immunitate; quia Episcopus ibi nullam habet auctoritatem, nec potest Pontificalia exercere.*

21 *Palatia Cardinalium contra nonnullos in sententia Diana non improbabiliter gaudent immunitate.*

22 *Palatium Episcopi titularis non gaudet immunitate, at oppositum non improbabiliter tenet Diana.*

23 *Familia laica Episcopi titularis gaudet priuilegio fori.*

REspondetur, quod eodem priuilegio etiam gaudeat Palatium Episcopi, atque ita habetur *in cap. id constituimus 17. quæst. 4. ex Concilio Aurelianensi 1. cap. 3.* ibi: *Id constituimus obseruandum, quod Ecclesiastici canones decreuerunt, & lex Romana constituit, vt ab Ecclesia atriis, vel domo Episcopi reos abstrahere omnino non liceat*, & docent communiter Doctores, vti 2 testatur Couarru. *lib. 2. var. resol. cap. 20.* Quod verum est, etiamsi Episcopus absens, vel mortuus sit (modò non sit Palatium alteri locatum) sicuti rectè docent Farinacius *in Append. de immunit. Eccles. cap. 17. n. 270.* & Mar. Italia *de immunitat. Ecclesiast. lib. 1. cap. 4. §. 9. num. 4.* vide etiam Azorium *tom. 2. lib. 9. cap. 8.* Layman. *lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 3.* & Antonium Nouarium *in summa Bullarum, tit. de immunit. Ecclesiast. n. 10.*

Et quamvis nonnulli (inter quos Innocent. *in cap. inter alia vers. seu alij, de immunit. Eccles.* Anton. de Buttrio *num. 9.* Ananias *num. 10.* Turrecremat. *in cit. can. id constituimus, num. 117.* Oldrad. *consil. 55.* Cutellius *de immunit. Eccles. lib. 1. quæst. 27.* Decianus *lib. 6. cap. 25.* Thom. Delbene, *de Immunit. Eccl. Pars II.* *num. 14.* Clarus *in loco infrà citando*, Bobadilla *in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14. num. 85. qui in gloss. lit. C.* ex Couaruu. *lib. 2. var. cap. 20. num. 5. de communi praxi testatur*, Piasecius *in praxi Episcop. part. 2. cap. 4. art. 8. num. 2.* Sarpus *de iure asylorum, cap. 4. fol. 41.* & Bonacina *disp. 3. quæst. 7. de immunit. §. 2. num. 8.*) id limitent, vt 3 intelligatur de Palatio Episcopi existentis intra 40. pas- 4 sus per circuitum Ecclesiæ Cathedralis, ex eo quod Palatium Episcopi non debeat ab Ecclesia distare, sed illi esse contiguum, *cap. Episc. de consecrat. dist. 3.* & *cap. Episcopus, dist. 41.* quapropter si distet, non de- 5 bet tali priuilegio gaudere, præsertim, si non habet oratorium, in quo sacrum celebretur: tum ex eo, quod (vti testantur Couarru. *cit. cap. 20. num. 5.* Clar. *§. fin. quæst. 3. num. 2.* Decian. & Bonac. *in locis supra citatis*, etsi contrariam sententiam inter Doctores communem commendent cum Abbate *in cap. penult. n. 9. de immunit. Eccles.* Couar. & Clarus *vbi supra citati*) consuetudine iam sic receptum sit, præsertim si (vt dicebatur) non adsit oratorium, in quo sacrum celebretur.

Nihilominus si consuetudine contra Tridentinum, & Gregorij XIV. Constitutionem legitimè præscripta, reuera iam sic receptum non sit, quam consuetudinem, cùm iuri non aduersetur, breuiori tempore introduci posse notauit Suar. *tom. 1. de relig. lib. 3. cap. 9. num. 9. in fin.* & improbabile non esse dicebatur *su-* 6 *prà dub. 6.* dicendum mihi videtur, quod Palatium Episcopi dicta immunitate gaudeat, etiamsi vltra 40. 7 passus ab Ecclesia Cathedrali distet, in casu saltem, quod Capellam, seu Oratorium (vt regulariter solet habere) habeat. Et probatur ex eo, quia saltem ratione oratorij est locus sacer.

Atque ita ex communi sententia Doctorum (quam, vti dicebam, commendant cum Abbate Couarru. & Clarus *in locis supra cit.*) docent Gl. *in cit. cap. id constituimus*, Abb. Archidiaconus, Ioan. Andreas, Zabarella, Hostiensis, Barbat. *cons. 33. num. 7. lib. 4.* Remigius *de immunit. ampliat. 15.* quos citat, & sequitur Farinacius *in Append. de immunit. cap. 17. num. 273.* Item & ita docent Ambrosin. *de immunit. Ecclesiæ, cap. 10. num. 7.* Anastas. Germon. *de sacrorum immunit. lib. 3. c. 16. num. 45. & seqq.* (qui idem sentit, etiamsi Episcopus duo Palatia habeat, motus ex eo, quia textus *in cit. cap. id constituimus*, loquitur absolute.) Azor. *part. 2. lib. 6. cap. 8. quæst. 5.* Fagundez *præcept. 2. lib. 4. cap. 4. num. 60.* Persicus *de offic. sacerdot. lib. 1. cap. 9. dub. 11. num. 97.* Mar. Ital. *de immunit. lib. 1. cap. 4. §. 9. num. 1. & sequent.* Acuña *in decret. Gratiani, part. 1. dist. 87. cap. 2. num. 2.* Correa *relect. de immunit. part. 2. num. 19.* Alzedus *in praxi Episcop. part. 1. cap. 12. num. 77.* Peregrin. *cap. 4. num. 69.* Megalius *in 3. part. lib. 4. cap. 2. quæst. 1. num. 36.* Villadieg. *in polit. cap. 3. numero 201.* (qui id extendit ad Oratorum Palatia) Franc. Leo *in thes. fori Eccles. part. 1. cap. 13. num. 14.* Gambacurt. *de immunit. lib. 4. cap. 3. num. 7.* Diana *part. 1. tract. 1. resol. 27.* Giurba *cons. 10. num. 13.* Antonius Nouarius *in summa Bullarum, titul. de immunit. Eccles. num. 10.* Bellet. *part. 1. tit. de fauore clericorum reali, §. 4. num. 35.* Ciarlinius *controuers. forens. cap. 116. num. 4.* Barbosa *de vniuers. iure Ecclesiæ, tom. 2. cap. 3. num. 70.* Gauantus *in Enchir. Episc. verb. Immunitas Ecclesiast.* Ioan. Domin. Tasson. *in pragmat. de Antefano, vers. 13. obseru. 3. n. 31.* & consentiunt Decian. & Bonac. *in locis supra cit.*

Quinimò quod gaudeat, etiam in casu, quo Ca 8 pellam, seu Oratorium non habeat, satis probabiliter probatur ex eo, quia expresè, & sine vlla limitatione *in cit. c. id constituimus*, conceditur Palatio Episcopi tale priuilegium: quapropter, vtpotè primò, & per se fauorabile, & pium, limitandum, & ad Palatia Oratorium, seu Capellam habentia restringendum

non est: tum quia dictum priuilegium non conceditur Palatio Episcopi, quia Palatium Episcopi canonicè deputatum sit diuinis officiis, vt per se patet; neque quia Ecclesiæ adhæreat, tanquam aliquid illius, vt Cæmeterium, Sacristia, atrium, &c. quia sic cæteris
9 domibus etiam competeret: ergo conceditur in reuerentiam, & decorem dignitatis Episcopalis (quæ est suprema dignitas in Ecclesia; quapropter, vti dicebam *cap.4. dub.15.* tota familia Episcopi laïca, gaudet priuilegio fori,) & sic etiam in casu, quo distet ab
10 Ecclesia Cathedrali vltra 40. passus; & etiam in casu, quo Capellam, seu Oratorium non habeat, quia propter adhuc rationem dictam sacer, religiosus, vel pius locus censetur.

Quod inde confirmatur primò; quia si Capellam, seu Oratorium habet, conceditur ei tale priuilegium in communi sententia (vti suprà dicebam) sed non ob Capellam, seu Oratorium, cùm sit priuatum: ergo solum ob Episcopalem dignitatem, cùm sic etiam sacer, religiosus, vel pius locus censeatur.

11 Confirmatur secundò, quia causa immunitatis est primò, & per se fauorabilis, non solum ratione Eccle-
12 siæ, sed etiam ratione rei: ergo ex hoc capite etiam non est restringenda, sed potius amplianda, præsertim quia in dubio standum est semper pro Ecclesia, & pro reo. Vide Riccium *in prax. part.2. resol.42. num.2.*

Atque ita contra Ambrosinum *loc. suprà cit.* & Elisæum Danza *cap.2. de immunit. Eccles. num.1.* docent Nauar. *cap.25. num.18.* Tuschus *verb. Ecclesia, concl.9. num.11.* & *concl.10. num.8.* Suar. *tom.1. de relig. cap.9. n.9.* Farinac. *de carcerib. q.28. num.38.* & *in append. de immunit. cit. cap.17. num.272.* vbi citat Archidiaconum. Item ita docet Mar. Italia *num.4. & 13.* (vbi id extendit ad Palatium Episcopi, vbi reperitur, quando in visitatione per suam Diœcesim transcurrit, quod etiam docent Farinacius *cit. cap.17. num.270.* & Diana *part.6. tract.1. resol.4.* etsi non consentiat, & satis probabiliter, saltem de consuetudine, Peregrinus *de immunit. c.4. n.79.*)
13 Item ita etiam docent Gambacurta, Diana, Ciarlinius, Giurba, & cæteri ferè omnes Doctores, quos suprà citabam.

Vnde patet responsio ad fundamentum oppositum aduersariorum, nempe quod licet Palatium Episcopi vltra 40. passus ab Ecclesia Cathedrali existat contra debitum ius, non tamen propterea immunitate priuari debeat, si à consuetudine reuera priuatum non sit, vti *suprà* dicebam, quia non quidquid fit contra ius, tollit
14 immunitatem à iure concessam. Adde ex Mario Italia *cit. §.9. num.1.* & Peregrino *cit. cap.4. num.78.* quod Canones quoad hoc hodie aboleuerint, vt patet in Cæremoniali Romano Clementis VIII. *cap.2.* vbi supponitur, quod Episcopus habere possit Palatium in loco distanti ab Ecclesia Cathedrali: & meritò, quia Canones illi editi fuerunt in antiquis temporibus, quando clerici habitabant simul cum Episcopo, & ideò præcipiebant, quod Palatium Episcopi non abesset ab Ecclesia maiori; quod hodie, cùm clerici dispersim habitent, locum non habet.

15 Quapropter ex his facilè reiicitur Cutellius *loco supra cit.* quatenus Palatium Episcopi, quamvis capellam habeat, immunitate, si ab Ecclesia Cathedrali vltra 40. passus distans sit, non gaudere contendit; ex eo, quia *in cit. can. Episcopus, de consecrat. dist.3.* & *cap. Episcopus* 41. ab ea non distare debere præcipitur. Respondetur enim illud non distare debere, præcipi, non ad finem, vt immunitate gaudeat, tanquam quid Ecclesiæ adhærens, vel tanquam quid illius, cæmeterium, sacristia, atrium, &c. quia sic cæteræ domus etiam gaudent, sed ad alium finem, qui nunc cessauit, vt modò dicebam: quapropter argumentum Cutellij nihil concludit. Quod si cum eodem Cutellio vrgeas Bullam Gregorij XIV. de locis confugij locutam non 16
fecisse mentionem de Palatio Episcopi; quæ Bulla per nos, ius ciuile, & municipale, priuilegia, Doctorum interpretationes, & consuetudines omnes corrigendo, omnia ad vnicam formam reduxit; & sic non esse, cur Palatio Episcopi ab Ecclesia Cathedrali vltra 40. passus distanti, præsertim si capellam non habeat, priuileginm immunitatis tribuatur. Respondetur facilè Bullam dictam, licet mentionem non fecerit de Palatio Episcopi, fecisse tamen mentionem de loco sacro, & religioso, ibi: *Super abducendis, vel extrahendis ab Ecclesiis, Monasteriis, sacellis, domibus sacularibus, & regularibus, locis sacris, vel religiosis, alias quàm, &c.* Appellatione autem loci sacri, vel 17
religiosi venit, vtpotè locus pius, Palatium Episcopi, etiamsi capellam non habeat, & multò magis si habeat: quod inde patet, quia pœnæ, & eleemosynæ pro piis operibus relictæ, possunt pro fabrica Palatij Episcopi applicari, sicuti docent Doctores communi- 18
ter, quos citat & sequitur Suar. *de relig. tom.2. lib.4. c.30. n.19.*

Cæterùm nomine Palatij Episcopi venit etiam Seminarium annexum, quin & turnus, & quæcumque 19
alia domus ipsius Seminarij, vtpote loci pij, in quibus propterea reus immunitate gaudet, etiamsi ad aliquem istorum locorum confugerit per portam aliam ab illa, per quam Seminaristæ Seminarium ingrediuntur, vt rectè notauit Genuensis *in praxi, c.22. num.10.*

An autem Palatium Episcopi immunitate gaudeat, etiam extra Diœcesim Episcopi?

Respondetur negatiuè, quia Episcopus extra suam Diœcesim nullam habet auctoritatem, nec Potest 20
Pontificalia exercere: quapropter non videtur, quod tali Palatio Episcopi immunitas competat (si non de iure, propter canones, & rationes supra adductas, quæ generaliter omni Palatio Episcopi immunitatem competere, probare videntur) saltem de consuetudine, etiam post Gregorianam introducta; quin & fortasse etiam de iure, quia in tali casu Palatium Episcopi, vtpotè locus non pius, non videtur locus sacer, & religiosus esse. Accedit, quod (vt mox infrà dicetur) 21
neque gaudent immunitate nunc Palatia Cardinalium: ergò, &c. Atque ita docent Peregrin. *de immunit. cap.4. num.73.* Marius Italia *lib.1. cap.4. §.9. num.19.* Ciarlinius *controu. forens. lib.1. cap.10. num.10.* & Antonius de Marinis *quotidian. resol. cap.180. n.12.* Quamvis oppositum non improbabiliter doceat Diana *part.4. tract.1. resol.40.*

Ex dictis sequitur, quod immunitate neque gau- 22
deat Palatium Episcopi Titularis, propter easdem rationes iam dictas. Atque ita in terminis docet Ciarlinius *loco suprà cit.* Quamvis & quoad hoc, oppositum non improbabiliter etiam doceat Diana *part.6. tract.1. resol.5.* præsertim quia sacra Immunitatis 23
Congregatio pluries (vt idem Diana *cit. resol.5.* refert) decreuit, quod familia laica Episcopi Titularis priuilegio fori gaudeat, & nos dicebamus *cap.4. dub.17.*

## SECTIO XV.

### An eodem priuilegio gaudeant Palatia Cardinalium?

#### SVMMARIVM.

1 *Palatia Cardinalium, sive in Vrbe, sive extra Vrbem existant, non de iure, sed de consuetudine, gaudent immunitate.*

2 *Consuetudo*

2 *Consuetudo propter quam Palatia Cardinalium gaudebant immunitate, sublata est ex constitutionibus Gregorij XIII. & Sixti V. licet nonnulli teneant dictam sublationem factam fuisse tantum pro Vrbe, non autem pro aliis locis.*

*Palatia Supremorum Principum, & Oratorum eorum gaudent immunitate ciuili.*

3 *Reus ad supplicium ductus, si casu ei obuiam factus Cardinalis pileum suum imponi ei faciat, in sententia nonnullorum Doctorum liberandus est à morte, & mitiori pœna puniendus.*

4 *Limita nisi crimen, ob quod reus fuisset condemnatus, esset de atrocissimis, vt crimen falsi, læsæ maiestatis Diuinæ, vel humanæ, proditionis Patriæ, & simile.*

5 *Cardinalis, an casu, vel data opera in reum sic ad supplicium ductum inciderit, standum est eius dicto, sine alio iuramento.*

6 *Cardinalis quod potius extra Vrbem, quàm in Vrbe habeat talem facultatem dicendum est, & præcipuè extra statum Ecclesiasticum.*

7 *Cardinales Regibus æquiparari debent.*

8 *Cardinales non debent esse deterioris conditionis, ac erant olim apud Romanos Flamines Diales, & Virgines Vestales, ob quos fontes non plectebantur.*

9 *Rationes Cutellij in oppositum diluuntur.*

10 *Consuetudo potest etiam introduci contra Bullam Gregorianam de immunitate, maximè si sit in fauorem immunitatis, & consentientibus Principibus secularibus.*

11 *Palatia Cardinalium etiam in Vrbe annexa Ecclesijs suorum titulorum gaudent de iure Ecclesiastica immunitate, in sententia Auctoris.*

12 *Cardinales in fauoribus, & gratijs Episcopis comparantur.*

13 *Cardinalis ob offensam indicitur Ciuitati sedis Episcopalis amissio, & comparantur Pontifici.*

14 *Palatia Legatorum Pontificis apud Imperatorem & Reges gaudent Immunitate Ecclesiastica, si non de iure, saltem de consuetudine.*

1 REspondetur, quod eodem priuilegio etiam gaudeant Palatia Cardinalium, siue in Vrbe, siue extra Vrbem existant; non quidem de iure (cùm nusquam id statutum reperiatur) sed de consuetudine rationabiliter introducta, ex eo, quia si gaudet Palatium Episcopi, multò magis videntur gaudere debere Palatia Cardinalium, præsertim si Capellam, seu Oratorium habeant. Nauarr. *cap.25. num.18. in fin.* Tusch. *verb. Ecclesia, conclus. 9. num.12.* Decian. *tract. crimin. lib.6. cap.25. num.15. in fin.* Clarus *pract. crim. §. fin. quæst.30. vers. item adde.* Sanchez *in opusc. tom.2. lib.6. cap.1. dub.7. num.2.* Iacobatius *de Conciliis lib.1. fol.38. col.1. lit.A.* Cucchus *in instit. can. lib.2. tit.4. num.91.* Manfredus *tit. de Cardinal. decis.147. & cap.8. priuileg.14.* Barbosa *de iure Eccles. lib.1. cap.4. num.80.* & Mar. Ital. *de immunitate Ecclesiæ lib.1. cap.4. §.9. num.22.*

2 At modò talis consuetudo (si quando viguit) constitutionibus Gregorij XIII. & Sixti V. sublata est (vti testatur Farinacius *de carcerib. quæst.28. num.48.* & *in Append. de immunit. cap.17. num.274.* Duardus *in Bull. Cœnæ lib.2. can.15. quæst.16. num.12.* Gambacurta *lib.4. cap.5.* Lezana *verb. immunitas Eccles. num.2.* & Zecchius *de Republ. Christ. tit.3. de Card. n.9. priuileg.9.*) forsan propter abusus qui ex illa nascebantur. Quamvis Marius Italia *de immunit. lib.1. cap.4. §.9. num.22. & 23.* Peregrin. *cap.4. num.75. in fin.* Diana *part.1. tract.1. resol.37.* Barbosa *de iure Ecclesiastico, lib.2. cap.3. num.71.* & Antonius de Marinis *quotidian. resol. cap.180. num.12.* non improbabiliter sentiant, quod dicta sublatio facta sit pro Vrbe tantum, non item pro aliis locis, præsertim extra statum Ecclesiasticum existentibus.

Hinc sequitur, quod immunitate neque gaudeant 3
Palatia Oratorum supremorum Principum, quia hæc non sunt loca sacra; tum quia immunitas Ecclesiastica huiusmodi Palatiis nullibi concessa reperitur, quamvis extra Vrbem gaudere videantur immunitate ciuili, ob reuerentiam supremi Principis, cuius personam repræsentant; ex violatione tamen istius immunitatis ciuilis censura non incurritur; quia censura imposita est ob violationem immunitatis loci sacri. Vide Nauarrum *cap.25. num.18.* & Sanchez *tom.2. consil. moral. lib.6. cap.1. dub.7.* qui supponunt, Palatia Regum, & Imperatoris, cæterorumque supremorum Principum immunitate ciuili gaudere, non sic domus Magnatum inferiorum. Vide etiam quæ dicentur *infrà, sect.17.*

Cæterum non desunt Doctores, qui sentiant, quod 4
si reo, qui ad supplicium ducitur, Cardinalis obuiam factus, pileum suum imponi ei faciat, à morte reus liberandus sit. Atque ita docent Baldus *in l. addictos, Cod. de appellat.* & communiter Iuristæ, quos affert Clarus *in pract. crim. lib.5. §. fin. quæst.98. num.5.* (quamvis ipse) si casus contingat, sentiat, quod possit pœna mortis mitigari, & reus ad triremes transmitti; & hoc, nisi crimen, ob quod ille fuisset condemnatus, sit de atrocissimis, vt crimen falsi, læsæ Maiestatis Diuinæ, vel humanæ, proditionis patriæ, & simile. Item ita docent Decianus *tom.2. lib.7. cap.37. num.27.* Lancellotus *in Templo Iud. lib.2. cap.2. de Cardinal. §.3. num.30.* Anastas. Germonius *lib.3. cap.6. num.52.* 5
(quamvis ipse hanc sententiam teneat, quando Cardinalis casu, non autem data opera in reum incidit, cui sine iuramento in hac re credendum esse ait.) Item ita docent Villadieg. *tract. de Cardinalib. quæst.13. numer.64.* Lorichius *in Thesaur. verb. Cardinales*, §. 7. Cucchus *instit. Can. lib.2. tit.4. num.85.* Zecchius *de Republ. Christiana, tit.3. de Cardinalib. num.9. priuileg.7.* Barbos. *de iure Eccles. lib.1. cap.4 num.61.* Danza *in pugna Doctorum de qualitate officialium, cap.1. num.1. 16.* & Albanus *de Cardinal. quæst.47.* Contra Farinacium *in fragm. crimin. part.1. num.63.* Corsettum *verb. Cardinalis*, & Barbatiam *tract. de Cardinal. quæst.9. num.1. & seqq.*

Quod (sicut & illud, quod Mar. Italia, Peregri- 6
nus, Diana, Barbosa, & Antonius de Marinis dicunt 7
de Palatiis Cardinalium, gaudere scilicet ista immunitate etiam nunc, extra Vrbem tamen, & præcipuè extra Statum Ecclesiasticum) verum arbitror ob rationem *supra* dictam, vbi tale priuilegium Cardinalium (qui teste Claro *loco supra cit.* Regibus æquiparantur) consuetudine obseruari reperitur, præsertim quia valde rationabile videtur; cùm non debeant Cardinales esse deterioris conditionis, ac erant olim 8
apud Romanos Flamines Diales & Virgines Vestales, quarum auctoritas tanta erat, quod si quis ad vapulandum traheretur, & supplex ad Flaminem procumberet, non vapularet, authore Gellio *lib.10. cap.15.* vel si quis ad capitale supplicium duceretur, & casu transisset aliqua Virgo Vestalis, non necaretur.

Obiicies ex Cutellio *cit. quæst.27. num.19.* Bulla Gregorij XIV. ius commune, municipale, priuilegia, Doctorum interpretationes, & consuetudines omnes corrigendo, omnia per nos reduxit ad vnicam formam; ergo non est, cur etiam per nos locum habeat nunc talis consuetudo.

Respondetur, distinguo antecedens: omnia re- 9
duxit ad vnicam formam, ita vt contra dictam Bullam non possit introduci consuetudo in contrarium, saltem in fauorem immunitatis, & maximè consentientibus Principibus sæcularibus, nego;

ita vt possit, concedo. Vide quæ dicebantur *dubitat. 6.*

11 Cæterum arbitror, quod Palatia Cardinalium (etiam in Vrbe) de iure, *ex capite Episcopus, de consecrat. distinct. 3. & ex capite Episcopus, dist. 41.* immunitate gaudeant, & huic iuri cit. Constitutio Gregorij XIII. & cit. Constitutio Sixti V. non præiudicet, si Palatia ipsorum adhæreant Ecclesiis suorum titulorum, & suæ dignitatis (ad eum modum, quo dicebam *sect. præced. de Palatiis Episcoporum*) quia in ordine ad has Ecclesias Cardinales habent iurisdictionem, ac se habent tanquam Episcopi, & ex alio *capi-*
12 *te* Cardinales in fauoribus, & gratiis Episcopis comparantur, *capite felicis*, ad finalia verba, *de pœnis*, vbi
13 ciuitati sedis Episcopalis amissio ob Cardinalis offensam indicitur, & vbi Pontifex sibi illos comparat. Vide Barbosam *de vniuers. iur. Eccles. tom. 2. cap. 3. n. 71.* Cutellium *de immunit. Eccles. lib. 1. quæst. 37.* & Gambacurtam *lib. 5. cap. 4. num. 5. & lib. 4. cap. 5.* qui sub-
14 dunt quod & immunitate gaudeant Palatia Legatorum Pontificis apud Imperatorem, & Reges, si non de iure, saltem de consuetudine, etiam post Gregorianam, rationabiliter introducta, cùm personam summi Pontificis repræsentent.

## SECTIO XVI.

### An eodem priuilegio gaudeat Tabernaculum Sanctissimæ Eucharistiæ?

### SVMMARIVM.

1 *Tabernaculum Sanctissimæ Eucharistiæ gaudet immunitatis priuilegio, si actu illam habeat, & sacerdos illam portans incedat per Plateam.*

2 *Confugiens ad cœtum fidelium comitantem Sanctissimum delatum ad infirmos, seu processionaliter, licet non tangat hastam Baldachini, gaudet immunitate, non de iure, sed de consuetudine.*

3 *Comitantes sanctissimam Eucharistiam sunt tanquam Ecclesia animata.*

4 *Immunitatis extensio ad Comitantes Sanctissimum est valde pia, & probabilis; cum corpus Christi sit longe dignius, quin immo ratio, & fundamentum, cur immunitas locis sacris, ac Religiosis concedatur.*

5 *Priuilegium ad non expressa per consequentiam trahi non debet.*

*Communicans, & intra os habens Eucharistiam non gaudet immunitate.*

6 *Priuilegium extendi potest vltra casum expressum ex voluntate priuilegiantis rationabiliter præsumpta, præsertim Principibus secularibus consentientibus.*

7 *Confugiens ad sacerdotem deferentem Eucharistiam, eumque tangens, vel intra domum infirmi, vbi est Eucharistia, vel comitantibus se immiscens, gaudet immunitate.*

8 *Præsentia Sanctissimi sub speciebus sacramentalibus videtur facere locum sacrum, & Religiosum.*

9 *Vbi est Papa, ibi est Roma, seu Curia Romana.*

10 *In locis refugij per Bullam Gregorianam assignatis, quia sumus in fauorabilibus, licet arguere ex paritate, vel maioritate rationis.*

11 *Confugiens ad sacerdotem deferentem oleum sanctum ad infirmos, eumque tangens, non gaudet immunitate.*

12 *Oleum sanctum non solum non est Sacramentum simpliciter, sed tantum materia Sacramenti.*

13 *Sacramentum extremæ vnctionis consistit tantum in actuali vnctione infirmi cum actuali prolatione formæ verborum.*

14 *Confugiens ad sanctorum Imagines, vel reliquias, quæ per plateas processionaliter deferuntur, non gaudet immunitate.*

15 *Sacerdos indutus cotta & stola ante crucem ad efferendum Defunctum, non potest capi, saltem de consuetudine à satellitibus.*

16 *Reuerentia eadem, quæ competit Ecclesiæ, quæ Domus Dei est, videtur multò magis competere sacerdoti.*

17 *Amplia multò magis procedere si sacerdos cotta & stola indutus deferat oleum sanctum, vel Eucharistiam ad infirmos.*

18 *Sacerdos ita captus interrogatus ab Episcopo de aliquo delicto, non tenetur respondere, sed debet allegare nullitatem capturæ, vtpotè non legitimè captus.*

REspondetur, quod eodem priuilegio etiàm gau- 1
deat tabernaculum Sanctissimæ Eucharistiæ, si actu illam habeat; quin & sacerdos illam portans (etiamsi non sit in cubiculo infirmi, sed per plateam: & etiamsi reus ad eum confugiens, neque sacerdotem, neque hastam baldachini tangat) & corona homi- 2
num, cùm sit veluti Ecclesia quædam animata (quæ sacerdotem, qui illam portat, comitatur) ita vt qui confugit ad vnum istorum, seu inter istos Eucharistiæ Sacramentum comitantes se intermiscet, securus sit tanquam si ad Ecclesiam confugisset) non quidem de iure, cùm nusquam etiam id statutum reperiatur, sed de consuetudine piè, & meritò, etiam post Gregorianam, introducta; ex eo, quia si Ecclesia gaudet tali priuilegio ob reuerentiam Sanctissimæ Eucharistiæ in ipsa existentis, multò magis gaudere debet tabernaculum Eucharistiæ, si actu illam habeat, quin 3
& sacerdos, qui illam portat, & corona hominum quæ sacerdotem, qui illam portat, tanquam Ecclesia quædam animata comitatur. Quapropter consuetudo hic spectanda est, & secundùm illam casus deci- 4
dendus, præsertim cum in fauorem immunitatis inclinat, quia talis extensio valde pia, & rationabilis est, cùm corpus Christi sit longè dignius quocumque loco sacro, & religioso, quin tale, cui nulla res præferri debet, *capite multi, quæst. 5.* & ratio, & fundamentum, cur immunitas locis sacris & religiosis concedatur, vti suprà dicebam. Quamvis nonnulli cum Glos. *in cap. quæsitum 13. quæst. 2.* (ex eo, quod de hoc nihil in iure expressum reperiatur, & *priuile-* 5
*gium ad non expressa per consequentiam trahi non debeat*) contrarium doceant, & Couar. *var. resol. lib. 2. cap. 20. num. 6.* dubius maneat. His adde, quod communicans, & intra os habens Eucharistiam, non gaudet immunitate, ex communi sententia Doctorum, teste Farinacio in loco mox *infra* citando, *num. 276.* ergo multò minus gaudebit confugiens ad Sacerdotem Eucharistiæ Sacramentum deferentem, vel ad alium illud in vase, vel in alio retinentem.

Contrarium tamen iuxta iam dicta mihi magis pla- 6
cet, vt scilicet reus in tali casu ab Ecclesia defendatur, si sic fieri sit consuetudo, quam saltem, vtpotè immunitati fauorabilem, posse etiam post Gregorianam introduci, *suprà* dicebam. Quapropter ad glossam respondeo cum Abbate in loco *infra cit.* quod priuilegium extendi possit vltra casum expressum, ex voluntate priuilegiantis rationabiliter præsumpta, præsertim Principibus sæcularibus consentientibus. Et ad illud, quod dicitur de communicante. Respondetur disparitatem esse, quia tunc Eucharistia non se habet per modum venerationis, sed per modum sacramenti sumpti. Vide Archidiaconum *in cit. cap. quæsitum.* Abb. *in cap. sanè, num. 2. de celebrat. Missar.* Marth. *de iurisdict.*

*risdict. part.2. cap.50. in fin.* Clarus §. *fin. quæst.98. num,2.* Sà *verb. Ecclesia immunitas,num.1.*Marium Italia *de immunit. lib.1. cap,4. §.10. num.8.* Peregrinum *cap.4. num.19.* Dianam *part.1. tract. 1. resol.28.* Tuschum *verb. Ecclesia , conclus.10. num.33.* Suarez 1. *tom. de relig. lib.3. cap.9. num.10.* Couarr. *cit. cap.20. num.6.* Farinacium *de carcerib. quæst.28. num.11. & in append. de immunitat. cap.17. num.275.* Anastas. Germon. *de sacr. immunit. lib. 3. capite 26. numero 51.* & Petr. Gregor. *Syntag. iuris libro 3. capite 21. numero 14.*

7 Aduerte tamen , quod reus in dicto casu immunitate gaudeat simpliciter. Docent , & satis probabiliter Sylu. *verb. Immunitas 3.n.1.*Angel. *eodem verb.quæst.28.* Miranda *de ordin. iud. tom.1. quæst.15. art.5. concl.2.* Nauarr. *capite 25. num.10.*Tanner. *in 2.2.disp.5.quæst.8. dubit.1. num.14.* Graff. *in decis. part.2. lib.1. cap.1. numero 32.* Rodriguez *in Sum. tom.1.cap.155. num.1.* Raphaël de la Torre *tom.2. in 2. 2. quæst.99. art.3. disp.7.* Megalius *in 3. part. lib.4. cap.2. quæst.1. num.38.* Petr. de Cenedo *in qq. Canon. quæst.42. num.13.* Ambrosin. *de immunit. cap.10. num.9.* Cutellius *de immunit. Eccles. lib.1. quæst.28.* Barbosa *de iure Eccles. tom.2. cap.3. numero 69.* Bacconus *in 4. distinct. 12. art.1.* Lezana *vers. immunitas Eccles. num.2.* Gambacurta *de immunit. lib.4. cap.6. num.4.* Ioan.de Heuia *in Curia Philipp. part.3. §.12. num.8.* Ceuallos *in tract. de cognitione per viam violent. part.2. quæst. 42.* & alij multi, quos citat Bobadilla *in Polit. tom.1. lib.2. cap.14. num.86. & in gl. lit.S.* contra Gloss. *in cit. capite quæsitum 13. quæst.2.* tum propter reuerentiam tanti Sacramenti , tum quia illud dignius est quocumque templo , Basilica,
8 vel Ecclesia , sicuti supra dicebam ; tum quia præsentia Sanctissimi sub Speciebus Sacramentalibus videtur facere locum sacrum , & religiosum : nam si vbi est Papa , ibi est Roma, seu Curia Romana , non est , cur vbi est præsentia Sanctissimi sub speciebus Sacramen-
9 talibus , ibi non sit locus sacer , & religiosus , cui immunitatem conuenire patet ex iuribus , & nouissimè ex Gregoriana.

Accedit , inquiunt ipsi , quod licet in casibus exceptis non liceat argui ex iis ad alios casus ex paritate,
10 vel maioritate rationis , liceat tamen in locis refugij per Bullam Gregorianam assignatis , argui ex iis ad alia loca ex paritate , vel maioritate rationis ; ex eo, quia in priori casu sumus in odiosis , & vbi exceptio fit per particulam *tantum* , in posteriori autem sumus in fauorabilibus, & vbi designatio locorum refugij fit sine particula , *tantum.*

11 Aduerte secundò , quod è contra , si reus confugiens ad sacerdotem , qui Oleum sanctum ad infirmos portat , eum tangat , & quantumvis tangat , immunitate non gaudeat,vt ex communi docet Gambacurta *lib.4. cap.6* & Riccius *part.3. decis.88. num.5.* & meritò ; quia iura loquuntur tantum de Ecclesiis , & cæmeteriis , Doctores autem tantum de Sacerdote,
12 qui Eucharistiam portat. Confirmatur , quia Oleum sanctum non solum non est Sacramentum ita dignum , vt est Sacramentum Eucharistiæ ( continens in se gratiam & auctorem omnis gratiæ, ) sed nec etiam est Sacramentum simpliciter , sed tantum materia Sa-
13 cramenti , & tantum quid Sacramentale ; cum Extremæ - Vnctionis Sacramentum consistat tantum in actuali Vnctione infirmi cum actuali prolatione formæ verborum. Vnde multò minùs gaudebit reus immunitate , si confugiat ad solum ipsum sacerdotem,
14 quin Episcopum,eum apprehendendo , vel ad Sanctorum imagines , & Reliquias , quæ per plateas processionaliter circumportantur.

Quamvis contrarium , scilicet ex consuetudine , etiam post Gregorianam introducta , vel etiam de iure , desumpto argumento à paritate , vel maioritate rationis ( satis piè doceat Ludouicus Correa *in relect. ad caput inter alia , de immunit. Eccles. part.2. num.25.* Vide etiam Locatellium *in Breuario de tonsura , inspect.5. num.164.* vbi non improbabiliter subdit , quod sacerdos cotta & stola indutus ( extra Ecclesiam , præcedente cruce ad efferendum defunctum verbi gratia tendens ) non possit de licentia Episcopi à satellitibus capi ; itaque coram Eminentissimo Vicario Vrbis anno 1614. decisum fuisse testatur. Et ratio 16
esse potest , quia eadem reuerentia , quæ debetur Ecclesiæ (quæ domus Dei est)videtur multò magis competere ipsi Sacerdoti ( qui viuum templum est, ad Corinth.1. *capite* 3. & tradit Victoria *de potest. Eccles. quæst.1.* ) saltem pro ipsomet Sacerdote , dum in habitu Sacerdotali diuina ministrando , & Ecclesiastica officia exequendo Christum Dominum repræsentat , eiusque vices gerit. Quod multò magis procedit , si 17
sacerdos cotta , & stola indutus deferat Sacramentum Extremæ - Vnctionis , vel Eucharistiæ ad infirmum. Quapropter in his casibus interrogatus sacerdos ab 18
Episcopo de aliquo delicto , propter quod captus fuerat,non tenetur ad mentem illius respondere , sed potest, vtpote illegitimè captus , capturæ nullitatem obiicere.

---

## SECTIO XVII.

### An eodem priuilegio gaudeant statuæ Principis? Vbi etiam de eius Palatio.

#### SVMMARIVM.

1 *Confugiens ad statuas Principis gaudet Priuilegio immunitatis.*

2 *Immunitas , qua gaudent confugientes ad statuas Principis,non est sacra , sed politica,quia nec est à Pontifice,nec ob reuerentiam diuini cultus.*

3 *Immunitas à statuis Principum hodie sublata est propter abusus,qui sequebantur.*

4 *Palatia supremorum Principum , & Oratorum eorum gaudent immunitate ciuili.*

REspondetur , quod eodem priuilegio etiam gaudeant statuæ Principis , ad quas similiter si quis 2
confugit,securus sit,ac si ad Ecclesiam confugisset. Atque ita expressè statuitur *in l.vnic.Cod.de his,qui ad statuas confugiun ,& in l.1.C.de his , qui ad Ecclesias confugiunt, & in l.capite alium,§.ad statuas,ff.de pœnis,* & docent Hostiensis, Anchar.Ioan.Andreas *in cap. Ecclesia, de immun.t.Eccles.*& Petr. Gregor. loco *supra cit.n.11. & 12.*Vide etiam Tuschum *verb. Ecclesia, concl.9.n.4.* Decianum *tract.crimin.lib.6.cap.2.num.5.*& Farinacium *de carcerib.quæst.28.num.49.*& *in append.de immunit.c.17. num.278* Verùm hæc immunitas,quamvis vigeat,sacra non est,sed politica,quia non est introducta à Pontifi- 2
ce , nec in reuerentiam diuini cultus , sed in honorem humani Principis , quapropter si violetur,non incurritur censura. Adde, quod modò consuetudine talis immunitas sublata sit,propter abusus,qui inde exoriebantur,teste Tuscho, Deciano, & Farinacio in locis *supra cit.* Cæterùm , quid dicendum sit de Palatiis Regum, 3
Imperatoris,aliorumque supremorum Principum, item de Palatiis Oratorum eorum , & de domibus Magnatum inferiorum,patet ex dictis *supra*, & ex iis, quæ dicebantur *sect.15.num.2.* 4

## DVBITATIO X.

An, & quis veniat nomine confugientis ad Ecclesiam, ita vt illius immunitate gaudeat?

## SECTIO I.

### Dubitationis Resolutio.

### SVMMARIVM.

1 *Confugientis nomine ad Ecclesiam venit quilibet homo, siue mas, siue fœmina, siue liber, siue seruus, siue nobilis, siue ignobilis.*
2 *Ecclesia ad exemplum Dei, non est acceptatrix Personarum.*
3 *Vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.*
4 *Exceptio firmat regulam in contrarium.*

1 REspondetur, venire quemcumque, siue sit mas, siue fœmina, siue liber, siue seruus, siue nobilis, siue ignobilis, &c. Atque ita constat ex capite *inter alia, de immunit. Ecclesiæ, cap. frater, cap. minor, c. definitur, cap. id constituimus*, & *c. si quis contumax*, 17. *quæst.* 4. & nouissimè ex Gregoriana, & ex communi docet Gutierrez *pract. qq. ciuil. lib.* 3. *quæst.* 1. *num.* 7. Et 2 probatur, quia Ecclesia ad exemplum Dei non est acceptatrix personarum, & qualitas maris, vel fœminæ, libertatis, vel seruitutis, &c. per accidens se habet, tum quia prædicta iura absolutè, & sine distinctione loquuntur, vbi autem ius non distinguit, nec 3 nos distinguere debemus, & propositio indistinctè prolata æquiualet vniuersali, *l.* 1. *ff. de legat. præst. & capite solita, de maiorit. & obed.* tum quia in Gregoriana solum excipiuntur quidam casus, de quibus infrà. Et exceptio firmat regulam in casibus non exceptis, *cap.* 4 *Dominus* 32. *quæst.* 7. *l. nam quod liquida*, §. *fin. ff. de penu leg. & l. Tribunus*, §. *vlt. ff. de militar. testam.*

## SECTIO II.

### An Ecclesiæ immunitate gaudeat suspensus, vel interdictus ab ingressu Ecclesiæ.

### SVMMARIVM.

1 *Suspensus, vel interdictus ab ingressu Ecclesiæ, si ad ipsam confugiat, gaudet Ecclesiastica immunitate, licet denunciatus.*
2 *Suspensus, vel interdictus ab ingressu Ecclesiæ censetur esse priuatus ab ingressu formali, hoc est ad audienda diuina officia, non autem ab ingressu materiali, scilicet vt gaudeat illius immunitate.*
3 *Interdicti censura, vt odiosa, non habet alios effectus, prater expressos in iure.*
4 *Suspensus, aut interdictus ab ingressu Ecclesiæ, si ob vitandam grauem pœnam confugiat ad illam tempore diuinorum officiorum non censetur delinquere contra censuram.*
5 *Ecclesia interdicta non caret priuilegio immunitatis.*
6 *Ecclesia defendendo indignum tanto maiorem pietatem ostendit; quia non tantum attendit ad censuram incursam, quàm ad delinquentis fragilitatem, & loci sanctitatem.*
7 *Auctoritas Felini non probatur.*
8 *Suspensus, vel interdictus ab ingressu Ecclesiæ, licet priuetur sepultura Ecclesiastica, non tamen priuatur immunitate, quia in pœnis non valet illatio de casu ad casum.*

REspondetur, quod si ad Ecclesiam confugiat, immunitate Ecclesiæ gaudeat suspensus, vel interdictus ab ingressu Ecclesiæ, quamvis denunciatus; quia nullus textus eum excludit ab hoc communi priuilegio fidelium. 1

Confirmatur, quia suspensus, vel interdictus ab ingressu Ecclesiæ, quamvis denunciatus, licet priuetur ab ingressu Ecclesiæ formali, scilicet ab ingressu Ecclesiæ in ordine ad audienda diuina officia, non tamen priuatur ab ingressu Ecclesiæ materiali, scilicet vt gaudeat illius immunitate, cùm interdicti censura, vtpote odiosa, non habeat alios effectus, nisi qui iure expressi sunt, & hic expressus non reperiatur, scilicet quod priuet personam suspensam, vel interdictam Ecclesiæ immunitate. 2 3

Confirmatur secundò, quia qui ob vitandam grauem pœnam ad Ecclesiam, etiam tempore diuinorum officiorum, confugit, non delinquit contra censuram interdicti, cùm necessitate compulsus eò confugiat, & censura interdicti, vtpotè de iure positiuo, non obliget cum tanto incommodo. 4

Confirmatur tertiò, quia Ecclesia interdicta non caret priuilegio immunitatis, ob interdictum locale, sicuti *dubit.* 9. *sect.* 4. dicebam: ergo neque persona interdicto priuatur fauore immunitatis localis, ob interdictum personale. 5

Neque obstat, talem indignum esse, vt hoc Ecclesiæ beneficio fruatur, quia tantò maiorem pietatem Ecclesia ostendit, si illum defendat, præsertim quia illum defendendo, non tam attendit ad delictum, & censuram, quàm ad eius, qui deliquit, fragilitatem, & loci sanctitatem. 6

Atque ita ex communi docent Sylu. *verb. Immunitas* 3. *quæst.* 3. Nauar. *cap.* 25. *num.* 19. Tuschus *verb. Ecclesia, concluss.* 10. *num.* 26. Couar. 2. *var. cap.* 20. *numero* 11. Clarus *lib.* 5. §. *fin. quæst.* 30. *num.* 18. Azor 1. *part. lib.* 9. *cap.* 9. Decian. *tractat. crimin. lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 3. Farinacius *in append. de immunit. cap.* 2. *num.* 44. *& de carceribus quæst.* 28. *num.* 39. & 40. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 4. Peregrinus *de immunitate cap.* 12. *num.* 2. Gambacurta *lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 4. Filiucius *tractat.* 15. *cap.* 6. *quæst.* 8. Mar. Italia *lib.* 1. *cap.* 2. §. *vnic.* Germonius *lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 27. *& sequentib.* Ambrosin. *de immunitat. Eccles. cap.* 8. *num.* 12. Layman *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 10. Bonac. *disp.* 3. *quæst.* 7. §. 3. *num.* 8. & alij passim, quidquid in contrarium senserint Felin. *in capite à nobis, de exception. num.* 5. Summa Confessorum, *tit. de immunit. Eccles. quæst.* 5. & alij apud Farinacium *cit. cap.* 2. *num.* 45. & 78.

Obiicies, suspensus, & interdictus ab ingressu Ecclesiæ, Ecclesiam ingrediens, delinquit aduersus prohibitionem eius, cuius aditus est ipsi interdictus: ergo fruſtra implorat auxilium Ecclesiæ. Ita Felinus *loco supra cit.* & adducit textum *in cap. quia fruſtra, de cens.* 7

Respondetur, nego antecedens, quia (vt dicebatur) censura suspensionis, vel interdicti non priuat ab ingressu Ecclesiæ materialis, sed formalis tantum, scilicet ab ingressu in ordine ad audienda diuina officia: & sic non facit pro Felino textus, quem adducit, cùm suspensus, vel interdictus ab ingressu Ecclesiæ, non delinquat contra Ecclesiam, ingrediendo Ecclesiam materialem, nempè ad saluandam solùm personam, & non ad audienda diuina officia.

Instabis,

Instabis, suspensus, vel interdictus ab ingressu Ecclesiæ denunciatus priuatur sepultura Ecclesiæ, ergo & priuatur immunitate eiusdem.

Respondetur, concedo antecedens: at nego consequentiam; quia in pœnis (præsertim in præiudicium immunitatis Ecclesiasticæ, quæ est quammaximè fauorabilis) non valet illatio de casu ad casum, etiam à maioritate, nedum à paritate rationis, sicuti diffusè dicetur *infra dub.24.sect.3.*

## SECTIO III.

### An gaudeat excommunicatus?

### SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus, licet denunciatus, vel non toleratus, gaudet Ecclesiastica immunitate.*
2 *Clericus excommunicatus non perdit priuilegium fori, vel canonis, nec excommunicatus immunitatem.*
3 *Ecclesia interdicta non perdit priuilegium immunitatis.*
4 *Excommunicatus licet sit exclusus ab Ecclesia formali, hoc est à fidelium communione, non tamen est exclusus à materiali ob immunitatem.*
5 *Excommunicatus non defenditur ab Ecclesia ratione delicti, sed ratione priuilegij immunitatis Ecclesiæ ipsi competentis.*

1 RESpondetur, quod gaudat etiam excommunicatus, quamvis denunciatus, vel non toleratus, ob easdem rationes modò supradictas.

2 Confirmatur, quia clericus excommunicatus non perdit priuilegium fori, vel Canonis: ergo nec laicus
3 excommunicatus perdet hanc immunitatem. Confirmatur secundò, quia Ecclesia interdicta (vt dicebatur *cit.dub.9.sect.4.*) non perdit priuilegium immunitatis, ergo nec perdit illud homo excommunicatus.

4 Atque ita ex communi etiam docent Sylu. *verb. immunitas 3. quæst.3.* Angelus *eod. verb. num.11.* Rosella etiam *eodem verb. immunitas 2.num.7.* Armilla *eod.verb. num.7.* Nauar.*cap.25.num.20.* Alter.*de cens. tom.1. lib.2. cap5col.3.* Fagundez *de præceptis Ecclesiæ, præc.2. lib.4. cap.3. n.60.* Ioan. de la Cruz *part.1.præcept.8.q.3. art.1. dub.1.concl.2.* Chartarius *decis.crimin.59.num.17.* Lezana *verb.immunitas,num.5.* Diana *part.1. tract.1.resol.34.* & alij Doctores *præcedenti sect.num.6.* citati contra Felinum, & Summam Confessorum *vbi suprà.*

Obiicies, excommunicatus est exclusus ab Ecclesia, & fidelium participatione: ergo exclusus erit à priuilegio immunitatis.

Respondetur, concedo antecedens, si scilicet intelligatur (vt suprà dicebam) de exclusione ab Ecclesia formali: at nego consequentiam: quia (vt etiam supra dicebam) in pœnis (præsertim si sit in præiudicium Ecclesiasticæ immunitatis, quæ est quammaximè fauorabilis) non valet illatio de casu in casum, etiam à maioritate, nedum à paritate rationis.

Instabis, excommunicatus est rebellis Ecclesiæ, ergo non est cur ab illa defendatur.

5 Respondetur, similiter concedo antecedens: at distinguo consequens: non est cur ab illa defendatur, si attendamus personam, & delictum, concedo: si attendamus Ecclesiæ pietatem (quæ in hoc magis relucet) & loci sanctitatem, nego. Vide quæ dicentur *infrà dub.22.& dub.24.sect.21.*

## SECTIO IV.

### An gaudeat hæreticus? Vbi etiam agitur de Gentili.

### SVMMARIVM.

1 *Hæreticus in aliis criminibus præter hæresim, quæ est casus exceptus, gaudet Ecclesiastica immunitate.*
2 *Lex primans Hæreticum immunitate Ecclesiastica, intelligi debet formaliter, quatenus hæreticus est, non autem quatenus homicida est.*
3 *Opinio, quod hæreticus in aliis criminibus gaudeat immunitate, est saltem probabilis, vt concedunt etiam multi ex aduersarijs.*
4 *Quando duæ opiniones sunt probabiles, illa amplecti debet, quæ fauet Ecclesiæ.*
5 *Vbi crimen non est exceptum, non habemus fundamentum, vt excipiamus personam.*
6 *Hæreticus si sit reconciliatus Ecclesiæ, absque dubio gaudet Ecclesiæ immunitate, quia licet fuerit, de præsenti tamen hæreticus non est. Idem dic cum Diana de Schismaticis, Apostatis, Hæreticorum fautoribus, & cæteris, si non sint cum errore intellectus.*
7 *Iudæus, Saracenus, & quicumque alius Gentilis confugiens ad Ecclesiam gaudet Ecclesiastica immunitate, siue confugiat ex delicto non excepto, siue ex debito ciuili.*
8 *Priuilegium immunitatis indistincte conceditur omnibus, estque non tam personale, quàm locale, conceditur enim personis non ratione personæ, sed ratione loci, qui sacer, & sanctus est.*
9 *Priuilegium loco concessum extenditur ad omnes ibi existentes.*
10 *Priuilegium immunitatis est fauorabile, & ideò late interpretandum.*
11 *Opinio in contrarium, quod si infideles contra fideles flagitia commiserint, non gaudeant immunitate, est satis probabilis.*
12 *In lege veteri constitutæ erant ciuitates refugij pro Iudæis, & fratribus eorum, non autem pro Gentilibus.*
13 *Salomonis templum alienigenis ingredi, vel limine tenus attingere non licebat.*
14 *In sacra Scriptura pro aduenis, & peregrinis intelliguntur qui eumdem Deum, eademque præcepta, cæremonias, & sacrificia colebant.*
15 *Proselyti hi vocabantur, qui vt iure ciuitatis fruerentur, vel promissionum participes fierent, circumcidebantur, ac legi se subiiciebant.*
16 *Infideles qui non sunt ex circumcisione, ex lege veteri non gaudebant refugio.*
17 *Lex Moysis quoad hæc confugij loca cum cæteris moralibus præcepti ad nos translata non fuit, atque ideo nunc abrogata est.*
18 *Infideles mirum non est, si (cum simus in tempore gratiæ) alliciantur per aliquod priuilegium, ad conuersionem.*
19 *Textus in l.1. C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt, excludens Gentiles à priuilegio immunitatis, non est obseruandus, cum sit de iure ciuili & Pontificio iuri contrarius.*
20 *Par non est, quod ab Ecclesia defendatur is, qui eius gremio, tutelæ, ac fidei se committere prorsus non vult.*
21 *Canones statuentes immunitatem reis, videntur loqui secundum materiam subiectam, de personis scilicet sub iurisdictione Ecclesiæ constitutis.*

22 Eccle

22 *Ecclesia de his, qui foris sunt, non curat.*

23 *Priuilegium immunitatis licet, vt fauorabile, sit latè interpretandum, non tamen plus est extendendum quam in terminis habilibus, & iuxta capacitatem subiectorum.*

24 *Declaratio Sacræ Congregationis, quod infidelis gaudeat immunitate, vltra quod de ipsa non constat authenticè, intelligi debet de infideli volente conuerti.*

25 *Iudæus, Saracenus, & quicumque alius infidelis gaudet immunitate volens conuerti, & baptizari, secus non gaudet.*

26 *Par est quod Ecclesia tueatur eos, qui ipsi inseruire volunt.*

27 *Textus in cit. l.1.C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt, excludit ab immunitate eos, qui simulate se conuertunt, non eos, qui verè fidem Christi amplectuntur.*

28 *Ius canonicum non est contrarium dicto textui citat. in l.1. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt.*

29 *Leges ciuiles seruanda sunt quotiescumque Canonicis non contradicunt.*

30 *Nulla lex Canonica expresse de infidelibus disponit, gaudeant, vel non gaudeant immunitate.*

31 *Dubium si insurgat in lege Canonica, interpretatio petenda est à lege ciuili.*

32 *Par non est, quod ab Ecclesia defendatur is, qui eius gremio, & fidei se committere non vult, inspecto eius delicto, & demerito; secus inspecta pietate matris Ecclesiæ alliciente ad conuersionem.*

33 *Ecclesia non curat de his, qui foris sunt, si exerceat iurisdictionem, secus si concedat priuilegia, quæ etiam non subditis conferri possunt.*

34 *Gentilis, si ante patratum delictum, & conceptum iudicis timorem signa dederit conuersionis, confugiens ad Ecclesiam, & baptismum petens, præsumitur non simulatè, sed ex animo petere, & è contra.*

35 *Præsumptio hæc an sit iuris, & de iure, ita vt aduersus ipsam nulla admittatur probatio in contrarium. Dissentiunt Doctores, & sunt pro vtraque parte scribentes.*

36 *Opinio Abbatis, & nonnullorum pro affirmatiua est probabilior.*

37 *Præsumptio tunc dicitur Iuris, & de Iure, quando ius certum quid statuit ob præsumptionem, quam habet.*

38 & 39. *Ius Ciuile statuit, Gentilem confugientem ad Ecclesiam, & Baptismum petentem, non esse defendendum, ob præsumptionem, quam habet, quod simulatè petat. Ergo talis præsumptio est iuris, & de iure, & contra ipsam non admittitur probatio directa, secus autem indirecta.*

40 *Probatio indirecta erit, si probet is aliis rationibus præter delictum patratum, motum se fuisse ad petendum Baptismum.*

41 *Probatio indirecta dum sit, potest Ecclesia concedere immunitatem probanti, secus si non probet.*

1 REspondetur quod gaudeat etiam hæreticus (in aliis tamen criminibus præter hæresim; cùm hæc sit casus exceptus, vt infrà dicetur) quia respectu aliorum criminum hæresis se habet per accidens. Vide quæ dicentur *cit. dub.22. & dub.24.*

2 Confirmatur, quia lex priuans hæreticum immunitate Ecclesiastica, intelligi debet formaliter, vt scilicet priuet hæreticum, quatenus hæreticus est, non autem quatenus homicidia furto, aut alio crimine infectus est; alioquin qui occideret, vel mutilaret in Ecclesia, priuatus esset immunitate Ecclesiæ, non solum quoad tale delictum, sed etiam quoad alia quælibet, quod est contra communiorem sententiam Doctorum.

Confirmatur secundò, quia hæc opinio saltem est 3
probabilis (vt concedunt multi ex ipsismet Aduersariis apud Fagundez *de præceptis Eccles. præcept.2.lib.4. cap.4. num.49.*) ergo est amplectenda. Consequentia 4
probatur, quia quotiescumque duæ opiniones sunt probabiles, illa debet amplecti, quæ fauet Ecclesiæ, sicuti rectè docent, & probant Gratianus *in disceptation. cap.88. num.6. & cap.131. num.2.* Pacianus *respons.7. num.123.* Hondedeus *consil.3. num.24. lib.1.* & Sperellus *decis.91. num.29.*

Confirmatur tertiò, quia vbi crimen est exceptum, 5
non habemus fundamentum, vt excipiamus personam: quapropter si excipiamus, temerè, & gratis excipimus.

Atque ita contra Gundisaluum *de hæreticis, quæst.11.* Hypolitum *in l. ex senatusconsulto, ff. ad leg. Corneliam de sicariis,* Oldradum *consil.54.* Boërium *decis.110.n.6.* Couar. *cap.20. num.14. lib.2.* Nauarrum *cap.25. n.20.* Clarum *§. fin. quæst.30.* Peregrinum *cap.8. numero 13.* Gambacurtam *lib.7. cap.3. num.6.* Tannerum 2. 2. *disput.5. quæst.8. dub.1. num.16.* Bobadillam *tom.1. lib.2. cap.14. num 54.* Gigantem *de crimin. læsæ Maiest. lib.3. quæst.93. num.18.* Cutellium *quæst.29.* Decianum *tract. crimin. lib.5. cap.26. num.4.* Sarpum *de iure asylorum cap.5. fol.60.* & Ambrosinum *de immunit. cap.8.num.9.* docent ex probabiliori sententia Doctorum Syluester *verb. Immunitas, num.2.* Suarez *tract.1. de relig. cap.1. num.13.* Ludouicus Correa *relect. de immunitate, part.3.* 6
*num.3.* Castrus Palaus *tom.2. tract.11. disput. vnic. punct.7. num.4.* Villalobos *in summa, tom.2. tract.39. diffic.7. num.20.* Farinac. *in append. de immunit. cap.13. num.170.* Mar. Italia *lib.1. cap.5. §.6. num.7.* Trullench. *in Decalog. tom.1. lib.1. cap.11. dub.2. num.2.* Azor *part.2. lib.9. cap.9. quæst.9.* Portel. *in dub. Regular. verb Eccles. immunitas, num.10.* Lezana *verb. Immunitas Eccles. num.3.* & Bonacina *disput.3. de primo Decalog. præcept. quæst.7. §.3.* qui rectè subdunt, quod si hæreticus sit reconciliatus Ecclesiæ, absque dubio immunitate Ecclesiæ gaudeat; quia licet fuerit hæreticus, de præsenti tamen hæreticus non est. Vide etiam Antoninum Dianam *res.29.* qui rectè docet idem de schismaticis, apostatis, hæreticorum fautoribus, &c. si non sint cum errore intellectus. Neque obstat, si dicas, quod tales, sicut & hæretici, sint indigni, vt tali priuilegio fruantur, cùm sint hostes, & proditores Ecclesiæ. Nam ad hanc obiectionem facilè respondebitur *infrà dub.19. sect.6.* & patet ex iis, quæ dicebam *sect. præcedenti.*

Dices, ergo & gaudet Iudæus, Saracenus, & quicum- 7
que alius Gentilis, si ad Ecclesiam confugiat.

Respondetur primò, concedo totum (idque siue confugiat ad Ecclesiam ex delicto; quamvis non excepto, siue etiam ex debito ciuili.) Atque ita satis probabiliter docent Gl. Hostiensis, Innoc. Ioan. Andr. & Cardinalis *in c. inter alia, de immunit. Eccles.* Sylu. *verb. Immunitas 3. num.2.* Tabien. *num.7.* Armilla *num.9.* S. Antonin. *part.3. tit.12. part.3. §.1.* Tiraq. *de iure primogenitur. quæst.66. num.9.* Felin. *in c. Iudæi, de Iudæis, num.2.* Hippolytus *in l. vnic. C. de raptu Virginum, n.114.* Faber *in l.1. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt, & in §. sed & hoc, Inst. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris,* Barbos. *in collect. tom.1. lib.5. tit.49. cap.6. num.50. & de iure Eccles. lib.2. cap.3. num.44* (vbi testatur, sic declarasse mense Februario 1631. Sac. Congregat. Immunitatis.) Gauantus *in Enchir. Episc. verb. Immunitas Ecclesiastica, num.9.* Fagundez *de præceptis Ecclesiæ l.b.4. cap.4. num.49.* Portel. *verb. Ecclesiastica Immunitas, nu m.10.* Bobadilla *tom.1 lib.2. cap.14. num.51.* Diana *p.1. tr act.1. resol.22.* Azor *2. part. lib.9. c.2. quæst.9.* Ricciullus

de

*de iurepatron. lib.2. cap.12. per totum*, Zambellus *in Repert. Mor. verb. Ecclesia quoad eius immunitatem, num.2.* Carolus Maranta *in controuers. iur. part.2. resp.51. num.3.* Hieronymus Tabal. *quæst.269.* Mar. Italia *de immunitat. Eccles. lib.1. cap.3. §.1.* & Ludouicus Correa *relect. de immunitat. Eccles. part.3. cap.3.* ex eo, quod *in cit. can. inter alia, cap. minor, cap. frater, cap. si quis inuentus, & cap. si quis contumax*, indistinctè omnibus concedatur hoc priuilegium, & sic videatur esse non tam personale, quàm locale (vt scilicet concedatur personis non ratione personæ, sed ratione loci, qui sacer, & sanctus est:) priuilegium autem loco concessum extenditur ad omnes ibi existentes, sicuti notarunt Bartol. *in l. cunctos populos, C. de summ. Trinit. & fid. Cathol. & in l. fin. C. de testamentis, &* Bald. *in l. si non speciali, C. eodem*, quos sequuntur cæteri Doctores. Adde, quod priuilegium immunitatis est fauorabile, & ideò latè est interpretandum.

Quamvis, vt fatear, oppositum, præsertim, si Infideles contra fideles flagitia commiserint, satis probabiliter etiam doceant Couarr. *2. variar. cap.20. num.11.* Clar. *§. fin. quæst.30. num.17.* Remigius *de immunit. fallent. 18. num.3.* Decian. *tract. crim. lib.6. cap.26. num.2.* Ambrosinus *cap.8. num.8.* Farinac. *de carcerib. quæst.38. num.68.* Megal. *in 3. part. lib.4. cap.2. num.5. & 16.* Peregrin. *de immunit. cap.12. num.1.* Suar. de Paz *in prax. tom.1. part.5. cap.3. §.3. num.106.* Franc. Leo *in thesauro fori Ecclesiast. cap.13. num.13.* Percira *de manu Regia part.1. c.51. num.5.* Sarpus *de iure Asylorum cit. cap.5 fol.58.* Cutell. *ad legem Feder. cap.72. notab.81. num.1. & de immunit. Eccles. lib.1. quæst.22.* & alij, qui Iudæum, Saracenum, & quemcunque alium Gentilem Ecclesiæ immunitate gaudere absolutè negant.

Primò, quia in lege veteri etiam ciuitates refugij ad confugas recipiendos constitutæ, solùm erant pro Iudæis, & fratribus eorum, non item pro Gentibus, *Ps.149. & ad Roman.2.14.* & Salomonis templum alienigenis ingredi, vel limine tenus attingere non licebat, *Num.18.7.* ibi: *Si quis externus accesserit, occidetur.* Quod si *Num. cap.35.* refugij loca aduenis, peregrinisque patere dicantur, id non ad Gentiles referendum est; quia in sacra Scriptura aduenæ, & peregrini, qui ad paria cum filiis Israel tractari præcipiuntur, sunt illi, qui eundem Deum, eademque præcepta, cæremonias, ac sacrificia colebant, vt patet ex eodem *lib. Num. cap.15.* ibi: *Tam indigenæ, quam peregrini eodem ritu offerent Sacrificia, unum præceptum erit, atque iudicium, tam vobis, quàm aduenis terræ.* Hi Proselyti vocabantur, qui vt iure ciuitatis fruerentur, vel promissionum participes fierent, circumcidebantur, ac legi se subiiciebant, quorum meminit Matth.23. & Paul. *5. cap. ad Galatas.* Quotiescumque ergo immunitatis sacrorum nostrorum Infideles participes fierent, id non conforme esset legi veteri, qua confugæ, qui solum ex circumcisione erant, recipiebantur, sed non probat: Respondetur enim, quòd modò Moysis lex quoad hæc confugij loca cum cæteris moralibus præceptis ad nos translata non fuerit: nam quoad hanc partem ad iudicialia pertinet, atque adeò nunc abrogata est; sicuti rectè docet *S. Th. 1.2. quæst.105. art.2. ad 10.* Couar. *lib.2. cap.20. n.2. verf. Prima conclusio*, dum probat, immunitatis hoc ius iure Pontificio, & Cæsareo sustineri, de quo nos *supra dub.2. dicebamus.* Accedit, quod successit tempus gratiæ, quare non mirum, si infideles etiam, vt sic saltem ad conuersionem alliciantur, aliquorum priuilegiorum participes efficiantur.

Secundò, quia *in l.1. Cod. de his, qui ad Eccles. confugiunt*, Gentiles confugientes ad Ecclesiam à priuilegio immunitatis Ecclesiæ excluduntur, quamvis Baptismum petant, quia præsumuntur simulatè petere. Sed neque probat. Respondetur enim cum Correa *loco supra cit.* Abbate *in cap. inter alia, de immunit. n.6.* Mario Italia *lib.1. cap.3. §.3. num.1.* & aliis, textum hunc esse iuris ciuilis, & Pontificio contrarium, ideoque non esse obseruandum.

Tertiò, quia par non est, quod ab Ecclesia defendatur is, qui eius gremio, tutelæ, ac fidei se committere prorsus non vult: quapropter licet puniri pœna non possit, gaudere tamen priuilegio aliquo non meretur, vt habetur *in l. priuilegia, Cod. de hæret. & Manich.* & docet S. Th. *2.2. quæst.10. art.6. & quæst.12. art.2.* 26

Quartò, quia Canones statuentes immunitatem reis, videntur loqui secundum materiam subiectam, de personis scilicet sub iurisdictione Ecclesiæ constitutis; cum Ecclesia de his, qui foris sunt, non curet, iuxta illud Ioan.21. 18. *Pasce oues meas*; & expressè dicitur ad Corinth. *1. cap.5.12.* & ex communi docet Victoria *in relectione de Indis, num.21.* Vnde ad iura citata oppositum responderi posset, quod licet illa videantur indistinctè omnibus, siue liberis, siue seruis, &c. tale priuilegium concedere, reuera tamen intelligenda sint de liberis, & seruis fidelibus, cùm Ecclesia (sicuti dicebam) de his, qui foris sunt, non curet. Et consequenter, quod licet priuilegium immunitatis, vtpotè fauorabile, latè interpretandum sit, non tamen plus sit extendendum, quàm in terminis habilibus, & iuxta capacitatem subiectorum. Et ad declarationem Congregationis responderi posset, quod de ipsa non constet authenticè, vel quod intelligatur de infideli, qui ad Ecclesiam confugit, verè conuerti volens, iuxta ea, quæ mox infra dicentur; & refert, & sequitur Barbosa *tom.2. de iure Eccles. cap.3. num.44.* 22 23 24

Quapropter respondetur secundò: distinguò consequens. Ergo & gaudet Iudæus, Saracenus, & quicumque alius gentilis immunitate Ecclesiæ, si verè, siue baptismo petito, siue non petito, conuerti velit, concedo: si conuerti simulet, nego. Atque ita contra Couarruuiam, Clarum, Remigium, & alios *in locis supra cit.* Doctores absolutè negantes docent. Gloss. marginalis *in l.1. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt*, & altera Gloss. *in cap. inter alia, verf. extrahendus, de immunit. Eccles.* Angel. *verb. Immunitas, §.13.* Sylu. *loco supra cit.* Nauar. *cap.25. num.10.* Suarez *tom.1. de religion. cap.10. num.10. & 11.* Filliucius *tract.15. c.6. quæst.5. num.151.* Gambacurta *lib.2. part.2. cap.7. n.88.* Tuschus *verb. Ecclesia, concluf.10. num.28.* Azor *2. part. lib.9. cap.9. quæst.9.* Farinacius *in append. de immunit. c.5. num.83.* Lezana *verb. Immunitas, num.5.* Gutierrez *pract. qq. ciuil. lib.3. quæst.7. num.51.* Baiar. ad Clarum *quæst.30. n.m.23.* Layman *lib.4. tract.9. cap.3. num.12.* Cutellius *cit. q.22. n.22.* & Bonacina *disp.3. de primo Decal. præcept. q.7. de immunit. §.3. n.5.* Et probatur (vnde patet responsio ad opposita) quia par est, quod Ecclesia tueatur eos, qui ipsi inseruire volunt. Secundò, quia *in cit. l.1. C. de his, qui ad Ecclesiam conf giunt*, excluduntur ab immunitate, qui simulatè se conuertunt: ergo tacitè admittuntur, qui reuera fidem amplectuntur. Quapropter idem de iure Canonico dicendum est, *argum. cit. c. inter alia*, ibi: *Iuxta statuta Canonum, & traditiones legum ciuilium.* Tum quia leges ciuiles seruandæ sunt, quotiescumque Canonicis non contradicunt (vt est in casu nostro, quia nulla lex Canonica expresse de infidelibus disponit, gaudeant, vel non gaudeant immunitate) tum quia, cùm dubium insurgit in lege Canonica, in omniù sententia interpretatio petenda est ex lege Ciuili. Tertiò, quia, sicuti dicebam, priuilegiù immunitatis videtur esse, non tam personale, quàm locale, cum omnibus, etiá infidelibus, saltem si verè conuerti velint, competere videatur, præsertim quia, vt etiam dicebam, est priuilegium fauorabile, & sic etiam ad infideles, saltem si verè conuerti velint, extendendum; præsertim secundò, quia, vt supra similiter dicebam, sic apud Barbos. *de iure Eccl. lib.2. c.3. n.44. & tom.5. in Collect. n.39.* declarauit Sacra Congregatio mense Febr. anno 1631. cuius declaratio, 27 28 29 30 31

etiamsi de ipsa non constet authenticè, facit saltem opinionem valde probabilem, & in praxi sequendam.

Ad argumenta autem, quibus supra probabatur, quod priuilegium immunitatis non competat infidelibus, si quidem loquantur de infidelibus, qui verè conuerti velint, facilè respondetur ex dictis; siquidem ad primum, & secundum patet, vt suprà. Ad
32 tertium autem respondetur distinguendo: par non est, quod ab Ecclesia defendatur is, qui eius gremio, tutelæ, ac fidei se committere non vult, distinguo: si attendatur eius delictum, & demeritum, concedo: si attendatur pietas matris Ecclesiæ, vt sic saltem alliciat ad conuersionem, nego. Quod inde confirmatur? quia alioquin neque competere illud deberet hæreticis, quin neque Catholicis delinquentibus, præsertim excommunicatis, cùm & hi, si attendatur ipsorum delictum, & demeritum, indigni sint, qui defendantur ab Ecclesia, & eius immunitate gaudeant. Ad quartum respondetur: nego antecedens, & ad probationem, quod Ecclesia non loquatur de iis, qui
33 foris sunt. Respondetur distinguendo: si imponat præcepta, concedo, quia non habet in eos iurisdictionem: si conferat priuilegia, quæ etiam non subditis conferri possunt, nego; quia sic allicit ad conuersionem, & magis ostendit suam pietatem. Itaque Infidelis, seu Gentilis, satis probabile est, quod gaudeat immunitate Ecclesiæ, saltem in casu, quod verè conuerti velit, siue petendo, siue non petendo explicitè Baptismum.

34 Cæterùm, si Gentilis ante patratum delictum, & conceptum iudicis timorem signa dederit conuersionis, confugiens ad Ecclesiam, & Baptismum petens, præsumitur non simulatè, sed ex animo petere, quia tunc petere præsumitur ex eadem voluntate, qua primò Baptismum desiderabat, non autem ex animo vitandi pœnam, & se securum reddendi in Ecclesia. Si autem post patratum delictum, & conceptum iudicis timorem Baptismum petat, præsumitur simulatè petere, & solum pœnæ vitandæ causa; ideoque (nisi contrarium appareat) ab Ecclesia extrahi poterit. Atque ita deciditur *in dict. l. 1. Cod. de his, qui ad Ecclesias confugiunt*, & docent Decian. *cap. 28. n. 2.* Gambacurta, Peregrinus, Suarez, Farinacius, Layman, & Bonacina *in locis suprà cit.*

35 An autem hæc præsumptio sit iuris, & de iure, ita vt aduersus ipsam nulla admittatur probatio in contrarium.

Negant Suarez, Farinacius, Layman, Bonacina *vbi supr.* Peregrin. *de immunit. cap. 12. num. 1.* & Diana *part. 4. tract. 1. resol. 50.* dicuntque solum esse præsumptionem iuris, ita vt admittatur probatio in contrarium. Quinimò ad Ecclesiæ Prælatum pertineat, vt in hoc casu voluntatem rei Baptismum petentis examinet, & si iudicarit verè à Deo eum esse inspiratum, immunitatem ei concedat, vt à iudice extrahi ex Ecclesia non possit.

36 Affirmant autem probabilius Abb. *in dict. cap. inter alia, num. 6.* Martha *de iurisdict. part. 3. cap. 51. num. 33.* Megalius *in 3. part. lib. 4. cap. 2.* Sarpus *de iure asylorum, cap. 5. fol. 58.* & quidam alij, quia tunc est præsumptio iuris, & de iure, quando ius certum quid
37 statuit ob præsumptionem, quam habet (vt rectè probat Menoch. *de præsumpt. lib. 1. quæst. 3. num. 16. & seqq.* & Sanchez *de matrim. lib. 7. disput. 37. num. 7. & 8.* &
38 alij passim.) At in præsenti ius ciuile statuit, gentilem confugientem ad Ecclesiam, & Baptismum pe-
39 tentem, non esse defendendum ab Ecclesia, ob præsumptionem, quam habet, quod simulatè petat: ergo præsumptio de tali simulatione est iuris, & de iure; atque adeò aduersus ipsam non admittitur probatio. Intellige, *directa*: indirecta enim, qua scilicet fundamentum simulationis excluditur, admitti potest, & debet, vt rectè ex communi probat Sanch. *n. 33.* Erit autem probatio indirecta in præsenti, si probet is aliis 40
rationibus præter delictum patratum, motumse fuisse 41
ad petendum Baptismum. Interim verò dum hæc indirecta probatio fit, poterit Ecclesia ad se confugientem defendere, factaque probatione si iudicet petitionem ex vero animo conuersionis ortam fuisse, concedere debet immunitatem Ecclesiasticam, sicut & Baptismum; secus verò, si id probatum non fuerit. Vide Decianum, Gambacurtam, Peregrinum, Suar. Farinac. Layman, & Bonac. *in locis supra cit.* ex dictis sequitur, quod multò magis immunitate gaudeant catechumeni; quia licet non sint baptizati, sunt tamen fideles, & desiderant esse in Ecclesia. Quapropter multò magis æquum est, vt ipsa eos defendat, præsertim cum iura illos non excludant, quin potius cum generaliter loquantur, includant.

## SECTIO V.

### An gaudeat bannitus, & condemnatus ob delictum?

#### SVMMARIVM.

1 *Bannitus, & condemnatus ob delictum, licet ob delictum exceptum, non tamen si fuerit condemnatus plenis probationibus, gaudet immunitate.*
2 *Bannitus non debet post condemnationem esse melioris conditionis, quam ante condemnationem.*
3 *Condemnatus ex solis indiciis, & ex probationibus non concludentibus, gaudet immunitate.*
4 *Bannitus multo magis gaudebit si quomodocumque condemnatus fuerit ob delictum non exceptum.*

RESpondetur, quod etiam gaudeat bannitus, & condemnatus ob delictum, quamvis ob delictum exceptum (non quidem, si fuerit condemnatus plenis probationibus; quia tunc, si ante condemnationem non gaudet, multo minus post condemnationem gaudebit, vt rectè notauit Farinac. *de carcerib. q. 28. n. 47.* quia non debet post condemnationem esse melioris 2
conditionis, sed si condemnatus sit ex solis indiciis, & 3
ex probationibus non concludentibus.) Ratio est, quia tunc potius ob contumaciam, quàm ob delictum exceptum condemnatus est, & per fugam ad Ecclesiam non tam intendit fouere inobedientiam, quàm vitare condemnationem. Atque ita docet Clarus *in pract. §. fin. q. 3.* Mantica, Nauarrus, & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *de carcerib. q. 28. n. 47.* & *in append. de immunit. c. 2. n. 42. & seqq.* & Lezana *verb. Immunitas Eccles. n. 16.* Quidquid in contrarium in aliquo sensu sentire videatur Decian. *2. p. tract. crimin. lib. 6. cap. 27. n. 8.* Et multò 4
magis gaudebit, si quomodocumque condemnatus fuerit ob delictum non exceptum. Vide quæ dicentur *dub. 34. sect. 27.*

## SECTIO VI.

### An gaudeat captus, & fugiens à carcere, vel exilio?

1 *Captus, & in carcere inclusus, si fracto carcere ad Ecclesiam confugiat, gaudet immunitate.*
2 *Deportatus, vel Exul, si à loco deportationis, vel exilij ad Ecclesiam confugiat, gaudet immunitate.*

3 Qui

3 *Qui facto carcere fugit ad Ecclesiam, non committit casum exceptum.*

4 *Captus, & in carcere inclusus, subest Potestati, & Iudicio iudicum, dum in eorum iurisdictione existit, secus si extra illam exeat, sicut de facto existit, cum ad Ecclesiam se recepit.*

5 *Carceratus fugiens à carcere delictum non committit; quia vtitur iure suo, & dato, quod committat, non committit delictum exemptum.*

6 *Limita nisi delictum, ob quod carceratus erat, esset de exceptis, quia tunc immunitate non gauderet.*

7 *Delictum quousque pœna purgatum non est, idem quoad omnes effectus reputatur, & ex fuga non fit lenius, sed potius augetur.*

1 REspondetur, quod gaudeat etiam captus, & in carcere inclusus, si facto carcere fugiens ad Ecclesiam confugiat (idemque dicas cum Genuensi *in praxi, cap. 22. n. 1. de deportato, vel exule*, si à loco deportationis, vel exilij fugam assumendo ad Ecclesiam similiter se recipiat,) quia priuilegium immunitatis Ecclesiasti-
3 cæ conceditur omnibus, qui ad illam confugiunt, præter casus exceptos: sed qui facto carcere fugiens ad Ecclesiam confugit, non committit casum exceptum: ergo, &c. Atque ita ex communi docent Abb. *in cap. inter alia, in fin. de immunit. Eccles.* Sylu. *verb. Immunitas 3. q. 3. §. 5.* Angel. §. 19. Nauar. *c. 25. n. 19.* Couarru. *2. var. cap. 20. n. 13.* Clarus §. *fin. q. 3.* Farinac. *de carcerib. quæst. 28. n. 41. in append. de immunit. c. 14. n. 200.* Tusch. *verb. Ecclesia, concl. 10. n. 30.* Suarez *lib. 3. de reuerentia debita locis sacris, c. 11. n. 18. & 19.* Decian. *tract. crimin. 2. p. lib. 6. cap. 28. n. 28.* Ambrosin. *de immunit. Eccles. c. 10. n. 11.* Layman *lib. 4. tract. 9. c. 3. n. 9.* Peregrin. *de immunit. cap. 5. n. 9.* Diana *p. 1. tract. 1. resol. 19.* Barbosa *in Collect. tom. 1. lib. 3. tit. 49. c. 6. n. 11.* Correa *in relect. de immunit. p. 2. n. 13.* Nouarius *in Summa Bullarum, tit. de immunit. c. 10. n. 11.* Cutell. *de immunit. Eccles. q. 19. lib. 1.* Lezana *verb. Immunitas, n. 16.* & Bonac. *q. 7. de immunit. §. 2. n. 10.* contra Petrum Gregorium *Syntag. iuris l. b. 13. cap. 22. n. 2. vers. non effractores carcerum*, Gambacurt. *lib. 4. c. 22. num. 9. in fin.* Naldum *in summa, verb. Reus, n. 13.* Iustum Oldelsob *in pract. crimin. tit. 5. caut. 17. n. 7.* & nonnullos alios apud Couar. *cit. n. 13.* & Suar. *n. 18.*

4 Neque obstat, si dicas, quod captus, & in carcere inclusus subsit potestati, & iudicio Iudicum: ergo contra iustitiam facit, si à tali iudicio se eximat, & consequenter (cùm Ecclesia non faueat iniustis) immunitate non gaudebit.

Respondetur enim, quod subsit potestati, & iudicio Iudicum, dum in eorum iurisdictione existit; at secus, si extra illam exeat, sicuti de facto exit, cùm ad Eccle-
5 siam se recipit, seu confugit. Neque in hac fuga delictum committit, quia vtitur iure suo: & dato, quod committat, non committit delictum exceptum. Vide etiam quæ dicentur *sect. 10. dub. 24. & sect. 17. dub. 33.*

6 Excipe tamen, si delictum, pro quo reus manebat in carcere, immunitate non gauderet, vel ob quod illa iam excluſus fuerat, quia tunc non est dubium, eandem causam manere, vt immunitate etiam frui non debeat;
7 siquidem delictum, quousque pœna purgatum non est, idem quoad omnes effectus reputatur, & ex fuga non fit leuius, sed potius augetur, *l. inficiando, §. infans, ff. de furtis*, naturaque æquum est (vt aiebat Vlpianus *in l. 1. ff. si is testam. liber esse iuss. erit.* &c.) non esse impunitum eum, qui sub hac spe audacior factus est: quapropter ob tale delictum, pro quo Ecclesiæ immunitatem non concedit, reus è loco Sacro extrahi potest, seruata tamen forma in Bulla Gregorij XIV. præscripta, de quo infrà. Sic Farinac. *de carcerib. c. 28. n. 46.* & Peregrin. *c. 5. n. 10.* Vide etiam Pegueram *decis. 17.*

## SECTIO VII.

An gaudeat, qui ex manibus ministrorum Iustitiæ se recipit ad Ecclesiam: & quid si ex manibus eorum ereptus fuerit ab aliis: vel si cum satellite se receperit ad Ecclesiam?

### SVMMARIVM.

1 *Captus, & è manibus ministrorum Iustitiæ confugiens ad Ecclesiam, gaudet immunitate Ecclesiastica.*

2 *Ereptus ab aliis è manibus satellitum, vel trahens secum ministros Iustitiæ, si se recipiat in Ecclesia, gaudet immunitate.*

3 *Vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus.*

4 *Vinctus à satellitibus si per Ecclesiam ad carceres ab ipsis ducatur, non gaudet immunitate, quia non à se, sed ab aliis vinctus ducitur.*

5 *Carceratus non gaudet immunitate, si in carcere existens confugiat ad sacerdotem ibi administrantem Eucharistiam.*

6 *Carceratus ductus per Ecclesiam à Birriariis non necessariò, sed voluntariè in sententia nonnullorum Doctorum gaudet immunitate.*

7 *Vtraque opinio est probabilis, prior in rigore iuris est probabilior, secunda verò de iure magis pia, & in praxi amplectenda.*

EX dictis sequitur primò, quod etiam gaudeat, qui 1
ex manibus ministrorum Iustitiæ se recepit, seu confugit ad Ecclesiam, quia in tali casu etiam propriè ad illam confugit. Atque ita ex communi etiam contra eosdem supradictos Doctores docent Abb. Sylu. Angelus, Tusch. *verb. Ecclesia, concl. 10. num. 21. & 30.* Decian. *lib. 6. cap. 28. num. 32.* Guttierrez *lib. 3. quæst. 6. n. 4. & 5.* Genuensis *in prax. cap. 22. num. 10.* Layman *lib. 4. tract. 9. n. 9.* Farinac. *in append. de immunit. c. 15. n. 196.* & Anastas. Germon. *de sacrorum immunit. lib. 3. c. 16. n. 56.* Quod & verum arbitror contra Sanch. *in select. disp. 44. num. 52.* Nouarium *in summa Bullarum, tit. de immunit. Eccles. num. 14.* Pasqualigum *decis. 489. per totam*, si è 2
manibus Satellitum fuerit ereptus ab aliis, vel si secum per vim ad Ecclesiam trahat ministros Iustitiæ; quia adhuc verum est dicere, quod propriè ad Eccle- 3
siam se recipit, seu confugit, & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, præsertim cùm immunitas sit fauorabilis, & pœnæ restringendæ: Atque ita docent Farinac. *in append. de immunit. cap. 15. num. 196.* Mar. Ital. *de immunit. Eccles. lib. 1. cap. 6. §. 2. num. 70. & seqq.* Ghillinus *in summa, verb. Ecclesia, num. 2.* Henr. Canisius *lib. 3. decret. titul. 12. de immunit. Eccles. fol. 241.* Cæsar Locatellius *in Breuario de Tortura, inspect. 5. num. 162.* Correa *in relect. ad cap. inter alias, de immunit. Eccles. part. 3. num. 21.* Trullench. *in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 1. num. 11.* Glianes *de censuris, verb. extrahens, num. 18.* Bonacina *tom. 2. disp. 4. quæst. 8. punct. 6. num. 10.* Guttierrez *in qq. pract. lib. 3. q. 4. num. 10.* & Diana *part. 1. tract. 1. resol. 29. & 36.* & *part. 4. tract. 1. resol. 106.* contra Pegueram *decis. 251.* Gamm. *decis. 141.* Ambrosinum *de immunit. cap. 10. num. 10.* Pasqualigum *decis. 486.* & Nouarium *in summa Bullarum, tit. de immunit. Eccles. n. 14.* Vide quæ diffusius dicentur *infrà dub. 19. sect. 2. & dub. 33.*

Quamvis non gaudeat item, si à ministris Iustitiæ 4
per Ecclesiam ad carcerem, vel ad supplicium vinctus

ducatur, & inde exire recusans, per vim extrahatur; quia tunc non ipse ad Ecclesiam se recipit, seu confugit (sicuti requirunt leges Ciuiles, & Canones, & nouissimè ita Constitutio Gregorij XIV. ibi: *Vt laicis ad Ecclesias, Locáve Sacra, & religiosa prædicta confugientibus, &c.*) sed per illam vinctus ab aliis ducitur: quapropter in sententia omnium neque gaudet, si
5 in carcere existens ad sacerdotem Eucharistiæ Sacramentum portantem intra carcerem confugiat. Atque ita docent Tuschus *verb. Ecclesia, conclus.*12. *num.*28. Couarru. *lib.*2. *var. resol. cap.*20. *num.*17. Graff. *part.*1. *lib.*2. *cap.*48. Scortia *Theor.*385. Suarez *de relig. lib.*3. *cap.*11. *num.*18. Farinac. *de carcerib. quæst.*28. *num.*69. *& in append. de immunit. cap.*15. *n.*201. Decian. *tract. crimin. lib.*6. *cap.*28. *num.*30. Lezana *verb. Immunitas, num.*19. Guttierrez *lib.*3. *qq. q æst.*6. Tannerus *in* 2.2. *disp.*5. *q.*8. *dub.*1. *num.*17. Bobadilla *in Polit. tom.*1. *lib.*2. *cap.*14. *num.*61. (qui *in gl. lit. A.* plures alios Doctores adducit. Ambrosin. *de immunit. Eccles. cap.*10. *num.*10. Cutellius *de immunit. Eccles. lib.*1. *quæst.*25. *num.*8. *& quæst.*30. Azeuedo *in l.* 1. *tit.*2. *lib.*2. *num.*11. vbi sic decisum refert, & Bonacina *disput.*3. *quæst.*7. *de immunit.* §.2. *num.*10. Quamvis contrarium defendant Clarus *lib.*5. *quæst.*30. Nauarr. *cap.*25. *num.*19. Boër. *decis.*100. Germon. *de immunit. lib.*3. *cap.*16. *num.*35.
6 Megalius *consil.*46. Villagut. *de extens. legum, cap. fin. num.*40. & alij à Bobadilla *loco supra cit. in glos. lit. B.* citati. Item & Peregrinus *de immunit. cap.*5. *num.*8. saltem in casu, quo reus ducatur ad carcerem per Ecclesiam non necessariò, sed voluntariè; cum scilicet per alium locum adj carcerem duci possit. Vide etiam Fagundez *de præceptis Ecclesiæ, præcept.*2. *lib.*4.
7 *cap.*4. *num.*57. & Diana *part.*1. *tract.*1. *resol.*30. qui vtramque opinionem dicunt esse probabilem, etsi priorem dicant esse in rigore iuris probabiliorem; posteriorem autem esse magis piam, & ideò in praxi amplectendam. Vide etiam Farinacium *in Append. de immunit. cap.*15. *num.*205.

## SECTIO VIII.

### An gaudeat condemnatus ad mortem, si similiter, cùm ad supplicium ducitur, ex manibus ministrorum iustitiæ se recipit ad Ecclesiam.

### SVMMARIVM.

1 *Condemnatus ad mortem, si cum ad supplicium ducitur, è manibus ministrorum Iustitiæ confugiat ad Ecclesiam, gaudet immunitate.*

2 *Ductus ad supplicium mortis, si per viam secum trahat Iustitiæ ministros ad Ecclesiam, gaudet immunitate, secus si ab illis ducatur per Ecclesiam ad locum supplicij.*

1 SEquitur secundò, quod propter eandem rationem etiam gaudeat condemnatus ad mortem (ob delictum scilicet non exceptum) si similiter, cùm ad supplicium ducitur, ex manibus ministrorum Iustitiæ se recipiat, seu confugiat ad Ecclesiam. Decian. *num.*29. Ambrosin. *num.*13. Suar. *cap.*11. *num.*18. Graff. 1. *part. lib.*2. *cap.*48. *num.*7. Farinac. *de carceribus, quæst.*28. *num.*44. *in append. cap.*15. Gambacurta *lib.*4. *cap.*18. *num.*7. & Peregrin. *cap.*5. *num.*4. *& seqq.*
2 item si per vim secum trahat ad Ecclesiam ministros Iustitiæ, quamvis non etiam, si ab illis vinctus ducatur per Ecclesiam ad locum supplicij, vt *supra* dicebam, & docent Tuschus *num.*22. Farinacius *cit. cap.*15. *num.*197. Lezana *verb. Immunitas, num.*19. Decian. *cit. cap.*28. *num.*29. Gutierrez *quæst.*4. *num.*10. & alij passim. Vide quæ dicentur *infra dub.*24. *sect.*17.

## SECTIO IX.

### An gaudeat condemnatus ad triremes, si similiter ex his se recipit ad Ecclesiam?

### SVMMARIVM.

1 *Condemnatus ad Triremes, siue ad tempus, siue ad semper, si à triremibus confugiat ad Ecclesiam, gaudet immunitate.*

2 *Fugiens à triremibus gaudet Indulto, si non fuerit illuc damnatus pro crimine excepto in ipso Indulto: ita dic si non fuerit illuc damnatus pro crimine excepto ab ipsa Ecclesia.*

3 *Fugiens à triremibus, si non gaudeat immunitate ob crimen exceptum, propter quod illuc est damnatus, non est puniendus de fuga, & antequam de Ecclesia extrahatur, talis remissio per Episcopum est ei impetranda.*

4 *Ecclesia reddit delinquentem securum à pœna non solum infligenda, sed etiam inflicta.*

5 *Opinio distinguentium, quomodo condemnatus ad triremes, si inde aufugiat, debeat gaudere immunitate, nempe, si reclamauerit, vel consenserit in pœna, & similibus, ab auctore reiicitur.*

6 *Seruus pœnæ hodie quis non efficitur per condemnationem Triremium, vel cuiuscumque alterius operis publici, etiam in perpetuum.*

7 *Seruus pœnæ licet effectus sit damnatus ad mortem, si tamen quando ad supplicium ducitur, se subducat è manibus satellitum, gaudet immunitate.*

8 *Condemnatus ad vapulandum, si ad Ecclesiam confugiat, gaudet immunitate.*

9 *Seruus si fugiat ad Ecclesiam non liberat se à Potestate Domini, reus tamen se liberat à potestate Iudicis.*

10 *Seruus, qui fugit ad Eccelsiam non est reus alicuius criminis, & ab Ecclesia non defenditur, cum eius dominium, & possessio sit apud dominum.*

11 *Damnatus ad triremes est verè reus (sicut & miles, qui per fugam militiam deserit) & propter sententiam latam, & pœnam inflictam contra eum, non desinit esse reus.*

12 *Nemo hodie etiam per condemnationem ad opus publicum in perpetuum pœnæ seruus efficitur.*

13 *An si quis confugit ad Ecclesiam è triremibus, vbi non ex sententia, sed ex locatione, & conductione addictus erat, gaudeat immunitate, est dissensio.*

14 *Famuli ad præstanda seruitia conuenta cogi possunt, & tales, qui ita se locauerunt, censentur ve famuli.*

15 *Limita si transacto tempore conductionis cogerentur remigare, nam non amplius famuli, sed adscripticij dici possunt.*

1 SEquitur tertiò, quod propter eandem rationem etiam gaudeat condemnatus ad triremes, siue ad tempus, siue ad semper ad illas fuerit condemnatus, si similiter etiam è triremibus confugiat ad Ecclesiam. Et confirmatur, quia (sicuti docet Mastrillus *de indulto, c.*42. *n.*5. fugiens è triremibus gaudet indulto, si non fuerit illuc damnatus pro crimine excepto in ipso indulto: ergo multò magis gaudere debebit immunitate Ecclesiæ, si similiter non fuerit illuc damnatus pro crimine excepto ab ipsa Ecclesia. Atque ita contra Martham *de iurisdict. p.*2. *c.*15. *n.*17. Megalium *in* 3. *part. lib.*4. *c.*2. *q.*1. *num.*33.

*num.*33. Sarpum *de iure Asylorum*, *cap.*5. *fol.*54. Cutellium *de immunitat. Eccles. lib.*1. *quæst.*25. *num.*8. *& quæst.*40. *per totam*, Gamma *decis.*362. & Villadieg. *in Polit. cap.*3. *num.*215. ( qui tamen admittunt, quod talis cogi solum debeat redire ad remigandum ad tempus prius statutum, non item ad sustinendam ob fugam pœnam aliam, cum huius remissio prius quam Iudici sæculari tradatur, ab Episcopo, vel Ecclesiæ Præposito obtineri debeat ) docent Pereira *de manu Regia*, *part.*2. *cap.*50. *num.*17. Ludouicus Correa *in relect. ad cap. inter alia*, *de immunit. Eccles. part.*3. *quæst.*4. *num.*9. Antonius de Marinis *quotid. resolut. cap.*177. *num.*2. Ttullench. *in Decalog. tomo* 1. *lib.*1. *cap.*11. *dub.*3. *num.*29. Nouarius *in Summa Bullarum, tit. de immunit. Eccles. num.*27. Diana *part.*1. *tract.*1. *resol.*40. & Lezana *verb. Immunitas*, *num.*16. Giurba *in consil. crimin. consil.*30. *num.*21. ex eo, quia Ecclesia reddit delinquentem securum à pœna, non solum infligenda, sed etiam inflicta; sicuti pluries fuisse decisum *in cit. consil.*30. testatur, & colligitur *ex cap.id constituimus, quæst.*12. ibi : *Et ab omni pœnarum genere sint securi.*

Hinc opinio distinguentium ( quod, si reus, qui è triremibus ad Ecclesiam confugit, sit loco depositi ibi condemnatus, vel certam habeat condemnationem, sed sit reclamatum, & pendeat reclamatio, vel compleuerit tempus, sed ibi generalem expectando libertatem detineatur, in his casibus immunitate gaudet: si verò certam habeat condemnationem, de qua non pendeat appellatio, vel pro dilictis commissis deseruire ibi concordauerit, & tempus deseruiendi nondum compleuerit, in his casibus immunitate non gaudeat, quia pœnæ seruus effectus sit, & sic tempus deseruiendi complere debeat ) mihi non probatur, tum ob rationes dictas, tum etiam, quia hodie per condemnationem huiusmodi, vel ad quodcumque aliud opus publicum, etiam in perpetuum, seruus pœnæ quis non efficitur, iuxta textum in Authent. *sed hodie*, *Cod. de donat. inter vir. & vxor.* Excepto casu, si ad mortem sit condemnatus, vt patet ex *l. qui vltimo*, *ff. de pœnis.* Adde, quod etiamsi ad mortem sit condemnatus, licet seruus pœnæ efficiatur, si tamen, quando ducitur ad supplicium, ad Ecclesiam confugit, immunitate gaudet, vti communiter docent Doctores: ergo gaudere etiam debebit in omni alio casu ( nisi ad triremes condemnatus sit pro crimine excepto, ratione cuius immunitate quidem priuatur, vt rectè dixit Cutellius *loco suprà cit. numero* 10. & in simili Gambacurta *lib.*4. *cap.*19. *num.*20. ) & multò magis, si condemnatus fuerit ad vapulandum, vt rectè notarunt Pereyra, & Correa *in locis suprà cit. dub.*24. *sect.*17.

Obiicies ex Cutellio *loco cit.* Si seruus fugiat ad Ecclesiam, non liberat se à potestate domini: ergo nec Reus, qui per crimen, maximè accedente sententia, sit seruus publicus, & seruus pœnæ, liberabit se à potestate Iudicis, & Iustitiæ.

Respondetur, disparitas est, quia seruus, qui fugit à domino ad Ecclesiam, non est reus alicuius criminis, vt suppono; & ideò si ad Ecclesiam fugiat, ab Ecclesia non defenditur, cum eius dominium, & possessio sit apud dominum, vt patet ex *cap. inter alia*, *§. si verò, de immunit. & ex l. præsenti, §. fin. Cod. de his, qui ad Eccles. confugium.* At non ita est in casu nostro, cùm damnatus ad triremes sit verè reus (sicut & miles, qui per fugam militiam deserit ) & propter sententiam latam, & pœnam inflictam contra ipsum non desinat esse reus. Adde, quod ( vt supra dicebam ex Auth. *sed hodie*, & notat Correa *in relect. de immunit. part.*2. *n.*9.) nemo hodie, etiam per condemnationem ad opus publicum in perpetuum, pœnæ seruus efficitur.

Obiicies secundò ex eodem Cutellio: Canones impertiuntur reis non totalem, sed solum vitæ, & membrorum immunitatem, qua à Prælato Ecclesiæ obtenta, Iudici sæculari eos tradi volunt, *ex cap.id constituimus, & c. inter alia, quæst.*12. ergo.

Respondetur: nego antecedens, qua de re vide *infrà dub.*35. 37. *& 39.*

Cæterum an, si qui confugit ad Ecclesiam è triremibus, ibi non ex sententia, sed ex locatione, & conductione addictus erat, gaudere etiam debeat immunitate.

Negat probabiliter Cutellius *num.*17. quia tali nec pœnæ, nec rei confugientis definitio conuenit; quin talis contineri videtur sub dispositione *c. metuentes*, 17. *quæst.*4. *& l. præsenti, §. sanè, C. de his, qui ad Eccles. confug.* vbi de famulis cauetur, quod ad præstanda seruitia cogi debeant: ergo, &c. Excipitur tamen nisi cogeretur redire ad remigandum transacto conductionis tempore; quia tunc ille, cum transierit tale tempus, non amplius famulus, vel adscriptitius dici potest, sic Cutell. Vide etiam Barbosam *de iure Eccles. tom.*2. *c.*3. *num.*33.

Affirmat autem, & probabiliter etiam, simpliciter Giurba, iuxta ea, quæ dicentur *infrà, dub.*11.

---

## SECTIO X.

### An gaudeat quis, si præstito iuramento de redeundo in carcerem, se recipiat ad Ecclesiam?

#### SVMMARIVM.

1 *Carceratus, si præstito iuramento Custodi de redeundo inde confugiat ad Ecclesiam, gaudet immunitate.*

2 *Amplia procedere non solum in carceratione iniusta, veram etiam iusta.*

3 *Periurium, cum non sit vnum de criminibus exceptis, non tollit Ecclesiæ immunitatem.*

4 *Iuramenti relaxatione impetrata, cessat Periurium.*

5 *Reus qui præstito Iuramento de redeundo ad carcerem, si nolit redire, sed se in Ecclesia defendere, potest Prælatus concedere facultatem, vt habita locutione de impunitate pœnæ corporalis, ab Ecclesia extrahatur, seruus si adsit periculum pœnæ mortis.*

SEquitur quartò, quod etiam gaudeat, si præstito iuramento Custodi carceris de redeundo in carcerem, ad Ecclesiam confugiat. Quòd verum est non solum, si carceratio erat iniusta (in quo omnes conueniunt) sed etiam, si erat iusta, & sine rei mortis periculo, quia periurium ( cùm non sit vnum de criminibus exceptis, vt dicetur *infrà dub.*24. *sect.*12.) non tollit immunitatem Ecclesiæ, & ex alio capite, vt suppono, non erat carceratus pro crimine excepto. Adde, quod forsan impetrari poterit relaxatio iuramenti, & sic cessabit periurium. Atque ita ex communi docent Abbas *in cit. cap. inter alia*, Sylu. *verb. Immunitas* 3. *quæst.*3. Angel. §.19. Couar. 2. *var. cap.*20. *num.*13. Suarez *cap.*11. *numero* 18. Layman *lib.*4. *tract.*9. *cap.*3. *num.*9. Farinacius *in append. de immunit. cap.*15. *num.*200. *& de carceribus, quæst.*28. *num.*43. Diana *part.*3. *tract.*1. *resol.*37. Ambrosin. *cap.*10. *num.*12. & Fagundez 2. *part. de præceptis Ecclesiæ*, *lib.*4. *cap.*4. *num.*58. contra Decianum *tract. crimin. lib.*6. *cap.*28. *num.*21. Cutellium *de immunitat. Eccles. lib.*1. *quæst.*19. *num.*4. *& seqq.* Peregrinum *de Immunit. cap.*5. *num.*10. Azorium 2. *part. lib.*9. *cap.*9. *vers. quid dicendum*, & nonnullos alios apud Couar. & Suar. *in locis suprà cit.*

Cæterum, quod subdit Fagundez *loco citat.* & docent etiam Couarruu. Sylvester, Layman Cutellius, & Suarez *vbi supra* (nempe, quod si reus in tali casu iustè detentus, ad carcerem nolit redire, possit Prælatus concedere facultatem, vt habita cautione de impunitate pœnæ corporalis, ab Ecclesia extrahatur; quamvis secus, si talis pœnæ morale periculum subesset (mihi cum Gambacurta *lib.4. cap.25. num.20.* non probatur) saltem si custodi carcerum ex tali rei fuga periculum mortis non immineat; quia talis traditio priuilegium immunitatis simpliciter (exceptis casibus in iure expressis) reo concessum destrueret. Accedit, quod Gregorius XIV. in sui Constitutione prohibet extractionem fieri, etiam pro quavis pace, & causa: Neque inde fit (vt obiiciunt Aduersarij) quod Ecclesia faueat delicto, sed quod faueat delinquenti, ob delictum commissum; præsertim, quia talis non peccat formaliter, quia est in Ecclesia, sed solùm quia non reddit, siue sit in Ecclesia, siue alibi, quod materialiter, & impertinenter se habet ad peccatum. Et ex alio capite custos carcerum sibi imputet, si non didicerit cautius agere, sicuti debebat.

## SECTIO XI.

### An gaudeat clericus comparatiuè ad Iudices sæculares.

#### SVMMARIVM.

1 *Clericus etiam comparatiuè ad Iudices sæculares gaudet immunitate, siue subsit eorum iurisdictioni, siue non.*
2 *Clericus non debet esse deterioris conditionis, quàm laicus.*
3 *Clericus, si non seruet requisita Tridentini, priuatur priuilegio personali, non autem locali.*

1 Respondetur, quod gaudeat etiam clericus (si loquamur comparatiuè ad Iudices sæculares) siue eorum iurisdictioni non subdatur (quod est certum) siue etiam, si ex defectu alicuius requisiti, subdatur, quia tunc clericus reputatur tanquam laicus, atque adeò non habet esse deterioris conditionis, quam laicus: quapropter licet in tali casu priuetur priuilegio personali clericorum, non tamen priuatur priuilegio locali sacrorum locorum, iure communi generaliter concesso, etiam laicis. Atque ita ex communi sententia Doctorum docent Nauarrus *cap.25. num.22.* Suarez *lib.3. cap.10. num.7.* Genuensis *in praxi, cap.22. num.11.* Bonacina *de immunitate quæst.7. §.3. num.6.* Filliucius *tract.15. cap.6. quæst.8. num.151.* Gambacurta *lib.4. cap.11.* Farinac. *de carceribus, quæst.28. num.7. & in append. cap.2. num.34. & seqq.* Germon. *de sacr. immunit. lib.3. cap.26. num.90. & seqq.* Mar. Italia *lib.1. cap.3. §.1.* Sacra Congregatio Cardinalium, teste Farinacio *citat. capite 2. numero 36. ad fin.* & alij contra nonnullos apud citatos Doctores, præsertim Farinacium *citat. num.36.* Vide *infrà sect.14.*

## SECTIO XII.

### An clericus, qui non subditur iurisdictioni Iudicum sæcularium, sed Ecclesiasticorum, gaudeat comparatiuè ad Iudices Ecclesiasticos, non quidem in casibus exceptis (in quibus certum est, quod non gaudeat, quia nullibi reperitur hoc speciale priuilegium, & pro eis personali quoque per degradationem immunitate exuuntur, vti docent ex communi Suarez *lib.3. de religion. cap.10. num.7.* Farinacius *de carceribus, quæst.28. num.8. & append. de immunit. Eccles. num.35.* Barbosa *tom.2. de iure Eccles. cap.3. num.45. vers. Et multò magis*, & Cutellius *de immunit. Eccles. lib.1. quæst.20. num.11. & quæst.23. num.25.* contra Bernardum Diaz *pract. cap.123. in fin.*) sed in casibus non exceptis?

#### SVMMARIVM.

1 *Clericus, qui non subest iurisdictioni Iudicum sæcularium, sed Ecclesiasticorum, non gaudet immunitate Ecclesiæ comparatiuè ad Iudices Ecclesiasticos.*
2 *Immunitas Ecclesiæ non derogat Potestati Ecclesiasticæ, sicut derogat Potestati Laici.*
3 *Sententia Ecclesiastica contra delinquentem ferri potest in Ecclesia, secus si sit Laicalis.*
*Prælatus Ecclesiasticus potest exercere iurisdictionem suam in locis sacris.*
4 *Immunitas personalis debita Clericis non impedit eorum punitionem à Iudice Ecclesiastico.*
5 *Immunitas personalis est maior quam Ecclesiarum asylum, cum Clerici sint Dei templum viuum.*
6 *Iudex Ecclesiasticus citra vllam Ecclesiæ violationem, potest punire suos subditos Clericos.*
7 *Immunitas Ecclesia laditur quando contra eius Prælati voluntatem, delinquens ibi existens extrahitur.*
8 *Clericus cum extrahitur à Iudice Ecclesiastico, ex voluntate Ecclesiæ extrahi dicitur.*
9 *Iniuria facta Ecclesiæ censetur facta Prælato, & è contra.*
10 *Iudex Ecclesiasticus maiorem potestatem habet in Ecclesia, ex qua reus extrahitur, quam Iudex sæcularis.*
11 *In iudicio Ecclesiastico non ita seuerè agitur ad corporis pœnam, & publicam vindictam, ad quam euitandam introducta est Immunitas Ecclesiarum, sicuti in sæculari.*
12 *Immunitas Ecclesiarum propriè tantum introducta videtur comparatiuè ad Iudices seculares (quo minus scilicet reos ab Ecclesia extrahere possint) non item comparatiuè ad Iudices Ecclesiasticos.*
13 *Clericis delinquentis ab Ecclesia extractio Ecclesiæ nec dedecus, nec irreuerentiam gignit.*
14 *Prælatus Ecclesiasticus tenetur defendere loci sacri immunitatem, cuius est Ordinarius.*
15 *Clericus si ob delicta non posset extrahi ab Ecclesia à suo Prælato, rarò puniretur.*
16 *Constitutio Gregoriana, quæ reducit antiquos Canones ad vnam formam, mentionem facit de laicis, & non de Clericis.*
17 *Ex assumptione oppositæ speciei, alterius remotio sequitur.*

18 *Ecclesia*

18 *Ecclesiasticus, & laicus, cum duo sint directè contraria, mutuo se emittunt, ita vt admisso vno emittatur alterum.*

19 *Prælatis permittitur etiam in Ecclesiis circa immunitatis violationem, subditos suos punire, ac verberibus afficere, & ideo possunt illos ab Ecclesia extrahere, vt loco decentiori puniant.*

20 *Maius decus, & honor Ecclesiæ est, quod Ecclesiastici puniantur, ne laicis scandalum generetur.*

21 *Clericis convenit sanctitas, & maior quàm laicis integritas.*

22 *Pontifex quia in Bulla nullam mentionem fecit de Episcopis, sequitur quod ipsis noluerit hanc suorum Clericorum extractionem prohibere directè, vel indirectè.*

23 *Loquentium persona semper excepta censentur ex vulgatis iuribus.*

24 *Religiosorum excessus grauibus pœnis puniuntur, qui tamen semper in locis sacris morantur.*

1 Respondetur negatiuè, quia Immunitas Ecclesiæ non derogat potestati Ecclesiasticæ, sicut de-
2 rogat potestati laicali: ergo, &c. Consequentia patet: antecedens probatur, quia sententia delinquentis Ec-
3 clesiastica pronunciari potest in Ecclesia, quamvis non sit laicalis, *cap. præceptum 2. quæst. 2.* & tradit Glos. *in cap. nullus clericorum 17. quæst. 4.* & Abbas *in cap. inter*
4 *alia, num. 13. de immunit. Eccles.* tum quia sicuti potest exercere iurisdictionem suam Princeps sæcularis in locis sibi subiectis, ita etiam debent posse exercere suam Prælati Ecclesiastici in locis sibi subiectis, cuiusmodi sunt Ecclesiæ, & loca sacra: tum quia immunitas personalis debita clericis, non impedit eorum punitionem
5 à Iudice Ecclesiastico: ergo nec impediet immunitas localis, quæ minor est, siquidem immunitas personalis est maior, quàm Ecclesiarum asylum, cum sint illi Dei templum viuum, *1. ad Corinth. cap. 5.* & tamen il-
6 lius immunitatis nulla in delictis per Iudicem Ecclesiasticum ratio habetur, quin eos citra vllam Eccle-
7 siæ violationem puniat: tum quia immunitas Ecclesiæ læditur, quando contra eius voluntatem delin-
8 quens ibi existens extrahitur, at cum extrahitur clericus à Iudice Ecclesiastico, ex voluntate Ecclesiæ extrahitur, cum Ecclesia, & Iudex Ecclesiasticus, seu
9 Ecclesiæ Prælatus quoad hoc sint idem. Vnde iniuria facta Ecclesiæ censetur facta Prælato, & è contra satisfactio facta Prælato censetur facta Ecclesiæ: tum
10 quia Iudex Ecclesiasticus maiorem potestatem habet in Ecclesiam, ex qua reus extrahitur, quàm Iudex
11 sæcularis: tum quia in iudicio Ecclesiastico non ita seuerè agitur ad corporis pœnam, & publicam vindictam (ad quam euitandam introducta est immunitas Ecclesiarum) sicuti in sæculari, quapropter Ecclesiasticum iudicium etiam in Ecclesia fieri potest,
12 non sic sæculare, vti *suprà* dicebatur: tum denique, quia immunitas Ecclesiarum propriè tantum introducta videtur comparatiuè ad iudices sæculares (quo minus scilicet reos ab Ecclesia extrahere possint,) non item comparatiuè ad iudices Ecclesiasticos, vti rectè notarunt Suarez *cit. cap. 10. num. 6. & 23.* Azorius *tom. 2. lib. 6. cap. 9. quæst. 9. §. quid de pagano*, & Layman. *lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 10. argum. cap. inter alia, de immunit. Eccles.* & ita habet praxis, & consuetudo, teste Fa-
13 gundez, Layman, Cutellio, & Peregrino (quæ est optima legum interpres,) & fatentur nonnulli ex Aduersariis *in locis infra citandis*, & suadet ratio, quia Clerici delinquentis ab Ecclesia extractio, Ecclesiæ nec dedecus, nec irreuerentiam gignit, & sic cessat ratio Canonum, qui aduersariis ipsis fatentibus, non
14 personis, sed locis fauere voluerunt: ergo, &c.

Secundò, quia loci sacri immunitatem tenetur defendere Prælatus Ecclesiasticus illius loci, sed si Clericus ei subditus gauderet illius loci immunitate, non esset qui Clericum defenderet à Prælato volente illum extrahere, nec esset, qui cognosceret, an debita sit illi immunitas: (nam remittere cognitionem ei, qui prætendit immunitatem, & aduersus quem est immmunitas, absurdum videtur:) ergo ne talia absurda sequantur, dicendum est, quod Clericus comparatiuè ad Iudices Ecclesiasticos immunitate Ecclesiæ non gaudeat.

Tertiò, quia alioquin rarò de suis delictis puniri 15
posset Clericus, cùm regulariter in Ecclesiis, vel iuxta eas versetur: & sic eius sequeretur impunitas, contra *cap. 2. & c. cum illorum, de sent. excom.*

Quartò, quia in Constitutione Gregorij XIV. (quæ 16
reducit omnes Canones antiquos ad vnam formam) mentio fit expressa de laicis, & non de Clericis, ibi: *Ad vnam tantum formam reducimus, & moderamur, vt laicis ad Ecclesias, locaque sacra, & religiosa confugientibus.* Item ibi: *Volumus, dictaque, &c. vt Curia sæcularis, eiusque Iudices, & Officiales ab Ecclesiis, &c. Laicum aliquem, vt præfertur, delinquentem*, &c. Item ibi: *Reuocamus omnia priuilegia locis concessa extrahendi delinquentes à loco sacro*, nulla mentione facta Clericorum: ergo clarè ibi insinuatur, Clericos non habere hanc immunitatem comparatiuè ad Iudices Ecclesiasticos: Ex assumptione enim oppositæ speciei, 17
alterius remotio sequitur, *l. si inter, ff. de except. rei iudicatæ*, iuncta Gloss. *in verb. directo contrar. in Clement. testib.* de testibus: quapropter cum Ecclesiasti- 18
cus, & laicus duo sint directè contraria, vt *in cap. inter alia, de immunit. Eccles.* mutuò se emittunt, ita vt admisso vno emittatur alterum. Surd. *decis. 24. num. 10. & decis. 92. num. 11. & consil. 211. num. 16.* Barbosa *axiom. 8. num. 3.* & alij passim.

Quintò, vt arguit Abbas *loco suprà cit.* à sufficienti partium enumeratione; quia, vt inquit ipse, Canones locuti sunt de laicis, & ius ciuile etiam locutum est de suis subditis laicis, nec potuit de Clericis, seu Ecclesiasticis validè loqui, & disponere.

Sextò, quia dum permittitur Prælatis, etiam in Ec- 19
clesiis circa immunitatis violationem subditos suos punire, ac verberibus afficere, per *cap. vniuersitas, de sent. excommunic. cap. fin. de Regular. cap. præceptum 2. q. 2. & cap. quæ fronte, de appellat.* non est, cur vt in decentiori loco puniant, ab Ecclesia extrahere illos posse prohibeantur.

Septimò, quia maius decus, & honor Ecclesiæ est, 20
quod Ecclesiastici ad aliorum exemplum, ne laicis scandalum generetur, puniantur, quàm quod Ecclesiæ immunitate gaudeant, & non extrahantur: Clericis 21
enim conuenit sanctitas, & maior, quàm laicis integritas, *cap. sacerdotes, 8. distinct.*

Octauò, quia cùm Pontifex Clericos Vrbis ratione 22
sui Lateranensis Episcopatus, ac reliquos omnes sibi subditos coërcere possit, neque in hac Bulla de Episcopis locutus fuerit, sequitur, quod neque Episcopis, 23
& multò minus sibi, suorum subditorum extractionem directè, vel indirectè prohibere voluerit, loquentium enim personæ semper exceptæ censentur, ex vulgatis iuribus per Surdum *cons. 47. num. 19.* Gambacurtam *lib. 5. cap. 43. num. 2. & seqq.* Pheb. *decis. 113. n. m. 12. lib. 2.* & Modernum *de iure belli, lib. 2. cap. 4. num. 12.* Siquidem nemo in seipsum, nisi in specie statuit, quinimò nec in specie, vt *in l. penult. ff. de recept. arbitr.* quapropter cùm sæpe de membrorum, ac vitæ integritate ab Ecclesiasticis impetranda in citatis de immunitate Canonibus agatur, nunquam tamen de indulgentia per ipsosmet, vel per Pontificem disponentem impertienda mentio fit (quemadmodum Abbas, & Abbatis sequaces rectè consideratunt) vt hinc manifestum fiat, quod loquentis persona in dispositione non venerit.

Atque ita ex probabiliori, licet non communiori sententia Doctorum, docet Abbas *in cit. cap. inter alia, de immunit. Eccles. num.* 13. ex eo, quia si rectè perpendantur Canones, semper in iis mentio fit de laicis, *cap. reum, cap. constituimus* 17. *quæst.* 4. *cit. cap. inter alia*, &c. & ex auctoritate Glossæ id tenentis *in cap. nullus clericorum*, 15. *quæst.* 4. & ex *Clement.* 1. *de priuil. & cap.* 24 *non solum, de regul. iuris*, vbi Religiosorum excessus grauibus pœnis puniuntur, qui tamen semper in locis sacris morantur: ita etiam docent Syluester *verb. Immunitas, num.* 7. Armilla *num.* 10. Rosella *num.* 9. Nauar. *cap.* 25. *num.* 22. Remigius de Gonny *de immunit. Eccles. fallentia* 21. Layman *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 11. (qui testantur, ex vi consuetudinis ita seruari in praxi.) Item Suarez *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 5. *& seqq.* Decianus *tract. crimin. lib.* 3. *cap.* 28. *num.* 14. Genuensis *in prax. Archiepisc. cap.* 22. *in fin. num.* 11. Lopez *part.* 2. *cap.* 285. Azor. *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 9. *quæst.* 9. Portel. *verb. Immunitas Ecclesiastica, num.* 13. Homobon. *part.* 2. *tract.* 11. *cap.* 12. *quæst.* 26. *suppos.* 3. Tanner. *in* 2. 2. *disput.* 9. *quæst.* 8. *dub.* 1. *num.* 16. Ricc. *part.* 3. *decis.* 172. Peregrin. *de immunit. cap.* 12. *num.* 3. Megalius *in* 3. *part. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 34. Fagundez *de præceptis Ecclesiæ, precept.* 2. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 52. Villadieg. *in Polit. cap.* 3. *num.* 213. Heuia *in Curia Philip. part.* 3. §. 12. *num.* 17. Bellettus *part.* 1. *tit.* 3. §. 15. *num.* 1. Cutellius *de immunit. Eccles. lib.* 1. *quæst.* 24. Rodriguez *tom.* 2. *qq. Regul. quæst.* 50. *art.* 4. Filliucius *tract.* 15. *cap.* 6. *quæst.* 8. *num.* 151. & Bonacina *disput.* 3. *de primo Decalog. præcept. quæst.* 7. *& de immunit.* §. 3. *num.* 7. contra Couarru. 2. *var. cap.* 20. *num.* 16. Diaz *pract. c.* 115. Tuschum *verb. Ecclesia, concl.* 9. *num.* 17. *& conclus.* 11. *num.* 27. Romanum *consil.* 216. *&* 834. Zerol. *in prax. Episc. part.* 1. §. *Immunitas Ecclesiastica, vers.* 8. Monticellum *in prax. crimin. regul.* 12. *num.* 18. Duardum *in Bull. Cœnæ, lib.* 2. *can.* 15 *quæst.* 16. *num.* 13. Gambacurtam *de immunit. lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 9. Guttierrez *pract. qq. Ciuil. quæst.* 3. *num.* 1. ( qui ait, sententiam suam veriorem esse in puncto iuris, etsi fateatur, priorem seruari in praxi. ) Item contra Ambrosinum *de immunit. c.* 12. *num.* 3. Clarum *in pract.* §. *fin. quæst.* 30. Decianum *lib.* 6. *cit. cap.* 26. *num.* 1. Barbosam *in collect. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 49. *cap.* 6. *num.* 14. *& de vniu. iur. Eccles. tom.* 2. *c.* 3. *num.* 135. *& seqq.* Lotterium *de benef. tom.* 1. *lib.* 1. *quæst.* 13. *n.* 113. Farinacium *de carcerib. quæst.* 28. *num.* 7. *& in Append. de immunit. cap.* 2. *num.* 34. Mar. Ital. *tract. de immunit. lib.* 1. *cap.* 3. §. 1. ( qui dicunt, opinionem, quam ipsi tradunt, esse communem, etsi fateantur, opinionem oppositam esse vsu receptam. ) Item contra Dianam *part.* 1. *tract.* 1. *resol.* 24. Lezanam *verb. Immunitas, n.* 6. Salgad. *de protectione Regia, tom.* 2. *part.* 2. *cap.* 4. *n.* 115. Lol. *lit. P. tom.* 1. Bobadillam *in Polit. tom.* 1. *lib.* 2. *cap* 14. *num.* 57. *in gloss. lit. P.* ( vbi contendit opinionem suam esse veriorem, & communiorem, ) & contra Petrum Cenedum *quæst.* 42. qui asserit, quod Iudex Ecclesiasticus extrahens ab Ecclesia reum Clericum, sine licentia Summi Pontificis, in criminibus non exceptis, incurrat pœnas, & censuras latas contra violantes immunitatem Ecclesiarum.

## Difficultates, earumque solutiones.

### SVMMARIVM.

1 *Sacri Canones concedentes immunitatem loquuntur generaliter, & sine limitatione, sed comparatiuè ad Iudices saculares tantum.*

2 *Clericus delinquens si confugiat ad Ecclesiam, duplici titulo eximitur à laicali iurisdictione, & ratione personæ, & ratione loci.*

3 *Generalis locutio comprehendit solum omnia eiusdem generis, seu speciei, non verò etiam id, quod non solum est diuersum, sed etiam oppositum.*

4 *Summi Pontifices, vbi volunt includere Clericos, & laicos, eos speciatim exprimunt.*

5 *Generalis locutio non includit eos, qui speciali nota digni sunt, quales sunt Clerici.*

6 *Item non includit eos qui speciales ob causas ex generali dispositione eximi debent, nec eos, de quibus loquens in specie loqui deberet, nec eos qui probabiliter in illa dispositione venire non deberent.*

7 *Priuilegium ratione loci concessum, ex qualitate personarum metiri non debet, nec in ordine ad ipsum personæ ratio haberi.*

8 *Exempta Ecclesia, licet personæ omnes ad eam pertinentes exemptæ censeantur, non tamen id etiam ad Curatum, seu Parochum extenditur.*

9 *Locus sacer dicitur proprium Iudicis Ecclesiastici territorium, vnde ex captura Clerici in eo, non sequitur Ecclesiæ irreuerentia.*

10 *Clerici, licet non gaudeant dicto immunitatis priuilegio comparatiuè ad Iudices Ecclesiasticos, non propterea sunt deterioris conditionis, quam laici, & si sunt, non sunt per se, sed per accidens.*

11 *In prædictis attendi debet non vtilitas vnius Clerici tantum, sed totius status Clericalis.*

12 *Multa bona præstantur inuitis, quando eorum consulitur vtilitati, non voluntati, quia ipsi inueniuntur sibi inimici.*

13 *Religiosi, qui sui commodi gratia existimationem proprij ordinis per implorata iudicia denigrant, ac proiiciunt, vocantur ingrati.*

14 *Declaratio Cardinalium quod Clerici confugientes ad Ecclesiam gaudeant immunitate, non constat authenticè, & facit tantum opinionem satis probabilem: idem dic de pluribus aliis similibus declarationibus.*

15 *Ecclesia est domus Clericorum, at in domo propria non decet quempiam capi, & vinculis alligari, secus à superiore domus.*

16 *Nullus Clericorum seruum, vel discipulum suum ad Ecclesiam confugientem extrahere audeat, vel flagellare præsumat: quod si fecerit, donec dignè pœniteat, à loco, cui honorem non dedit, segregetur.*

17 *Canon citatus prohibet immoderatam castigationem serui, vel discipuli, non autem moderatam, quæ in Ecclesia fieri potest.*

18 *Canon citatus loquitur in ordine ad extrahendum laicum, non autem Clericum, & de extrahente, qui non sit superior Ecclesia.*

19 *A præcepto negatiuo, & limitante affirmatiua dispositio elici non potest.*

20 *Constitutio Gregoriana disponit ne laici, & saculares magistratus aliquid possint contra Clericos, quo fit vt nihil de Clericis, aliisve fauore Ecclesiasticorum iudicum positiuè constitutum sit.*

21 *Expressio, & specialis locutio eorum, quæ tacitè insunt, quando ad maiorem claritatem, & euidentiam fit, non vitiatur, neque aliquid addit, licet dubietatem tollat.*

22 *Ratio constitutionis Gregorianæ, quod sit directa ad iudices laicos, patet ex dictæ clausulæ verbis.*

23 *Clerici confugientes ad Ecclesiam sequuntur opinionem oppositam, quæ est etiam satis probabilis.*

24 *Ratio, cur Clerici non gaudeant immunitate, est status diuersus à laicis, in quibus magis excusabilia sunt delicta, quàm in Clericis.*

25 *Legislator tenetur legem suam seruare, quando materia legis est communis.*

DIces, *cap. inter alia, cap. id constituimus, & cap. definiuit, cap. si quis contumax, & cap. si quis inuentus* 17. *quæst.* 4. loquuntur de hoc immunitatis Ecclesiæ priuilegio 1

priuilegio generaliter, & sine limitatione: ergo non est, cur ad solos laicos restringatur, *l.de pretio, ff. de publiciana*; alioquin Clerici essent deterioris conditionis, quàm laici: tum quia dictum priuilegium non tam videtur personale, quàm locale, id est, quod concedatur personis ratione loci: sed locus est communis laicis, & Clericis, quin magis proprius Clericorum: ergo, &c.

Respondetur ex dictis: Concedo totum, iura scilicet loqui de hoc immunitatis priuilegio generaliter, & sine limitatione, sed aduersus iurisdictionem sæcularem, seu comparatiuè ad Iudices sæculares tantum,
2 itavt si Clericus delictum committat, & ad Ecclesiam confugiat, duplici titulo à iurisdictione sæculari eximatur, primo ratione personæ, secundo ratione loci.

3 Accedit, quod ex *l.item apud Labeonem, ff. de iureiur.* & ex *cap.si sententiam, de sent.excommunic.in 6.* generalis locutio comprehendat solum omnia eiusdem generis, seu speciei, non verò etiam id, quod non solum est diuersum, sed etiam oppositum, quales sunt inter se Clerici, & laici, quorum vnis expressis, alteri censen-
4 tur remoti, & excepti, vt *in cap.duo sunt*, 12.q.1. Vnde Summi Pontifices, vbi volunt ambos includere, de ambobus loquuntur, *cap.ex parte, de priuileg. & cap.1.de prabend.* & docent communiter Doctores, quos citat, & sequitur Lel.Zecch. *de Republ.Eccles.lib.1.c.23.* At in hac specie, vt supra dicebam, & videre est apud Cano-
5 nes, & Gregorianam, de laicis solis locuti sunt: ergo, &c. Vt omittam, quod generalis locutio eos, qui speciali nota digni sunt, quales sunt Clerici, non includat:
6 item nec eos, qui speciales ob causas ex generali dispositione eximi debent: item nec eos, de quibus loquens, in specie loqui deberet, vt seipsum ad aliquid obligaret: item tandem nec eos, qui probabiliter in illa dispositione venire non deberent, vt patet ex vulgatis limitationibus, quas afferunt Doctores *in cap. veniens, cap. Quintauallis, de iureiur. cap.vlt. de officio Vicarij in 6. & l.in obligatione generali, ff. de pignor.*

7 Accedit secundò, quod licet priuilegium ratione loci concessum ex qualitate personarum metiri non debeat, nec in ordine ad ipsum personæ ratio haberi, iuxta Doctrinam Bartoli *in leg.cunctos populos, Cod. de summa Trinit. & fide Cathol. & in l.fin. Cod. de testam.* & Bald. *in l.si non speciale, Cod. eodem*, quam sequuntur communiter Doctores: non tamen hæc Regula sit ita absolutè vera, quin manente realitate priuilegij persona aliqua excludi possit, vt expressè habetur *in cap.per exem-*
8 *ptionem, de priuileg.in 6.* vbi exempta Ecclesia, licet personæ omnes ad eam pertinentes exemptæ censeantur, non tamen id etiam ad Curatum, seu Parochum extenditur, cùm hic ratione officij, speciali quadam ratione ordinario subesse censeatur, & sic in facta loco exemptionis concessione non includatur, quod ibi quamplures ad regulæ in oppositum adductæ declarationem adnotarunt: ergo, &c.

9 Vt omittam, quod per hoc ipsum Clerici ab immunitate excludi debeant, quoniam ex eorum per Ecclesiasticos Iudices captura non sequitur loco sacro irreuerentia, cum Ecclesia sit proprium Iudicis Ecclesiastici territorium, vbi ius ille dicit, & subditos punit. *cap. vniuersitas, de sent. excommunic.* Iudicia enim huiusmodi omnia, & citra sanguinem, in Ecclesia ab Episcopo rectè peraguntur, sæcularia non item: cessante verò loci sacri ratione nullus in hoc casu personæ fauor attenditur, quia præualere huic debet bo-
1 num correctionis, & emendationis, vt delinquens fiat melior, vtque cæteri metu certæ punitionis perterriti, non delinquant: nam si Episcopus eos in ipsamet Ecclesia corrigere potest, non est, cur ad idipsum agendum alibi decentiùs ab Ecclesia extrahere non possit.

Accedit tertiò, quod Clerici per hoc non sint laicis 10
deterioris conditionis per se, sed ad summum solum per accidens, quod non est mirum, cùm attendi debeat non vtilitas vnius Clerici personæ, sed potius sta- 11
tus Clericalis; cui valde prodest, si paucorum exemplo reliqui deterreantur, sciendo, quod pro delictis Ecclesiarum asylo participes non sint, sed capi, & puniri à suis superioribus possint: quod etiam prodest ipsis Clericis, quoad disciplinam Ecclesiasticam: quapropter etiam ex hoc capite hæc immunitas ipsis iustè denegatur, ita vt si de hac re conquerantur, iniustè conquerantur, iuxta illud D. Augustini *cap.72. Enchirid.* vt etiam nolentibus remedia, si proficua sint, 12
præstentur: *Multa enim*, inquit ille, *bona præstantur inuitis, quando eorum consulitur vtilitati, non voluntati, quia inueniuntur sibi inimici.* Vnde rectè Laurentius de Peirinis *tract.de subdito, cap.20. fol.114.* vocat ingratos Ecclesiasticos, præcipuè Religiosos, qui sui commodi 13
gratia, existimationem proprij Ordinis per implorata iudicia denigrant, ac proiiciunt.

Instabis primò, extat Cardinalium declaratio (quam 14
ex Barbosa *in Collectan.Bullar. verb. Immunitas*, refert Diana *part.3. tract.1. resol.35.*) quod scilicet Clerici confugientes ad Ecclesiam immunitate gaudeant: ergo.

Respondetur, quod de illa non constet authenticè: & sic quod faciat solum opinionem, quamvis satis probabilem. Idem dico de alia declaratione Sacræ Congregationis Episcoporum in vna Tropiensi, die 29.Ianuarij 1617. vbi dicitur, quod gaudere immunitate debeant Clerici, qui post delicta patrata ad Ecclesias confugiunt, extra casus in Bulla Gregorij XIV. comprehensos, cum in hoc casu opinio Abbatis communiter sit reprobata. Idem etiam dico de alia declaratione eiusdem Sacræ Congregationis, die 17.Augusti 1618. vbi tamen non ita strictè, sed aliquantulum laxius dicitur, quando non possint Clerici ab Ecclesia extrahi, præterquam in casibus degradatione dignis, si secus fiat, restituantur Ecclesiæ.

Instabis secundò, Ecclesia est domus Clericorum, at 15
in domo propria non decet quempiam capi, & vinculis alligari, *l.plerique, ff. de in ius vocando, & l.nemo, ff. de reg.iuris*: ergo.

Respondetur, distinguo minorem: in domo propria non decet quempiam capi, & vinculis alligari, ab eo, qui non sit superior illius domus, concedo; ab eo, qui sit superior illius domus, nego: quapropter, cùm Episcopus sit superior Ecclesiæ, poterit Clericum ibi capere, & vinculis alligare, & sic retorquetur argumentum.

Instabis tertiò, *in cap. nullus 17. quæst.4.* dicitur, 16
quod nullus Clericorum seruum, vel discipulum suum ad Ecclesiam confugientem extrahere audeat, vel flagellare præsumat, quod si fecerit, donec dignè pœniteat, a loco, cui honorem non dedit, segregetur: ergo si dominus seruum, & magister discipulum non potest ab Ecclesia extrahere, & ad correctionem punire, neque poterit Iudex Ecclesiasticus Clericum.

Respondetur, quod ibi prohibeatur immoderata 17
castigatio serui, vel discipuli, non item moderata, quam in Ecclesia fieri posse, probat Gloss. *ibi*, & nos dicebamus *supra*. Adde, quòd textus loquitur in ordi- 18
ne ad extrahendum laicum, non item Clericum, & de extrahente Clerico, qui non sit superior Ecclesiæ, & propria authoritate extrahat, quia talis non habet iurisdictionem in Ecclesia, non autem de extrahente Clerico, qui sit superior Ecclesiæ, vel si non est superior Ecclesiæ, extrahat authoritate eius, qui sit superior Ecclesiæ.

Instabis quartò: Clausula ipsa excipiens à generali Bullæ dispensatione sæculares, Clericos, vel cuiuscum-

que

que Ordinis, aut militiæ regulares ostendit, in casi-
19 bus ibi relatis, quin imò indistinctè in omnibus illos immunitate gaudere: ergo.

Respondetur; nego antecedens, quia in ea Pontifex id non agit, vt quid de illis delinquentibus, & confugis faciendum sit, statuat, sed in prædicta dispositione inclusos esse abnegat, quod licet per laicorum expressionem obtinere potuisset, voluit tamen expressiùs exprimere, ne id laici Magistratus vigore facultatum (in hoc non derogatarum) exercere posse prætenderent, præcipiens, ne illis (etiam in casibus in constitutione expressis) contra eius generis homines vterentur, à quo negante, & limitante præcepto affirmatiua dispositio elici non potest, cùm in casu valde remoto Pontifex processerit, vt *in l. quæ, ff. de verb. oblig.* ibi: *Extrinsecis, & nihil ad præsentem actum pertinentia pro superuacuis habebuntur*, &c. nam tota illa oratio ad laicos Magistratus dirigitur, vt in suis subditis ea omnia, quæ in Bulla dicta sunt, experiantur, ne putarent id ipsum sibi contra Clericos licere,
20 quo fit, vt nihil de Clericis, aliisve fauore Ecclesiasticorum iudicum positiuè constitutum sit, ex *cap. duo sunt 112. quæst. 1. & in l. Miles, in princip. ff. de legat. 2.* & ex Baldo *cons. 405. præsupposita, vers. non obstant illa verba, lib. 4.* Castr. *cons. 252. viso puncto, col. 2. in princip.*
21 *lib. 1.* & Barbosa *axiom. 73. num. 17.* Expressio siquidem, & specialis locutio eorum, quæ tacitè inerant, quando ad maiorem claritatem, & euidentiam fit, non vitiatur, neque aliquid addit, licet dubietatem tollat, *l. quæsitum est, §. si quis fundum, ff. de fund. instr.* ibi: *Sed potius ex abundanti adiectum, l. conditiones, quæ extrinsecus*, vbi Gloss. *ff. de condit. & demonstr. l. pediculis, §. Labeo, ff. de aur. & argent. legat. l. insula, §. 1. & l. te-*
22 *stamentum, Cod. de testam.* Quod autem oratio ad iudicem laicum directa fuerit, patet ex dictæ clausulæ verbis: vbi postquam præcepisset Pontifex, ne Curia sæcularis in spirituali quæstione hæresis (licet à sacrorum immunitate excluſum crimen illud fuisset) se intromitteret, sequitur præcipiendo, vt idem de personis Ecclesiasticis seruandum sit, etiam in casibus in illa expressis: quod si, vt supra dicebatur, nullatenus Clerici, minusque Religiosi, in Canonibus exprimantur, quin neque comprehendi possint, sed potius ex eis expellantur, cùm à laicis per oppositam speciem contradistinguantur, sequitur, quod idem de Clericis, & Religiosis dici non possit.

Hinc non obstat, si dicas: Constitutio Gregoriana facultatem extrahendi Clericos laicis iudicibus detrahit: ergo Clericos ad Ecclesiam confugere solitos innuit. Item Ecclesiasticis iudicibus id permittit in casibus exceptis: ergo negare videtur in non exceptis:
23 patet enim ad hæc facilè responsio ex dictis. Vt omittam, quod si Clerici ad Ecclesiam confugere sunt soliti, id faciant sequendo opinionem oppositam, quæ est etiam satis probabilis.

Instabis quintò. Clericus si extra Ecclesiam delinquat, ac inde ad Ecclesiam confugiat, habetur ac si quilibet laicus deliquerit: ergo.

Respondetur, quod siue Clericus deliquerit in Ecclesia, siue extra, non est hæc ratio, cur is immunitate
24 non gaudeat, sed relatæ per nos supra, quæ respiciunt personam, & statum totaliter diuersum à laicis, in quibus magis excusabilia sunt delicta, quàm in Clericis, *cap. cùm ab omni 10. de vit. & honest. Cler. & cap. fin. eod. tit.*

Instabis sextò. Legislator tenetur legem suam seruare, *cap. cùm omnes, de constit.* ibi: *Patere legem, quam tu ipse tuleris*: ergo etiam Ecclesiastici tenentur legem de immunitate ab Ecclesia latam seruare.

Respondetur distinguo antecedens: Legislator tenetur legem suam seruare, quando materia legis est communis omnibus, concedo: quando non est communis omnibus, nego: ita est in casu nostro; quia, 25
sicuti suprà dicebam, extractio è locis sacris non est inducta contra potestatem Ecclesiasticam, sed contra sæcularem: nam cum de iure communi nemo possit exercere iurisdictionem in alieno territorio, meritò Pontifex sæcularibus interdixit iurisdictionem in Ecclesia exercere, extrahendo ad illam confugientes, quam tamen facultatem Ecclesiasticis Prælatis in suis Ecclesiis id faciendi non ademit, cum illæ ad ipsorum quasi territorium pertineant.

---

## SECTIO XIII.

### An gaudeat seruus comparatiuè ad dominum?

#### SVMMARIVM.

1 *Seruus, licet comparatiuè ad iudicem gaudeat immunitate, tamen non gaudet comparatiuè ad dominum.*

2 *Seruus postquam Clericis iuramentum præstiterit dominus de eius immunitate, ad seruitium domini sui redire compellitur, etiam inuitus, alioquin à domino poterit occupari.*

3 *Iuramentum domini videtur sufficiens ad securitatem serui quando delictum est leue, at si delictum fuerit graue, regulariter iuramentum non sufficit.*

4 *Prælatus Ecclesiasticus non obligatur domino seruum suum tradere quando delictum est graue, sub simplici iuramento, sed tenetur dare maiorem securitatem.*

5 *Dominus recusans dare maiorem securitatem pro serui immunitate, compellitur ad eum vendendum, quia tunc non debet domino tradi.*

6 *Si seruus armatus irruat in Ecclesiam, & ibi mutilat, vel occidit, est extrahendus, quia tunc immunitate non gaudet.*

REspondetur, quod seruus, quamvis comparatiuè 1
ad iudicem gaudeat immunitate Ecclesiæ, vt suprà dicebam, quia comparatiuè ad illum qualitas seruitutis per accidens se habet; tamen comparatiuè ad dominum non gaudeat: & probatur, quia Innoc. III. *in cap. inter alia, §. si verò seruus, de immunit. Eccles.* ait, quod postquam de immunitate serui dominus 2
eius Clericis iuramentum præstiterit, ad seruitium domini sui redire compellitur, etiam inuitus, alioquin à domino poterit occupari. Idemque habetur *l. præsenti, §. fin. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt.* Quod tamen locum habet, si delictum serui fuerit 3
leue: tunc enim per iuramentum præstitum videtur sufficiens securitas seruo dari, & periculum irregulatæ correctionis euitari. At si delictum fuerit graue, regulariter iuramentum non sufficit, quapropter securitatem aliam maiorem debet dominus dare (aliàs non obligabitur Prælatus Ecclesiasticus seruum domino 4
tradere, sicuti rectè docet Gloss. *in cit. l. præsenti*, & *in Authent. de mandatis Principum, §. publicorum*, & Suar. *lib. 3. cap. 10. num. 2.* Azorius *2. part. lib. 6. cap. 9. quæst. 9. in fin.* Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 15. quæst. 16. num. 14.* Farinacius *in append. de immunit. cap. 4. n. 76.* Guttierrez *pract. qq. ciuil. quæst. 1. num. 1. & 18.* & Anastas. Germon. *de sacr. immunit. lib. 3. cap. 16. num. 55.* quam securitatem maiorem si dominus noluerit, vel non potuerit dare, 5
compelli debet seruum vendere, & non debet seruus domino tradi, §. *fin. Instit.* quibus alienare licet, vel non; & docet Gloss. *in cit. l. præsenti*, & *in cit. Authent. de mandatis Princip.* Abb. *in cap. inter alia, n. 23.* Butrius *ibid. num. 16.* Decian. *lib. 6. cap. 26. num. 6.* & alij apud Farinacium

rinacium *loc. suprà cit. n.69.* Vide etiam Cutellium *de immunit. Eccles. lib.1. q.1. n.9.* & quæ dicentur *sect.15.*

Obiicies, *in l. seruus, C. de his, qui ad Eccles. conf.* dicitur, quod si seruus armatus in Ecclesiam irruat, statim sit extrahendus, vel domino danda facultas illum extrahendi: ergo.

6 Respondetur cum Angelo *verb. Immunitas, num.12.* id intelligendum esse cum cautione prædicta iuris Canonici, promissa scilicet, vt *suprà*, impunitate serui, dummodo non irruat in Ecclesiam, & ibi mutilet, vel occidat, quia tunc absque dubio extrahendus est, vtpotè immunitate Ecclesiæ non gaudens, vt *infrà dub.19.* dicetur.

## SECTIO XIV.

### An gaudeat Clericus, saltem in aliquo casu, tam comparatiuè ad Iudicem sæcularem, quàm Ecclesiasticum?

#### SVMMARIVM.

1 *Clericus dimisso habitu, modò sit tantum in minoribus, gaudet immunitate.*

2 *Clericus sine requisitis præscriptis à Concilio Tridentino sess.23.cap.3. reputatur vt laicus, & sic non debet esse deterioris conditionis.*

3 *Clericus gaudens priuilegio fori, si committat delictum, ob quod Iudici sæculari tradendus est, extrahi potest ab Ecclesiastico iudice, & inditi sæculari tradi.*

4 *Crimina, ob quæ reus Clericus deponendus est, & iudici sæculari tradendus, excepta esse solent.*

5 *Clericus extrahi non debet ob crimen non exceptum, vel si extrahatur, Curiæ sæculari non est tradendus.*

1 REspondetur, quod Clericus (in quibus casibus Iudex sæcularis eum capere potest, si scilicet in minoribus existat, & beneficiatus non sit, nec habitum, & tonsuram gestans, alicui Ecclesiæ, iuxta Tri-
2 dentinum Concilium *sess.23. cap.6.* deseruiat (immunitate Ecclesiæ gaudeat, itavt nec à Iudice sæculari, nec Ecclesiastico extrahi possit, quia Clericus in tali casu reputatur vt laicus, & sic non debet esse deterioris conditionis, quàm laicus. Vide *supr. sect.11.*

3 An autem, si Clericus gaudens priuilegio fori committat delictum, ob quod Iudici sæculari tradendus est, ab Ecclesiastico Iudice extrahi possit, vt Iudici sæculari tradatur.

4 Respondetur affirmatiuè, quia crimina, ob quæ reus Clericus deponendus, & Iudici sæculari tradendus est, excepta esse solent, itavt in ipsis cesset immunitas Ecclesiastica.

5 Cæterum, si crimen aliquod sit, quod ab Ecclesiasticæ immunitatis defensione non excipiatur, & nihilominus ob id Clericus incorrigibilis Iudici sæculari tradi possit, tunc Iudex Ecclesiasticus, vel illum extrahere non debet, vel si extrahit, Iudici sæculari tradere non potest.

## SECTIO XV.

### An gaudeat Religiosus in ordine ad Prælatum Religionis?

#### SVMMARIVM.

1 *Religiosus si delinquat, non gaudet Ecclesiæ immunitate, & sic à Prælato Religionis ab Ecclesia extrahi potest.*

2 *Religiosi gauderent Ecclesiæ immunitate, si ita gauderent Clerici, & sic nunquam de delictis suis à superioribus puniri possent, cum semper sint in Monasteriis immunitatem habentibus.*

3 *Religiosis immunitas conuenire non potest, nec de iure Cæsareo, nec de iure Pontificio.*

4 *Religiosi attentis votis solennibus non veniunt appellatione liberorum, sed seruis æquiparantur, ideò suis superioribus tradi debent.*

5 *Seruus, siue ius Canonicum, siue ius Ciuile spectetur, ad seruitium reuocari potest.*

6 *Religiosi quod gaudeant immunitate in Ecclesiis non suorum Monasteriorum affirmant Gambacurta, & Petrus Cenedus, secus si à superiore eis tantum imponenda sit pœnitentia paterna.*

7 *In sententia dictorum si superior ad iniungendas pœnas vltrices extraheret Religiosum ab Ecclesia alterius Ordinis, violaret immunitatem, & censuras latas contra violantes incurreret.*

8 *Religiosi sic extracti non tenentur ad interrogationes fictas respondere.*

9 *Religiosus in Ordine ad Prælatum Religionis, quod non gaudeat Ecclesiæ immunitate, simpliciter dicendum est.*

10 *Praxis, & consuetudo obtinent, quod Religiosi pro suis criminibus cognoscantur tantum à Prælatis Religionum, etiam de mandato Summi Pontificis.*

11 *Religiosus committens apostasiam, & quodcumque aliud delictum, etiam non exceptum, non gaudet immunitate, ita vt à suo superiore ab Ecclesia extrahi non possit, & puniatur in foro etiam iudiciali, secundum sacros Canones, contra plures Doctores.*

12 *Limitant quod non gaudeat in Monasteriis, & Ecclesiis sui Ordinis.*

13 *Amplia secundum Auctorem, quod absolutè non gaudeat.*

REspondetur, quod Religiosus è contra, si delin- 1
quat, immunitate Ecclesiæ non gaudeat, & consequenter à Prælato Religionis ex Ecclesia extrahi possit. Atque ita docent Doctores *suprà* citati, illi qui tenent, quod Clerici immunitate Ecclesiæ non gaudeant, ad quam sententiam confirmandam.

Rectè subdunt primò, quod, si Clerici gauderent, 2
gauderent etiam Religiosi, & sic nunquam isti de delictis suis à suis superioribus puniri, & detrudi in carcerem possent, cùm fere semper, & Moniales semper sint in Monasteriis immunitatem habentibus: sed hoc est absurdum: ergo & absurdum est illud, vnde hoc sequitur; quapropter dicendum, quod nec Clerici, nec Religiosi immunitate Ecclesiæ gaudeant.

Rectè subdunt secundò, quod immunitas Religio- 3
sis conuenire non possit, neque ratione iuris Cæsarei (à quo etiam immunitas Ecclesiarum dimanauit) siue potestatis, siue intentionis effectu; neque ratione iuris Canonici, cùm Pontifex *in cap. inter alia, de immunit. Eccles.* distinguat duo hominum genera, ibi: *Iuxta sacrorum statuta Canonum, & traditiones legum ciuilium, ita duximus distinguendum, quòd fugiens ad Ecclesiam, aut liber, aut seruus existat*: & qua distinctione adhibita, priores in exceptis aliquibus criminibus, obtentis prius membris, & vita, præcipiat extrahendos; posteriores autem immunitate præstita, dominis vel inuitos tradi: quare cùm Religiosi, attentis votis so- 4
lennibus, appellatione liberorum non veniant, sed seruis æquiparentur, consequens est, quod ex vi huius textus superioribus suis tradendi sint, præsertim quia seruus, siue ius Canonicum, siue ius Ciuile

spectetur

spectetur, ad seruitium reuocari potest, vt *supr. sect.* 13. dicebamus, & habetur *in Can.* 34. *id constituimus*, 17. *q.* 4. *& can. proclivis*, 20. *q.* 3. *& l.* 4. *&* 6. *§. sane si serum, Cod. de his, qui ad Eccles. confug.*

Atque ita in specie docent Silu. *verb. Immunitas* 3. §. 3. *n.* 2. Fagundez *de præceptis Eccles. præcept.* 2. *lib.* 4. *c.* 4. *n.* 52. Cutell. *de immunit. Eccles. lib.* 1. *quæst.* 23. *&* 25. Riccius *p.* 3. *decis.* 172. *n.* 6. (vbi sic in Curia Archiepiscopali Neapolitana decisum fuisse testatur.) Suar. *lib.* 3. *c.* 10. *n.* 6. Megal. *in* 3. *p. lib.* 4. *c.* 2. *n.* 6. & Peregrin. *de immunit. c.* 12. *n.* 3. *dub.* 3. contra Gambacurt. *lib.* 4. *cap.* 11.
6 *n.* 10. Petr. Cened. *quæst.* 42. & Dian. *p.* 1. *tract.* 1. *resol.* 25. Quamvis hi duo Doctores fateantur, quod Religiosus immunitate Ecclesiæ non gaudeat in Ecclesia proprij Monasterij, vbi delinquit, etsi tamen id non concedat Gambacurt. nisi solum in casu, quo Superior procederet ad pœnitentias salutares iniungendas in foro paterno, ne Religionis vniuersum statutum peruertatur) non item, si procederet ad iniungendas vltrices pœnas
7 Canonum in foro iudiciali, adeò vt si hoc faciant Superiores, incurrant illi, inquit ipse, pœnas, & censuras latas contra violantes immunitatem Ecclesiarum, & Religiosi extracti non teneantur ad interrogationes factas respondere.

8 At simpliciter dicendum est, quod Religiosus in ordine ad Prælatum Religionis immunitate Ecclesiæ non gaudeat, non solum propter rationes suprà adductas, quod scilicet Clerici non gaudeant immunita-
9 te Ecclesiæ, sed etiam quia alioquin nunquam Religiosus aliquis puniri posset, & sic corrueret disciplina regularis: & præterea, quia sic habet quotidiana pra-
10 xis, & consuetudo à Summis Pontificibus approbata, cùm quotidie Summi Pontifices ex appellatione causarum ad Vrbem videant Superiores Regularium contra illos processum formare, & sententiam ferre de delictis in Monasterium commissis, & tamen id non reprobent, sed potius approbent, & confirment; propter quam rationem descendunt in nostram opinionem Mar. Italia *de immunit. lib.* 1. *cap.* 3. §. 1. *& lib.* 5. §. 6. *n.* 119. & Diana *cit. resol.* 25.

11 Hinc sequitur, quod si Religiosus apostasiam (idemque dico de omni alio delicto, etiam non excepto: nam de exceptis nulla est difficultas) committat, Ecclesiæ immunitate non gaudeat; ita vt à suo Superiore ab Ecclesia extrahi possit, vt puniatur in foro etiam iudiciali secundum rigorem Canonum. Atque ita in terminis docet præter alios Lezana *verb. Immunitas Eccles. n.* 16. Peregrin. *de immunit. c.* 12. *n.* 16. & Cutellius *de immunit. Eccles. lib.* 1. *quæst.* 23. contra Bobadillam *in Polit. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 57. (qui citat Rebuffum, & Decianum,) & contra Mar. Ital. *de immunit. lib.* 1. *cap.* 3. §. 1. *n.* 17. *& c.* 5. §. 6. *n.* 114. qui testatur, apostatam quendam à Religione fuisse restitutum Ecclesiæ, à qua fuerat extractus,) & contra Farinac. *in append. de immunit. c.* 13. *n.* 169. Duardum *in Bull. Cœnæ, lib.* 2. *Can.* 15. *q.* 16. *n.* 5. Barbos. *de iure Eccles. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 45. Trullench. *in Decalog. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 11. *dub.* 2. *n.* 2. *&* 3. & Dian.
12 *part.* 1. *tract.* 1. *resol.* 23. qui sententiam negatiuam sequuntur, quamvis, illam limitando, fateantur, quod non gaudeant in Ecclesiis, & Monasteriis eiusdem Religionis, à qua apostatauit, & sic quod ex his locis extrahi quidem possit, etsi non ex aliis. Sed quod dixi absolutè, scilicet quod in omnibus Ecclesiis, & Monasteriis non gaudeat, & sic quod absolutè ex omni-
13 bus Ecclesiis, & Monasteriis extrahi possit, est probabilius, præsertim cum semper videatur esse eadem ratio.

## DVBITATIO XI.

### An, & quid dicendum sit in causis ciuilibus?

## SECTIO I.

### Dubitationis Resolutio.

### SVMMARIVM.

1 *Immunitas Ecclesiæ locum habet in causis ciuilibus, ita vt si debitor ad illam confugiat, gaudeat immunitate, nam concessa est de iure ciuili.*
2 *Debitor ob ciuilia debita ad Ecclesiam confugiens per se, vel per procuratorem in iudicio comparere potest.*
3 *Debitore recusante comparere in iudicio modo prædicto, potest Iudex post solennium edictorum citationem, apprehensis bonis ipsius, creditoribus satisfacere.*
4 *Ecclesia approbat leges ciuiles, quæ Ecclesiarum immunitati à se statutæ non præiudicant.*
5 *Immunitas debitoribus concessa est non solum à iure ciuili, sed etiam à iure Canonico.*
6 *Debitor suspectus de fuga, & publicus tributorum exactor, obligatus ad publica ratiocinia, gaudent immunitate.*
7 *Nemo ab Ecclesia extrahi potest, etiamsi non sit reus, etiamsi extrahatur ad duellandum, vel firmandam pacem, neque debet impediri exitus ab ipsa, positis custodibus ad euitanda scandala.*
8 *Violantes Ecclesiæ immunitatem de iure excommunicari debent.*
9 *Constitutio Gregoriana licet loquatur solum de extrahentibus reos ibi (laicis reis) dispositio tamen pœnalis extenditur ex identitate, & maioritate rationis, quando alias sequeretur absurdum.*
10 *Quando duo casus æquiparantur in lege antiqua, lex noua loquens in vno locum habet in altero.*
11 *Constitutio pœnalis quando continet fauorem Ecclesiarum, fit extensio ex identitate rationis.*
12 *In odiosis, & contra immunitatem Ecclesiasticam non est facienda extensio ex identitate, & maioritate rationis, secus est in fauorabilibus.*
13 *Rei, qui non gaudent, cum in Bulla excipiuntur, exceptio non fit per particulam (tantum.)*
14 *Reorum appellatione veniunt etiam debitores, vtpotè rei debitorum.*

REspondetur immunitatem Ecclesiæ locum habe- 1
re in causis ciuilibus (ita vt si debitor ad illam confugiat, securus ibi existat) quia talis immunitas iure ciuili concessa est, ex *l. præsenti, Cod. de his, qui ad Eccles. confug. & ex l. vlt. eodem tit.* (vbi dicitur, quod 2
debitor ob ciuilia debita ad Ecclesiam confugiens, per se, vel per procuratorem in iudicio comparere possit; 3
quod si id facere recuset, vel differat, possit Iudex post solennium edictorum citationem bona debitoris ap- 4
prehendere, & ex iis petitoribus ad modum debiti satisfacere,) sed Ecclesia approbat leges ciuiles, quæ Ecclesiarum immunitati à se statutæ non præiudicant, 5
*cap. inter alia, cap. id constituimus, cap. si quis contumax, cap. si quis inuentus, cap. frater, sess.* 25. *cap.* 20. *Tridentini*, & Constitutione Gregorij XIV. Ergo non solum à iure Ciuili, sed etiam à Canonico hæc immunitas debitoribus concessa est.

Atque ita contra Iasonem *in l. vinum, ff. si certum petatur,*

petatur, Cutellium *de immunit. Eccles. lib 1. q.32.n.26. & seqq.* & contra alios,quos citat, & sequitur Ceuall. *in tract. de cognit. per viam violent. part.2. q.5. num.6.* declarauit sacra Congregatio Episcop. in vna Cotronensi die 21. Iulij 1617. & in vna Beneuentana die 10. Maij 1619. & ex communi docent Abbas *in cap. inter alia,de immunit. Eccles. num.22.& seqq.* Silu. *verb. Immunitas 3.q.3.dist.6.* Nauar. *cap.3.num.5.* Couar. *cit. cap.20.num.14.* Layman *lib.4. tract.9.c.3.n.5.* Azor *2.p. lib.9. q.9.* Suarez *lib.3.c.11.n.3.* Farinac. *de carcerib. q.28. num.3. & in append. de immunit. cap.4. num.57.* Guttier. *pract.qq.ciuil.lib.3.q.1.* Decian. *tract.crimin.lib.6. cap.28.n.34* Ambrosin. *de immunit. Eccles. c.13.num.1.* Anastas. Germ. *de sacrorum immunit. lib.2.cap.16.num.8. & seqq.* Megalius *in 3.p.lib.4.c.2.q.2.num.33.* Diana *p.1.* 6 *tract.1. resol.32.* (qui id verum esse dicit, etiam stante statuto, quod debitor possit carcerari, & in casu, quo sit suspectus de fuga, & debitor publicus, vt exactor tributorum, & debitor ex causa administrationis, & redditionis rationum, & obligatus ad ratiocinia publica, & officialis debitor ex causa Syndicatus.) Item Graff. *tom.1.lib.3.conf.1.de immunit. Eccles.* Portel. *verb. Ecclesiæ immunitas,num.14.* Barbos. *de iure Eccles.tom.2. cap.3.* Tusch. *tom.3. lit.E. concl.11. num.3.* Gambacurt. *lib.4.cap.15.* Peregrin. *de immunit. cap.12.n.10.* Bonac. *disp.3.q.7.de immunit. §.4. n.4.* Lezana *verb. Immunitas* 7 *Eccles.num.16.*& Genuens. *in prax.c.22. num.1.& 9.* qui & satis probabiliter subdit,quod dicta immunitas concessa sit aliis omnibus, itavt nemo (quamvis nullo modo sit reus) ex Ecclesia extrahi possit ob quemcunque finem, siue v.g.ad reum in illa receptum reuelandum, vbinam is se absconderit, siue (cùm ipse ad duellum aliquem prouocauerit,& in Ecclesiam se receperit, ne à curia sæculari impediatur à duello prosequendo) ad pacem faciendam cum illo,quem ad duellum prouocauerat, & ad vitanda scandala, præsertim cùm alio modo scandalis obuiari possit, apponendo scilicet custodes vel adeundo Episcopum,qui prouideret,&c. idque probat ex eo,quia in Constitutione Gregorij XIV.ob extractionem pro quacumque causa,imponuntur ipso facto pœnæ, quæ à iure sunt statutæ 8 contra violantes immunitatem, & libertatem Ecclesiæ, & de iure excommunicari debent violantes immunitatem, *cap.miror, cap. si quis contumax, cap. quisquam 17. q.4.*

9 Et quamvis citata Constitutio Gregorij XIV.loquatur solum de extrahentibus reos ibi *(Laicis reis)* dispositio tamen pœnalis (inquit,& rectè, idem Genuensis) extenditur ex identitate, & maioritate rationis, quando si non fieret extensio, sequeretur absurdum, vt sequeretur in casu nostro, si scilicet non possent extrahi rei, & alij possent. Imol. *in l.si verò, §.de viro, ff.soluto* 10 *matrim.* & Franc. *in c.1. de temporibus ordinat. in 6.* tum quia, quando duo casus æquiparantur in lege antiqua, lex noua loquens in vno,locum habet in altero. Bartol. *in l.quod verò ff.de legib.* & Franc.& Imol. *in locis suprà cit.* tum quia *in cap. definimus 17.q.4.* cauetur simpliciter, ne confugientes, & commorantes in Ecclesia extrahi possint: tum denique, quia quando Constitutio 11 Pœnalis continet fauorem Ecclesiarum, fit extensio ex identitate rationis, vt ait Gloss. *notabilis in cap.sciant, de elect.in 6.* & Francis. *in dict.c.1.*

Obiicies, cùm in Bulla Gregorij XIV. excipiantur quidam & determinati casus,qui non gaudeant immunitate Ecclesiæ, non licet ex his ad alios, quod etiam non gaudeant, argui ex identitate, quia neque ex maioritate rationis, vt dicetur *infra dub.19. & 24.sect.3.* ergo sic & in casu nostro.

Respondetur: disparitas est,quia ibi sumus in odiosis, & contra immunitatem Ecclesiasticam,quæ,vtpotè fauorabilis, debet potius ampliari, quàm restringi; & præterea casus, qui in Bulla excipiuntur, excipiuntur per particulam,*tantum.* At in casu nostro potius sumus in fauorabilibus,& pro immunitate Ecclesiæ: & præterea cùm in Bulla excipiuntur rei, qui non gaudeant, 13 non excipiuntur per particulam *tantum.* Vel dic cum Suario *lib.1. tom.1.tract.2.de relig.q.11.n.3* & Peregrin. *de immunit.c.12.vers. nec conueniet*, appellatione reorum 14 venire etiam debitores, vtpotè reos debitorum.

## SECTIO II.

### An, & quid dicendum de debitore?

### Difficultas prima, eiusque solutio.

#### SVMMARIVM.

1 *Ecclesia solum delinquentibus immunitatem concedit explicitè, implicitè autem eam concedit etiam debitoribus.*

2 *In lege, quamvis pœnali, fit extensio, si alioquin sequitur absurdum.*

3 *Appellatione reorum licet veniant delinquentes, veniunt etiam debitores.*

4 *Priuilegium immunitatis cum sit pium, debet etiam ampliari ad debitores.*

OBiicies primò ex Cutellio *cit. q.32.n.22. & seqq.* Ecclesia solum delinquentibus immunitatem concedit, non item debitoribus, vt videtur colligi ex *cap. inter alia*, ibi: *Quacumque grauia maleficia perpetrauerit*, ex *cap.statuimus*, ibi: *Non liceat reos ab Ecclesiis extrahere.* (Rei enim propriè sunt delinquentes,non autem debitores,) ex *cap. si quis contumax, cap. si quis inuentus,& cap.frater*, in quibus iuribus omnibus mentio fit de delinquentibus, non autem de debitoribus: & ex Constitutione Gregorij XIV. ibi: *Laicum delinquentem*, & infrà: *Quodque deliquentes laici, &c.* ergo debitoribus ex iure Ecclesiastico immunitas non debetur, sed ad summum ex iure ciuili, & sic vbi ius ciuile non obligat, non habebit effectum.

Respondetur distinguo antecedens: Ecclesia solum 1 delinquentibus immunitatem concedit, explicitè, concedo, implicitè, nego; quia hoc ipso, quod concedit eam delinquentibus, intelligitur implicitè concedere etiam debitoribus, ex eo, quod absurdum esset fauere nocentibus,exclusis innocentibus. Quapropter in lege, quamvis pœnali, fit extensio vltra proprietatem verborum,quotiescumque alioquin,attentis verbis in pro- 2 pria significatione sequitur absurdum, Doctores, quos citat,& sequitur Genuens. *in prax.c.17.n.2.* Adde,quod licet appellatione reorum, quibus Ecclesia concedit immunitatem, propriè veniant delinquentes, veniunt tamen etiam debitores, vtpotè rei debitorum, & rei in iudicio (vnde reus dicitur, quicumque in iudicium vocatur, siue ciuiliter, siue criminaliter,sicuti rectè do- 3 cent Couar. *2.var. ap.20.n.14.* Suar. *lib.3.c.11.n.3.* Azor *2.p.l.b.9.c.9.* Farin. *de carcer.q.28. n.31. & in append.de immunit.c.3.n.51.* Ambros. *de immunit.c.13.n.2.* Anastas. Germ. *de sacror. immunit.lib.3.cap.16.n.110.* Genuens. *in prax.c.17.n.2.* & Bonac. *disp.3.q.7.de immunit. §.4.n.2.*) præsertim quia,cum hoc priuilegium sit pium,& fauo- 4 rabile,debet ampliari,Doctores, quos citat, & sequitur Farin. *in append.c.2.n.21.* Ambros. *c.10.n.7.* & Mar. Italia *lib.1.c.2.* contra Decian. *lib.6.c.2.n.14.* & quia Ecclesia approbat leges ciuiles,quæ sunt in fauorem immunitatis,vti *supra* dicebam *sect.1.n.1.& seqq.* & hæ tale priuilegium concedunt, etiam debitoribus, vti dicebam ibidem.

## SECTIO III.

### An dicendum, quod debitor debeat laborare, vel seruiens creditori satisfacere?

### Difficultas secunda, eiusque solutio.

SVMMARIVM.

1 *Immunitas est non solum vt debitor pœnam corporalem non luat, sed etiam vt in Ecclesia existens non extrahatur, vinculis non alligetur, & alio modo vexetur.*

2 *Debitor licet ad Ecclesiam confugerit, potest citari, & si se non defendat, creditor obtinebit, non autem tradendus est in seruum creditori: secus dicendum de seruo fugitiuo.*

OBiicies secundò ex eodem Cutellio *loc. supr. cit. num. 32. & seqq.* Immunitas solum est, vt debitor pœnam corporalem non luat, *cap. inter alia, de immunit. Eccles. cap. id constituimus, & cap. definiuit, 17. q. 4.* non autem vt non laboret, vel creditori seruiens non satisfaciat, alioquin irrationabilis esset, quia præiudicat iuri tertij, & fauet nocenti. Vnde seruus fugiens ad Ecclesiam ob sæuitiam Domini, securitate accepta, Domino redditur, ne Dominus priuetur iure quæsito, quod habet, vt seruus ei laboret: ergo sic, &c.

1 Respondetur, nego priorem partem antecedentis, quia iuxta iura citata immunitas est non solum vt debitor pœnam corporalem non luat, sed etiam vt ibi existens non extrahatur, vinculis non alligetur, &
2 alio modo non vexetur. Neque hinc absurda, quæ inferebantur, sequuntur; quia poterit debitor citari, & si se non defenderit, mittetur creditor in eius bonorum possessionem, quamvis nunquam tradendus sit in seruum creditori; quia hoc non debetur ei, nisi post sententiam, & in pœnam. Secus dicendum de seruo fugitiuo, cuius possessio, & dominium est apud dominum, etsi contrarium etiam quoad hunc sentiant Abb. *in cap. inter alia, num. 22.* Oldrad. *cons. 54.* Boërius *decis. 2. c. 15. n. 7.* & Alberic. *1. part. statutorum, q. 39. & in rubr. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt.*

## SECTIO IV.

### An, & quid dicendum de debitore suspecto de fuga?

### Difficultas tertia, eiusque solutio.

SVMMARIVM.

1 *Debitor suspectus de fuga, est suspectus de graui delicto.*

2 *Suspectus de fuga potest capi, & incarcerari, etiam à iudice incompetenti in die festo.*

3 *Priuilegium immunitatis non excludit suspectum de fuga, nec illud impediri potest delicto debitoris committendo.*

4 *Debitor existens in Ecclesia ne fugiat à iudice, custodia adhibita impediri poterit, & non extrahi.*

5 *Reus carcerari potest in die festo, & puniri, non autem in loco sacro.*

6 *Quæ dicta sunt de debitore, dici etiam possunt de milite qui pecunia accepta fugit.*

7 *Fugiens a militia non est reus criminis læsæ Maiestatis in personam, sed solum in statum.*

OBiicies tertiò, saltem immunitas non competet debitori suspecto de fuga, ita vt hic saltem ab Ecclesia extrahi possit, & tradendus sit iudici, vt securus reddatur creditor. Atque ita docent nonnulli apud Couar. *2. var. cap. 20. num. 14.* & apud Anastasium Germ. *de sacr. immunit. lib. 3. cap. 16. n. 99. & seqq.* ex eo, quod debitor suspectus de fuga est suspectus de graui delicto: ergo Ecclesia, cùm possit, impedire illud debet, & sic iudici tradere debitorem, vel alia via de fuga istius securum reddere creditorem: tum ex eo, quod 2
suspectus de fuga potest capi, & incarcerari (etiam ab incompetenti iudice) in die festo, vt rectè docet Couarru. *2. var. c. 20. n. 14.* Ergo & poterit capi, & incarcerari in loco sacro, argumento sumpto de tempore ad locum, *l. vinum, ff. si certum petatur, l. ratio, §. si per venditorem, ff. de action. empti.*

Respondetur, nego antecedens, quia priuilegium 3
immunitatis non excludit suspectum de fuga, nec illud impediri poterit delicto debitoris committendo: tum 4
quia alia via (scilicet si à iudice custodia apponatur) fuga impediri potest, absque eo, quod ab Ecclesia debitor extrahatur. Neque argumentum de tempore ad 5
locum est firmum, quandoquidem reus puniri potest in die festo, non autem in loco sacro. Vnde patet ad opposita responsio, atque ita ex communiori, ac probabiliori sententia Doctorum docent Couarru. & Anastas. Germ. *in locis supra cit.* Suar. *c. 11. n. 3.* Farinac. *in append. de immunit. cap. 3. n. 60.* Ambrosin. *de immunit. Eccles. st. cap. 13. n. 3.* Diana *cit. resol. 32.* & Bonac. *q. 7. de immunit. §. in princip.* Idemque dicas de milite, qui cùm 6
militiæ pecunia accepta fuerit adscriptus, inde fugam arripiens, ad Ecclesiam se recepit; quia per talem militiæ adscriptionem non est propriè seruus Principis, sed debitor, & per fugam à militia non est reus criminis 7
læsæ Maiestatis in personam, sed solum in statum Principis. Vide quæ dicentur *infrà dub. 23 sect. 2. & seqq.*

## SECTIO V.

### An, & quid dicendum de debitore tributorum?

### Difficultas quarta, eiusque solutio.

SVMMARIVM.

1 *Immunitas quod non competeret debitoribus tributorum qui ab Ecclesia extrahi possent, si consuetudo non esset in contrarium, voluerunt nonnulli Doctores.*

2 *Immunitas in sententia dictorum Doctorum conceditur Ecclesiæ, quatenus approbat leges ciuiles immunitatem concedentes.*

3 *Leges ciuiles potius denegant, quam concedant immunitatem debitoribus tributorum.*

4 *Princeps non præsumitur contra seipsum legem condere.*

5 *Immunitas non est solum ex eo, quod Ecclesia approbet leges ciuiles, sed etiam ex eo, quod omnibus delinquentibus, & reis immunitatem concedit, aliquibus casibus exceptis.*

6 *In generali concessione immunitatis veniunt etiam debitores, quicumque sint, & qui rei in iudicio, & rei debitorum nominantur.*

7 *Authentica de mandatis Principum, cum iuri Canonico aduersetur, iam ab illo reuocata est.*

8 *Hoc ius immunitatis respectu debitorum, qui in fraudem creditorum rebus suis absconditis, ad Ecclesiam confugiunt, in aliquibus locis non seruatur.*

9 *Obligatus ad ratiocinia ex causa alicuius administrationis etiam gaudet immunitate.*

10 In Can. vxor 17. q.4. *qui tenebatur ad ratiocinia, eum Pontifex præstito iuramento impunitatis extrahi mandat.*

1 OBiicies quartò, saltem non competet debitori tributorum, itavt hic saltem ab Ecclesia extrahi possit, si consuetudo non sit in oppositum, atque ita docent Ancharan. *cap. mer alia, n.6. & 7.* Butrius *n.13.* Oldrad. *consil.54. num.2.* Cutellius *cit. q.32. n.42. & seqq.* Gambacurta *lib.5. c.43. n.2. & seqq.* & Petr. Greg. *Syntag. iuris lib.33. c.22. n.2.* ex eo, quod sic statuitur *in authent. de mandatis Princip. §. publicorum*, iuncta Gloss. ibi:
2 tum ex eo, quod immunitas debitori conceditur ab Ecclesia, quatenus approbat leges ciuiles immunita-
3 tem concedentes, quæ debitori illam non concedunt, sed potius denegant, *cit. authent. de mandatis Principum:*
4 tum denique ex eo, quod Princeps non præsumitur contra seipsum legem condere.

5 Respondetur, nego antecedens; quia immunitas non est solum ex eo, quod Ecclesia approbet leges ciuiles, sed etiam ex eo, quod omnibus delinquentibus, & reis immunitatem concedit, aliquibus casibus exceptis, & exceptis per particulam, *tantum*, qua generali concessione veniunt debitores, quicumque sint, & qui
6 rei in iudicio, & rei debitorum nominantur, maximè quia priuilegium pium, & fauorabile latè interpretandum est, vt suprà dicebamus: & casus, qui excipiuntur, excipiuntur per particulam, *tantum.*

7 Hinc patet ad opposita, & ad illud *de authent. de mandatis Principum*, quod scilicet, cùm *cit. authent. de mandatis Principum*, iuri Canonico aduersetur, iam ab illo reuocata sit. Atque ita ex communiori, & probabiliori etiam sententia Doctorum docent Couar. *2. var. cap.20. n.14.* (vbi tamen ait, quod hoc ius immunitatis respectu debitorum ex causis ciuilibus in quibusdam Regnis non vsque adeò obseruetur, præsertim si per fraudem bonis absconditis, vel secum delatis in Ecclesiam confugiant, vt Guttier. *lib.1. pract. q.1. n.13.* notauit: qua de re tamen nos dicemus *infra.*) Suar. *lib.3. c.11. n.3.* Azor *2. p. lib.9. c.9. vers. item dubia.* Anast. Germ. *de sacr. immunit. lib.3. c.16. n.110.* Ambrosin. *de immunit. Eccles. c.13. n.2.* Layman *lib.4. tract.9. c.3. n.5.* Farinac. *de carcerib. q.28. n.31. & in append. de immunit. cap.3. n.31.* Bonac. *disp.3. q.7. de immun. §.4. n.2.* & Dian. *cit. resol.32.*

9 Hinc sequitur à fortiori, quod immunitate etiam gaudeat obligatus ad ratiocinia ex causa alicuius administrationis, sicuti rectè docent Nauar. *c.25. n.16. in fin.* Farinac. *in append. num.63.* & Decian. *lib.6. cap.28. n.26.* quidquid in contrarium dicat Cutel. *n.26. & 41.*

10 Neque obstat, quod *in cap. vxor 17. q.4.* quidam seruus obligatus ad ratiocinia confugit ad Ecclesiam, & Pontifex mandat, vt præstito iuramento immunitatis, inde extrahatur. Nam ibi (vt rectè aduertunt Farinacius, & Decian. *in locis suprà cit.*) sermo est non de homine libero, sed de seruo, quem domino restituendum esse, præstito iuramento impunitatis, *suprà* dicebam. Vide etiam quæ dicentur *infra dub.24. sect.19.*

---

## SECTIO VI.

### An, & quid dicendum de decocto fraudulenter?

### Difficultas quinta, eiusque solutio.

### SVMMARIVM.

1 *Decoctus fraudulenter in sententia plurimorum Doctorum non gaudet immunitate.*

2 *Decoctus fraudulenter est publicus latrò, & propterea plectitur pœna capitis.*

3 *Pius V. in sua constitutione æquiparat decoctum fraudulenter publico latroni.*

4 *Decoctus fraudulenter, nec ratione debiti, nec ratione delicti priuatur Ecclesiæ immunitate.*

5 *Decoctus fraudulenter reuera non est publicus latro, sed solum per quandam æquiparantiam.*

6 *In pœnis non est facienda extensio ad delicta similia.*

7 *Decoctus fraudulenter gaudet immunitate procul dubio si ad Ecclesiam secum non asportet bona, vt illa absconderet, sed tantum confugit, vt saluet personam.*

8 *Constitutio Gregoriana reuocat omnia priuilegia, & indulta data principibus extrahendi delinquentes ab Ecclesia, & nominatim fraudulenter decoctos.*

9 *Ratò in fraudulenter decocto possunt contingere quæ necessaria sunt in publico latrone, præsertim actuum frequentia.*

10 *Clemens VIII. in quibusdam literis directis Archiepiscopo Bononiensi, & Nuncio Neapolitano, mandat superioribus Regularium ne fallitos, bannitos, fures, &c. in suis Conuentibus receptent.*

11 *Huiusmodi literæ non derogant Constitutioni Gregorianæ, quia non sunt datæ, & publicatæ in forma legis.*

12 *Huiusmodi literæ non statuunt tradi reos iudicibus sæcularibus, sed tantum expelli à Conuentibus.*

13 *Huiusmodi literæ non obligant, nisi Bononiæ, & Neapoli, non autem in aliis locis, & prouinciis, licet essent publicatæ.*

14 *Lex, & præceptum non potest vltra intentionem legislatoris, vel præcipientis obligare.*

15 *Regularium superiores, qui in eorum Conuentibus dictas personas receptant, & diu detinent, non possunt puniri, nisi Bononiæ, & Neapoli.*

16 *Debitor fraudulentus ad Ecclesiam cum bonis confugiens, non debet ibi multo tempore tolerari, sed debet statim expelli.*

17 *Decoctus non debet res, & bona in præiudicium creditorum ad Ecclesiam transferre, sed debet illa iudici sæculari consignare, vt adiudicet cui de iure competunt.*

18 *Decoctorum bona possunt etiam auferri à iudice sæculari, de licentia tamen iudicis Ecclesiastici.*

19 *Si posita sint in loco immuni in præiudicium creditorum, debent poni in loco non immuni, & consignari iudici competenti, ex Sacra Congregatione.*

OBiicies quintò, saltem non competet decocto 1
fraudulenter. Atque ita docent Boërius *decis.115. n.7.* & alij complures Doctores, apud Couarru. quos ipse sequitur *2. var. c.20. n.14.* Farinac. *de carcerib. q.28. n.33.* Guttier. *pract. qq. ciuil. lib.3. q.1. n.4. & 15.* Decian. *tract. crimin. lib.6. cap.28. num.34.* Gambacurt. *lib.4. cap.15.* Rodriguez *in summ. t.m.7. c.154. n.1.* Fagundez *de præceptis Eccles. præc.2. lib.4. cap.4. num.5.* Ioan. de la Cruz *p.1. præc.8. q.3. art.1. dub.1. concl.1.* Bobadilla *tom.1. lib.2. cap.14. num.67. & 71.* Villadieg. *in Polit. cap.3. num.216.* Azeuedus *tom.3. lib.5. tit.20. leg.6. num.2.* Sarpus *de iure asylorum, cap.5. fol.50.* Anastas. Germ. *de sacrorum immunit. lib.3. cap.16. n.113.* Rebuff. *2. tom. ad reg. Constit. Gallie, & de mercatoribus, art. vlt. glos. vlt. num.7. & 8.* Tannerus *in 2.2. S. Thom. disp.5. q.8. dub.1. num.17.* Peregrin. *de immunit. cap.12. num.4.* Suarez de Paz *in pract. tom.1. part.5. cap.3. q.3. num.156.* Cutellius *de immunit. Eccl. lib.1. p.32. n.1.* & Pereira *de manu Reg. p.2. c.50. n.16.* ex eo, quod talis sit publicus latro (qua propter pœna &

capitis plectitur) tum ex eo, quod sic statuerint multi Catholici Reges (vti testatur Couarru. *loco supra cit.*)
3 & Pius V. expresse in sua Constitutione eum æquiparet publico latroni.

4 Respondetur, nego antecedens, quia nec ratione debiti, nec ratione delicti ab immunitate excluditur: non ratione debiti, alioquin omnes debitores excludi deberent: nec ratione delicti, quia non est publicus latro reuera, sed solum per quandam æquiparantiam, in
5 pœnis autem non est facienda extensio ad delicta simi-
6 lia. Quapropter licet à Pio V. expresse in sua Constitutione æquiparetur publico latroni, non tamen hinc sequitur, quod etiam æquiparatus veniat quoad priuationem immunitatis, cùm pœnæ non sint extendendæ ad similia (præsertim si extensio sit in præiudicium Ecclesiarum, & oppositum reperiatur expressum in iure, sicuti est in casu nostro, vt mox infrà dicetur.) Atque ita in specie de hac Constitutione loquens docet Farinac. *tom.1.conf.76.n.13.* Ambrosin. *de immunit.c.1. n.14.* Locatellus *de tortura, inspect.5.n.158.* & Chartarius *decis.crimin.46.n.172.*

7 Et quidem quod dixi, est certum in casu, quo non fugeret ad Ecclesiam cum bonis, vel illa absconderet, sed solum fugeret ad Ecclesiam, vt personam saluaret (quod fatentur etiam ipsi aduersarij, saltem quamplurimi,) & multò magis est certum, stante Constitutione Gregorij XIV. cùm in illa reuocentur omnes consuetudines, ac omnia priuilegia, & indulta data Principibus extrahendi delinquentes ab Ecclesia, & nominatim fraudulentos decoctos: & cùm ibidem in narratiua fiat mentio de huiusmodi decoctis, de quibus postea, quando Pontifex disponit, nullum verbum facit; inde manifestè apparet, quod voluerit Pontifex huiusmodi fraudulenter decoctos immunitate Ecclesiæ gaudere: & manifestè etiam apparet responsio ad argumenta aduersariorum.

8 Atque ita ex communiori, & probabiliori, & post Gregorij XIV. Constitutionem, ex certa sententia Doctorum docent Nauar. *cap.25.num.19. in fin.* Suarez *lib.3.cap.11.num.3.* Farinac. *in append. de immunit. cap.3. num.64.* retractans oppositam opinionem, quam docuerat *in cit. quæst.18. de carcerib.* Ambrosin. *de immunit. Eccles. cap.13. in fin. num.4.* Duardus *in Bull. Cœnæ, lib.2.can.5.q.16.n.16.* Fernandez *part.4.cap.10. §.1.n.10.* Gratian. *in discept. forens. tom.2.cap.380.num.29.* Anton. Nouarius *in Summ. Bullar. tit. de immunit. Eccles. n.28.* Diana *part.1.tract.1.resol.32.* referens, sic esse decisum Romæ in S. Cardinalium Congregatione: item Gironda *tract. de priuilegiis, cap.23. num.1035.* Flauius Cherubinus *in Compend. Bull. tom.2. Constit.117. Pij V. schol.2.* Correa *in relect. ad cap. inter alia, de immunit. Eccles. part.3.quæst.12.n.12.* Sanch. *in opusc. tom.2. lib.6. cap.1.dub.8. num.24.* Dominicus Tassonus *in pragmat. de antefato, vers.13. obseru.3.num.33.* Lezana *verb. Immunitas Eccles. num.16.* Bonacina *disp.3. q.7. de immunit. §.4. in princip.* & Mar. Ital. *de immunit. Eccles. lib.1.c.5.* Adde, quod dato, quod vera sit aduersariorum sententia, rarò in praxi illa locum habere posset, vt notauit
9 etiam ex aduersariis Peregrin. *loco supra cit.* quia rarò in fraudulenter decocto ea, quæ ad publicum latronem constituendum necessaria sunt, possunt contingere, præcipuè actuum frequentia.

10 Neque obstat, quod Mar. Ital. *loco cit. §.8. num.1. & seqq.* referat quasdam literas scriptas Archiepiscopo Bononiensi, & Nuncio Neapolitano de mandato Clementis VIII. in quibus mandatur Superioribus Regularium, ne condemnatos, fallitos, bannitos, fures, decoctores, debitores, aliosque similes in suis Conuentibus receptarent, iniuncta receptantibus pœna.

11 Respondetur enim, non derogari per hoc (vt ipse Mar. Italia *loco supra cit.* minus rectè opinatur) Constitutioni Gregorij XIV. quia tales literæ non sunt datæ, & publicatæ in forma legis: tum quia in illis solum cauetur, ne tales condemnati, falliti, banniti, fures, &c. in illis conuentibus receptentur, sed ex- 12
pellantur, non tamen quod Iudicibus sæcularibus designentur, vt benè aduertit præter alios Farinac. *in append. de immunit. c.3.n.64.* Peregrin. *c.11.n.14.* & Diana *part.3.tract.1.resol.40.* cùm Clemens VIII. in dictis literis non excipiat alios casus vltra exceptos in Constitutione Gregorij XIV.

Adde contra Cutellium *de immunit. Eccles. lib.1.* 13
*quæst.17.num.7. &* 8. quod cùm dictæ literæ missæ fue- 14
rint solum ad Archiepiscopum Bononiæ, & Nuncium Neapolis, consequens est, quod etiamsi in aliis locis, & prouinciis illæ publicatæ sint, solum Bononiæ, & Neapoli, non autem in aliis locis, & prouinciis obligent; quia lex, vel præceptum non potest vltra intentionem legislatoris, vel præcipientis obligare: si enim Pontifex intendisset vbique per illas obligare, vbique, vel saltem Romæ easdem curasset promulgari, quod vtique non curauit. Quapropter Regularium Superiores, qui data opera in suis Conuentibus numeratas in dictis literis facinorosas personas reci- 15
piunt, & detinent diu, puniri poterunt Bononiæ, & Neapolis; non item in aliis locis, vel prouinciis. Vide 16
Peregrinum *loco cit. num.12. &* 20. & Dian. *cit. resol.40. & part.6.tract.1. resol.17.* vbi refert, quod sacra Episcoporum Congregatio in vna Barensi decreuerit die 12. Martij 1600. quod debitor fraudulentus ad Ecclesiam cum bonis confugiens non debeat ibi multo tempore tolerari, sed debeat tandem ab Ecclesia expelli. Item, quod eadem Sacra Congregatio determinauerit die 1. Decembris 1617. quod decoctus non debeat res, 17
& bona in præiudicium creditorum ad Ecclesiam transferre, sed debeant illa Iudici sæculari consignari, vt adiudicet cui de iure competunt. Vide tandem 18
Barbosam *de vniu. iure Eccles. cap.3. num.47.* vbi tenet, quod possint etiam auferri à Iudice sæculari, de licentia tamen Iudicis Ecclesiastici: qua de re dicam *dub.24. sect.8. & dub.30.*

Interim tamen video, S. Congreg. Episcop. & Regular. 14. Nouembr. 1636. præcepisse, bona posita in loco immuni in præiudicium creditorum, deponi debere in loco non immuni, & 9. Martij 1635. præcepisse Vicario Generali Mediolanensi, ne talia bona tenerentur in loco immuni, in præiudicium creditorum, & 12 Decembris 1642. præcepisse, vt ex quadam Ecclesia extraherentur bona eò transportata in fraudem creditorum, consignanda tamen iudici competenti.

## DVBITATIO XII.

### An, & quid dicendum sit in causis criminalibus?

### SVMMARIVM.

1 *Afferuntur nonnulli canones in causis criminalibus quantumcunque grauibus immunitatem Ecclesiæ ad eas confugientibus concedentes præter casus exceptos.*

2 *Bulla Gregorij XIV. in delictis exceptis in medium affertur, iuxta qualibet delictorum nomina.*

REspondetur, immunitatem Ecclesiæ etiam locum 1
habere in causis criminalibus, quantumcunque grauibus, exceptis casibus à iure expressis, atque ita dicitur *in cap. inter alia, de immunit. Eccles.* ibi: *Quantumcunque grauia maleficia perpetrauerit, non est violenter*

*violenter ab Ecclesia extrahendus.* Et paulò inferius, ibi: *Hoc verum est, nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, qui dum itinera frequentata, vel publicas strratas obsidet insidiis aggressionis, ab Ecclesia extrahi potest.* Alia exceptio ponitur *in cap. vlt. de immunit. Eccles.* vt scilicet immunitate etiam non gaudeat committens homicidia, vel mutilationes membrorum in Ecclesia. Item secundum intellectum plurium Doctorum ponitur & alia *in cap.1. de homicidio,* vt scilicet neque gaudeat committens homicidium per
2 industriam, & insidias. Quæ omnia congerit Gregorius XIV. in sua Constitutione, aliquibus additis, ibi: *Ad vnam tantum formam reducimus, moderamur, vt laicis ad Ecclesias, locaque sacra confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, vel depopulatores agrorum, quique homicidia, & mutilationes membrorum in Ecclesiis, earumque cœmeteriis committere non verentur, aut qui proditione proximum suum occiderint, aut assassinij, vel hæresis, aut læsæ Maiestatis rei in personam ipsiusmet Principis, immunitas Ecclesiastica non suffragetur.*

## DVBITATIO XIII.

### An immunitate priuetur publicus latro?

#### SVMMARIVM.

1 *Publicus latro priuatur Ecclesiastica immunitate.*
2 *Latro est qui deprædatur violenter.*
3 *Publicus, qui deprædatur palam, & publicè, vel per insidias in via publica, etiam mari, vel flumine, vel per vim in domibus priuatorum.*
4 *Diffamatus in vno ex multis, latrocinio publico, vel ex aliquibus secretis, dum latro publicus reputatur, non gaudet Ecclesiæ immunitate, multò magis, si sit latro notorius notorietate iuris. At gaudet, si non sit notorius, nec notorietate facti, nec iuris.*
5. & 6. *Præsumptio, vel dubitatio quod aliquis sit publicus latro non sufficit ad effectum ipsum priuandi immunitate Ecclesiastica, sed debet in hoc casu constare esse latronem publicum per informationem factam citata parte, & per iudicis sententiam.*
7 *Latro publicus, vt immunitate priuetur, requiritur, quod deprædetur in viis publicis, & itineribus frequentatis, & non sufficit, quod furetur per insidias in loco non publico.*
8. & 9. *Item requiritur quod non semel, sed bis, vel ter tale delictum commiserit.*
10 *Nomen latronis frequentiam denotat.*
11 *Non sufficit quod pluries tentauerit, sed requiritur quod pluries consummauerit, cum simus in materia odiosa & pœnali.*
12 *Mulier ex vnico actu fornicationis non dicitur publica meretrix, nec quis ex vnico actu vsuræ dicitur publicus vsurarius.*
13 *Frequentia si sit necessaria, duo actus sufficiunt, quia ad inducendam consuetudinem duo actus sufficiunt.*
14 *Quod dictum est de publico latrone, idem dicas de grassatore, & agrorum depopulatore.*
15 *In aliquibus Regnis publici latrones, grassatores viarum, depopulatores agrorum per vnicum delictum vita priuantur: at non sic est de immunitate, circa quam Principes non possunt disponere.*

1 REspondetur affirmatiuè: patet ex dictis *in sect. præced.* & ex *cit. cap. inter alia*, & citata Constitutione Gregorij XIV.

Est autem latro, qui deprædatur violenter: publicus autem, qui deprædatur palam, & publicè, vel 2 3
per insidias in via publica, etiam mari, aut flumine, vel per vim publicè in domibus priuatorum, vti rectè docent Gloss. *in cit. cap. inter alia*, Abb. *ibid.* Syl. *verb. Latro*, Azor *tom. 2. lib. 9. cap. 9. quæst. 9.* Scortia *Theor. 385.* Decian. *lib. 6. tract. crimin. cap. 28. num. 2.* Peregrin. *cap. 6. num. 2. & seqq.* Mar. Italia *lib. 1. cap. 5. §. 1.* Ambrosin. *de immunit. Eccles. cap. 2. num. 3. & 4.* Farinac. *de carcerib. quæst. 28. num. 5. & in append. de immunit. c. 10. num. 15.* Correa *in repetit. cap. 7. num. 27.* & Barbosa *de iure Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 79. & 80.* qui rectè subdunt, 4
quod quis non solùm propter notorietatem iuris (vt si in iudicio hoc crimen confessus, vel propter ipsum aliquando damnatus sit) sed etiam propter notorietatem facti (vt si vel vno ex multis latrocinio publico, vel ex aliquibus secretis diffamatus sit, & publicè latro reputetur) immunitate Ecclesiæ priuetur, quia in vtroque casu verè dicitur latro publicus. Vnde à contrario latrones, qui non sunt publici, nec notorietate iuris, nec notorietate facti, immunitate gaudebunt, Bacconus *in 4. distinct. 13. art. 1.* Sot. *de iust. & iur. lib. 5. quæst. 33. art. 3.* Sanch. *tom. 2. consil. moral. lib. 6. cap. 1. dub. 8. num. 14.* & Lezana *verb. Immunitas Eccles. num. 8.* Subdunt secundò, quod vt quis immunitate Ecclesiæ 5
priuetur, constare debeat, esse latronem publicum, neque sufficiat præsumptio, vel dubitatio, quia non præsumptè latro publicus, sed verè latro publicus immunitate priuatur. Vt autem hoc constet in hoc casu, 6
debet prius parte citata fieri informatio, & sententia declarari, alias delinquens immunitate non priuatur. Vide Decian. *cit. n. 2.* & Farinac. *n. 155. & 156.*

Requiritur tamen ad hoc vt latro publicus immu- 7
nitate priuetur, quod deprædetur in viis publicis, & itineribus frequentatis, & non sufficit, quod furetur per insidias in loco non publico, quia textus, tam iuris communis, quàm constitutionis Gregorij XIV. expressè dicit: *Itinera frequentata, & publicas strratas obsidet.* Quæ verba ad declarationem delicti, & non frustra fuerunt apposita. Atque ita contra Innocent. *in cap. inter alia*, & ibi Hostiensem *num. 4.* & Ioannem Andream *num. 6.* motos ex ratione, quam referam *dub. 18. n. 3.* docent Farinacius, Ambrosinus, Mastrillus, Riccius, Nouarius, & Diana in locis *infrà* citandis: item Clarus *§. fin. q. 30. n. 9.* & videri etiam poterit Abb. *in dict. cap. inter alia, num. 5.* & Layman *lib. 4. tract. 9. c. 3. num. 8.*

Requiritur etiam, quod non semel, sed ad minus 8
bis, vel ter tale delictum commiserit, quia nomen la- 9
tronis frequentiam denotat, sicuti præter alios docet 10
Abbas *in cap. 1. num. 24. de iudic.* Ignæus *in l. 3. §. subuertitur, num. 107. ff. ad Syllan.* Barbosa *de iur. Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 84.* Giurba *consil. 50. num. 27.* Nouarius *in summa Bullarum, tit. de immunit. num. 45.* vbi ex Suarez, & Giurba *num. 46.* subdit, quod ad hoc, vt immunitate priuetur, non sufficiat, quod pluries delictum tentauerit, sed requiratur, quod pluries consummauerit, cùm 11
simus in materia odiosa, & pœnali, præsertim in præiudicium immunitatis Ecclesiarum.) Peguera *decis. 40. n. 4.* Carolus Maranta *in Controuers. iur. part. 2. respons. 46. num. 7.* Mastrillus *de indulto, cap. 37. num. 7.* Peregrin. *de immunit. cap. 6. num. 8.* Horatius Persius *consil. crim. 39. num. 2. & 3.* Decian. *cit. num. 2.* Ambrosin. *cap. 3. num. 5.* & Farinacius *cap. 10. num. 154. & 164.* Et clarè etiam patet ex *l. capitulum, § & generaliter, ff. de pœnis.* Quapropter 12
mulier ex vnico actu fornicationis non dicitur publica meretrix, nec quis ex vnico actu vsuræ dicitur publicus vsurarius, ex *text. in l. quis sit fugitiuus, §. errorem,* & *in l. sciendum, §. illud, ff. de ædilit.* Quidquid in contrarium dicat Martha *de iurisdict. p. 2. c. 55. n. 22.* (licet ibi testetur de praxi,) & Megalius *in 3. p. lib. 4. cap. 2. q. 1. num. 10.* qui tamen subdit, & rectè, quod si frequentia

sit necessaria, duo actus sufficiant; quia ad inducendam consuetudinem duo actus sufficiunt, ex Gloss. *in auth.de testibus, §.quia verò multi, & l.2. in fin. Cod. de Episcop.audient.* & docent Graff. *de casib. reseru. lib.1. cap.10. num.14.* Floronus *part.2. cas.4. num.10.* & alij contra Antoninum Dianam *part.6. tract.1. resol.15.* & alios.

14 Quod dixi de publico latrone, idem dicas de grassatore, & agrorum depopulatore, quod scilicet ad hoc, vt quis immunitate priuetur, requiratur etiam, quod non semel, sed pluries similiter actu grassatus, vel depopulatus fuerit.

15 Dices, in aliquibus Regnis (vt in Regno Siciliæ ex vi Regiæ Pragmaticæ, *sub Rubr.de furt.& rapin.tit.47. pragmat.1.*) qui semel deliquit delicto, quo suprà, vita priuatur: ergo & immunitate Ecclesiarum etiam priuatur.

Respondetur, nego consequentiam, & disparitas est, quia Principes, licet possint disponere circa vitam hominis, non tamen possunt disponere circa immunitatem Ecclesiarum, cùm hoc spectet tantum ad Summum Pontificem, sicuti dicam *infrà dub.20. sect.7.ad fin.* & docent Peregrin.*de immunit. c.6.n.9.* Ambrosin. *cap.3. n.6.* & ex ipsismet Consiliariis Regiis, Peguera *decis.410.* & Mastrillus *de indult. cap.33. num.7.* quidquid in contrarium sentiat Mar. Ital. *lib.1. cap.5. §.1. num.20.*

## DVBITATIO XIV.

### An priuetur simplex fur?

### SVMMARIVM.

1 *Simplex fur non priuatur Ecclesiastica immunitate, præsertim si furetur in loco publico.*

2 *Simplex fur, licet nonnulli affirment, si tamen extet consuetudo in contrarium, gaudet immunitate.*

3.& 4. *Qualibet consuetudo sublata est per constitutionem Gregorianam, sed secus si consuetudo introducta sit alicubi post dictam Bullam.*

1 REspondetur negatiuè, quia simplex fur (præsertim si furetur in loco non publico) non est latro publicus, & exceptio vnius firmat regulam in casibus non exceptis. Vide Innocentium *in cit.cap.inter alia*, & ibi Hostiensem *num.4.* & Ioannem Andream *num.6.* item Farinacium *cap.12.num.165.* Ambrosinum *cap.3.num.5.* Mastrillum *de indult.cap.32. num.8.* Riccium *part.4. decis.144.* Nouarium *in summa Bullarum, titul. de immunit. num.47.* & Dian. *part.6. tract.1. resol.15.*

2 An autem talis immunitate priuetur, saltem ex consuetudine?

Respondetur, quod (quamvis affirment Couarruu. *2.var.cap.20.num.16.ad fin.* Clar.*in pract.lib.5.§.fin.q.30. vers.quartò, an fures.* Farinacius *de carcerib.q.28.num.51.* & Suarez *lib.3. cap.11. num.5.* ex eo, quod hæc consuetudo non sit contra immunitatem Ecclesiæ, quia ex Ecclesiæ consensu introducta est, vt tales delinquentes arceantur) tamen cum Farinacio reuocante priorem sententiam *in append.de immunit. cap.6. n.94.* Tusch.*verb.Eccles.concl.10.num.23.* Mar.Ital. *de immunit.lib.1.§.1.n.2.* & Bonacina *disp.3. quæst.7.de immunit. §.4.num.5.* negandum sit, quia cùm Constitutio Gregorij XIV. ad vnam tantum formam immunitatem hanc Ecclesiæ reduxerit, sublata qualibet alia forma sub clausula irritante, consuetudinem talem (si de facto alicui fuerat introducta) sustulit. Nisi forsan dicas,

3 4 iterum post ipsam Constitutionem Gregorij XIV. dictam consuetudinem alicubi legitimè introductam, & præscriptam esse, quod an sit verum, viderint qui affirmant: nam si sic est, non audeo illam damnare. Vide quæ diffusiùs dicentur *dub.24. sect.5.& 8. & dub. 41.sect.2.n.18.* & quæ dicebantur *dub.6.*

## DVBITATIO XV.

### An priuetur persona captiuans, & componens?

### SVMMARIVM.

1.& 2. *Captiuans, & componens personas, si pluries id faciat, vt supra in itineribus, & stratis publicis, etiam vrbium, non gaudet immunitate, secus si id faciat priuatim, & secretò, siue immediatè, siue missis aliquibus nuntiis, vel literis comminatoriis.*

REspondetur, quod immunitate priuetur perso- 1
nas captiuans, & eas componens, si id faciat pluries (vt suprà) in itineribus, & stratis publicis, etiam vrbium; quia tunc est latro publicus, vel gras- 2
sator; secus si id faciat priuatim, & secretò, siue immediatè, siue missis aliquibus nuntiis, vel literis comminatoriis, quia tunc non est neque publicus latro, neque grassator. Atque ita docent Carolus Maranta *in Controuers.iur.part.2.respons.46.n.16.& 17.* & Diana *part.6.tract.2.resol.15.* contra Nouarium *in summa Bullarum, tit. de immunit.num.44.in fin.* qui vt rectè aduertit Diana *in resol. cit.* non ad rem adducit Mastrillum, cùm hic loquatur in terminis indulti à Rege concessi, & non in terminis Constitutionis Gregorij XIV. quæ excludit omnem extensionem de casu ad casum, vt dicemus *infrà dubit.24. sect.1. & seqq.* Vnde apparebit, quod etiam gaudeat immunitate in terminis iuris communis.

## DVBITATIO XVI.

### An priuetur nocturnus depopulator agrorum?

### SVMMARIVM.

1 *Nocturnus depopulator agrorum gaudet immunitate.*

2 *Agrorum depopulator pluribus per insidias exitium excogitat.*

3 *Agrorum depopulator Rempublicam, eiusque quietem, & pacem grauiter perturbat.*

4 *Agrorum depopulator de iure Cæsareo plectitur pœna vltimi supplicij, licet sæpè sola pœna triremis, vel fustigationis puniatur, parte satisfacta.*

5 *Agrorum nocturnus depopulator est, qui nocte agrorum segetes, vel vinearum fructus destruit, ibi se abscondendo, vel alia via eos deuastando.*

6 *Idem dic de incendente agros, qui propterea neque gaudet immunitate, qua tamen gaudent alij incendiarij, per se loquendo.*

7 *Depopulator nocturnus agrorum non gaudet immunitate, licet delictum non sit publicè factum, dummodo de illo constet.*

REspondetur affirmatiuè, *cit. cap.inter alia, de im-* 1
*munit. Eccles.* & docent ex communi Farinac. *de carcerib.q.28.n.50. & in append. de immunit.c.11.n.158.*

Layman

Layman *lib.4.tract.9.cap.3. num.8.* & Ambrosinus *c.4. num.5.* & meritò ; quia teste Glos.*in cap. vlt.de immunit. Eccles.* agrorum depopulator pluribus per insidias 2
exitium excogitat, *c. est iniusta,23. quæst.4.* & Rempublicam eiusque quietem, & pacem grauiter perturbat, 3
*l.2. Cod. quando liceat sine iudice ius sibi dicere* ; contra quem etiam Leo X. *Bul.10.num.2.*renouauit quascumque Constitutiones , & pœnas antea latas : & *lex 2.* 4
*ff. arbor. furt. cæsar.* infligit pœnam mortis , quamvis sæpè sola pœna triremis , vel fustigationis puniatur, parte satisfacta , vt notauit Clarus *lib.5. §.fin.quæst.68.*

5 Est autem agrorum nocturnus depopulator, qui nocte agrorum alienorum segetes , vel vinearum fructus destruit , ibi se abscondendo,vel alia via eos subripiendo , vel deuastando , *l.1. Cod. quando liceat sine Iudice ius sibi dicere* , & docent Hostiensis , Innocentius , Ioannes Andreas *in cit. cap. inter alia* , Peregrinus *cap.6.* Decianus *lib.6. cap.25. num.3.* Tuschus *verb. Ecclesia, conclus.11. num.10.* Suarez *de relig.lib.3. cap.11. num.4.* Mar. Italia *lib.1. cap.5. §.1.* Farinac. *in locis supra citatis* , & Ambrosinus *vbi supra,num.4.* & alij passim.

6 Idem dic de incendente agros, hic enim etiam dicitur agrorum depopulator. Imo Decian. *loc. cit. c.28. num.24.* Mar. Italia *§.3. num.56. & seqq.* & Peregrin. *cap.12. num.6.* idem dicendum putant de aliis incendiariis data opera incendentibus, quod mihi non probatur ; quia hi per se loquendo non comprehenduntur in exceptionibus Gregorianæ , sicuti dicam *dubit.24. sect.15.*

Dixi , *per se loquendo* , quia si ex incendio sequatur proditoria mors , vel aliud delictum exceptum in dicta Gregoriana , clarum est,sic delinquentem immunitate Ecclesiæ non gaudere.

7 Vt autem dictus depopulator agrorum immunitate priuetur , non requiritur , delictum ab ipso publicè fieri , sed sufficit , quomodocunque fieri, dummodo illo constet, & pluries factum fuerit. Vide Farinac.*cit. cap.11.num.160.*& Ambrosinum *cit.cap.3.num.3.* Vide etiam quæ dicebam *dub.13.num.14.*

## DVBITATIO XVII.

### An priuetur diurnus depopulator agrorum ?

### SVMMARIVM.

1 *Diurnus depopulator agrorum , inspecto* c. inter alia, *de immunitate,non priuatur dicto immunitatis priuilegio.*

2 *Diurnus depopulator, attenta Constitutione Gregoriana indefinitè loquente , non gaudet immunitate, in sententia aliquorum Doctorum.*

3 *Opinio in contrarium non est improbabilis, quia Constitutio Gregoriana intelligi debet secundum ius commune,quod solum nocturnos excludit.*

4 *Diurnus agrorum depopulator comprehenditur sub exceptione publici latronis, si scilicet publicè agros deuastet,& non clandestinè.*

1 REspondetur , quod è contra immunitate non priuetur diurnus depopulator agrorum ; quia ly nocturnus *in citat. cap. inter alia* , tacitè excludit diurnum ; & quia cùm sit materia pœnalis , non est extendenda.

An autem talis priuetur, saltem ex vi Constitutionis Gregorij XIV.

2 Respondetur , quod ( quamvis affirment , & rectè, Farinac. *de immunitat. cap.11. num.161.* Ambrosinus *cap.4. num.5.* Scortia *Theor.385.* Barbosa *de iure Eccles. lib.2.cap.3. num.87.*Lezana *verb.Immunitas,n.10.* & Bonac. *disp.3.quæst.7.de immunit. §.4. num.6.* ex eo, quod dicta Constitutio demens particulam , *nocturnus* , ab immunitate indefinitè excludat depopulatores agrorum ) negari tamen non improbabiliter possit ; quia illos excludendo Constitutio Gregorij XIV. intelligi debeat iuxta ius commune, quod solùm nocturnos excludit , cùm ex alio capite talis exclusio , vtpotè derogans immunitati , sit odiosa,& pœnalis,& consequenter non sit latè , sed strictè interpretanda , & sic non de diurno , sed de solo nocturno intelligenda. 3

Cæterùm etsi diurnus , vt dicebam , non videatur quodammodo sub iis verbis comprehendi , comprehenditur tamen sub exceptione publici latronis , si scilicet publicè vineas, vel agros aliorum deuastet,etsi non item clandestinè. 4

## DVBITATIO XVIII.

### An priuetur viarum grassator ?

### SVMMARIVM.

1 *Grassator viarum non gaudet Ecclesiæ immunitate.*

2 *Grassator viarum est qui in Vrbe per insidias aggreditur , vt viatores spoliet , vulneret , vel occidat.*

3 *Ly* grassari *frequentationem denotat.*

4 *Grassator viarum , si non in loco publico , & frequentatis itineribus aggrediatur, gaudet Ecclesiæ immunitate,contra nonnullos.*

5 *Hinc tonsores monetarum , & alij sine armis,& violentia subripientes,seu occultè , vel in viis priuatis, aut etiam in viis publicis , at non per insidias , sed quasi ex accidenti furantes,non priuantur immunitate Ecclesiæ.*

6 *Quamvis nonnulli putent , contrarium consuetudine ex parte receptum esse de eo , qui in viis priuatis, aut alibi per insidias aggreditur,& furatur.*

REspondetur affirmatiuè , *citat. capite inter alia* , 1
ibi : *Qui dum itinera frequentat , vel publicas strata obsidet aggressionis insidiis.*Et cit. Constitut. Gregorij XIV. ibi : *Viarumque grassatores , qui dum itinera frequentata , vel publicas strata obsident , ac viatores ex insidiis aggrediuntur.* Et probatur , quia grassatores viarum comprehenduntur nomine latronum, quamvis à latronibus differant in hoc , quod latro, dicitur, qui vias extra Vrbem obsidet, grassator verò in Vrbe, *l. capitalium , §. grassatores , ff. de pœnis.* Decian. *lib.6. cap.28. num.2.* Ambrosin. *cap.2. num.4.* & Farinac. *in append. cap.12.*

Est itaque viarum grassator , qui in Vrbe per insi- 2
dias aggreditur , vt viatores spoliet , vulneret , vel occidat,vti docent communiter Doctores;vbi nota,quod per vnam grassationem non priuetur quis Ecclesiastica immunitate , quia verbum *grassari*,frequentationem denotat , vt ex Deciano , Ambrosino , & Farinacio refert Barbosa *de iure Eccles.lib.2.cap.3.num.84.* & ego dicebam *dub.13.num.8.*

Cæterùm , an sufficiat , vt immunitate priuetur , si 3
aggrediatur,quamvis non in loco publico.

Respondetur , quod ( quamvis Innocentius *in dict. capite inter alia , col.2.* Hostiensis *num.4. verb. Immunitas* , Ioan. Andreas *num. 6. vers. Insidiis* , affirment ex eo , quod *in cap. inter alia* , exempli gratiâ dicitur : *Qui itinera frequentata , & publicas strata obsi-*

*dent*, quia hi viarum grassatores ibi sæpius aggrediuntur ) negandum tamen sit ; quia & textus de
4 grassatore in viis publicis , & itineribus frequentatis expresse loquitur ( quæ verba ad declarationem delicti fuerunt apposita ) & quia ly *via* publicum iter denotat ; quapropter qui itinera priuata , vel occultas stratas obsidet , non videtur priuari immunitate Ecclesiastica , siquidem Pontifex solùm excludit eos, qui itinera frequentata , vel publicas stratas obsident, iuxta *l.1. Cod. quando liceat vni*, vti *suprà* dicebam. Vide Farinacium *in append. de immunit. cap.2. num.165.* Ambrosin. *cap.3. num.5.* Bonacinam *de legibus , disput.3. quæst.7. de immunit. Eccles. §.4. num.1.* & Lezanam *verb. Immunitas, num.9.*

5 Ex dictis sequitur , tonsores monetarum , vel alios sine armis , & violentia subripientes, seu occultè,vel in viis priuatis , aut etiam in viis publicis , at non per insidias , sed quasi ex accidenti furantes , non priuari immunitate Ecclesiæ : quia non sunt publici latrones , nec dicuntur obsedisse vias frequentatas, iuxta *cit. capit. inter alia , l.1. Cod. ne liceat vnic. sine iudic. sibi ius dicere* , & cit. Constitut. Gregorij XIV. & tradunt Decianus , Ambrosin. Farinacius , & Peregrinus *in locis suprà cit.* quamvis Couarru. *cit.num.14.*
6 Suarez *cap.12. num.4.* & Filliucius *num.152.* putent contrarium consuetudine ex parte receptum esse de eo , qui in priuatis viis, aut alibi per insidias aggreditur,& furatur. Vide quæ dicebam *dub.18.num.7.*

## DVBITATIO XIX.

An priuetur,qui occidit,vel mutilat in Ecclesia , vel Cæmeterio.

### SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Occidens , vel mutilans in Ecclesia , vel Cæmeterio non gaudet immunitate : nam ly* Et *in textu, stat pro* Vel.
2 *Delinquens in Ecclesia indignus est immunitate Ecclesiæ.*
3 *Frustra legis auxilium inuocat , qui legem contemnit.*
4 *Puniri quis debet in eo,in quo deliquit.*
5 *Mutilator est qui abscindit membrum, non qui vulnerat debilitando membrum , & abscindit membrum, cuius officio corpus mouetur,& iuuatur.*
6 *Digiti,dentes,& huiusmodi multa non sunt membrum, sed potius partes membri.*
7 *An qui aliud delictum graue,licet non exceptum committit in Ecclesia,gaudeat immunitate : sunt Auctores grauissimi pro vtraque sententia.*
8 *Tenentes partem negatiuam quod non gaudeant immunitate cæteri delinquentes in Ecclesia, arguunt à maioritate rationis.*
9 *Opinio in contrarium , quod cæteri delinquentes in casibus non exceptis, in sententia Auctoris est probabilior.*
10 *Delinquentis in Ecclesia ratione loci commissi delicti est puniendus à iudice Ecclesiastico , vel consulto prius Romano Pontifice potest tradi Curiæ sæculari, si delictum sit atrocissimum.*
11 *Diuersum est aliquid potuisse iustè fieri,& factum non esse.*
12 *In pœnis,vt in censuris,& irregularitatibus non valet argumentum à paritate , quin neque à maioritate rationis.*
13 *Homicidium , & mutilatio non solum exempli causa, sed tanquam materia integrè prohibita,non gaudet immunitate.*
14 *Homicidium , & mutilatio commissa in vna Ecclesia , etiam non consecrata , priuant immunitate etiam in cæteris Ecclesiis,secundum probabiliorem.*
15 *Qui offendit vnam Ecclesiam , offendit omnes , cum Ecclesia sit vna per totum Orbem diffusa.*
16 *Reus aliorum criminum in Ecclesia commissorum,præsertim si rationem sacrilegij habeant , ratione loci commissi delicti,potest puniri à Iudice Ecclesiastico , vel consulto Romano Pontifice Iudici sæculari est remittendus.*
17 *Sacrilegium est delictum mixti fori.*
18 *Committens in Ecclesia leuia delicta gaudet immunitate.*
19 *Qui mutilauit , vel occidit in Ecclesia non potest capi ob alia delicta in Ecclesia, nisi simul capiatur ob delictum mutilationis , vel homicidij nondum castigatum.*

SVppono cum communi Doctorum sententia , qua 1
sequitur Clarus *§. fin. quæst.30. num.13. vers. item quæro* , Farinac. *quæst.28. num.53.* & Peregrin. *capite 5. num.14.* quod licet Gregorius XIV. in sua Constitutione dicat : *Qui homicidia , & mutilationes membrorum in Ecclesia , vel Cæmeterio committere non verentur* , immunitate non gaudere , vtendo coniunctione illa *Et* ; quod etiam habetur *in capite fin. de immunit.* qua denotari videtur , vtrumque requiri , vt quis immunitate priuetur : Contrarium tamen dicendum sit , sufficere scilicet ad hoc , occidere, vel mutilare in Ecclesia , quia sic est praxis totius Ecclesiæ : tum quia alioquin occidens , sed non mutilans in Ecclesia , gauderet immunitate Ecclesiæ, quod minimè dicendum videtur : tum quia mirum non est, quod ly *Et*, sumatur disiunctiuè pro ly *vel* , vt dicam *cap.19.dub.77.* Hoc supposito.

Respondetur affirmatiuè , *cit. capite fin. de immunit. Eccles.* & cit. Constitutione Gregorij XIV. & docent communiter Doctores , & meritò , quia ( vt dicitur *in cit. cap. inter alia , & c. id Episcopus , 17. quæst.7.* ) delinquens in Ecclesia , indignus est immunitate Ec- 2
clesiæ : tum quia ( vt dicitur *in capite frustra, de vsuris , & in l. auxilium , §. in delictis , de minoribus,*) frustra legis auxilium inuocat , qui legem contemnit: 3 4
tum quia puniri quis debet in eo , in quo deliquit, & sic , si deliquit in Ecclesia , puniri debet priuatione Ecclesiæ, sicut & puniri à superiore Ecclesiæ : quia deliquit in Ecclesia.

Est autem mutilator ( vt dicitur in tractatu de 5
irregularitate ) qui abscindit membrum , non qui vulnerando debilitat membrum ( cùm aliud sit vulnerare & debilitare membrum , & aliud mutilare membrum. ) Et qui abscindit propriè membrum , 1
cuius scilicet officio corpus mouetur , & iuuatur , vt sunt oculi , pedes , manus , lingua , mandibula, &c. non sic digiti , & dentes , qui non sunt mem- 6
brum , sed potius partes membri : membrum enim propriè est pars illa corporis , quæ proprium habet officium distinctum ab aliis partibus , Bartol. *l. 2. ff. de publicis iudic.* Nauar. *cap. 27. numero 20.* Couarru. *in Clement. si furiosus , part. 3.* Molin. *tom.4. disputat. 69. numero 2.* Auila *de censuris , part. 7. disputat. 5. sect. 2. dubitat. 1.* Suarez *de cens. disput.44. sect. 2. numero 6.* Toletanus *lib. 1. cap. 71.* Filliucius *tractat. 29. cap. 9. numero 235.* & Reginaldus *lib.31. num.91.* contra Caietanum *2.2. quæst.68. art.5.* Sotum *de iust. & iur. lib. 5. quæst. 2. art...* & alios , qui tenent , membrum propriè illud esse,quod habet officium

cium disiunctum, vel coniunctum cum aliis membris, vt est digitus secundum ipsos: quapropter secundum nostram sententiam digitus, quamvis pollex, vel index, non est propriè membrum, sicut nec dentes, vngues, testes, barba, capilli, digitorum articuli, nares, pars carnis, copia sanguinis, vel auriculæ, id est cartilago illa externa, quæ tuetur aurem, & ornat faciem. Idem dico de mammillis maris, cum non habeant actum proprium, & particularem, sed potius videantur inseruire ad ornatū hominis; oculus autem, manus, pes, auris, lingua, membrum virile sunt propriè membra, quia habent particulares actus distinctos ab aliis membris. Idem dico de mammillis fœmellæ, eo quod habeant proprium actum, & officium distinctum à cæteris membris, vt bene Vgolinus *de irregularit. capite* 4. §. 5. Molin. *numero* 6. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 18. Reginal. *num.* 91. quamvis Baldus, Couar. & alij existiment, mammillam fœminæ non esse propriè membrum: & Cepolla apud Giurbam *cons.* 40. *num.* 6. putet, nec linguam similiter esse propriè membrum.

7 Dices: ergo & immunitate priuatur quicumque in Ecclesia, vel Cæmeterio aliud delictum graue (quamvis non exceptum) committit; cum & hic sit eadem ratio decidendi.

Respondetur, quod quamvis Abb. *in cap. immunitatem, extra de immunit. Eccles.* Clarus §. *fin. quæst.* 30. *num.* 13. Angelus de Castro inter consilia Pauli patris, *consil.* 458. *lib.* 2. Petrus Gregor. *lib.* 33. *cap.* 22. *num.* 6. Nauar. *cap.* 26. *num.* 20. Couar. 2. *variar. cap.* 20. *numero* 15. Decianus *lib.* 6. *cap.* 28. *num.* 7. Suar. *lib.* 3. *de reuerentia debita locis sacris, cap.* 11. *num.* 6. Farinac. *de carceribus, quæst.* 27. *num.* 53. Gutierrez *pract. qq. Ciuil. lib.* 3. *qu.æst.* 1. *num.* 17. Raphaël de la Torre *in* 2.2. *tom.* 2. *quæst.* 99. *art.* 3. *disput.* 7. Reginald. *in prax. tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 26. *num.* 38. *in fin.* Tanner. *in* 2. 2. *disput.* 5. *quæst.* 8. *dub.* 1. *num.* 16. Sarpus *de iure Asylorum, cap.* 5. *fol.* 49. Graff. *tom.* 1. *lib.* 3. *cons. vnic. num.* 10. *& seqq. de immunit. Eccles.* Portell. *vers. Eccles. immunitas, numero* 15. Gambacurta *lib.* 5. *cap.* 18. Villadieg. *in Polit. cap.* 3. *num.* 206. Barbosa *in collectan. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 49. *cap.* 10. *num.* 4. Ioan. de Heuia *in Curia Philipp. part.* 3. §. 12. *num.* 20. Zipæus *in iure nouo Can. lib.* 3. *de immunit. Eccles. num.* 10. Bobadilla *Polit. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 24. Cutellius *de immunit. Eccles. lib.* 1. *quæst.* 2. &
8 alij affirment propter easdem rationes supradictas, & quia non videtur credibile, quod Pontifex voluerit immunitatem denegari vulneranti in Ecclesia, & illam concedere mœchanti, adulteranti, stupranti, simoniam committenti, vel falsam pecuniam cudenti, &c. in eadem. Vnde, inquiunt ipsi, dicendum est, quod Pontifex homicidium, & vulnerationem apposuerit exempli causa ex eo, quod homicidium, & mutilatio frequentiùs in Ecclesia contingant, sub ipsis tamen
9 cætera delicta grauia sacrilegia comprehenderit. Tamen probabilius negatur, quia priuatio immunitatis est pœna, & in præiudicium Ecclesiæ, & sic non extendenda vltra verba legis, id est, ad alia delicta grauia in Ecclesia commissa præter homicidium, & mutilationem, cùm de solis illis *cit. cap. fin.* & citata
10 Constitutio Gregorij XIV. loquantur, licet talis delinquens sit puniendus à Iudice Ecclesiastico, ratione loci, in quo delictum commisit, vel consulto prius Romano Pontifice possit tradi Curiæ sæculari, si delictum sit atrocissimum. Confirmatur, quia Sacra Congregatio Immunitatis 18. Martij 1631. apud Barbosam *in Collectan. Bullar. verb. Immunitas*, declarauit, quod immunitate gaudeat furans in Ecclesia: ergo, &c. Atque ita docent Farinac. *in append. de immunit. cap.* 16. *num.* 208. *& in decis. consil.* 76. *numero* 7. *& 9.* Gratian. *in discept. forens. tom.* 2. *cap.* 380. *n.* 29. Boërius *decis.* 109. *num.* 3. Genuens. *in prax. cap.* 22. *num.* 8. Peregrin. *in tract. de immunit. Eccles. capite* 6. *num.* 23. *& cap.* 12. *quæsit.* 15. Riccius *part.* 5. *collect.* 1792. (vbi sentit, quod per Constitutionem Gregorij XIV. correctum sit *cap. fin. de immunit. Ecclesiæ.*) Megalius 3. *part. lib.* 4. *cap.* 2. *quæst.* 1. *num.* 15. Scortia *Epit.* 153. *Theor.* 385. Diana 1. *part. tract.* 1. *resol.* 2. *&* 39. Bonacina *disput.* 3. *quæst.* 7. *de immunit.* §. 5. *num.* 12. & alij passim contra Nauarrum, Couarruu. & alios Doctores *supra* citatos; & præterea contra Sanchez in selectis *disput.* 44. *num.* 52. vbi subdit, quod qui delinquit in Ecclesia, neque gaudeat immunitate quoad alia delicta extra Ecclesiam commissa: qua de re tamen vide quæ dicentur *infrà dubit.* 22. *& dubit.* 24. *sect.* 22. *in fin.*

Vnde neque obstant opposita: non enim obstat 11
primum; quia licet ratio decidendi æquè procedat in aliis casibus grauibus, hinc tamen solum sequitur, quod in aliis casibus grauibus iustè idem constitui potuerit, non tamen quod de facto constitutum sit. 12
Vnde ortum est illud dictum, quod in pœnis, vt in censuris, irregularitate, &c. non valeat argumentum à paritate, quin neque à maioritate rationis.

Neque obstat secundum, quia alia crimina grauia 13
Pontifex non excluserit: nam ita frequentiora non sunt.

Neque obstat tertium, quod scilicet homicidium, 14
& mutilationem exempli causa tantum apposuerit: apposuit enim verè, tanquam materiam integrè prohibitam, vt colligitur ex dictis.

Probabilius itaque est, quod tantum homicidium, & mutilatio commissa in Ecclesia priuent immunitate, quamvis hæc ita priuent, vt non solum in Ecclesia, in qua quis alterutrum eorum delictorum commisit, tutus non sit, sed nec etiam in aliis Ecclesiis, ad quas confugit, quia adhuc verum est talem perpetrasse delictum homicidij, vel mutilationis in Ec- 15
clesia, præsertim quia immunitas, qua sic delinquens priuatur, est eadem in omnibus, & qui offendit vnam Ecclesiam offendit omnes, cum Ecclesia sit vna per totum orbem, sicuti ex communi sententia Doctorum contra Sylvestrum *verb. Immunitas*, §. 3. & quosdam alios docent Couar. 2. *variar. cap.* 20. *num.* 15. Sanchez *tom.* 2. *consil. moral. lib.* 6. *cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 16. Lezana *verb. Immunitas Eccles. num.* 11. Azor 2. *part. lib.* 9. *cap.* 9. *quæst.* 9. Anastas. Germon *de sacr. immunit. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 80. Clarus *pract. lib.* 5. §. *fin. quæst.* 30. Reinig. Gonny *fallentia* 11. *num.* 2. Tolosanus *decis.* 422. Decian. *lib.* 6. *cap.* 28. *num.* 8. *&* 10. Ambrosin. *de immunit. cap.* 5. *num.* 3. Farinac. *de carceribus, quæst.* 28. *num.* 59. *& in append. de immunit. cap.* 16. *num.* 219. Scortia *theor.* 385. Bonacina *disput.* 3. *quæst.* 7. *de immunit.* §. 4. *num.* 7. Cutellius *de immunit. Eccles. lib.* 1. *quæst.* 3. *num. fin.* Mar. Italia *lib.* 1. *cap.* 5. §. 1. *numero* 20. Peregrin. *cap.* 6. *num.* 19. & Filliuc. *tract.* 15. *cap.* 6. *quæst.* 8. *num.* 152. qui rectè subdunt, id verum esse etiamsi prædicta delicta commissa fuerint in Ecclesia non consecrata, quia si sic delinquens non gaudet priuilegio Ecclesiæ consecratæ, multò magis non gaudebit priuilegio Ecclesiæ non consecratæ. Vide Doctores *supra citat.* præcipuè Farinacium *in append. cit. cap.* 16. *num.* 228. & Marium Italiam §. 3. *num.* 25. *&* 26.

Aduerte tamen hic, quod ob alia crimina etiam 16
in Ecclesia commissa (præsertim si rationem sacrilegij habeant) ratione loci, in quo sunt commissa, possit delinquens à Iudice Ecclesiastico puniri, vel à Pontifice impetrari, quod iste, non obstante immunitate delinquentem Iudici sæculari puniendum remittat, vt supra dicebamus, & hoc Pontifex libenter concedit, vt aduertit Farinacius *citat. cap.* 16. Vide quæ dicentur *infra dubit.* 24. *sect.* 8. *& dubit.* 39. *in fin.* Vnde sequitur etiam, quod & ob crimen in

Ecclesia

Ecclesia commissum in eo casu, in quo debeat delinquens sæculari Iudici plectendus remitti, quia immunitate non gaudet, possit à Iudice Ecclesiastico puniri ratione sacrilegij (vti dicebam) ratione cuius, cum sit mixti fori, Ecclesiasticus etiam Iudex competens factus est, vti consentit etiam Cutellius *lib.1.cit.quæst.12.num.23.*

17 Aduerte secundò, quod etiam stando in opinione contraria, in terminis iuris communis, nedum
18 in terminis Constitutionis Gregorij XIV. (quidquid in contrarium dicat Sarpus de iure Asylorum *capite 5. fol.43.*) immunitate Ecclesiæ gaudeat is, qui in Ecclesia leuia tantum delicta committit: Atque ita docent Hostiensis, & Abbas *in cap. fin.* idem Abbas *in cap. inter alia*, Henricus Boïchius *in cap. Ecclesiæ, de immunit. Eccles.* Paulus de Castro *lib.2. consil.459.* (vbi dicit esse communem) Couarru. *lib.2. variar. cap.20. num.15.* Farinac. *de carceribus, quæst.28. num.63.* Suarez *de relig. tom.1. lib.3. cap.11. num.6.* Sanchez *in opusc. tom.2. lib.6. cap.1. dub.8. num.15.* Peregrinus *de immunit. cap.6. num.29.* Villalob. *in sum. tom.2. tract.39. diffic.5. num.6* vbi citat Panormitanum, & Suarez de Paz. Item Fagundez *præcept.2. lib.4. cap.4. num.48.* Persicus *de offic. Sacerd. lib.1. cap.9. dub.15. num.108.* Raphael de la Torre *tom.2. in 2.2. S. Th. quæst.99. art.3. d. ff.7.* Chartarius *decis. crim.74. num.6* & alij passim communiter.

Aduerte tertiò, quod qui mutilauit, vel occidit in Ecclesia, non possit ob alia delicta capi in Ecclesia, nisi simul capiatur ob delictum mutilationis, vel homicidij, nondum punitum: ita contra Ambrosinum *cap.5. num.10.* Decianum, & alios apud Farinacium, *de carceribus quæst.28. num.64. & in append. cap.16. num.222.* docent Couar. Boërius, & alij, quos citat Gutierrez *lib.3. pract. quæst.1. num.18.* ratio pro nunc breuiter est, quia ob alia delicta non datur facultas extrahendi, & verba sunt formaliter accipienda, vt in simili dicam de hæretico. Vide quæ dicebantur *dub.10. sect.4.* & quæ dicentur *cap.22. & dub.24. sect.22.*

## SECTIO II.

### An priuetur, qui vulnerat in Ecclesia?

### SVMMARIVM.

1 *Vulnerans in Ecclesia vulnere non lethali, quamvis cum magna sanguinis effusione, non priuatur immunitate.*

2 *Vulnerare etiam cum magna sanguinis effusione, non est mutilare, nec occidere, & solum mutilanti, & occidenti pœna priuationis immunitatis infligitur.*

3 *Inferens frigia in faciem alicuius in Ecclesia, gaudet Ecclesiæ immunitate, non obstante delicti atrocitate.*

4 *Reus per vim intrans in Ecclesiam cum satellitibus, à quibus ducitur, si vt se eximat ab eorum manibus illic eos vulneret cum magna sanguinis effusione, gaudet immunitate.*

5 *Reus ob delictum læsæ maiestatis in primo genere tantum priuatur immunitate: at offendens Birrnarios non committit in primo genere.*

6 *Reus, qui captus à satellitibus in Ecclesia eos vulnerat, peccat quidem vulnerando, sed non peccat confugiendo ad Ecclesiam.*

7 *Ius naturæ dictat fugam, quando imminet periculum graue.*

8 *Reus ad euitandum graue periculum contra Principis voluntatem licitè fugere potest à carcere, quin & carcerem infringere.*

9 *Reus, qui trahit satellites secum, & non trahitur à satellitibus, non dicitur esse in posse ipsorum, sed verè confugit ad Ecclesiam.*

10 *Iura generaliter sine distinctione loquuntur de confugientibus.*

11 *Immunitate priuatur, qui vulnerat in Ecclesia lethaliter, licet sic vulneratus moriatur extra Ecclesiam, gaudet autem immunitate, qui mutilat, vel occidit extra Ecclesiam, si passus se recipiat in Ecclesiam, ibique moriatur.*

EX dictis sequitur primò, quòd immunitate non priuetur, qui in Ecclesia vulnerat vulnere, ex quo mors non sequatur, quamvis sic cum magna sanguinis effusione, quia vulnerare, etiam cum magna sanguinis effusione, non est mutilare, nec occidere; & solùm mutilanti, & occidenti, *ex c. fin. de immunit.* & maximè ex Constitutione Gregorij XIV. pœna priuationis immunitatis infligitur. Atque ita contra Tuschum *verb. Immunitas, conclus.59.* Mar. Italiam *lib.1. cap.5. §.3. num.18.* & quosdam alios docent Farinac. *in append. de immunit. cap.16. num.227.* Boërius *decis.109. num.3.* Barbosa *in collectan. tom.1. lib.3. tit.4. cap.10. num.10.* Lezana *verb. immunitas, num.11.* Diana *part.1. tract.1. resol.9. & 11.* Palaus *tom.2. tract.11. disput. vnic. punct.6. num.10.* & Chartarius *decis. crimin.74.* Quapropter Sacra Congregatio Episcoporum die 16. Nouembris 1618. teste Barbosa de iure Ecclesiastico *lib.1. cap.3.* declarauit, quod inferens sfrigia in faciem alicuius in Ecclesia, Ecclesiæ immunitate gaudeat, non obstante, quod tale delictum sit graue, & atrox, vt recte notarunt Menochius *de arbitr. iudic. cas.263. num.27* & Pacianus *consil.92. num.2.* Vide quæ dicentur *infra dub.24. per totam.* 1 2 3

Hinc contra Gambacurtam *lib.4. cap.18. num.6.* Villadieg *in Polit. cap.3. num 206.* & Cutellium *de immunit. Eccles. lib.2. quæst.13.* dicendum est, quod si reus iam vicinus Ecclesiæ cum ipso satellite per vim intrat in Ecclesiam; & vt se de illius manibus eximat, eundem cum magna sanguinis effusione vulnerat, immunitate Ecclesiæ non priuetur, vt in terminis docet Farinacius *vbi supra*, & Diana *cit. tract.1. resolut.13.* Vide *dub.10. sect.7. & dub.33.* 4

Obiicies ex Cutellio *loco cit.* reus in tali casu committit in ministrum Principis: ergo immunitate Ecclesiæ non gaudet.

Respondetur: nego consequentiam, quia vt reus non gaudeat immunitate Ecclesiæ, requiritur, quod committat in personam Principis, vt *infrà dubitat.23. sect.4.* dicetur. 5

Instabis ex eodem Cutellio: non obedit Principi, cui vt subditus obedire debet, ex D. Paulo *ad Roman. cap.13.* & ex multis iuribus: ergo.

Respondetur: transeat antecedens: at nondum probatum est, quod reus ob tale delictum immunitate Ecclesiæ priuetur. Accedit, quod licet peccet in Ecclesia ministrum iustitiæ vulnerando, non tamen peccat ad Ecclesiam fugiendo, contra Principis voluntatem, quia ad hoc præualet ius naturæ, quando- 6 7
quidem dictat fugam, quando imminet periculum graue: vnde & ad hunc finem licitè etiam contra Principis voluntatem potest è carcere fugere, quin & carcerem infringere, neque per hoc omnia perturbantur, vt infert Cutellius, quia id est solùm in tali casu, & valdè per accidens; & si accidat, sibi imputent ministri iustitiæ, cum non discant cautius agere. 8

Vrgebis ex eodem Cutellio: est in posse, seu manu satellitis: ergo immunitate Ecclesiæ gaudere non debet, cum sic non liber confugiat, seu se recipiat ad Ecclesiam.

Respondetur: nego consequentiam, quia cum non trahatur à satellite per Ecclesiam, sed ipse trahat satellitem

satellitem ad Ecclesiam, verè confugit, & se recipit
9 ad Ecclesiam: & ex ex alio capite iura generaliter sine distinctione loquuntur de confugiente: quare cùm illa non distinguant, nec nos distinguere debemus,
10 præsertim in præiudicium immunitatis, quæ vt fauorabilis, est ampliãda, & in ampliationem pœnarum, quæ vt odiosæ, sunt restringendæ. Vide omninò loca *suprà cit.*

Cæterum concedo, quod immunitate priuetur,
11 qui vulnerat in Ecclesia lethaliter, licet sic vulneratus extra Ecclesiam moriatur, quia tale homicidium censetur factum in Ecclesia; quapropter e contra immunitate non priuabitur, qui mutilat, vel occidit extra Ecclesiam, si passus se recipiat in Ecclesiam, ibique moriatur, quia delictum factum fuit extra Ecclesiam.

---

## SECTIO III.

### An priuetur, qui cum armis confugit ad Ecclesiam?

#### SVMMARIVM.

1 *Confugiens ad Ecclesiam cum armis prohibitis, non priuatur immunitate.*

2 *Confugiens ad Ecclesiam cum armis prohibitis, licet Ecclesiam offendat, & pœnam capitalem mereatur, gaudet immunit. &c.*

3 *Gestans in Statu Ecclesiæ breuiora ignis tormenta, committit crimen læsæ maiestatis.*

4 *Gestans talia arma in Hispaniarum Regnis committit crimen proditionis pragmaticali lege.*

5 *Gestans talia arma non committit crimen læsæ maiestatis in personam Principis, neque est propriè, & stricte proditor, quod requiritur, vt immunitate priuetur.*

6 *Gestans arma prohibita in Ecclesia si gaudere non debeat in nonnullorum sententia immunitate, debet delationi prohibitæ armorum esse annexa pœna mortis.*

7 *Arma reo in Ecclesia auferri quidem debent propter rixas vitandas, & propter bonum publicum, & reuerentiam debitam loco sacro, non tamen per Iudicem sæcularem, sed per Ecclesiasticum.*

8 *Iudicibus laicis expressè prohibetur Iurisdictionem aliquam in Ecclesia exercere.*

9 *Ecclesiæ est de Territorio Episcopi, & extra Territorium ius dicenti etiam à subditis non paretur.*

1 SEquitur secundò, quod nec immunitate priuetur, qui ad Ecclesiam cum armis, etiam prohibitis confugit, quia nec hoc est mutilare, vel occidere.

2 Neque obstat, quod qui ad Ecclesiam cum armis, præcipuè prohibitis, confugit, Ecclesiam offendat, & pœnam capitalem mereatur. Nam (vt supra dicebam) non propter quamcumque offensionem factam in Ecclesia priuatur quis immunitate Ecclesiæ, sed solùm propter occisionem, vel mutilationem factam in illa. Vnde potius sequitur, quod aliis delictis delinquenti in illa tacite priuilegium immunitatis concedatur.

3 Neque obstat secundò, quod qui gestat arma prohibita, committat crimen læsæ Maiestatis, vt in statu Ecclesiæ, vbi à Pio IV. & V. in Bulla, quæ incipit: *Vices eius*, breuiora ignis tormenta sub pœna
4 talis criminis gestari prohibentur; vel quod committat crimen proditionis, vt in Hispania, vbi pragmaticali lege talia arma sub pœna criminis proditoris gestari interdicuntur: nam per hoc talis non commit-
5 tit crimen læsæ Maiestatis in personam Principis, nec est propriè, & strictè proditor: quod requiritur, vt immunitate priuetur, sicuti dicam *infrà dub.20. sect.5. & dub.23. sect.4. & seqq.*

Atque ita docent Farinac. *in append. de immunit. cap.16. num.247.* Ambrosin. *de immunit. cap.5. num.5.* Peregrinus *de immunit. cap.12. num.11.* Diana *part.1. tract.1. resol.17. & part.6. tract.1. resol.8.* (vbi ait, sic determinasse sacram Episcoporum Congregationem in vna Salernitana, die 30. Septembris 1616.) Guazzinus *tom.1. defens.1. cap.29. num.7.* Sperell. *decis.46. num.15. & seqq.* contra Couarru. *2. variar. capite 20. num.18. vers.36.* Rebuffum *in Constit. Gallic. tom.2. tit. de immunit. Eccles. gl.1. num.28.* Villadieg. *in Polit. cap.3. num.244.* Sarpum *de iure Asylorum, fol.43.* Cutellium *de immunit. Eccles. lib.1. quæst.17.* & Decianum *lib.6. cap.26. num.10. & lib.8. cap.3. num.30. & 51.* qui contrarium docent *ex l. si seruus, Cod. de his, qui ad Eccles. confug.* ad quorum tamen fundamentum patet ex dictis.

At esto ipsorum opinio probabilis sit (quod facilè tamen non concesserim) intelligi tamen illa de- 6
bet non de armorum delatione quacumque, sed solùm de illa, cui capitalis pœna annexa est, vt si deferat verbi gratia sclopettones, seu archibuzettos, sicuti notauit præter alios Farinac. *de carceribus, quæst. 28. num.66.* & etiam ipse Cutellius *locis suprà citatis*, & meritò, quia solum hæc digna est, cui priuatio immunitatis iniungatur, cùm (vt *suprà dubit.19. in fin.* dicebatur) qui in Ecclesia committit delictum non graue, sed leue, immunitate certò non priuetur. Cæterum in nostra sententia, quæ multò probabilior est, & amplectenda, arma reo in Ecclesia auferri 7
quidem debent propter rixas vitandas & propter bonum publicum, & reuerentiam debitam loco sacro; non tamen per Iudicem sæcularem, sed per Iudicem 8
Ecclesiasticum, qui iurisdictionem ibi exercere potest; & quem delinquens, Ecclesiam offendendo, offendit, quandoquidem *in cap.1. extra de immunit. Eccles. & cap.2. eod. tit. in 6.* expressè prohibetur Iudicibus laicis iurisdictionem aliquam in Ecclesia exercere, & meritò, cùm Ecclesia sit de territorio Episcopi, & extra territorium ius dicenti etiam à subditis non paretur, *cap.2. de constitut. in 6. & l. vlt. cum* 9
*gl. ff. de iurisdict. omnium Iudicum.* Atque ita determinauit Sacra Congregatio Immunitatis, die 24. Iulij, 1634. & docent Farinac. *cit. cap.16. num.248.* Diana *cit. resol.17. in fin. & resol.8.* Maranta *in controuers. iur. part.2. respons.37. num.1.* Zambellus *in Repert. moral. vers. Ecclesia quoad eius immunitatem, num.9.* Nouarius *in sum. Bullar. tit. de immunit. num.6.* Palaus *tom.2. tract.11. disput. vnic. punct.9. num.10.* & Ciarlinius *controuers. forens. cap.10. num.16.* contra Sanchez *in opusc. tom.2. lib.6. cap.1. dub.14.* Villalob. *in sum. tomo 2. tract.34. diffic.5. num.11.* Ioannem de Heuia *in Curia Philipp. part.3. §.12. num.26.* Sarpum *de iur. Asyl. c.5. fol.43.* & Naldum *verb. Ecclesia, num.5.* Vide etiam *infrà dub.24. sect.8. & dub.30.* An autem talis, & alius similis reus è loco sacro eiici debeat, si ex postfacto, non iam ad refugium, sed ad perpetuam receptationem, ac asylum loco abutatur? Vide quæ dicebam *supra dub.11. sect.6. in fine.*

SECTIO

## SECTIO IV.

### An priuetur qui mutilat, vel occidit in Ecclesia quomodocumque?

### SVMMARIVM.

1. & 2. *Mutilans, seu occidens in Ecclesia, siue sub spe immunitatis, siue sine tali spe, item siue præmeditatè, siue ex proposito, sed ex subita ira, & occasione, & prouocatus, priuatur immunitate; secus si per modum defensionis, cum moderamine inculpatæ tutelæ.*
3. *Mutilantes, seu occidentes in Ecclesia, si ex subita ira & occasione, & prouocati, in sententia plurimorum gaudent immunitate.*
4. *Decisio Summi Pontificis quod non gaudeant immunitate occidentes, & mutilantes in Ecclesia, est generalis, & fundata præcipuè in ratione quadam communi.*
5. *Quotiescumque duplex est causa mouens ad aliquam dispositionem faciendam, cessante vna, si altera perseueret, non cessat dispositio.*
6. *Immunitate eodem modo priuantur mutilantes, & occidentes in Ecclesia, quo priuantur publici latrones, & sic non requiritur, quod sub spe immunitatis.*
7. *Delicti excusationes quoad pœnam, speciem delicti quoad immunitatem, vel quoad forum, vel quoad aliud non mutant.*
8. *Diuersa sunt ex circumstantiis delictum effici leuius, vt pœna temperari debeat, & delictum ex vna in aliam speciem transire, vel vnam qualitatem amittere.*
9. *Delictum homicidij, aut mutilationis in Ecclesia commissum pœna leuiori quàm morte, aut membrorum abscissione, idest pœna extraordinaria, puniendum est.*
10. *Textus* in cap. inter alia, de immunit. *conciliatur cum auctoribus contrariæ sententiæ.*
11. *Vtraque opinio est probabilis, posterior verò probabilior.*
12. *Delinquens in Ecclesia in dubio semper præsumitur delinquere sub spe immunitatis.*
13. *Delinquens in Ecclesia defendi non debet ab ipsa, donec probauerit, se casu & fortuito, & non ex proposito deliquisse.*

1 SEquitur tertiò, quod è contra immunitate priuetur, qui in Ecclesia mutilat, vel occidit (siue sub spe immunitatis, siue sine tali spe: item siue præmeditatè, seu ex proposito, & non ex subita ira, & occasione, siue non præmeditatè, seu ex proposito, sed 2 ex subita, ira, & occasione, & prouocatus, dummodo non sit per modum defensionis cum moderamine inculpatæ tutelæ; quia tunc non delinquit; cùm de iure naturæ vim vi repellere liceat. Atque ita contra Tuschum *verb. Ecclesia, conclus.* 11. *num.* 13. & 14. Azorium 2. *part. lib.* 9. *cap.* 9. *quæst.* 9. Farinacium *in append. de immunit. cap.* 16. *num.* 238. Gutierrez *pract. qq. Ciuil. lib.* 3. *quæst.* 1. *num.* 3. & *seqq.* Azeued. *lib.* 1. *tit.* 2. *leg.* 3. *num.* 24. & *seqq.* Sesse *decis.* 141. *num.* 8. Antoninum Dian. *part.* 1. *tract.* 1. *resol.* 11. & *part.* 6. *tract.* 1. *resol.* 7. vbi ait, sic fuisse Romæ decisum anno 1639. Item contra Nouarium in summa Bullarum *tit. de immunit. Eccles. num.* 58. Auctorem Casuum Conscientiæ Bononiæ discussorum anno 1637. mense Nouembri, *cas.* 2. *fol.* 94. Zambellum *in Repert. Mor. vers. Ecclesia, quoad eius immunit. num.* 13. Sperellum *decis.* 59. *num.* 36. & Marium Italia *de immunit. Eccles. lib.* 1. *cap.* 5. §. 3. *num.* 1. & *seqq.* (qui docent, quod immunitate quis priuetur solum, si sub spe immunitatis, vel præmeditatè, & ex proposito; non item si 3 ex subita ira, & occasione, & prouocatus in Ecclesia mutilet, vel occidat, moti ex eo, quod *cap. in er alia*, solum delinquentes sub spe immunitatis punire velle videatur: *Nonnulli impunitatem suorum excessuum per defensionem Ecclesiæ obtinere sperantes.* Et infra: *Qui nisi per Ecclesiam, ad quam confugiunt, crederent se defendi, nullatenus fuerint commissuri.* Quapropter non est extendenda priuatio immunitatis ad alios, qui sine spe immunitatis, seu non præmeditatè, vel ex proposito, sed ex subita ira, & occasione, & prouocati in Ecclesia delinquunt) ex probabiliori sententia Doctorum (cùm de decisione Romæ edita, quam dicit Diana *citat. resol.* 7. non constet authenticè) docent Abbas *in cap. inter alia, de immunit. Eccles. numero* 8. Couarru. 2. *variar. cap.* 20. *num.* 15. Nauarr. *capite* 25. *num.* 20. Suarez *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 6. *in fin.* Clarus *practic. §. fin. quæst.* 30. Farinac. *de carceribus, quæst.* 28. *num.* 54. Layman *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 6. Peregrinus *de immunitate, cap.* 6. *num.* 15. Gambacurta *lib.* 5. *cap.* 23. Barbosa *de iure Pontif. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 104. Lezana *verb. Immunitas, num.* 11. Decian. *lib.* 6. *cap.* 28. *num.* 5. Anastas. Germon. *de sacr. immunitat. lib.* 3. *c.* 16. *num.* 79. Bonacina *disputat.* 3. *quæstione de immunitate* 7. §. 4. *num.* 7. & Cutellius *de immunit. Eccles. lib.* 1. *quæst.* 11.

Ratio autem (vt omittam consuetudinem, quæ optima iuris interpres ita declarare videtur) est, quia esto Pontifex voluerit coërcere audaciam illorum, qui ante illam constitutionem sub spe immunitatis in Ecclesia occidebant, vel mutilabant: hinc tamen non bene infertur, quod solum illos priuet; cum generaliter sine distinctione homicidis, & mutilatoribus in Ecclesia talem pœnam inferat: potuit ergo Pontifex ex causa particulari ad prohibitionem vniuersalem faciendam moueri, & quod de facto sic motus sit, patet; quia postquam Pontifex retulit, aliquos sub spe immunitatis in Ecclesia delinquere, subdit: *Cùm autem in eo, in quo deliquit, puniri quis debeat, & frustra legis auxilium inuocet, qui committit in legem, mandamus, quatenus publicè nuncietis, tales non debere gaudere immunitatis* 4 *priuilegio, quo faciunt se indignos*: ergo decisio est generalis, & fundata præcipuè in ratione quadam communi, quod quis puniatur in eo, quo deliquit.

Confirmatur, quia esto, Pontifex motus sit ad priuandos immunitate homicidas, & mutilatores in Ecclesia, ex eo, quod sub spe immunitatis delinquebant illi, negari tamen non potest, quod etiam moueatur ex eo, quod in Ecclesiam delinquunt, & sic 5 quod frustra auxilium eius implorent, cùm in eam delinquant. At quotiescumque duplex est causa mouens ad aliquam dispositionem faciendam, cessante vna, si altera perseueret, non cessat dispositio, vt rectè notarunt Couar. & Farinacius *in locis suprà cit.* Ergo, &c.

Confirmatur secundò, quia Gregorius XIV. eo- 6 dem modo priuat immunitate homicidias, & mutilatores in Ecclesia, ac priuat publicos latrones, viarum grassatores, &c. ergo ad hoc, vt homicidæ, & mutilatores in Ecclesia immunitate priuentur, non requiritur, quod sub spe immunitatis in Ecclesia delinquant.

Confirmatur tertiò, quia delicti excusationes 7 quoad pœnam, speciem delicti quoad immunitatem, vel quoad forum, vel quoad aliud non mutant, cum hæc sint diuersa inter se, ita vt non liceat ex vno aliud inferri: siquidem aliud est, ex circumstantiis

tiis delictum effici leuius, vt pœna temperari debeat, & aliud est, delictum ex vna in aliam speciem transire, vel vnam qualitatem amittere, & alteram induere: quapropter in omnibus Canonum, & Legum titulis, vbi de delictis agitur, manente eadem delicti specie subiiciuntur aliquæ exceptiones, siue ex circumstantiis excusationes, quæ quidem delictum quoad pœ-
9 nam alleuant, non tamen naturam mutant. Accedit, quod delictum homicidij, aut mutilationis in Ecclesia commissum, vel leuiori pœna, quàm morte, aut membrorum abscissione (scilicet pœna extraordinaria) plectendum est, & tunc non videtur, quod Ecclesiæ
10 immunitate gaudere indigeat, argumento à contrario sensu textus *in cap. inter alia, de immunit. Eccles.* vel ordinariam pœnam meretur, & tunc ipsi aduersarij fatentur, immunitate priuari, putà si ex proposito commissum fuerit, vel ita quod committens excusatione dignus non sit.

11 At quidquid sit de hoc, quod quoad vtramque partem probabile mihi videtur, etsi probabilius quoad posteriorem; illud tamen (quod & fatentur etiam Aduersarij) dicendum est, quod qui in Ecclesia delinquit,
12 semper præsumatur in dubio sub spe immunitatis delinquere (& sic quod defendi non debeat ab Ecclesia, donec non probauerit, se casu, & fortuitò, & non ex
13 proposito deliquisse) quia contra se legem habet. Atque ita ex communi docent Azor *2.p. lib.9. cap.9. q.9.* Farinac *in append. de immunit. c.16. n.241.* Guttier. *pract. qq. Ciuil. lib.3. q.1. n.8.* Bobadilla *Polit. lib.2. c.14. n.24. & seqq.* & Azeued. *l.3. n.25. lib.1. tit.25.*

## SECTIO V.

### An priuetur, qui in Ecclesia existens, sagitta occidit existentem extra Ecclesiam?

### SVMMARIVM.

1 *Existens in Ecclesia si sagitta, vel sclopo mutilet extra ipsam manentem, non priuatur immunitate.*

2 *Circumstantia quod quis in Ecclesia existens occidat hominem extra ipsam, non aggrauat notabiliter homicidij peccatum.*

3 *Pœnæ priuationis immunitatis sunt ob actum consummatum, & non inchoatum tantum; nam si secus esset, ad perdendam immunitatem sufficeret glady euaginatio in Ecclesia.*

4 *Existens in Ecclesia, si sagitta, vel sclopo occidat hominem manentem extra, non incurrit censuram latam contra occidentem in Ecclesia.*

5 *Amplia etiamsi fraude, vel dolo extractum ab Ecclesia occidas, vel mutiles; nam etiam in tali casu quis non priuatur immunitate, quia in Ecclesia non fuit data causa necessariæ actionis.*

6 *Poterit tamen capi à Ministris Ecclesiasticis, etsi non à laica potestate.*

7 *Actio & passio sunt idem; passio autem est in passo, & non in agente: & ideò ex Ecclesia occidens non occidit in Ecclesia manentem extra ipsam.*

8 *Idem est inchoare, ac agere, & perficere. Homicida verò qui extra Ecclesiam manentem occidit, dicitur inchoare in Ecclesia quoad dispositiones, quatenus inchoare denotat agere extra quoad substantiam homicidij.*

1 SEquitur quartò, quod immunitate neque priuetur, qui in Ecclesia existens, sagitta, lapide, vel sclopo existentem extra Ecclesiam mutilat, vel occidit. Atque ita contra communiorem (vt fatear) sententiam Ab-

batis *in cap. fin. num.11. de immunit. Eccles.* Nauar. *c.25. n.21.* Suar. *de relig. lib.3. c.11. n.6.* Angel. *verb. Immunitas, §.23.* Sylu. *eod. verb. 3. n.8.* Azor. *2.p. lib.9. c.9. q.14.* Farinac. *de carcerib. q.28. n.61. & in append. de immunit. cap.16. n.223. & consil.214. in princip.* Decian. *lib.6. c.24. n.7. & c.28. n.6.* Guttier. *pract. qq. ciuil. lib.3. q.1. n.19.* Ambrosini *de immunit. c.5. n.7.* Couar. *2. var. c.20. n.15.* Mar. Ital. *de immunit. Eccles. lib.1. c.5. §.3.* Layman *lib.4. tract.9. c.3. n.6.* Marth. *de iurisdict. p.2. c.51. n.26.* Villagut. *de extens. legum, cap. fin. n.61. & seqq.* Graff. *tom.1. lib.3. consil. vnic. n.10. de immunit. Eccles.* Duardi *in Bullam Cœnæ, lib.2. can.15. q.16. n.23.* Portell. *verb. Ecclesiæ immunitas, n.15.* Megal. *in 3. part. lib.4. cap.2. q.1. n.12.* Gambacurt. *lib.5. c.24. n.21.* Sarpi *de iure asylorum, cap.4. fol.44.* Villadieg. *in Polit. c.3. n.206.* Ioan. de Heuia *in Curia Philip. part.3. §.12. num.23.* Cutell. *de immunit. Eccles. lib.1. q.9.* Lezanæ *verb. Immunitas, n.11.* & Bobadil. *lib.2. Polit. cap.14. n.26.* docent probabiliùs Nouarius *in summa Bullarum, tit. de immunit. Eccles. num.51.* Bonac. *disp.3. q.7. de immun. punct.4. n.8.* Diana *part.1. tract.1. resol.9.* Ricc. *part.5. collect.1792.* Peregrin. *c.13. n.16.* & consentit Fagundez *2. præcept. lib4. cap.4. n.17.* (quatenus docet, quod talis circumstantia notabiliter homicidij peccatum non aggrauet. Et probatur, quia talis reuera non mutilat, vel occidit in Ecclesia, sed ex Ecclesia: quapropter non est facienda extensio, cùm simus in materia odiosa, & immunitas Ecclesiæ sit fauorabilis: tum quia non consummat, sed solum inchoat mutilationem, vel
5 occisionem in Ecclesia; pœnæ autem sunt ob actum consummatum, non inchoatum, vt *lib de Parlamentis, dubit.4. sect.19. subsect.31.* diffusè dicebamus: tum quia alioquin qui in Ecclesia ex subita ira gladium euaginaret, & inimicum insecutum extra Ecclesiam occideret, etiam immunitate Ecclesiæ priuaretur, quod non videtur dicendum, quamvis id dicat Azor *tom.1. lib.9. cap.9. q.14.*

Confirmatur: quia, vt ex communi docet Bona- 4
cina *de cens. disput.1. quæst.1. punct.11. num.11.* si quis existens in Ecclesia, sagitta, vel sclopo occidit hominem existentem extra Ecclesiam, non incurrit censuram latam contra occidentem in Ecclesia: ergo sic, &c.

Hinc, si dolo, fraude, vel etiam vi, &c. aliquem ex- 5
traxeris ab Ecclesia, & extractum occidas, vel mutiles, immunitate non priuaberis: quidquid in contrarium etiam dicant Azor *in loco supr. cit.* & Farinac. *in append. de immun. cap.16. num.232.* Peregrin. *de immunit. cap.6. num.16.* (vbi citat Abbatem, Sylvestrum, & Remigium Gonny) Barbosa *de iur. Ecclesiast. lib.2. cap.3. num.114.* Duardus *loc. suprà cit.* Scortia *in Bullar. epit.152. theor.385.* maximè quia licet in Ecclesia deberis causam occisionis, non tamen dedisti causam occisionis necessariam, cùm liberè postea occideris: ergo, &c. Vide Palaum *tom.2. tract.11. disp. vnic. punct.9. n.18.* Bonac. *cit. disp.3. q.7. punct.6. §.2. n.4.* & Antoninum Dian. *part.4. tract.1. resol.107. & part.6. tract.1. resol.7.*

Cæterùm concedo, quod in tali casu capi possis ab 6
Ecclesiasticis Ministris ob iniuriam Ecclesiæ factam, vel ob sacrilegam vulnerationem in Ecclesia inchoatam, &c. sicut & capi potes ab iisdem ob alia delicta in Ecclesia perpetrata, iuxta ea, quæ dicebam *dub.10. sect.12.* & docent Farinac. *n.209.* & Mar. Ital. *lib.1. c.5. §.3. n.53.* non tamen capi poteris à laica potestate, vti ex probabiliori sententia Doctorum dicebam *suprà n.1. & 2.*

Obiicies: qui in Ecclesia existens sagitta, vel sclo-
po existentem extra Ecclesiam occidit, agit in Ecclesia: ergo occidit in Ecclesia.

Respondetur: nego antecedens, sed agit ex Eccle- 7
sia, quia ex Arist. *in lib. de Prædicamentis*, actio, & passio sunt idem; passio autem est in passo, non in agente.

Instabis : inchoat in Ecclesia : ergo agit, & perficit in Ecclesia. Consequentia probatur ; quia, vt ex Suetonio, Sallustio, Virgilio, Gellio, & Calepino *verb. Committo*, probat Cutellius *cit. q.9. n.2.* idem est inchoare, ac agere, perficere.

8 Respondetur, distinguo antecedens : inchoat in Ecclesia quoad dispositiones homicidij, & sic quoad istas agit, & perficit in Ecclesia, concedo : inchoat quoad substantiam homicidij, & sic quoad istud agit, & perficit in Ecclesia, nego ; sed sic potius agit, & perficit ex Ecclesia.

Vrgebis : saltem licet occidat ex Ecclesia, occidit ex illa sub spe immunitatis : ergo adhuc immunitate Ecclesiæ gaudere non debet.

Respondetur : transeat antecedens : at nego consequentiam, saltem secundùm opinionem probabiliorem : vide etiam *sect. seq.*

## SECTIO VI.

### An priuetur, qui occidit prope Ecclesiam, vel exiens ab Ecclesia, vel existens in sacristia, atrio, tecto, monasterio, palatio, vel scalis Ecclesiæ, &c.

### SVMMARIVM.

1 *Occidens, vel mutilans in locis contiguis Ecclesiæ, puta in sacristia, tecto, atrio, & simili, gaudet immunitate, etiamsi sub spe immunitatis occiderit.*

2 *Loci prædicti in fauorabilibus veniunt Ecclesiæ appellatione, non tamen in odiosis.*

3 *Committens tempore Iubilæi etiam sub spe absolutionis peccata reseruata etiam habentia annexam censuram quamdiu durat Iubilæum, absolui potest.*

4 *Quod in vno loco est prohibitum, censetur in alio permissum : & sic homicidium, & mutilatio in Ecclesia, & Cæmeterio prohibita sub pœna priuationis immunitatis, censentur extra non prohibita.*
*Reus puniri debet in loco, in quo deliquit.*

5 *Nonnulli Doctores limitant de homicidio, & mutilatione facta ex proposito prope Ecclesiam, vel Cæmeterium, secus si ex subita rixa, & casu contigerit.*

6 *Delinquens prope Ecclesiam censetur sub spe immunitatis delinquere, & ei incumbit onus probandi contrarium.*

7 *Ex frequenti deambulatione circa locum sacrum mediatè, & immediatè post delictum, insidiæ, & speculatores ibi positi, & similia faciunt præsumere delictum patratum sub spe immunitatis.*

8 *Delinquens in loco sacro, spectato eius delicto indignus est immunitate, secus spectata Ecclesiæ sanctitate.*

9 *Ecclesia non fit spelunca latronum, quia ibi delinquentes corrigi, & puniri possunt à iudice Ecclesiæ.*

10 *Ecclesia non dat occasionem delinquenti, sed rei eam accipiunt ab ipsa, quandoquidem non est Ecclesiæ imputandus abusus illuc confugientium.*

11 *Declaratio Clementis VIII. qua resoluitur delinquentes sub spe immunitatis, ea gaudere non debere, non constat authenticè.*

12 *Declaratio particularis non tollit legem vniuersalem.*

13 *Consuetudo legitimè præscripta post Bullam Gregorianam est attendenda in materia immunitatis, secus ante dictam Bullam.*

SEquitur quintò, quod immunitate multò minus priuetur, qui prope Ecclesiam, vel Cæmeterium, aut exiens ab Ecclesia, vel Cæmeterio, quin, & in sacristia, scalis, atrio, seu porticu, ostio, campanili, vel tecto Ecclesiæ, nedum in Monasterio, vel Palatio Episcopi, (licet eadem immunitate gaudeant hi loci, ac gaudet Ecclesia, quandoquidè etsi veniant appellatione Ecclesiæ in fauorabilibus, non tamen veniũt in odiosis. Vnde si effundatur sanguis, vel semẽ in aliquo ipsorum locorũ, non polluitur Ecclesia, vt rectè notarunt Barbosa *de iur. Eccles. lib.2.c.3.n.64.& seqq.* Carolus Maranta *in contron.p.2.respons.36.* Ant.de Marin. *quotid.resol.c.170.* & Sperell. *dec.60.& 63.*) mutilat, vel occidit, etiamsi sub spe immunitatis ibi delinquat, sicut qui tẽpore Iubilæi etiam sub spe absolutionis virtute Iubilæi obtinendæ peccata reseruata, vel excommunicationem annexam reseruatam habentia committit, absolui potest, quàmdiu durat Iubilæum, quo datur priuilegium absoluendi. Probatur ex dictis, & cõfirmatur, quia solum excipitur ab immunitate homicidium, & mutilatio in Ecclesia, vel Cæmeterio : ergo, &c. Antecedens constat ex *cap. vlt. de immunit. Eccles.* & ex Constit. cit. Gregorij XIV. Consequentia probatur, quia in his exceptionibus, vtpotè odiosis, & immunitati Ecclesiæ derogantibus, non est facienda extensio ex identitate, vel maioritate rationis : tum quia quod in vno loco est prohibitum, censetur in alio permissum, & sic homicidium, & mutilatio in Ecclesia, & Cæmeterio prohibita sub pœna priuationis immunitatis, censentur extra Ecclesiam, & Cæmeterium sub tali pœna non prohibita, sed permissa ; cùm enim distinctè dicatur : *In Ecclesia, vel Cæmeterio*, virtute ponitur exclusiua, extra Ecclesiam, vel Cæmeterium : tum quia in eo loco quis puniri debet, in quo deliquit, sed iste non deliquit in Ecclesia, sed extra : ergo puniri debet extra, & sic non priuatur immunitate Ecclesiæ, tum quia qui propè Ecclesiam delinquit sine spe immunitatis, immunitate gaudet, si confugit ad Ecclesiam : ergo immunitate etiam gaudebit si deliquerit cum spe immunitatis, quia Pontifex non respicit spem, sed qualitatem delicti, & iniuriam Ecclesiæ.

Atque ita ex probabiliori etiam, si non ex communiori sententia Doctorum, docent Abb. *cap. inter alia, n.18. de immun. Eccl.* Angel. *verb. Iummunitas*, §.17. Nau. *cap.25.n.22.* Layman *lib.5.tract.9.c.3.n.7.* Tabien. *verb. Immunitas, n.10.* Silu. *n.5.* Armilla *n.12.* Fagund. *de præc. Eccl. tract.2.lib.4.cap.8.n.45.* Peregrin. *de immunit. c.6. num.60.* Ioan. de la Cruz *p.1.præcept.8.q.3.art.2.dub.1. concl.1.* Dian. *part.1.tract.1.resol.3.& 39.& p.3. tract.1. resol.39.* Megal. *in 3.p.c.2.q.1.n.17.* Riccius *p.3.dec.250. per totam*, Nouarius *in sum. Bull. tit. de immunit. num.6.* Filliuc. *tract.15.c.6.n.132.* Mar. Italia *lib.1.c.4.§.7.n.16.* Sperellus *decis.60. & 61.* Ciarlin. *in controuers. forens. c.10.n.95.* Maranta *in contr. iur. p.2. respons.45.n.10.& seqq.* Trullench. *in Decalog. tom.1.cap.11.dub.3.num.13.* Zambellus *in reper. mor. verb. Ecclesia quoad eius immunitatem, n.6.* Suar. *de relig. lib.3.cap.11.n.9.* Lezana *verb. Immunitas, n.11.* Bonac. *disp.3.q.7. de immunit. §.4.n.13.* contra Hostiens. *in summ. de immunit. Eccl. §. in quantum*, Marth. *de iurisdict. p.2.c.51.n.2.* Gambacurt. *lib.5.c.19.* Tannerum *in 2.2. disp.5. q.8. dubit.1.n.17.* Zanard. *p.1. de sacram. Pœnit. cap.18. cas.5.* Sanch. *tom.2. cons. moral. lib.6.cap.1.dub.7.n.20.* Villadieg. *in Polit. cap.3. n.206.* Ambrosin. *de immunit. Eccles. cap.5.num.4.* Sanch. *in selectis, disput.44. num.52.* Barbosa *in collect. lib.3. tit.49. cap.10.num.5.& tom.2. de vniuers. iure Eccles. c.3.n.109.* (vbi ampliatur etiamsi in vna Ecclesia reus delinquens ad aliam se recipiat : quia sunt vnica Ecclesia. Sylu. *verb. Immunitas, 3.num.6.* Hermon. *cap.16.num.80.* Azor *part.2.lib.9.c.9.q.9. vers. sed si quis*, Gambacurta *lib.5.c.26.* Correa *in cãter alia, p.3.n.36.* & Trullench. *dub.3.n.15.*) Ioan. de Heuia *part.5.§.12.n.21.* Alciatum

de

*de præsumptionib. reg. 3. præsumpt. 33. n. 2. & seqq.* Sarpum *de iure Asylorum, cap. 5. fol. 45.* Danzam *in Pugna Doctorum, tom. 1. tit. de immunit. cap. 2. n. 6.* Fragosum *in Regim. Reipubl. Christ. part. 1. lib. 4. disp. 11. §. 2. n. 274.* Couar. *2. var. cap. 20. num. 5. vers. 26.* Gig. *de crimine læsæ Maiest. rubr. qualiter, & a quibus, q. 10. n. 7. & 9.* & alios plures mox *infrà* citandos, quos refert, & sequitur Cutellius *de immunitate Eccles. lib. 1. q. 3.* Guazzinus *in defens. reor. defens. 1. ex defectu iurisd. n. 19.* Decian. *tract. crim. lib. 6. c. 28. n. 5.* & Farinac. *tract. de carcerib. q. 28. n. 56. & in append. de immunit. c. 16. n. 210.* Quamvis ex his nonnulli loquantur de iure communi, non attenta Constitutione Gregorij XIV. & alij (inter quos Tusch. *verb. Ecclesia, concl. 11. n. 4. in fin.* Guttier. *pract. qq. Ciuil. lib. 3. q. 1. n. 15.* Barbosa, Decianus, Cutellius, & Farinacius *in locis supra cit.* (descendendo ex parte in nostram sententiam, id limitent in homicidio, & mutilatione facta ex proposito prope Ecclesiam, vel Cæmeterium; secus si ex subdita rixa, & casu contigerit, quia in primo casu (inquiunt ipsi) delictum præsumitur factum sub spe immunitatis, & sic immunitate est indignum, non item in secundo. In dubio autem, an sub spe immunitatis deliquerit, qui prope Ecclesiam, vel Cæmeterium delictum commisit, censent cum Farinac. *in append. cit. c. 16. n. 214.* nonnulli Doctores mox *suprà* citati, quod sub spe immunitatis deliquisse præsumatur, & sic quod illi incumbat onus probandi contrarium, quod si non probauerit, immunitate priuari debeat. Quamvis alij, vt Alciatus *præsumpt. 33. reg. 3.* & Menoch. *præsumpt. 10. n. 22. lib. 9.* id remittant arbitrio Iudicis, sed melius alij, vt Cutellius *de immunit. Eccles. lib. 1. q. 3. n. 13.* id dignoscant ex indiciis, quæ sic suadeant, v. g. frequens circa locum sacrum deambulatio, & immediate ad delictum, insidiæ & speculatores ibi positi, vel similia, &c.

7 Obiicies, qui sub spe immunitatis delinquit, vel delinquere præsumitur, indignus est priuilegio immunitatis, *c. quando, de consecrat. dist. 4. & c. illud, de clerico excommun. ministrante*: ergo.

8 Respondetur, distinguo antecedens: indignus est priuilegio immunitatis, si spectetur eius delictum, & persona, concedo; si spectetur loci sanctitas, nego: immunitas non conceditur ipsi propter ipsum, sed ipsi propter locum sanctum, qui est omni priuilegio dignissimus.

9 Obiicies secundò, Ecclesia fieret spelunca latronum: ergo, &c.

Respondetur: nego sequelam antecedentis, quia delinquens non delinquit in Ecclesia; tum quia quando est in Ecclesia, corrigi, & puniri potest à Iudice Ecclesiæ.

10 Instabis, saltem Ecclesia daret improbis occasionem delinquendi, contra *cap. est iniusta, 24. quæst. 4.* ergo, &c.

Respondetur, nego etiam sequelam antecedentis, quia hæc non est occasio data, sed accepta, quandoquidem non est Ecclesiæ imputandus abusus illuc confugientium, cùm ipsa solum intendat fauere miseris, eos à pœna liberando, non autem fouere eorum iniquitatem, quæ merè per accidens sequitur.

Obiicies tertiò, Clemens VIII. apud Farinac. *in loc. cit.* declarauit, quod qui sub spe immunitatis delinquit, vel delinquere præsumitur, immunitate non gaudet: ergo. Vide Danzam *in loc. suprà cit.* & Barbos. *de iure Eccles. lib. 2. c. 3. n. 106.*

11 Respondetur, quod de tali declaratione non constet authenticè. Adde, quod talis declaratio, seu re-
12 solutio Clementis VIII. in casu particulari non tollit legem vniuersalem, quia ex aliquibus causis, & circumstantiis particularibus mouentibus animum suum potuit, & voluit Pontifex, vt ibi annuit, in illo casu ita determinare, quod non militat in vniuersali. Vi-



de Genuens. *in prax. cap. 94. in fin.* Diana *citat. resolut. 3.* & Ciarlin. *in Controuers. forens. c. 10. n. 93. & seq.*

Instabis, saltem sic est consuetudo: ergo. 13

Respondetur, distinguo antecedens: si loquamur de consuetudine, quæ erat ante Concilium Tridentinum, & Constitutionem Pij IV. & Gregorij XIV. transeat; at hæc fuit iam per dictum Concilium, & dictam Constitutionem Pij IV. & Gregorij XIV. reuocata, & sic nunc nihil prodest. Si loquamur de consuetudine, quæ iterum post dictam Constitutionem Gregor. XIV. legitimè introducta & præscripta fuerit, videant, qui id affirmant: nam si ita est, non audeo illam damnare, iuxta ea, quæ dicebantur *dub. 6.*

## SECTIO VII.

### An priuetur, qui existens extra Ecclesiam, sagitta occidit existentem in Ecclesia?

#### SVMMARIVM.

1 *Existens extra Ecclesiam, si sagitta, vel sclopo occidat manentem in Ecclesia, priuatur immunitate.*

2 *Existens extra, si occidat hominem intus manentem, consummat actum in Ecclesia.*

3 *Qui extra Ecclesiam gladium euaginat, & inimicum insecutum intra Ecclesiam occidit, priuatur immunitate, secus si vulneratus extra Ecclesiam, intret intrò, & moriatur.*

SEquitur sextò, quod è contra immunitate priuetur, 1
qui existens extra Ecclesiam, sagitta, lapide, vel sclopo existentem in Ecclesia mutilat, vel occidit, quia talis reuera mutilat, vel occidit in Ecclesia: tum quia 2
consummat actum in Ecclesia, tum quia qui extra Ecclesiam gladium euaginat, & inimicum insecutum intra Ecclesiam occidit, immunitate priuatur: ergo sic, 3
&c. Quamvis non idem dicendum sit, si vulneret quis existentem extra Ecclesiam, & vulneratus intret Ecclesiam, & ibi moriatur, quia tunc non est is causa mortis in Ecclesia, esto sit causa mortis vulnerati: atque ita docent Nauar. *c. 25. n. 71.* Couar. *2. var. c. 20. n. 15. vers. 17.* Decian. *lib. 6. c. 28.* Layman *lib. 4. tract. 9. c. 3. n. 6.* Farinac. *de carcerib. q. 28. n. 61. & in append. de immunit. cap. 16. n. 224.* Suar. *lib. 3. cap. 11. n. 7. & 8.* Ambrosin. *de immunit. c. 5. n. 8.* Bonac. *disp. 3. q. 7. §. 4. n. 7. in fin.* Mar. Ital. *de immunit. lib. 1. c. 5. §. 3. n. 47.* Scortia *theor. 385.* Riccius *p. 5. collect. 1792.* Portel. *verb. Ecclesiæ immunitas, n. 15.* Peregrin. *de immunit. c. 13. n. 16.* Megalius *in 3. p. lib. 5 c. 2. q. 1. n. 13.* Dian. *p. 1. tract. 1. resol. 9.* Lezana *verb. Immunitas, n. 11.* & Bobadilla *lib. 2. Polit. c. 14. n. 26.* contra Henriq. *lib. 4. c. 17. n. 4. in fin.* Villagut. *de extens. leg. cap. fin. n. 50. & seqq.* & alios.

## SECTIO VIII.

### An priuetur, qui mandat aliquem mutilari, vel occidi in Ecclesia?

#### SVMMARIVM.

1 *Mandans aliquem mutilari, vel occidi in Ecclesia non priuatur immunitate, siue mandatum detur in Ecclesia, siue extra ipsam.*

2 *Nomine mutilantis, vel occidentis non venit mandans mutilari, vel occidi, nisi in lata, & extensa significatione, quæ in materia pœnali circa immunitatis priuationem facienda non est.*

3 *Censura lata contra facientes non extenditur ad mandantes.*

4 *Mandans in Ecclesia aliquem mutilari existentem extra, quia tunc videtur habere reuerentiam Ecclesiæ, gaudet immunitate.*

5 *Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur.*

6 *Actus tribuitur mandanti, & non exequenti.*

7 *Cuiuscumque negotij principium attenditur, & quisnam fuerit mali auctor.*

8 *Mandans videtur facere per se ipsum ex iuris interpretatione, & impropriè, quod in pœnis locum non habet.*

9 *Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur quoad culpam, non autem quoad pœnam.*

10 *Mandans, aliquem è loco sacro extrahi, contrahit excommunicationem, non autem immunitatis priuationem.*

11 *Mandans aliquem occidi, committit crimen homicidij moraliter, non autem physicè.*

12 *Agentes, & consentientes pari pœna puniuntur, si sic expressum sit.*

1 SEquitur septimò, quod immunitate non priuetur qui mandat aliquem in Ecclesia mutilari, vel occidi, siue mandatum detur in Ecclesia, siue extra Ecclesiam, quia aliud est mutilari, vel occidi, aliud mutilare, vel occidere (quos duos casus excipit Constitut. 2 Gregorij XIV.) cùm sub mutilante, vel occidente non veniat mandans mutilari, vel occidi, nisi in lata, & extensa significatione, quæ in pœnalibus, & præcipuè Ecclesiasticæ immunitati repugnantibus, facienda non 3 est. Vnde censura lata contra aliquid facientes non extenditur ad mandantes, nisi exprimatur, atque ita ex probabiliori sententia DD. docent Megal. *in 3. p. lib. 4. cap. 1. q. 1. n. 13.* Palaus *tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 4. n. 17. & seqq.* Bonac. *disp. 3. q. 7. de immunit. § 4. n. 9.* Diana *part. 1. tract. 1. resol. 10.* Lezana *verb. Immunitas, num. 11.* & aliqui alij. Quamvis contrarium doceant Layman *lib. 4. tract. 9. c. 3. n. 6.* Duard. *in Bullam Cœnæ, lib. 2. can. 15. q. 16. n. 23.* Portell. *verb. Ecclesiæ Immunitas, n. 15.* Gambacurta *lib. 5. c. 25.* Ioan. de Heuia *in Curia Philip. part. 3. § 12. n. 23.* Barbosa *de iure Eccles. lib. 2. c. 3. n. 1. & 16.* Sarpus *de iure Asylorum, fol. 44.* & alij (vt videre est apud Abb. *in cap. inter alia, n. 12. de immunit. Eccles.* Nauarr. *cap. 25. n. 21.* & Syluestr. *verb. Immunitas, q. 25.*) Guttier. *lib. 3. qq. Ciuil. q. 2.* Suar. *lib. 3. c. 11. n. 7. & 26.* Peregrin. *de immunit. c. 6. n. 36.* Azor *2. part. lib. 9. cap. 9. q. 14.* Farinac. *in append. de immunit. cap. 16. n. 230.* Marth. *de iurisdict. part. 2. cap. 51. n. 26.* Decian. *lib. 6. c. 28. n. 7.* Cutellius *de immunit. Eccles. lib. 1. q. 10.* & Mar. Ital. *lib. 5. c. 5. § 3. n. 48.* 4 *& seqq.* quorum tamen aliqui nobis concedunt, quod immunitate non priuetur, si quis existens in Ecclesia mandet mutilari, vel occidi aliquem extra Ecclesiam, quia tunc (vt fatentur etiam ipsi) mandans videtur habere reuerentiam Ecclesiæ, ne scilicet homicidium, vel mutilatio committatur in Ecclesia: tum quia talis casus non est casus exceptus in Constitut. Gregor. XIV. vt *suprà* dicebamus. Vide Decianum, Peregrinum, & Farinacium vbi *suprà*, & præterea Ambrosinum *de immunit. c. 5. n. 9.* & Ioan. de Vischis *de immunit. Eccles. n. 6.* Quamvis & hoc ipsum etiam negent Suarez, Guttierrez, Azor, Barbosa, Layman, & Sarpus cum aliquibus Doctoribus aliis suprà citatis.

5 Obiicies, qui per alium facit, per se ipsum facere cen- 6 setur, *reg. 72. de regul. iuris*, & probatur, quia actus tribuitur mandanti, & non exequenti, *l. item, §. Decuriones ff. quod cuiusque vn. nom. l. vnum ex familia, §. 1. ff. de legat. 2. l. omnia, C. de veter. iur. enucl. cap. super literis, cap. cum aliquibus, de rescript. & cap. vt fama tua, in fin. de sent. excommun.* tum quia cuiusque negotij principium attenditur, & quisnam fuerit mali author, *l. nam origo, ff. quod vi, aut clam. l. si procuratorem, ff. mandati.* Neque hæc videtur extensio legis pœnalis, sed interpretatio iuxta legis dispensationem.

Respondetur, qui per alium facit, per seipsum facere 7 censetur, propriè, seu verè, & realiter nego, impropriè, 8 seu per iuris fictionem (quæ locum in pœnis non habet, nisi ab ipso iure fiat extensio, præsertim in casu nostro, in quo Pontifex loquens de homicidio, & mutilatione tollit facultatem interpretandi, & extendendi suam Constitutionem ad alios casus in dicta Constitutione non expressos) concedo, vel dicas cum Auila *de cens. part. 2. cap. 5. disp. 3. dub. 2.* & aliis, quod axioma il- 9 lud intelligatur quoad culpam, non autem quoad pœnam, nisi exprimatur, vti dicebam, & patet in exemplo de censuris *suprà* allato.

Instabis primò, mandans aliquem à loco sacro extrahi, contrahit excommunicationem huius Constitutionis: ergo mandans aliquem in loco sacro occidi, contrahet priuationem immunitatis eiusdem Constitutionis.

Respondetur, nego consequentiam, quia à diuer- 10 sis, & disparatis non valet illatio, *l. Papinianus exul, ff. de minor.* Ratio autem disparitatis constabit ex dicendis *dub. 35.*

Instabis secundò, verè talis committit crimen homicidij, *cap. mulieres, §. ille verò, de sent. excommun. cap. si quis, 23. q. 8. & c. perniciosè, 23. de pœnit. dist. 1. l. vtrum, ff. ad leg. Pomp. de parricid. l. non solum, §. si mandato meo, ff. de iniur. & l. non ideo minus, C. de accusat.* & ibi communiter Doctores: ergo.

Respondetur, distinguo antecedens: verè talis com- 11 mittit crimen homicidij mortaliter, concedo; physicè, nego. At occidenti physicè priuatio immunitatis imposita est, non autem occidenti moraliter, vt suprà dicebamus ob rationes dictas, ob quas etiam dicendum est, quod axioma illud ex Paul. ad Roman. *cap. 1. agentes, & consentientes pari pœna puniuntur*, intelligatur, si sic expressum fuerit. 12

## SECTIO IX.

### An priuetur, qui vi, vel fraude extrahit aliquem ex Ecclesia, & extractum illum occidit extra Ecclesiam?

#### SVMMARIVM.

1 *Extrahens aliquem ab Ecclesia vi, dolo, fraude, eumque extractum mutilans, vel occidens, non priuatur immunitate.*

2 *Repetuntur rationes aliàs recensitæ, nam etiam hìc procedunt.*

1 SEquitur octauò, quod immunitate neque priuetur, qui vi, vel dolo, vel fraude aliquem ex Ecclesia extrahit, & extractum illum mutilat, vel occidit extra Ecclesiam, idque propter easdem rationes, quæ *suprà sect. 5.* afferebantur, quamvis contrarium sentiant Azor *2. part. lib. 9. q. 9. c. 14. vers. 15.* Item & Farinac. *in append. de immunit. c. 16. n. 232.*

2 Neque obstat, quod talis dederit causam mutilatio- nis, vel occisionis in Ecclesia, quia adhuc non mutilat, vel occidit in Ecclesia, neque consummat actum in Ecclesia. Adde, quod neque dedit causam mutilationis, vel occisionis in Ecclesia necessariam (sicuti qui sagitta, vel sclopo mutilat, vel occidit ex Ecclesia,) sed liberam, cùm liberè postea occiderit extra Ecclesiam.

## SECTIO X.

An priuetur immunitate debita pro aliis delictis, qui mutilat, vel occidit in Ecclesia?

### SVMMARIVM.

1. & 2. *Occidens, vel mutilans in Ecclesia non priuatur immunitate debita pro aliis delictis ante, vel post commissis, scilicet non exceptis, secus si pro occisione commissa in Ecclesia talis punitus non sit.*
3. & 4. *Delictum commissum in Ecclesia si est Ecclesiasticum, vel à Clerico commissum, solum à Iudice Ecclesiastico potest puniri, quia in tali casu est extra iurisdictionem Iudicis secularis: si verò delictum est seculare, & à laicis commissum, datur locus præuentioni.*
5. *Vnum delictum sortitur vtrumque forum, & ratione personæ, & ratione loci commissi delicti.*
6. *Delinquens si aufugiat, & citatus non compareat, pariter vterque Iudex potest procedere, sed tunc non datur præuentio, cum possessionem delinquentis requirat.*

1 SEquitur nonò, quod immunitate debita pro aliis delictis, antè, vel post commissis (scilicet non exceptis) neque priuetur qui mutilat, vel occidit in Ecclesia; quia quod mutilatio, vel occisio in Ecclesia priuet etiam immunitate quoad alia delicta ante, vel post commissa non excepta, nullibi statutum in iure reperitur, & pœnæ ex alio capite, præsertim in præiudicium immunitatis Ecclesiasticæ, extendendæ non sunt: ergo, &c. Atque ita docent Couar. alios referens 2. *var. cap.* 20. *n.* 15. *vers.* 24. & Guttier. *pract. qq. ciuil. lib.* 3. *q.* 1. *n.* 18. Quamvis contrarium ex communiori (vt fatear) doceant Tusch. *verb. Ecclesia, n.* 11. Decian. *tract. crimin.*
2 *lib.* 6. *c.* 28. *n.* 9. & Boërius *decis.* 119. *n.* 10. in casu tamen, quo pro mutilatione, vel pro occisione commissa in Ecclesia talis punitus non sit (quamvis non item si sit punitus) quia dum non est punitus, non est Ecclesiæ satisfactum, ac proinde ab Ecclesia non defenditur: at his tamen obstantibus, quod dixi est probabilius, etsi minus commune.

Cæterùm quisnam Iudex possit delictum in Ecclesia commissum punire?

3 Respondetur distinguendo; quod si delictum est Ecclesiasticum, vel à Clerico commissum, solum Iudex Ecclesiasticus possit punire, quia in tali casu delictum est extra iurisdictionem Iudicis sæcularis: sed si delictum est sæculare, & à laico commissum, possit Iudex
4 sæcularis, & Ecclesiasticus, ita vt detur locus præuentioni, quia in tali casu delictum sortitur vtrumque
5 forum; sæculare, ratione personæ, & delicti; Ecclesiasticum, ratione loci sacri, in quo est commissum, & ratione immunitatis Ecclesiasticæ violatæ.
6 Quod si delinquens aufugerit, & citatus non comparuerit, vterque Iudex etiam procedere potest, quia tunc non datur præuentio, cùm hæc possessionem delinquentis requirat, & sic Iudex sæcularis procedere poterit ad condemnandum illum in pœnis debitis delicto, & Iudex Ecclesiasticus in pœnis, quas de iure apponere potest. Atque ita docent Tusch. *verb. Ecclesia, concl.* 5. *n.* 10. 14. *& seqq. & verb. Immunitas, concl.* 59. *n.* 6. *& seqq.* Guttier. *pract. qq. ciuil. lib.* 3. *q.* 1. *n.* 13. *&* 14 Franc. Leo *Thesaur. Ecclesiast.* 1. *p. cap.* 13. Salzed. *pract. crimin. c.* 87. *n.* 1. *in addit. lit. A.* Mar. Ital. *de immunit. lib.* 1. *cap.* 5. §. 3. *n.* 52. *&* 53. & Farinac. *in append. de immunit. cap. vlt. n.* 364. *& consil.* 214. *n.* 3.

## DVBITATIO XX.

An immunitate priuetur, qui proditoriè occidit proximum suum?

## SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

### SVMMARIVM.

1. *Occidens proditoriè proximum suum non gaudet immunitate.*
2. *Salomon Ioab ad altare confugientem impunem non reliquit, quia per insidias Abner occiderat.*
3. *Occisor proditoriè proximi sui est, qui illum incautum nihil sibi præcauentem, per insidias, & industriam occidit.*
4. *Præsertim si cum illo amicitiam simulabat.*
5. *Immunitate non gaudet, qui eum, cui se socium in via adiunxerat, nulla rixæ causa intercedente, occidit.*
6. *Nec gaudet filius occidens patrem, vel contra, si occisus mortem præuidere non potuit.*
7. *An verò gaudeat falsus testis, & Iudex iniustè condemnans, remissiuè.*

REspondetur affirmatiuè, *cap.* 1. *de homicid.* ibi: *Si* 1
*quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur*: & citat Constit. Gregor. XIV. ibi: *Aut qui proditoriè proximum suum occiderit.* Quod desumptum est ex cap. 21. Exod. & 2
exemplum habes in Salomone Rege 3. Reg. 2. qui Ioab ad altare confugientem impunem non reliquit, quia per insidias Abner occiderat, 2. Reg. 3. & Amasam, 2. Reg. 20. Vide Tusch. *verb. Ecclesia, concl.* 11. *n.* 5. Suar. *lib.* 3. *de reuerentia debita locis sacris, cap.* 11. *n.* 10. *& seqq.* Couar. *lib. var. cap.* 20. *n.* 6. *vers.* 8. Clar. *lib.* 5. §. *fin. q.* 30. *n.* 9. *&* 11. Gomez *de delictis, c.* 10. Plaza *lib.* 1. *delictorum, c.* 21. Guttier. *pract. qq. ciuil. lib.* 3. *q.* 7. *n.* 52. Remig. Gonny *de immunit. fallentia* 13. Scottia *Theor.* 285. Layman *lib.* 4. *tract.* 9. *c.* 3. *n.* 8. Farinac. *de carcerib. q.* 28. *n.* 23. *& in append. de immunit. cap.* 9. *n.* 135. & Doctores alias *infrà* citandos.

Est autem proditoriè proximi sui occisor, qui illum 3
incautum, nihil sibi præcauentem, per insidias, & industriam occidit, *l. propter insidias, C. qui accusare non possunt, l. fin. C. de delatoribus, lib.* 10. *l.* 4. *ff. ad leg. Iul. Maiest. cap. clericus,* 46. *dist. cap. si cupis* 16. *q.* 1. & docent ex communi Anton. Gom. 3. *var. c.* 3. *de homicidio, n.* 5. Farinac. *locis supràcit. & q.* 18. *n.* 76. Suar. *cit. cap.* 11. *n.* 12. & alij 4
passim; præsertim si cum illo, non solum inimicitias non gerebat, sed etiam amicitiam, vel societatem simulabat Sanch. *tom.* 2. *consil. moral. lib.* 6. *cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 26. Bonacina, Diana, & Lezana *in locis infra citandis.* Vide etiam quæ dicentur *dub.* 24. *sect.* 12.

Hinc sequitur, quod de immunitate non gaudeat qui 5
alterum, cui se tanquam socium, & amicum in via adiunxerat, nulla rixæ causa interueniente occidit. Item 6
nec filius, qui occidit patrem, vel pater, qui occidit filium, si occisus mortem præuidere non potuit.

An autem neque gaudeat, qui falsum testimonium 7
aduersus aliquem tulit in iudicio, ob quod iste à iudice morte damnatus est. Item neque gaudeat Iudex, qui aliquem iniusta morte damnauit? Vide *infrà dub.* 21. *sect.* 7. *n.* 4.

## SECTIO II.

### An priuetur, qui occidit aliquem veneno?

### SVMMARIVM.

1 *Occidens aliquem veneno quia proditor censetur, non gaudet immunitate.*

2 *Sacra Congregatio Concilij declarauit, quod immunitate Ecclesiæ non gaudeat qui homicidium committit veneno.*

3 *Mater filium infantem, vel si quis alius occidat fœtum animatum per aliquam potionem, non gaudet immunitate, contra nonnullos.*

4 *Gaudet tamen Medicus, qui fœminæ grauidæ pharmacum præbet, non ad abortum faciendum, sed ad sanitatem recuperandam, etsi inde fœtus animati mors sequatur.*

5 *Prædicta non habent locum si veneno inimicus occidatur, quia ad proditoriè committendum requiritur simulata amicitia, quando loquimur de adulto.*

6 *Occidens inimicum veneno in sententia Auctoris gaudet immunitate, quia non dicitur propriè occidere proditoriè.*

7 *Occidens inimicum in somnis non priuatur immunitate.*

8 *Occidens per insidias inimicum quomodolibet, vel per fenestram, vel à tergo, vel in lecto, dummodo non simuletur amicitia, post Constitutionem Gregorianam, gaudet immunitate.*

1 EX dictis sequitur primò, quod immunitate priuetur, qui occidit aliquem veneno, quia proditor censetur. Atque ita docent Baldus *in l. nemo, Cod. de summa Trinit.* Felinus *cap.1.de homicidio,num.1.* Anania *ibidem,* Sylu.*verb.Proditio,* Molina *tract.de iust.disp.24.* Couarru.*resol.cap.20.num.7.*Hieronym.Gigas *de crimine læsæ Maiest.quæst.10.num.23.*Gomez *lib.3.resol.cap.3. num.7.*Martha *lib.2.cap.51.num.8.argum.l.1.§.occisorum, ff.ad SC.Syllanianum, & l.1.C.de Malef. & Mathematicis,* Suar.*de relig.tom.1.lib.3.cap.11. num.12.* Megalius *in 3.part.lib.4.cap.1.quæst.1.num.18.* Peregr.*de immunit. cap.3.num.6.*Mar.Ital.*lib.1.c.5.§.4.num.36.* Graff.*tom.1. lib.3.conf.unic.de immunit.Eccles.num.16.*Homobonus *part.2.tract.11.cap.5.q.5. resol.4.* Ioan.de la Cruz *p.1. præc.8.q.3.art.2.dub.1.concl.1.* Villadieg.*in Polit.cap.3. num.28.* Bobadilla *in Polit.tom.1.lib.2. cap.14. num.75.* Mastrillus *de indulto,cap.35. num.5.* Gauantus *in addit. ad Man. Episc. verb. Immunitas Ecclesiastica, num.10.* Sarpus *cap.5.fol.47.* Bucerus *in tract. de homicidio,lib.1. cap.4.num.95.* Castrus Palaus *tom.2. tract.11. disp.unic. punct.9.num.29.* Villalob. *in summa,tom.2.tract.39.diffic.7.num.14.*Castillo *decis.254.num.2.* Boërius *dec.109.* Ludouicus Correa *relect. de immunit. part.2. num.19.* Sanchez *de opusc.tom.2.lib.6.cap.1.dub.7.num.26.* Ricc. *part.3.decis.262.* Anastas.Germon.*de sacrorum immunit. lib.3.cap.16.num.63.*Decian.*lib.6.cap.28.num.19.*Carrerius *in pract. crimin.* Scortia *Theor. 385.* Layman *lib.4. tract.9.cap.3.num.8.* Farinac.*de carcerib.q.10.num.74.& q.28.num.14.in fin. & in append. de immunit.c.9.n.142.* (vbi tamen ait, quod debeat Episcopus certitorem facere Summum Pontificem, & iuxta responsum illius se regulare, & exequi) Barbos.*in collect. tom.1. lib.3. tit.49. cap.6. num.12. & de vniu. iure cap.3. num.44.* Ioan. de Heuia in Curia Philip. *part.3. §.12. num.6.* Guazin. *de defens.reor. defens.1.* Cutellius *de immunit. Eccles.lib.1.q.5. & 36.* Lezana *verb. Immunitas Eccles. num.12.* & Diana *part.1. tract.1. resol.36.* Confirmatur, quia adest de hac re declaratio Sacræ Congregationis Concilij, quæ idipsum in terminis die 3. Decembris 1632. decreuit, quod scilicet immunitate Ecclesiæ non gaudeat, qui homicidium committit veneno. 2

Idem dicas, propter eandem rationem, si mater occidat filium infantem, vel si quis alius occidat fœtum animatum per aliquam noxiam potionem, sicuti in terminis docent Remigius de Gonny *de immunit. fallent.14.* Peregrinus *cit.cap.3.num.8.* & Farinacius *in append. de immunit. cap.8. num.138.* & declarauit eadem Sacra Congregatio Concilij die 3. Decembris 1632. apud Barbosam *in Collect.Bullar.verb.Immunitas,* & *de iure Ecclesiast.lib.2.cap.3.num.42.*& apud Lezanam *loc. supra cit.*Quamvis contrarium quoad hunc casum sentiant Franciscus Leo *in Thes. fori Eccles. part.1.cap.13. vers.Dubitari etiam potest*: Bonac.*tom.3.disp.2. quæst.3. punct.16. §.8. num.8.* & Diana *part.3. tract.1. resol.72.* moti ex eo, quod huiusmodi delinquens iuxta communem modum loquendi non dicitur propriè proditoriè occidere: nam is propriè proditoriè dicitur occidere, qui per insidias, seu dolum id non præuidentem occidit: quapropter infans non potest propriè dici per insidias, & dolosè occidi; quia in ipsum, cum non sit rationis capax, non potest propriè dolus committi: dolus enim est fraus ad aliquem decipiendum adhibita, infans autem decipi propriè non potest; cum deceptio propriè sit in illum, qui dolum cognoscere, & præcauere aliqua ratione potest. 3

At quidquid sit de hac opinione, quæ est satis probabilis, illud saltem dicendum est, quod non priuetur immunitate Medicus, qui fœminæ grauidæ pharmacum, non intentione abortus, sed vt sanitatem recuperet, præstat, quamvis inde fœtus animati mors sequatur, quia talis actio ex sui natura curatiua est, vel saltem talis iudicatur à Medico, & mors inde solum sequitur per accidens,non per se. Quando verò Medicus pharmacum, ex quo mors fœtus, vel ipsius fœminæ prægnantis sequi potest, præstando peccet, constat ex dictis *cap.3.dub.4. sect...* 4

Cæterùm ego puto, iuxta ea, quæ dicentur infra *in sect. sequentib.* quod supradicta *num.3.* Doctorum opinio, & sacræ Congregationis declaratio (si scilicet loquamur de adulto) procedant solum in casu,quo quis occiditur veneno, nulla præcedente inimicitia, quia tunc homicidium est propriè proditorium, cùm occidatur homo nihil præcauens, & non habens causam sibi præcauendi; secus si occiditur veneno inimicus; quia in tali casu homicidium non potest dici propriè proditorium, cùm homicidium propriè proditorium tunc sit, cum nullus præcedebat rancor, sed potius simulabatur amicitia, aliud scilicet gerendo in corde, seu in interno, & aliud in externo; sicuti rectè notarunt Bartolus *in l.recipiendum, §. delinquunt, num.1. ff. de pœnis,* Bald. *cap.1. quibus modis feudum amittatur,de vsibus feudorum,* Angelus Aretin. *§. interdum, num.6. Instit. de hæreditatibus, quæ ab intestato deferuntur,* Gerardus *in suis singularibus, singular.14.* Lucas de Peña *in l.sentiunt, in fin. de delatoribus, lib.10.* Henricus Bucerus *in tract.de homicidio, lib.1. c.3.num.16.* Ciarlin. *in controuers.forens.n.1.c.116.n.31.* & alij, quos citat Afflictus *decis.265.n.68.& seqq.* Peregrin. *de immunit.c.6. n.2.* Giurba *consil.120. num.13.* Guazzinus *defens.1. cap.38.n.40.* 5

Quapropter si quis occidat inimicum veneno, puto ego, quod immunitate gaudeat; quia non dicitur propriè proditoriè illum occidere; cùm, stante inimicitia, haberet occisus fundamentum sibi præcauendi, & poterat, & debebat sibi præcauere, vnde si non fecit, sibi imputare debet. 6

Confirmatur, quia si quis occidat inimicum in somnis, non priuatur immunitate, vt multi etiam ex 7

Aduersariis

Aduersariis concedant, & dicetur *infrà sect.5.* ergo neque priuabitur, si occidat inimicum veneno, cùm vtrobique occidat hominem incautum.

8 Itaque non priuabitur immunitate (maximè post Constitutionem Gregorij XIV.) quantumcunque quis per insidias inimicum occidat, siue eum occidat veneno, siue in somnis, siue per sclopum à fenestra, vel à tergo, quia non quæcumque insidiæ immunitate priuant, sed solùm insidiæ, quæ constituunt propriè proditionem, id est, quæ sub colore amicitiæ fiunt, cùm solum (maximè post Constitutionem Greg.XIV.) ab immunitate excludatur proditoriè occidens: at stante inimicitia, vti dicebam, insidiæ non constituunt propriè proditionem, quia inimicus semper habet fundamentum sibi præcauendi, & sic imputare sibi debet si veneno, in somnis, vel alio modo incautus occidatur.

Quapropter, inquam, maximè post Constitutionem Gregorij XIV. immunitate priuatur tantùm homicidium, quod fit sub colore amicitæ, quia tunc est propriè proditorium; non autem, quod fit ab inimico, etiam per quascumque insidias; quia tunc propriè proditorium dici non potest. Atque ita declarauit Clemens VIII. per Breue ad Archiepiscopum Panormitanum die 6. Februar. 1597. & explicant Farinacius, Ambrosinus, Peregrinus, Bonacina, Gratianus, Giurba, Castillo, Nouarius (qui subdit, quod salutationes ordinariæ, cum sint signa communia, non constituunt effectum amicitiæ, ita vt si quis in tali casu occidat, propriè proditor dici possit.) Sperellus, & alij citandi mox *infra sect.5.*

## SECTIO III.

### An priuetur, qui occidit inimicum, promissione facta de non offendendo? Vbi etiam de amico reconciliato.

### SVMMARIVM.

1 *Occidens inimicum promissione, seu fideiussione data de non offendendo, priuatur immunitate; quia per dictam cautionem sublata fuit ab inimico omnis occasio sibi præcauendi, & sic occisor propriè Proditor censetur.*

2 *Opinio in contrarium est satis probabilis.*

3 *Homicidium propriè proditorium est, quod ab Amico nullo præcedente rancore, sed sub colore amicitiæ committitur.*

4 *Odium propter præcedentes inimicitias præsumi debet adhuc duraare, non obstante promissione de non offendendo.*

5 *Occidens amicum reconciliatum, neque committit homicidium proditorium, & sic neque immunitate priuatur.*

6 *Amicus reconciliatus æquipollet Inimico, iuxta illud Inimico tuo ne credas in æternum.*

7 *Præsertim, si post reconciliationem noua inimicitiarum causa intercesserit.*

1 SEquitur secundò, quod immunitate similiter priuetur, qui occidit inimicum, promissione, vel fideiussione facta de non offendendo, quia per talem promissionem, vel fideiussionem sublata fuit inimico omnis occasio sibi præcauendi; & sic occisor propriè proditor censetur; cùm deceptio contra fidem proditio videatur. Atque ita docent Farinacius *lib.2. consil.168. num.75.* Cutellius *de immunit. Eccles.lib.1.q.25.* Decian. *lib.7. cap.26. num.23.* Giurba *conf.60.* Barbosa *de vniuers. iure Eccles. cap.3. num.93.* & Peregrinus *tract.de immunit. Eccles. cap.7. num.10.* probans ex Syluestro, Angelo, Decio, Armilla, & Gigante, hunc propriè proditorem esse.

Quamvis contrarium, & satis probabiliter, doceant Antonius de Marinis *resolut. quotid. cap.274.* & Diana *part.4. tract.1. resolut.33.* ex eo, quod (*vt suprà dicebatur*) homicidium propriè proditorium sit, quod ab amico, nullo præcedente rancore, sed sub colore amicitiæ, committitur, v. g. simul comedendo, commorando, in itinere deambulando, vel colloquendo, &c. quod in casu nostro non est (supponitur enim, quod post promissionem, vel fideiussionem de non offendendo factam, non intercesserit stricta amicitia, simul scilicet, vt dicebam, comedendo, commorando, in itinere deambulando, vel colloquendo, &c.) sed potius oppositum, cùm propter inimicitias præcedentes (licet intercesserit promissio, vel fideiussio de non offendendo) præsumi debeat, attenta nostra natura vitiata, odium adhuc, quamvis valde turpiter, durare. Quapropter subdunt, & satis probabiliter etiam, *in locis suprà cit.* quod qui occidit amicum reconciliatum, neque committat homicidium propriè proditorium, & sic neque immunitate priuetur; quia amicus reconciliatus æquipollet inimico, iuxta illud: *Inimico tuo ne credas in æternum.* Et ita fuisse decisum in Curia Archiepiscopali Neapolitana, testatur Riccius *part.1.decis.168. num.2.* Vide etiam Ambrosinum *de immunit. Eccles.cap.6.num.1.*

2 3 4 5 6

At quidquid sit de hoc, illud certum est, immunitate non priuari eum, qui inimicum (cum quo pacem inierat) noua inimicitiarum, vel occisionis causa post pacem, seu reconciliationem anteà factam superueniente, occidit; quia in tali casu occisus non occiditur incautus, quandoquidem cogitare poterat de periculo mortis sibi inferendæ. Quomodo autem huiusmodi causa probari possit, tractat Farinacius *quæst.107. num.435. & seqq.*

7

## SECTIO IV.

### An priuetur, qui occidit proditoriè infidelem.

### SVMMARIVM.

1 *Occidens propriè proditoriè Infidelem, gaudere non debet immunitate.*

2 *Infidelis venit propriè sub nomine nostri proximi, alioquin præceptum de diligendo Proximum non extenderetur ad Infideles.*

3 *Hæretici, & Schismatici nobiscum in fide, & charitate non conueniunt, & tamen censentur nomine nostri Proximi.*

1 SEquitur tertiò, quod immunitate similiter priuetur, qui occidit propriè proditoriè infidelem, quia licet infidelis non communicet nobiscum in fide, in sacramentis, in Ecclesia, &c. tamen propriè venit sub nomine nostri proximi; alioquin præceptum de diligendo proximo non extenderetur ad infideles, quod non est dicendum: ergo, &c.

2

Neque obstat, quod nobiscum non communicet in fide, Sacramentis, in Ecclesia, &c. aliàs hæreticus etiam & schismaticus excludi possent à ratione proximi, cùm nobiscum in fide & charitate non conueniant, quod absque dubio dicendum non est. Atque ita docent Farinacius *in append. de immunit. c.8. num.120.* Peregrinus *de immunit. cap.7. num.15.* & Marius Ital. *de immunit. Eccles. lib.1. cap.5. §.4. num.20. & 21.* contra Ambrosinum *de immunit. cap.7. num.12.* Dian. *part.4. tract.1. reso-*

3

*lut.*105. & Bonacina *disput.3. quæst.7. de immunit. §.4. num.16.*

## SECTIO V.

### An priuetur, qui occidit per industriam inimicum, etiam incautum?

#### SVMMARIVM.

1 *Occidens per industriam inimicum dormientem, vel alio modo incautum,verbi gratia à tergo, vel à feneſtra,gaudet immunitate.*
2 *Proditor propriè dicitur is, qui aliud gerit in opere, aliud in corde.*
3 *Verbum (proditorium) in Conſtitutione Gregoriana appoſitum eſt ſtrictè interpretandum.*
4 *In Regno Neapolis recepta eſt opinio Bartoli, quod ſcilicet delictum non intelligatur propriè proditorium, niſi ſub colore, ſeu ſpecie amicitiæ committatur.*
5 *In ſententia aliquorum Doctorum homicidium vt vulgo dicitur appoſtatum ſemper eſt proditorium, ſed reuera eſt proditorium latè & impropriè,non autem ſtrictè, & propriè.*

1 SEquitur quartò, quod è contra immunitate non priuetur, qui occidit per induſtriam, & inſidias inimicum, etiam dormientem, vel alio modo incautum, verbi gratia à tergo, vel à feneſtra cum ſclopo; quia in Conſtitutione Gregorij XIV. excipitur ſolum homicidium proditorium: at ſtante inimicitia, inſidiæ (vti *ſupra ſect.2.* dicebam) non conſtituunt homicidium propriè proditorium, quia ſemper inimicus habet fundamentum ſibi præcauendi, & ſi non facit, ſibi imputare debet: ergo,&c.

Confirmatur, quia (vt ibidem dicebam) homicidium in tantum dicitur propriè proditorium, in quantum committitur ſub colore amicitiæ, cum proditor propriè dicatur is, qui aliud gerit in opere, aliud in corde; ſiquidem, cùm immunitas Eccleſiæ ſit fauorabilis propter reuerentiam ſacrorum locorum, & exceptio ſit odioſa, ly *proditorium*, ſtrictè 2
interpretandum eſt. Vide quæ dicebantur *ſupra dubitat. 3.* 3

Atque ita contra Couar.2. *var. cap.*20. *num.*7. Menochium *de arbitr. caſ.*461. *num.*27.Suarez *lib.*3.*cap.*11. *num.*10.Fagundez *de præcept.Eccleſ.tract.*1.*lib.*4.*num.*46. Portel. *verſ. Eccleſiæ immunitas, num.*15. Gambacurta *lib.*5. *cap.*4. & 31. Villadieg. *in Polit. cap.*3. *num.*208. Azeued. *lib.*1. *tit.*2.*num.*11.*in Conſtitut.Hiſpan.* Petrum à Plaza *epit. delict. lib.*1. *cap.*21.*num.*2. Villagut. *de extenſione legis, cap. fin. num.*53. *verſ. quartus modus.* Marium Ital. *de immunit. Eccleſ. lib.*1.*cap.*5. §.4.*num.*1.& *ſeqq.* Babadil. *Polit. lib.*3.*cap.*14. *num.*34. & 35. Cutellum *de immunit. Eccleſ. lib.*1.*quæſt.*5. & 33. & 36. *num.*11. Megalium *in* 3. *part. lib.*4. *cap.*2.*quæſt.*1.*n.*18. & alios (quos refert, & ſequitur Farinacius *de carceribus quæſt.*18.*num.*76.) docent ex Bartolo *loc. ſupra cit.*Antonius Gomez *var. reſol.* §. *de homicidio, cap.*3. *num.*5. Vincentius de Franchis *deciſ.*713. (vbi ait,etiam ante Conſtitutionem Gregorij XIV. ita in Regno Neapolis deciſum fuiſſe) Cepolla *conſil.* 32. Clar. §. *homicidium, verſ. proditorie*, Follerius *in cap. Regni Item ſtatuimus, de his, qui ad Eccleſ. confugiunt*, Peregrin. *de immunitat. cap.*7. *num.*5. & 20. Bonacina *diſput.*3. *quæſt.*7. *punct.*4. *num.*14. Riccius *part.*5.*collect.*1792. & *part.*1. *deciſ.*168. *num.*... Gratian. *diſcept. forenſ. tom.*3. *cap.*38.*num.*4. & *ſeq.* Caſtillo *deciſ.*156. *num.*38. & 39. Barboſa *de iur. Eccleſ. lib.*2. *cap.*3. *num.*62. (vbi ait, quod occidenti inimicum à tergo cum ſclopo, immunitate gaudere decreuerit ſacra Congregatio Epiſcoporum in vna Mileuitana, die 2. Auguſti, 1619.) Giurba *conſil.*20. *num.*13. & *conſil.* 60. *num.*.. Lezana *verb. immunitas, num.*12. Nouarius *in Summa Bullar. tit. de immunit. num.*76.& 79.& 81. Sperellus *deciſ.*23. *per totam*, Guttierrez *pract. qq. ciuil. lib.*1.*quæſt.*2. & 3. *num.*18. Ambroſin. *de immunit. cap.*6. *num.*3. & *ſeq.* Suarez *lib.*3. *cap.*11. *num.*13. Diana *part.*1. *tract.*1. *reſolut.*1. *num.*3. & *reſol.*5. & 35. Scortia *theor.*385. Farinacius *conſil.* 76. *num.*7. & 15. & *in append. de immunit. cap.* 9. *num.*143. (vbi Clementem VIII. iuxta Conſtitutionem Gregorij XIV. corrigendo *cap.* 1. *de homicidio*, ſic reſpondiſſe teſtatur, & propterea mutat ſententiam priorem, quam tenuerat *cit.quæſt.*18. *num.*76.) & Genuenſis *in prax. cap.*94. vbi ait, quod in Regno Neapolis recepta ſit opinio Bartoli, quod 4
ſcilicet delictum non intelligatur propriè proditorium, niſi ſub colore, ſeu ſpecie amicitiæ committatur.

Obiicies. Multi Doctores (quos citat, & ſequitur Gambacurta *lib.*5. *cap.*4. 28. & 31. & Cutellius *lib.*1. 5
*quæſt.*5.) docent, quod non ſolum homicidium, quod fit ſub ſpecie amicitiæ, ſed etiam quod fit ſine tali ſpecie, occidendo ſcilicet inimicum per inſidias, quin etiam ſine inſidiis, ex induſtria tamen, & non ex rixa (quod homicidium vulgo appoſtatum dicitur) ſiue à tergo, ſiue etiam à facie, ſine diffidatione tamen, vt poſſit inuaſus ad rixam ſe accingere, proditorium ſit, quia ſemper in quolibet ex dictis caſibus incautus occiditur, & ex improuiſo adortus: ergo & talia homicidia non gaudent immunitate Eccleſiæ, quod inde confirmari poteſt, quia ſi veneno quis occidatur,etiam inimicus,non gaudet tale homicidium immunitate Eccleſiæ: ergo, &c.

Reſpondetur, Diſtinguo antecedens: proditorium ſit, latè & impropriè, concedo: ſtrictè & propriè, nego: ſicuti patet ex doctrina Bartoli *cit. l. proſpiciendum*, §. *delinquitur*, *ff. de pœnis*, vbi nomen proditoris ad occiſorem amici refert, & occiſorem inimici excipit: quam doctrinam communiter ſequuntur Iuriſtæ, vt dicit Igneus *in l. ſi certus*, §. *ſi vnus ex dominis*, *verſ. ſecundum quod*, *ff. ad Syllan.* Clarus §. *homicidium*, *verſ. proditorie*, Anton. Gomez *libr.*3. *var. tit. de homicid. num.*5. Gutierrez *pract. lib.*1. *cap.*2. *numero* 14. & 21. & Vincentius de Franchis *deciſ.*717. *num.*14.Et ſic nego conſequentiam.Ad confirmationem patet ex iis,quæ dicebam *ſuprà*, *ſect.*2.

## SECTIO VI.

### An priuetur, qui occidit inimicum in duello?

#### SVMMARIVM.

1 *Occidens inimicum ſuum in duello non priuatur immunitate.*
2 *Duellantes ſunt excommunicati, & priuantur ſepultura Eccleſiaſtica, non tamen priuantur immunitate.*

1 SEquitur quintò, quod immunitate multò minus priuetur, qui occidit inimicum ſuum in duello. Atque ita in terminis docent Farinac. *append. de immunit. cap.*7. *num.*117. & Diana *part.*4. *tractat.*1. *reſolut.* 46. Quidquid in contrarium ſentiant Ludouicus Correa *in relect. ad cap. inter alia*, *de immunit. Eccleſ. part.*3. *num.*19. Barboſa *de iure Eccleſ. lib.*2. *cap.*3.*num.*101.& Mar.Italia *de immunit. lib.*1.*cap.*5.§.4. *num.*42. & *ſeqq.*

Obiicies.

Obiicies, duellantes sunt excommunicati, & priuantur sepultura Ecclesiastica, ex Concilio Tridentino *sess.25.cap.19.* ergo.

2 Respondetur, concedo antecedens: at nego consequentiam, quia excommunicati, licet priuentur sepultura Ecclesiastica, non tamen priuantur immunitate Ecclesiæ. Vide Ambrosinum *de immunitat. Eccles. cap.8. num.12.* & quæ dicebantur *supra dub.10. sect.2. 3. & 4.*

## SECTIO VII.

### An priuetur qui occidit per industriam, sed non per insidias, proximum, quam vis non inimicum.

### SVMMARIVM.

1 *Occidens ex proposito deliberato, & per industriam, sed non per insidias inimicum, non priuatur immunitate.*

2 *Occidens ex industria, & animo pensato, sed non per insidias, non committit homicidium proprie, & stricte proditorium.*

3 *Exceptio, quæ fit* in cap.1. *de homicidio, est odiosa, & est restringenda, seruata verborum proprietate.*

4 *Verba textus citati propriè explicantur, si duæ illæ per industriam, & per insidias coniungantur, vt posterior limitet, seu determinet priorem.*

5 *Copulatiua in qualibet illius parte vera esse debet.*

6 *Propositio desumpta* ex cap.1. *de homi idio, non est copulatiua, sed simplex.*

7 *Verbum* per industriam, *ibi appositum non est superfluum, quia ponitur ad maiorem subsequentis declarationem, alioquin superfluum etiam esset verbum illud* per insidias.

8 *Constitutio Gregoriana derogat ius commune, sicut & priuilegia, & omnem consuetudinem in contrarium.*

9 *Principes non possunt quidquam statuere circa immunitatem Ecclesiarum, cum hoc spectet solùm ad summum Pontificem.*

10 *Opinio Gambacurta, & Cutellij refellitur.*

1 SEquitur sextò, quod immunitate multò minus etiam priuetur, qui occidit ex proposito, deliberatè, & per industriam, sed non per insidias, proximum, quamvis non inimicum, quia saltem (quidquid sit de iure communi) in dicta Constitutione 2 Gregorij XIV. excipitur solum (vti dicebam) homicidium proditorium: at qui occidit, quamvis non inimicum, ex industria, & animo pensato, sed non per insidias, non committit homicidium propriè, & strictè proditorium: ergo, &c. tum quia (stando etiam 3 in iure communi (exceptio illa) quæ fit *in cit. cap.1. de homicidio*, à lege communi Ecclesiæ valde fauorabili, odiosa est; quapropter non est extendenda, sed potius restringenda, seruata verborum proprietate: sed verba textus propriè explicantur, si duæ illæ voces, *Per industriam, & per insidias*, coniungantur, vt posterior limitet, seu determinet priorem, sensusque sit: *Si quis occiderit per industriam insidiosam proximum*, sicuti rectè Couar. Gutierrez, & alij complutes explicant: ergo, &c.

Atque ita docent Caballus *in tract. de homicidio, num.388.* (vbi ait, quod frustrà modo de hac re disputatur, cùm extat Bulla Gregorij XIV. clarè sic disponentis) Tuschus *tom.3. litera E, conclus.11. num.9.* (vbi dicit, quod iste casus, & multi alij similes prius controuersi erant inter Doctores, at modò, cùm ius dubium declaratum sit per Constitutionem Gregorij XIV. vbique sic debet attendi, & seruari, & non est amplius locus Doctorum opinionibus adhærere) Chartarius *in decis. crimin. decis.95. per totam*, Boërius *decis.109. num.39.* (vbi dicit, esse communem) Couarru. *2. var. cap.20. num.7.* Gutierrez *lib.1. pract. qq. quæst.2.* Layman *lib.4. tract.9. cap.3. num.8.* Suarez *lib.3. cap.11. num.13.* Anton. Gomez *de delictis, cap.10. num.2.* Peregrin. *cap.7. num.16.* Diana *part.1. tract.1. resol.31. & 33.* Riccius *part.5. collect.1792.* & Farinacius *plures alios referens, consil.76. num.17.* Contra Molin. *tract.3. de iustit. disput.23.* Andr. Fachineum *part.3. lib.9. controuers. cap.93.* Gambacurtam *lib.5. capite 4. num.19. & seq.* Sarpum *cap.5. fol.48.* Naldum *in summa, verb. Ecclesiam, num.5.* Ludouicum Correa *in relect. de immunitat. Eccles. part.2. num.19.* Sanchez *in opusc. tom.2. lib.6. cap.1. dub.8. num.27.* Peguer. *decis. crimin.54. num.10.* Iosephum Ludouicum *decis. Lucens.16. num.3.* Cutellium *de immunitat. Eccles. lib.1. quæst.5. & 33. & 36. num.11.* Franciscum Marcum *decis.268. num.2.* Vulpellum *de immunit. Eccles. part.1. num.27. & 28.* Gutierrez *in pract qq. lib.1. quæstione 2. num.17.* Germonium *de sacr. immunitat. lib.3. cap.16. num.59.* Marth. *de Iurisdiction. part.2. cap.55. num.4. & 5.* Barbosam *de iure Ecclesiast. lib.2. cap.3. numero 99.* Decianum *lib.6. cap.28. num.15.* Clarum *pract. quæst.30. vers. punctus est*, & alios multos, quos refert Couarruu. *loco supra cit.* quorum tamen multi Doctores loquuntur de iure communi, & ante Constitutionem Gregorij XIV.

Obiicies, *in cap.1. de homicid.* (qui desumptus est ex Exod.21.) dicitur, euellendum esse ab altari, & 5 immunitate priuandum, qui per industriam occiderit, & per insidias: ergo clarè sequitur, quod immunitate priuandus sit, qui occidit per industriam, etiamsi non occidat per insidias, quia copulatiua in qualibet illius parte vera esse debet: tum quia alioquin superfluum esset verbum verbum illud *Per industriam*, cùm sufficeret dici, per insidias, eo quod occidens per insidias occidit per industriam.

Respondetur, nego consequentiam, & ad proba- 6 tionem respondeo, quod illa non sit propositio copulatiua, sed simplex: facit enim propter rationem, quam dicebam, hunc sensum: *Qui per industriam insidiosam occiderit proximum, ab altari euellatur.* Quod inde probatur, quia locus Exod.21. (ex quo textus cap.1. citati desumptus est) concedit locum refugij ei qui proximo insidiatus non fuerit.

Neque sequitur, quod verbum illud *Per indu-* 7 *striam*, superfluum sit, quia ponitur ad maiorem subsequentis declarationem: alioquin superfluum etiam esset verbum illud *Per insidias*, si scilicet omne homicidium per industriam ab immunitate exclusum esset, quandoquidem inde exclusum erat homicidium per insidias, quod esse non potest, nisi per industriam. Quapropter ita suppremum Concilium Castellæ in facti contingentia determinasse, testatur ex Paz Villa- 8 lobos *in summa, tom.1. tract.39. difficul.7. num.12.* Adde, quod (quidquid sit de iure communi) Constitutio Gregorij XIV. modò derogat in ius commune, sicut & priuilegia, & omnem consuetudinem in contrarium, vt suprà dicebamus.

Instabis, in aliquibus Regnis adest statutum Principum in contrarium. Ergo. Ita Sarpus *de iure Asylorum, cap.5. fol.48.*

Respondetur, transeat antecedens. At hoc nihil ob- 9 stat, quia Principes non possunt quidquam statuere circa immunitatem Ecclesiarum, cum hoc spectet solum ad summum Pontificem. Vide Farinacium *in append. de immunitat. cap.6. num.25.* Vide etiam quæ *lib. de Parlamentis, dubit.27. per totam*, & præcipuè *sect.5.*

per

per suas subsectiones, & *cap.*8. *per totum*, diffusè dicebantur. Adde, quod ( vt etiam dicebamus ) Constitutio Gregorij XIV. modò reuocat omnia in contrarium, reducendo omnia ad vnicam formam.

10 Hinc refellitur Gambacurta *lib.*3. *cap.* 13. *num.*17. & Cutellius *de immunit. Eccles. lib.*1. *quæst.*1. *num.*54. vbi defendunt *cap.*71. ius Regni Siciliæ, in quo datur facultas Officialibus laicis, vt extrahant ab Ecclesia reum, qui homicidium ex proposito commisit. Nec obstat, si dicas, quod tale decretum factum fuerit in Parlamento, vbi sunt Prælati totius Regni; quia nec isti possunt quidquam circa immunitatem Ecclesiarum, cùm id spectet ad solum Pontificem, vt dicebamus.

## SECTIO VIII.

### An priuetur, qui per insidias deducit aliquem, vt ab alio occidatur, & is de facto occiditur.

SVMMARIVM.

1 *Deducens aliquem per insidias, vt ab alio occidatur, gaudet immunitate, licet deductus ab alio sit occisus.*

2 *Deducens aliquem vt occidatur, licet propriè proditoriè occidat, non tamen id physicè agit, sed tantum moraliter.*

1 SEquitur septimò, quod immunitate neque priuetur, qui per insidias deducit aliquem, vt ab alio occidatur, & ille deductus ab alio de facto occiditur. Atque ita docet præter alios Bonacina *de excommun. in partic. extra Bullam Cœnæ*, §.8. *num.* 1. & Diana *parte* 6. *tract.* 1. *resolut.*12. *in fin.* contra Remigium de
2 Gonny, & Peregrinum *de immunit. cap.*7. *num.*9. quia ex dictis excluditur solum, qui propriè proditoriè occidit, at qui deducit, vt ab alio quis occidatur, licet propriè proditoriè occidat, non tamen propriè physicè occidit, sed solùm ad summum moraliter, & ex alio capite pœnæ ( præcipuè quæ sunt in præiudicium immunitatis Ecclesiæ ) non sunt ampliandæ, sed potius restringendæ, *sicuti dicebam supra dub.*2.

An autem talis priuetur immunitate, tanquam assassinus, patebit ex dicendis *dubit.*21 *sect.*7.

## SECTIO IX.

### An priuetur, qui vulnerat proditoriè animo occidendi, sed mors inde non sequitur?

SVMMARIVM.

1 *Vulnerans propriè proditoriè animo occidendi proximum suum, morte non secuta, non priuatur immunitate.*

2 *Doctores sunt pro vtraque sententia.*

3 *Lex caremonialis Exod.*21. *vim non habet nisi quantum ab Ecclesia est recepta.*

4 *In iure nullibi reperitur statutum, quod vulnerans proditoriè, morte non sequuta, priuetur immunitate.*

5 *Ex constitutionis Gregorianæ vi verborum colligitur requiri ad perdendam immunitatem actum consummatum cum effectu, seu morte sequuta.*

6 *Attentans assassinium etiam non secuto effectu priuatur immunitate, quia is dicitur assassinus etiam effectu non secuto: at non dicitur occisor proditorius, nisi secuta morte.*

SEquitur octauò, quod immunitate neque priue- 1
tur, qui vulnerat propriæ proditoriè, animo occidendi proximum suum, sed mors ex tali vulnere non sequitur. Atque ita contra Ioannem Igneum *in l.*1. §. *si dominus, ff. ad Syllanianum, num.*7. & 20. Nauarrum *cap.*25. *num.*22. Couar. *2. var. cap.*20. *num.*7. & *seqq.* Guttierrez *pract. qq. Ciuil. lib.*3. *quæst.*7. *num.*55. & *seqq.* Gambacurta *lib.*5. *cap.*30. *num.*6. Tannerum *in* 2. 2. *disput.*5. *quæst.*8. *dub.*1. *num.*16. Sarpum *capite* 5. *fol.*47. Cutellium *de immunit. Eccles. lib.*1. *quæst.*4. Farinacium *de carceribus*, *quæst.*28. *num.*45. Mastrillum *decis.*293. *num.*10. Pegueram *decis. crimin.*49. *num.*11. Perrum à Plaza *epit. delict. cap.*21. *vers. rursus.* Azeued. *lib.*1. *tit.*2. *leg.*3. *num.*9. Ioan. de Heuia *in Curia Philipp. part.*3. §.12. *num.*36. Tassonum *in pragmat. de antefato, vers.*13. *observ.*3. *num.*35. Fontanellam *de pact. nupt. tom.* 1. *claus.*4. *gloss.* 14. *num.* 117. Ludouicum Correa *in relect. de immunit. Eccles. part.*3. *quæst.*6. *numero* 29. & Bobadil. *lib.*2. *Polit. cap.*14. *num.*34. ( qui, vt fatear, ex communiori sententia Doctorum contrarium tenent, moti ex eo, quod licet *in cit. cap.*1. *de homicid.* dicatur: *Si quis per industriam, & per insidias occiderit proximum suum, ab altari esse euellendum;* 2
tamen talis textus referatur ad locum dictum Exod. 21. vbi in eius principio dicitur: *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur*, &c. Et deinde subditur, quasi hoc distinguatur: *Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus eius, habebit locum ad quem fugere possit: si autem per industriam, &c. ab altari est euellendus.* Quasi dicatur: Si quis in percussione hominis insidiis vsus non fuerit, locum habet refugij: si autem percusserit insidiosè volens occidere, vel occiderit, ab altari est euellendus ) docent ex probabiliori, si non ex communiori Doctorum sententia Suarez *lib.*3. *cap.*11. *num.*14. Bonac. *disput.*3. *quæst.*7. *de immunit.* §.4. *num.*16. Decian. *consil.*80. *lib.*3. & *tract. crimin. lib.*6. *cap.* 28. *num.*17. Anastas. Germ. *de sacror. immunit. lib.*3. *cap.*16. *num.*60. Marium Ital. *de immunit. Eccles. lib.*1. *cap.*5. §.4. *num.*22. Boërius *decis.*109. Farinac. *in append. de immunit. cap.*9. *num.*145. & 146. *in fin.* Baiard. ad Clarum *quæst.*30. *num.*17. Rebuffus *de immunit. art.*1. *quæst.*5. Peregrinus *cap.*7. *num.* 15. Genuens. *in prax. cap.*94. *in fin.* Diana *part.*1. *tract.*1. *resol.*4. & 18. Peregrin. *de immunit. Eccles. cap.*7. *num.* 13. Villagut. *de extensione legis*, *cap. fin. num.*54. & *seqq.* Barbos. *de iure Ecclesiast. lib.*2. *cap.*3. *num.*90. Sperellus *in decis. fori Ecclesiastici*, *decis.*22. *num.*4. Ciarlinius *in controuers. forens. cap.*14. *num.*19. Tuschus *verb. Ecclesia, conclus.*11. *num.*7. Lezana *verb. immunitas, num.*12. & Nouarius *in Summa Bullarum, tit. de immunit. Eccles. n.*75.

Ratio autem ( ex qua patet ad fundamentum Ad- 3
uersariorum ) est: quia lex illa cæremonialis Exod. 21. vim non habet, nisi quatenus ab Ecclesia recepta est: sed *in cit. cap. de homicidio*, tantum infertur pœna exclusionis ab altari, seu priuatio immunitatis Ecclesiæ in eum, qui per industriam insidiosam proximum suum occiderit: ergo non est extendenda ad vulnerantem insidiosè, cùm nullibi in iure id statutum reperiatur, ac propterea noluerit ius Canonicum totam legem Exodi, sed solum vltimam partem illius, in textu inserere: & ex alio capite pœnæ ( præsertim in præiudicium immunitatis Ecclesiasticæ ) non sint ampliandæ, sed 4
potius restringendæ, sicuti dicebam *dub.*3. & præterea affectus non punitur eadem pœna, qua punitur effectus, sicuti testantur Clarus §. *fin. quæst.*92. Farinac. *quæst.*17. *num.*48. Mastrillus *decis.*293. *in princ. cap.* Ceuallos *quæst.*540. & *quæst.*901. *num.*48.

Confirmatur

5 Confirmatur, quia (quidquid sit de iure communi (saltem in Constitutione Gregorij XIV. manifestè solùm excipitur ab immunitate Ecclesiæ, qui proximum suum proditoriè occiderit: ergo ex vi verborum requiritur actus consummatus cum effectu, seu morte subsecuta, iuxta *leg.* 1. §. *hæc verba*, *ff. quod quisque iuris*, & *l.* 1. *de extr. crimin.* & notat Bald. *in l. damni infecti*, §. *Sabinus*, *Cod. de damno infect.* Suar. *tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 4. Alciatus *in l. verbum erit*, *num.* 1. *de verborum significat.* Menochius *consil.* 97. *num.* 60. *lib.* 1. Farinacius *in append. cit. cap.* 9. vbi propterea rectè ait, quod hæc opinio hodie post Constitutionem Gregorij XIV. omni difficultate careat, propter illa verba: *Aut qui proditoriè proximum suum occiderit*; & ideò retractat sententiam contrariam, quam *in tit. de carcerib. cit. quæst.* 28. docuerat.

Dices, qui attentauit assassinium, Ecclesiæ immunitate non gaudet (quamvis non sit subsecutus effectus) si ad actum aliquem consummationi proximum, verbi gratia ad insultum, vel vulnus, &c. deuenit: ergo neque gaudebit, qui similiter attentauit homicidium proditorium.

6 Respondetur, disparitas est, quia in cit. Constitutione Gregorij XIV. excipiuntur proditoriè occidentes, & assassini: sine autem morte subsecuta non potest quis dici proditorius occisor, sicuti dici potest assassinus, ex *cap.* 1. *de homicid. in* 6. ibi: *Quamquam mors ex hoc forsitan non sequatur*, & Adde, quod (vt *in dub. sequenti* dicetur) adhuc probabilius est, quod assassinus etiam morte non subsecuta, Ecclesiæ immunitate gaudeat.

## SECTIO X.

### An priuetur, qui proditoriè alapam viro nobili impingit, vel fustibus illum percutit?

### SVMMARIVM.

1 *Is, qui sub specie amicitiæ propriè proditoriè alapam viro Nobili impingit, vel fustibus illum percutit, gaudet immunitate.*
2 *Exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis.*
3 *Dictio taxatiua (tantum) est apposita in constitutione Gregoriana ad excludendos omnes alios casus prætor expressos.*
4 *A viro nobili honor æstimatur magis quam vita; ita vt viro Nobili sit instar vitæ honorem seruare.*
5 *Nobilis inuasus licet possit fugere, vitamque suam & proximi seruare, non tamen tenetur; sed potest sine peccato, & irregularitate inuadentem occidere.*
6 *In materia Immunitatis non valent argumenta à paritate, vel maioritate rationis.*

1 SEquitur nonò, quod multò minus immunitate priuetur, qui ex proposito, & sub specie amicitiæ propriè proditoriè alapam viro nobili impingit, vel fustibus illum percutit, quidquid in contrarium dicant Bobadilla *in Polit. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 44. Villadieg. *cap.* 3. *num.* 211. Cutellius *de immunit. Eccles. lib.* 1. *quæst.* 31. & Ioannes de Heuia *in Curia Philipp. part.* 3. §. 12. *num.* 37. (quia vti dicebam) Pontifex in Constitutione excipit tantùm quosdam casus: 2 exceptio autem firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis, ex *l. Tribunus*, §. *vlt. ff. de testament. militiari*, & sic cùm excipiat tantum homicidium proditorium, non est exceptio ista extendenda ad alapas, & fustes proditoriè inflictos: tum quia (vti etiam dicebam) Pontifex, vt excludat omnes alios casus, apposuit dictionem taxatiuam *tantùm*, sic: *Ad vnam tantùm formam reducimus.* Quæ dictio de sui natura impedit extensionem ad casus non expressos, *leg. properandum*, §. 1. *Codic. de Iudic.* & docent Decius *libro* 1. *consil.* 54. *num.* 1. Ambrosinus *de immunit. cap.* 1. *num.* 14. Peregrinus *cap.* 6. *num.* 24. Diana *part.* 4. *tract.* 1. *resolut.* 45. & Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.* 15. *numero* 5. *in fin.* 3

Obiicies ex Cutellio *loco cit.* A viro nobili honor æstimatur magis, quam vita, ita vt viro nobili sit instar vitæ honorem seruare (quapropter licet inuasus possit fugere, vitamque suam, & proximi seruare, non tamen tenetur fugere, sed potest sine peccato, & irregularitate se defendendo inuadentem occidere:) ergo si proditoriè occidere reum priuat immunitate, priuabit etiam immunitate proditoriè alapam viro nobili impingere, vel fustibus illum percutere; cum his actibus vir nobilis honore priuetur. 4 5

Respondetur, in hac materia non valere argumentum à paritate, vel maioritate rationis, vt patet ex rationibus iam supra adductis, & ex iis, quæ dicentur infrà *Dubitat.* 24. *section.* 3. cùm simus in odiosis, & contra immunitatem Ecclesiasticam, quæ vtpotè fauorabilis, potiùs debet ampliari, quàm restringi; & cùm casus, qui in Bulla excipiuntur, exprimantur per particulam, *tantùm*, & reductis omnibus ad vnicam formam. 6

## DVBITATIO XXI.

### An immunitate priuetur Assassinus?

## SECTIO I.

### Dubitationis Resolutio.

### SVMMARIVM.

1 *Assassinus non gaudet immunitate Ecclesiæ.*
2 *Assassinus præcisa Constitutione Gregoriana, si non de rigore iuris, saltem de consuetudine priuatur immunitate.*
3 *Assassinus per translationem ab Infidelibus ex Syria est, qui fas esse arbitrabantur quoscumque Regis sui inimicos ipso iubente interficere.*
4 *Mandans aliquem occidi per assassinos, videtur priuari immunitate, etiam effectu non secuto,* ex cap. 1. de homicid. in 6.
4 *Pœnæ, & censuræ decretæ in dicto cap. aduersus crimen assassinorum hodie locum non habent.*
5 *Assassinus est qui (siue Infidelis, siue Fidelis sit) pecunia, vel alio æquivalenti conductus incautum aliquem occidit.*
6 *Mandans in aliquorum sententia assassinus propriè non est, & pœnæ assassinij ad mandatarios extenduntur.*
7 *Textus* in dicto cap. 1. de homicid. in 6. *qui loquitur de iis, qui per Infideles quosdam Barbaros, Christianos occidebant, extenditur ad eos qui etiam per fideles pacto, vel intercedente pecunia, seu alio Christianum occidunt.*
8 *Promissio, cùm pretio æstimetur, pecuniæ æquiualet.*
9 *Pecunia, vel quæcumque alia res pretio æstimabilis, promissa vel data pro assassinio debet esse in magna quantitate, vt constituat assassinium.*

10 *Pecunia*

10 *Pecuniæ qualibet quantitas, vel promissa, vel data, licet exigua, & modica, constituit assassinium, in sententia auctoris, & priuat reum immunitate Ecclesiæ.*

11 *Assassinium quo minus pecuniæ interuenit, eo est grauius delictum, quia vita hominis magis vilipenditur.*

12 *Promissio de danda aliqua in vxorem, de dando aliquod officium, & quid simile, licet non sit in potestate promittentis, attamen est quid pretio æstimabile, & constituit assassinium.*

13 *Promissio de re incerta, & generali, verbi gratia non defuturum esse in eius necessitatibus, sufficit ad assassinium.*

14 *Promissio ad hoc vt constituat assassinium debet esse acceptata; alioquin cùm nullam pariat obligationem, non est pretio æstimabilis, & sic non æquialet pecuniæ.*

15 *Subministratio expensarum pro itineribus suscipiendis pro homicidio patrando, si homicidium fiat gratis, non constituit assassinium.*

16 *Occidens incautum vt aliquid obtineat ab amico, vel vt ei complaceat, vel vt in occisi bona succedat, vel vincat litem, non committit assassinium, & sic non priuatur immunitate.*

17 *Vt assassinus immunitate non gaudeat, requiritur, vt constet plenè, per testes, vel per confessionem ipsius, pecuniam ad occidendum datam esse.*

1 REspondetur affirmatiuè, cit. Constitutione Gre-
2 gorij XIV. & etiam (tali Constitutione præcisa) si non de rigore iuris (quia *cap. pro humani, de homicidio in 6.* quod ad id probandum adduci solet, non conuincit) saltem ex consuetudine communiter recepta, & approbata à Doctoribus, vti videre est apud Suarez *lib.3. cap.11. num.13.* Gutierrez *pract. qq. Ciuil. lib.3. quæst.7. num.50. & seqq.* Farinacium *de carceribus, quæst.18. num.16. & in append. de immunitat. cap.8. num.118. & de homicidio, quæst.123. num.69.* & Bonacina *disput.3. quæst.7. de immunitat. punct.4. num.18.*

3 Est autem Assassinus (per translationem ab infidelibus ex Syria, qui fas esse arbitrabantur, quoscumque Regis sui inimicos, ipso iubente, interficere, de quibus mentio fit *in cap.1. de homicid. in 6.* ex quo textu colligi videtur Christianum mandantem per huiusmodi assassinos homicidium committi, immunitate priuari, etiam effectu non secuto, vt *infrà sect.5.* notabimus, & notauit etiam Suarez *cit. cap.11. num.16.* & videri poterit Couar. *2. var. cap.20. num.10.* Nauar. *cap.27. num.136.* & Suarez *tom.5. disput.23. num.46.* qui etiam annuunt, pœnas, & censuras decretas *in*
4 *cit. cap.1. de homicid. in 6.* aduersus crimen assassinorum hodie locum non habere, cùm tales assassini infideles, de quibus ibi mentio fit, nunc grassentur) is,
5 qui (siue infidelis, siue fidelis sit) pecunia, vel alio æquialenti conductus incautum aliquem occidit, vt ex communi sententia Doctorum docent Probus, Ancharanus, & Imola *in cap.1. de homicid. in 6.* Suarez *cap.11. num.15.* Menoch. *de arbitrar. lib.2. centuria 4. casu 360. num.42.* Gutierrez *pract. qq. lib.3. quæst.7.* Peregrinus *cap.7. num.27.* Sylu. *verb. Assassini, num.2.* Clar. *§. assassini, num.1.* Bossius *tit. de mandato ad homicid. num.16.* Ambrosin. *cap.7. num.3.* Mascard. *de probation. tom.1. conclus.138.* Bursatus *lib.1. consil.20.* Plaza *lib.1. delictorum, cap.49.* Sayr. *lib.3. cap.34. numero 21.* Couar. *cit. cap.20. num.10.* Decian. *lib.6. capit.28. num.18.* Nauar. *cap.27. num.136.* Farinacius *de carceribus, quæst.28. num.26. & in append. de immunit. cap.8. num.19. & seqq.* & de homicid. *quæst.123. n.19.* Azor. *tom.3. lib.2. cap.17.* Scortia *theor.385.* & Bonac. *cit. num.18.* contra Villadieg. *in Polit. cap.3. num.215.* qui tenet, quod assassinus etiam sit ille, qui per preces, vel per alium respectum incautum hominem occidit.

Porrò licet textus *in cap.1. de homicid. in 6.* non loquatur de mandatariis, sed de mandantibus (quidquid in contrarium dicat Henricus Bocerus *in tractat.* 6 *de homicid. lib.1. cap.3. num.4.* qui propterea censet, quod mandans assassinus propriè non sit) iam ad mandatarios ex communi sententia Doctorum pœnæ assassinij extenduntur: qua de re Ambrosin. *de immunitat. cap.7.* Scortia *theor.385.* & Farinacius *tit. de assassinij crimine, quæst.123. num.19.*

Item, licet cit. textus loquatur de iis, qui per in- 7 fideles quosdam barbaros Christianum occidebant, iam etiam ex communi sententia Doctorum extenditur ad eos, qui per fideles pecunia, vel quocumque alio æquialenti conductos Christianum occidunt: qua de re Farinacius *de homicid. quæst.128. numero 21.* Anastas. Germon. *de sacror. immunit. lib.5. cap.16. numero 67.* Clar. *§. Assassinium, num.1.* Decian. *tractat. crimin. lib.6. cap.28. num.18.* Ambrosin. *de immunit. cap.7. num.1. & seqq.* Mar. Ital. *de immunit. Eccles. lib.2. cap.5. num.149.* Scortia *cit. theor.385.* & Gutierrez *pract. qq. Ciuil. lib.3. quæst.7. num.1. & seqq.*

Dixi, quod assassinus sit, qui pecunia, vel alio æqui- 8 alenti conductus incautum aliquem occidit; quia ad id sufficit, si promissa sit ei (quamvis non data) pecunia, vel quæcumque alia res pretio æstimabilis, quia talis promissio, cùm pretio æstimetur, pecuniæ æquialet. Atque ita ex communi sententia Doctorum docent Farinacius *de homicid. quæst.123. numero 36. & 37. de immunitat. cap.8. num.125.* Gutierrez *pract. qq. Ciuil. lib.3. quæst.7. num.20.* & Mascard. *de probat. lib.1. conclus.138.*

An autem pecunia, vel quæcumque alia res pretio 9 æstimabilis promissa, vel data debeat esse in magna quantitate, vt assassinium constituat.

Affirmant Farinacius *cit. quæst.123. num.43.* Vulpel. *consil.143. num.9.* Gabriel. *consil.170. num.21. libro 1.* Eugenius *consil.76. num.139.* Masullus ad Capyc. *decis.155. num.4.* Diana *part.6. tract.1. resolut.11.* & Ambrosin. *de immunit. cap.7. num.9.* quia alioquin pecuniæ promissio, vel datio (inquiunt ipsi) non censetur causa talis, & tanti criminis; cùm ex se, vtpotè exigua, non videatur apta animum ad illud mouere.

Cæterum arbitror, quod si constet, ex vi promis- 10 sionis, vel dationis pecuniæ, vel alterius rei æquialentis, quamvis exiguæ, reuerà homicidium esse secutum, est illud verè assassinium, & sic priua reum im- 11 munitate Ecclesiæ; quinimò est assassinium grauius, quia in tali casu vita proximi magis vilipenditur, & sic paruitas pretij non minuit, sed potius auget malitiam assassinij, sicuti contingit in simonia, iuxta communiorem sententiam Doctorum.

Item sufficit, si promissum sit ei dari aliquam in 12 vxorem, dari aliquod officium, vel quid simile, &c. quia licet executio talis promissionis non sit in potestate promittentis; & sic (vt inquiunt Aduersarij, reputetur, ac si nihil promissum fuisset (quod est fundamentum ipsorum) est tamen reuera adhuc quid pretio æstimabile, & sic æquialens pecuniæ, cum promittens ex tali promissione restet verè obligatus procurare, quantum est ex se, vt vxor promissa velit illum in maritum accipere, vel vt ei detur officium, &c. Atque ita docet Decian. *tractat. crimin. lib.9. cap.3. num.16.* Quamvis contrarium defendant Bossius *tit. de mandatis ad homicidium, num.35.* Diana *part.6. tract.1. resol.11.* & Farinacius *cit. quæst.123. num.44.* Ad quorum tamen fundamentum patet ex dictis.

Item sufficit, si promissa sit ei dari res, siue certa, & specifica, siue inserta, & generalis, dummodo pretio

tio sit æstimabilis ( vt si verbi gratia promissum sit ei, quod mandans nunquam defuturus sit in ipsius necessitatibus ) quia adhuc talis promissio est pretio æstimabilis, & sic æquiualens pecuniæ. Quod inde confirmatur; quia in omni sententia sat est, vt pariat vsuram, & simoniam. Atque ita docent Iustus Osdesob. *in pract. crimin. tit.2. cas.10. num.9.* Vincentius de Franchis *decis.170.* Mastrillus *de indulto, cap.31.n.11.* ( qui dicunt, sic fuisse decisum in Consilio Neapolitano ) Villagut. *de excens.leg.tit.de crimine assassin. n.8.* & alij complures Doctores, apud Farinacium *q.113. n.145. & in append.cap.8. num.231.* quamvis ipse contrarium sentiat cum Baldo *consil.383.* Bossio *tit. de mandatis ad homicid.n.35.& consil.170.num.18.& seqq. lib.1.* Bursato *consil.20. n.4. lib.1.* Bertazolio *consil.341. n.38.vol.2.* Hondedeo *consil.93. n.66. lib.2.* Ruino Iuniori *cons.685.n.12. lib.6.* Peregrino *de immunit. cap.7. n.40.* Ambrosino *cap.7.n.9.* Grammatico *vol.11. n.29.* Corneo *consil.249. lib.1.* Eugenio *consil.76. num.138.* Diana *part.6.tract.1. resol.11.* Vulpello *consil.143. n.5.* Baiard.ad Clarum *in §. Assassinium,n.7.* Barbosa *de iure Eccles. lib.2. cap.3. num.97.* Lezana *verb. Immunitas Eccles. num.13.* & Bonacina *disp.3. q.7. de immunit. punct.4.n.18.* ex eo, quod promissio incerta, & generalis nullam ( vt inquiunt ipsi ) obligationem pariat, & sic, hoc stante, gratis fieri actio censeatur; quod tamen ex dictis mihi minus probatur, & sic quod dixi, arbitror esse probabilius.

13 Requiritur tamen, quod promissio sit acceptata; quia alioquin illa, cùm nullam pariat obligationem, non est pretio æstimabilis, & sic non æquiualet pecuniæ. Atque ita docent Baldus *loc. supra cit.* Decian. *tract. crim.lib.9.cap.30.n.17.* Farinac. *tit.q.113.num.147.* Grammaticus *consil.11.n.19.* ( qui subdit non sufficere, promissionem postea esse executam, quia requiritur, vt interueniat conuentio, & contractus mutuæ voluntatis inter mandantem, & mandatarium ) & Riminaldus Iunior *consil.685.num.12 vol.6.* qui *num.14.* subdit, non sufficere præsumptionem, quod mandatarius præsumatur acceptasse promissionem mandantis fauorabilem sibi factam.

14 Requiritur secundò, quod pecuniæ, vel alterius rei æquiualentis promissio acceptata, & etiam datio sit pro ipsa occisione, non autem pro expensis itineris ad occidendum, vel pro occisore à morte eripiendo, vel pro re aliqua simili, &c. quia ad naturam assassinij requiritur, quod non gratis, sed pecunia, vel alio æquialenti occisio fiat, vt suprà dicebatur, & docent Bald. *consil.170.n.21.& 23.* Bossius *tit. de mandatis ad homicid.n.34.* Vulpellus, quem citat, & sequitur Ambrosin. *de immunit.c.7.n.9.* Farinac. *de homicid. q.123.n.158.& in append.de immunit.c.8.n.127.* Lezana *verb. Immunitas, num.13.* & Bonac. *disp.3. q.7. de immunit. punct.4. num.18.*

15 Vnde, si quis nulla interueniente promissione, incautum aliquem occidat, vel occidi faciat, motus spe solum aliquid obtinendi, vel complacendi amico, vel succedendi in bona occisi, vel vincendi litem, assassinium non committet, & sic immunitate non priuabitur. Atque ita contra Ioannem Andream *cap.penultim. de clerico non resid.* & alios Doctores, quos citat Giurba *consil.70.num.27.* & Graffius *de effectib. clericat. effect.1. n.701.* docent Baldus, Farinac. *de homicid. q.123.n.138. & seqq.* & *in append. de immunit. cap.8. num.138.* Paris. *consil.166.n.2.& seqq.lib.4.* Hondedeus *consil.83. n.68. lib.2.* Grilenzonius *consil.45.num.7.* Mascardus *de probat.tom.1.concl.138.num.2.* Antonius Gabriel *commun. opin.titul.de malef. con.l.1. num.34.* Menochius *de arbitrar. lib.2. cent.4. casu 360. num.42.* Peregrinus *cap.7. numero 48.* Ambrosinus *cap.7. num.8.* Diana *part.6. tract.1. resol.11. in fin.* Baiard ad Clarum *§. assassinium, num.11.* Ambrosin. *de immunit.cap.7. n.9.* & Bonacina *cit. punct.4. n.17.* An autem talis censendus sit proditor, constat ex dictis *dub.20.*

Requiritur tertiò ( ad hoc, inquam, vt assassinus 16
immunitate priuetur ) quod constet plenè, vel per testes, vel per confessionem partis, pecuniam hac de causa datam fuisse, cum alia de causa dari illa potuerit. Doctores, quos citat, & sequitur Peregrinus *cap.7. num.49.*

---

## SECTIO II.

### An priuetur, qui pecunia conductus occidit infidelem?

#### SVMMARIVM.

1 *Assassinus est, & immunitate priuatur, qui pecunia, vel alio aquiualenti conductus occidit infidelem.*

2 *Fidelem, vel infidelem esse materialiter se habet ad crimen assassinij.*

3 *In sententia Cornei accusans aliquem de assassinio debet probare assassinatum fuisse Christianum.*

4 *Textus expresè loquitur de occisore fidelis, non autem infidelis.*

5 & 6 *Infidelis quod sit verè proximus non obstat, quia textus* in dicto cap. *loquitur de proximo fideli, non de infideli: secus contingit in occisione proditoriè facta, nam ibi non est apposita hæc limitatio.*

7 *In dubio quando sumus in territorio Christianorum proximus præsumi debet fidelis, secus in territorio contrario.*

8 *Præsumptio desumi debet ex communiter contingentibus.*

EX dictis sequitur primò, quod assassinus sit, & im- 1
munitate priuetur, qui pecunia, vel alio æquiualenti conductus, occidit infidelem, quia esse fidelem, vel in- 2
fidelem, materialiter, & impertinenter se habet ad crimen assassinij, aliàs neque etiam occidens per fidelem assassinium committeret: tum quia (vt suprà dicebam) infidelis est verè proximus: ergo, &c. Atque ita docent Decian. *tract.crimin.lib.6.c.28.n.18.* Farinac. *in append. de immunit.Eccles. lib.1.c.5.§.4.n.20.& 21.* Mar.Ital. *de immunit.lib.1.cap.5.§.4.n.20.* Henricus Bucerus *tract. de homicid.lib.1.c.3.n.14.* Peregrin. *de immunit.c.7.num.39.* Bonac. *tom.2.disp.3.q.7. punct.6. §.5. n.9.* & alij multi. Quamvis contrarium, & satis probabiliter, doceant Couar. *var.resol.lib.2.c.20.num.10.vers. quintò.* Guttier. *pract.qq.Ciuil.lib.3.q.7.num.8.* Clar. *in pract.§.assassinium, vers.benè verum est,* Baiardus *in addit.ad Clarum ibi,n.13.* Ambrosin. *de immunit.c.7.n.12.* vbi citat Corneum *lib.1. cons.249.n.21.* asserentem, quod euaserit quidam Prælatus, qui fuerat accusatus de assassinatus crimine, & 3
non fuerat deductum in processu, seu libello, quod is, qui fuerat assassinatus, fuerit Christianus, & propterea admonet Aduocatos, vt id probent. Nouarius *in conclusionibus iuris Pontif. concl.43. n.22.* Guazzinus *defens.1.cap.38.n.42.* Mascardus *de probat. lib.1.concl.137. n.13.* Diana *part.4.tract.1.resol.105.* & Farinac. prius *in q.123.n.33* ex eo, quod textus *in c.1.de homicidio in 6.* expresè loquatur. Si quis occiderit fidelem: ergo ta- 4
citè excludit, si quis occiderit infidelem: tum quia illa Constitutio facta fuit aduersus infideles, ne occiderentur fidelis: ergo non potest conuenire occidentibus infidelem.

Neque obstat, quod infidelis sit verè proximus, quia 5
pœna hæc assassinij (rectè respondent ipsi) non incurritur pro cuiuslibet proximi occisione, sed solum pro 6

occisione proximi fidelis : quamvis non sic in occisione proditoriè facta contingat ; quia in hoc crimine non fuit facta limitatio ad proximum fidelem, sicut facta fuit in crimine assassinij. Quapropter opinio hæc, vti dicebam, est etiam satis probabilis, quinimò ipsius authores vocant eam communem, & receptam in praxi.

Cæterùm, an in dubio occisus præsumi debeat potius fidelis, quàm infidelis ?

7 Respondetur ( si simus in territorio Christianorum, vbi infideles non permittuntur liberè habitare ) 8 præsumi debere potius fidelem ( nisi forsan appareat, fuisse infidelem, vt quia est circumcisus ) quia præsumptio desumi debet ex communiter contingentibus, *leg. certi, §. quoniam, ff. si certum petatur*, & docent Gutier. Clarus, & Bonacina *in locis suprà cit.* Quidquid in contrarium asserant Ioannes Andreas, Alexander, Iason, Anton. Gabriel, & alij, quos citat, & sequitur Mascardus *tom. 1. concl. 138. n. 17.* Gutierrez *lib. 3. pract. q. 7. n. 9.* Ambrosin. *de immunit. Ecclesiast. c. 7. n. 12. & 13.* & Farinac. *de immunit. c. 8. n. 121.* qui tenent, præsumendum esse potius infidelem ; nisi contrarium, saltem ex communi hominum opinione, probatum fuerit. Sed istorum opinio procedit, si non simus in territorio, de quo suprà dicebam, sed in territorio contrario, de quo forsan citati Doctores loquuntur.

## SECTIO III.

### An priuetur, qui pecunia conductus occidit inimicum mandantis, & suum simul ?

#### SVMMARIVM.

1 *Assassinus non est, nec priuatur immunitate, qui accepta, vel pacta mercede occidit mandantis, & sui ipsius inimicum.*

2 *Occidens inimicum mandantis etiam pacta pecunia, vel accepta, non occidit incautum, cum homo semper habeat occasionem sibi præcauendi ab inimico suo : idem dic etiam præsente ipso mandante.*

3 *Necnon idem dic de milite occidente hostem.*

1 SEquitur secundò, quod quamvis assassinus sit, & immunitate priuetur, quia pecunia, vel alio æquialenti conductus, occidit inimicum mandantis tantum, assassinus tamen non sit, nec immunitate priuetur, 2 qui eodem modo conductus, occidit inimicum mandantis, & suum simul, etiam cum sociis pecunia conductis, quia in tali casu non occidit incautum; cùm homo semper habeat occasionem præcauendi sibi ab inimico suo, & si non facit, sibi imputare debet. Atque ita docent Couar. 2. *var. c. 20. n. 9. ad fin.* Peregrinus *c. 7. n. 45.* Farinac. *q. 123. n. 157. & de immunit. cap. 8. n. 132.* Bonacina *n. 18.* Lezana *n. 13.* Diana *p. 1. tract. 1. resol. 18.* & Ambrosin. *de immunit. Eccl. c. 7. n. 18.* Item Grammaticus *consil. 52. n. 49.* Vulpellus *consil. 143. n. 10.* & Hondedeus *consil. 87. n. 4. lib. 2.* qui subdunt, quod in tali casu, neque qui pecuniam dedit, sit propriè assassinus, sed potius instigator, seu inflammator.

3 Quinimò propter eandem rationem idem dicendum est, si occidat inimicum mandantis tantum, sed præsente ipso mandante ; quia & in tali casu etiam mandatarius, cùm occisus præcauere sibi deberet à mandante inimico præsente, non occidit incautum. Atque ita docent Gabriel *consil. 180. n. 11. lib. 1.* Bertazolus *consil. 143. n. 15. vol. 1.* Farinac. *q. 113. n. 35. 99. & 148. & de immunit. c. 8. n. 133.* Diana *cit. resol. 18.* Hieron. Gabr. *consil. 170. n. 1. & seqq. lib. 1.* & Ambrosin. *cap. 7. n. 7.* qui ex Alciato subdit, & rectè, idem dicendum esse de milite, qui occidit hostem, quia non occidit incautum. Accedit, quod non acceperit mandatum ad occidendum hostem, cum quo bellum geritur.

## SECTIO IV.

### An priuetur, qui pecunia conducitur ad vulnerandum tantùm ?

#### SVMMARIVM.

1 *Assassinus non est, nec immunitate priuatur, qui pecunia, vel alio æquialenti conducitur ad vulnerandum tantùm, sed non ad occidendum.*

2 *Assassinus non est qui conductus ad occidendum, ( licet per accidens ) non occidit, sed tantum vulnerat.*

3 *Textus* in cit. cap. 1. de homicid. in 6. *loquens de mandante assassinium, punit affectum etiam effectu non secuto, non tamen loquitur de mandatario, qui ideo relinquitur dispositioni Iuris communis.*

4 *Assassinus in sententia aliorum est qui conductus ad occidendum ( licet per accidens ) non occidit, sed tantum vulnerat, quia per se ipsum non stetit quominus sequatur homicidium.*

5 *Restringe quod committat assassinium quoad affectum, non tamen quoad effectum.*

6 *In atrocissimis delictis punitur affectus, & conatus, etiam non secuto effectu, at non procedit quoad pœnam priuationis immunitatis.*

7 *Pœna ordinaria non intrat contra mandatarium, qui accepto mandato ad occidendum, tantum vulnerauit, contra Megalium.*

SEquitur tertiò, quod assassinus etiam non sit, nec 1 immunitate priuetur, qui pecunia, vel alio æquialenti conducitur ad vulnerandum, vel percutiendum tantum, & non ad occidendum ; quia cit. *cap. 1. de homicidio in 6.* loquitur tantum de interficientibus fidelem, non de vulnerantibus ; & pœnæ ex alio capite, præsertim in præiudicium immunitatis Ecclesiasticæ, non sunt ampliandæ, sed potius restringendæ. Atque ita contra quosdam docent Farinac. *de homicid. q. 123. n. 139. & de immun. c. 8. n. 134.* Decian. *tract. crimin. lib. 9. cap. 30. n. 41.* Gutierrez *pract. qq. ciuil. lib. 3. q. 7. n. 69.* Baiard. ad Clarum *§. Assassinium, n. 2.* Vulpel. *consil. 143. n. 1.* Anton. Gabriel *opinion. commun. concl. 1. de delictis, n. 30.* Mascardus *tom. 1. concl. 138. n. 2.* Peregrin. *c. 7. n. 44.* Riccius *part. 1. decis. 112. n. 1.* Bonac. *disp. 3. q. 7. punct. 4. n. 20.* Diana *part. 1. tract. 1. resol. 18.* Lezana *verb. immunitas, n. 13.* & Ambrosin. *de immunit. Eccles. cap. 7. numero 11.*

Quinimò idem dicendum videtur, si conducatur ad 2 occidendum, sed tamen ( quamvis per accidens ) non occidit, sed tantum vulnerat ; tum propter eandem rationem iam supra dictam ; tum etiam quia cit. *cap. 1. de homicidio in 6.* ( vbi assassinij crimen declaratur ) solum de mandante dicit, quod puniendus sit pœnis assassinij, 3 quamvis mors non sequatur, nihil dicendo de mandatario ; quapropter cùm nihil dicat de mandatario, relinquitur mandatarius, qui mortem non intulit, dispositioni iuris communis disponentis, quod nemo ob vulnerationem tantum immunitate priuetur. Atque ita docent complures Doctores, quos refert, & sequitur Farinacius *de homicid. quæst. 123. numero 77. & de immunitat. cap. 8. numero 123. in fin.* Mascardus *de probat. concl. 138. numero 2. & 5.* Suarez *citat. lib. 3. cap. 11. num. 14.* Layman *lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 9.* Zeuall. *commun. contra comm. q. 540. num. 5. & seqq.*

Diana

Diana *cit. resol.* 18. Thesaurus *in pract. Eccles. de pœnis, part. 2. verb. Assassinium, c. 1. fol.* 164. contra Gutierrez *lib. 3. pract. quæst. 97. n. 59.* Peregrinum *de immunit. c. 7. numero* 31. Gambacurtam *cap. 34. num. 10. fol.* 437. *lib. 5.* Cutellium *de immun. Eccles. lib. 1. q.* 18. Barbosam *tom. 2. de vniuers. iure Eccles. cap. 3. num.* 97. Bonac. *tom. 2. disp. 3. q. 7. punct. 6. §. 5. num.* 6. Megalium *in 3. part. lib. 4. cap. 2. q. 1. num.* 20. Lezanam *verb. immunitas Eccles. num.* 13. & Sarpum *de iure Asylorum c. 5. fol.* 45. qui contrarium tenent ex eo, quod talis verè crimen assassinij committat; cùm conducatur pecunia, vel alio æquiualenti ad occidendum, & per ipsum non stet quin occidat. Sed facilè ad istorum Doctorum fundamentum respondetur, quod talis verè crimen assassinij committat quoad affectum, non tamen quoad effectum, cui tantum talis pœna assassinij annexa est, cùm pœnæ, vtpote odiosæ (præsertim quæ sunt in præiudicium immunitatis Ecclesiasticæ) extendendæ non sint, nisi expressæ reperiantur in iure. 4 5

Quod si instetur ab Aduersariis, quod in atrocissimis delictis puniatur affectus, & conatus, etiam non secuto effectu: & ideò in nostro casu (cùm deuentum sit ad actum morti proximum) assassinium puniatur pœna ordinaria, consequenter reus gaudere non debeat immunitate Ecclesiæ. 6

Respondetur, transeat totum quoad pœnam corporalem; quia id fortasse reperitur in iure: nego tamen quoad pœnam priuationis immunitatis Ecclesiæ, quia quoad hoc (vti probabam) potius habetur oppositum.

Adde, quod contra Mastrillum *de indulto cap. 31. n. 14.* & contra Doctores, quos citat, & sequitur Megalius *loco supra cit.* in crimine assassinij, etiamsi ad actum morti proximum deuentum sit, non intrat pœna ordinaria, si mors secuta non sit. Atque ita docent complures, & graues Doctores, quos citat Farinacius *q. 123. inspect. 4. n. 115.* & Cutellius *cit. q. 18. num. 6.* qui tamen excipit, si delinquens similium diffamatus sit. Et in genere, quod non puniatur pœna ordinaria affectus, & conatus, si non sequatur effectus, docent etiam complures, & graues Doctores, quos citat idem Farinacius *q. 124. n. 84.* Quapropter cùm hæc opinio sit mitior, & etiam Ecclesiæ immunitati fauorabilis, amplectenda, & adhibenda in praxi est. 7

## SECTIO V.

### An priuetur, qui sub promissione pecuniæ mandat aliquem occidi?

#### SVMMARIVM.

1. *Assassinus est, & immunitate priuatur, qui sub promissione pecuniæ, vel alterius æquiualentis mandat aliquem occidi.*
2. *Mandans si morte non secuta punitur vt assassinus, punietur vt assassinus etiam in priuatione immunitatis.*
3. *Amplia id verum esse, etiamsi mandans reuocauerit mandatum ante effectum secutum; quia iam commisit crimen, cui in facto annexæ erant pœnæ assassinij.*

1 SEquitur quartò, quod è contra assassinus sit, & immunitate priuetur, qui sub promissione pecuniæ, vel alterius æquiualentis mandat aliquem occidi, etiãsi effectus non sit secutus, sed solum actus effectui proximus, vt insultus, vel vulnerario; quia *in cit. cap. 1. de homicid. in 6.* dicitur: *Statuimus, vt quicumque Princeps, Prælatus, seu quæuis alia Ecclesiastica, seu secularis persona quempiam Christianorum per prædictos Assassinos interfici fecerit, vel etiam mandauerit, quamquam mors ex hoc forsitan non sequatur, aut eos receptauerit, vel defenderit, seu occultauerit, excommunicationis, & depositionis à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio incurrat sententiam ipso facto, &c.* Ergo si mandans, morte non secuta, punitur vt assassinus, punietur etiam vt assassinus quoad priuationẽ immunitatis Ecclesiæ, præsertim cum Gregorius XIV. quo ad hanc in sua Constitutione generaliter loquatur de reis assassinij: *aut assassinij Rei.* 2

Atque ita contra Henricum Bucerum *in tract. de homicidio, lib. 1. capite 3. numero* 4. & Matium Italiam *lib. 1. capite 3. §. 3. numer. 130.* ex probabiliori sententia Doctorum docent Mascardus *tom. 1. concl. 138. numer. 4.* Decian. *lib. 6. capit. 28. n. 18. ad fin.* Ambrosin. *de immunit. cap. 7.* Naldus *verb. Ecclesia,* Thesaur. *in prax. part. 2. verb. assassinium, cap. 1.* Lezana *verb. immunitas Ecclesiar. n. 13.* Suar. *capite 11. num. 15.* Peregrinus *cap. 7. numero 29.* Gutierrez *pract. qq. lib. 3. q. 7. numer. 26. & 27.* Franc. Leo *in Thesauro part. 1. c. 23. num. 27.* & Farinac. *de immunit. cap. 8. num. 128. & de homicid. q. 123. numer. 26. 29. & 82.* qui subdit, id esse verum, etiamsi mandans mandatum reuocauerit ante effectum secutum, quia iam commisit crimen, cui ipso facto annexæ sunt pœnæ assassinij. Sed de hac re vide, quæ dicebantur *suprà cap. 2. dub. 4. & 8.* 3

## SECTIO VI.

### An priuetur qui receptat, defendit, vel occultat assassinum?

#### SVMMARIVM.

1. *Assassinus est, & immunitate priuatur qui receptat, defendit, vel occultat assassinum, dummodo is verè causa sit mortis illatæ per assassinium, & cognoscat se assassinio auxiliari; alias non,*
2. *Socij, & complices, & sic multò magis proxeneta, seu mediator, qui habuerunt cognitionem qualitatis assassinij, priuantur immunitate.*
3. *Opinio in oppositum est satis probabilis.*
4. *Qui per proclamata Gubernatoris vrbis habetur pro assassino, licet alias de iure assassinus dici non possit, gaudet immunitate.*

SEquitur quintò, quod etiam assassinus sit, & immunitate priuetur, qui receptat, defendit, vel occultat assassinum; quia ex supra dicto capite 1. *de homicid. in 6.* etiam talis expressè afficitur pœnis assassinij, & Gregorius XIV. in sua Constitutione generaliter loquitur de reis assassinij: quod tamen intellige, si talis verè causa sit mortis illatæ per assassinium, & cognoscat assassinum esse cui auxilium præstat, & præterea ei, quatenus tali, auxiliũ præstet, alioquin pœnas assassinij non incurret, sed euitabit. Vide Bonacinam *de excommun. in partic. extra Bullam Cœnæ, disp. 2. q. 3. punct. 16. §. 9. n. 6.* Farinac. *q. 123. n. 29. & seqq.* Lezan. *verb. immunitas, n. 14.* Gutierrez *n. 53.* & Peregrin. *de immunit. Eccles. c. 7. n. 37.* qui propterea subdit, quod socij, & complices (& sic multò magis proxeneta, seu mediator) qui habuerint cognitionẽ qualitatis assassinij, immunitate priuentur; & citat Caballum *in tract. de omni genere homicidij, n. 412.* & Thusc. *tom. 3. lit. E. concl. 10. n. 10. concl. 11. n. 7.* Vide etiam Barbosam *tom. 2. de vniuers. iure Eccles. c. 3. n. 97.* & Cutell. *de immun. Eccles. lib. 1. q. 18. n. 6.* qui id extendunt ad cooperatores, & mediatores. Quamvis satis probabiliter oppositum doceant Gambacurta *de immunit. Eccles. lib. 5. cap. 34. n. 14.* Massullus *in addit. ad Capyc. decis. 112.* Diana *part. 4. tract. 1. resol. 109.* Antonius 1 2 3

tonius de Marinis *in resolut. quotidian. cap.*171. *num.*5. & Nouarius *in summa Bullarum,tit.de immunit. Eccles. num.*72. ex eo,quod in Constitutione Gregorij XIV. priuetur immunitate tantùm assassinus, tales autem non sint propriè, & rigorosè assasini, & ita in sacro
4 Concilio anno 1615. decisum fuisse refert Rouitus *in pragmat.*1. *de assassinio*, *num.*49. Vnde multò magis contra Farinacium *de immunit. q.*8. *num.*130. *&* 133. Bonacinam *loc.cit.n.*7. & Cutellium *cit. lib.*1.*q.*20.*n.*3. sequitur, quod immunitate neque priuetur, qui per proclamata gubernatoris Vrbis pro assassino habetur, si assasinus de iure non sit.

## SECTIO VII.

An priuetur testis, qui pecunia conductus falsum deponit, vnde accusatus ad mortem damnatus fuit? Vbi etiam de Iudice damnante?

### SVMMARIVM.

1 *Assassinus est, & immunitate priuatur testis, qui pecunia, vel alio æquiualenti corruptus, falsum deponit, vnde innocens morte damnatus fuit.*
2 *Item Iudex qui pecunia, vel alio æquiualenti corruptus innocentem morte damnauit.*
3 *Opinio, & distinctio in contrarium allata diluitur ab Auctore.*
4 *An autem testis, & iudex, si id fecerint, sed non media pecunia, vel alio æquiualenti, priuentur etiam immunitate, tanquam proditoriè occidentes, dissentiunt Doctores.*
5 *Opinio negatiua est probabilior.*
6 *In pœnis præsertim priuationis immunitatis non sufficit æquiparatio, sed requiritur identitas, si casus tamen aliquis contingat, in dubio consulendus est summus Pontifex.*

1 SEquitur sextò,quod etiam assassinus sit, & immunitate priuetur testis, qui pecunia, vel alio æquiualenti corruptus falsum deponit, vnde innocens ad
2 mortem damnatus fuit. Item & Iudex, qui similiter pecunia, vel alio æquiualenti corruptus innocentem ad mortem damnauit, quia & tales verè sunt assassini. Atque ita docent Mar.Ital. *lib.*1. *cap.*5. §.4.*&* 5.*n.*114. *& seq.* Cutellius *cit. lib.*1.*q.*19.*n.*14.*&* 15. & Peregrin. *cap.*7.*num.*42. contra Bonacinam docentem *disp.*3.*q.*7. *punct.*6.§.3.*n.*8.oppositum esse etiam probabile, ex eo, quod testis, & Iudex in dicto casu non sint verè, &
3 propriè assassini, cùm non propriè, & physicè occidant, sed minus rectè, quia alioquin dici posset, quod neque mandans aliquem occidi media pecunia,sit verè assassinus, & sic pœnas assassini non contrahat, quod ex probabiliori, & etiam ex communiori opinione Doctorum non admittitur, vt *suprà* dicebamus.

4 An autem tales, si id fecerint, sed non media pecunia, vel alio æquiualenti, priuentur etiam immunitate, tanquam proditoriè occidentes.

Affirmant Mar.Ital. *loc. suprà cit.* Zambellus *in Repert. Mor. verb. Ecclesia quoad eius immunitatem, n.*10. Cutellius *de immunit. Eccles. lib.*1. *q.*19.*num.*11.*&* 12. & alij.

5 Negant autem probabiliùs Peregrinus *n.*42. Bonacina *num.*4. Castrus Palaus *tom.*2. *tract.*11. *disput.vnic. punct.*10.*num.*8.& Diana *part.*4. *tract.*1. *resol.*104. cùm non propriè, & physicè occidant, quod ad proditoriè occidentem,etsi non ad assassinum,vt *suprà* dicebamus,
6 requiri videtur ex vi Constitutionis Gregorij XIV. proditoriè occidentes tantùm excipientis. Et in pœnis (præsertim priuationis immunitatis Ecclesiæ, cùm tractetur de præiudicio illius) non sufficiat æquiparatio, sed requiratur identitas. Quapropter ad minus, si casus contingat, cùm sit valdè dubius, consulendum arbitror Summum Pontificem, sicuti rectè notauit Farinac.*in append.de immunit. cap.*7.*n.*142.& Diana *cit. resol.*14.& *part.*1.*tract.*1.*resol.*19.

## DVBITATIO XXII.

An immunitate priuetur hæreticus? Vbi etiam de hæresis suspecto.

### SVMMARIVM.

1 *Hæreticus,qui pertinaciter credit aliquid contra fidem, priuatur immunitate, etiamsi talis esse solum præsumatur.*
2 *Ministri Curiæ secularis possunt talem reum ab Ecclesia extrahere, non vt iudicent, sed vt consignent eum Iudici Ecclesiastico iudicandum.*
3 *Hæreticus non priuatur immunitate ob alia crimina à crimine hæresis distincta.*
4 *Hæreticus, qui de hæresi fuit punitus, immunitate priuatur etiam ob alia delicta à crimine hæresis distincta.*
5 *Delictum quando non excipitur, neque persona quoad illud excipi debet. Quod probatur multis rationibus.*
6 *Hæretici in illis locis, in quibus impunè viuunt, gaudent immunitate pro delictis non exceptis.*
7 *Et multò magis, qui ab hæresi recesserunt, & Ecclesiæ reconciliati sunt.*
8 *Suspectus de hæresi, eo quod auxilium præstet aliquo modo hæretico, vel blasphemus non gaudet immunitate, non per se, sed ratione hæresis, cuius suspicionem incurrit.*
9 *Suspectus de hæresi ob bonum publicum, & ob fauorem fidei ab Ecclesia extrahi potest, vt examini subiiciatur.*
10 *Cognitio hæresis, & apostasiæ à fide, cum sit eiusdem speciei, & sortilegij, si hæresim contineat, ad forum tantum Ecclesiasticum spectant, nullumque ius in iis iudices seculares habent.*
11 *In ordine ad forum Ecclesiasticum tantum immunitas Ecclesiæ locum non habet, vt ex probabiliori DD. sententia.*
12 *Iudex laicus debet suspectos de hæresi retinere, vt eos deinde Iudici Ecclesiastico tradat.*
13 *Dictio (quoquo modo) est generalis, omnia comprehendens.*
14 *Iudices laici olim poterant cognoscere de crimine hæresis, hodie non possunt sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda.*
15 *Quæstio facti criminis hæresis non est magis spiritualis, quàm quæstio facti aliarum spiritualium, de quibus Iudex secularis de facto cognoscit.*
16 *Cognitio de quæstione facti non est propriè cognitio de crimine; attamen sit Iudex secularis vult se immiscere, potest in hoc casu inhiberi à Iudice Ecclesiastico.*

1 REspondetur, quod immunitate priuetur hæreticus, id est, qui pertinaciter credit aliquid contra fidem, cit. Constitut. Gregorij XIV. & docent communiter Doctores, & meritò, quia delinquit contra Ecclesiam, itavt eam funditus euertat, estque reus atrocissimi criminis læsæ Maiestatis diuinæ: tum quia immunitas Ecclesiæ non conceditur contra potestatem Ecclesiæ, sed crimen hæresis (vt *infrà num.*3. dicetur)

cetur ) spectat ad potestatem Ecclesiæ : consequenter hæreticus capi censetur , vt tradatur potestati Ecclesiæ , ad quam spectat iudicare de hæresi. Vide Syluestrum *verb.Immunitas* , 3. *quæst.* 3. Ambrosinum *cap.*8. *num.*1. Gambacurtam *lib.*5.*cap.*38. Filliucium *tract.*15. *cap.*6.*quæs.*8.*num.*15. Couarruu. *lib.*2. *variar.resol. cap. vltim.* Simanc. *tit.*46. *num.*65. Clarum §. *fin. quæst.*30. *num.*10.& *quæst.*36,*num.*27. Marth. *de iurisdict.cap.*52. *num.*29. Layman *lib.*4.*tract.*9.*cap.*3.*num.*9. Suar. *tom.*1. *de relig. tract.*2. *cap.*10. Decian. *lib.*5. *cap.*42. *& lib.*6. *cap.*28. doctissimum Cardinalem de Lugo *tract. de fide , disp.*24. & Farinacium *de carcerib. quæst.*28. qui subdunt id verum esse , etiamsi nondum sufficienter declaratus sit hæreticus , sed talis sufficienter præsumatur.

Obiicies , sæculares non possunt de crimine hæresis iudicare: ergo non possunt hæreticum ab Ecclesia extrahere.

Respondetur ex dictis , nego consequentiam , quia
2 possunt extrahere, vt à foro Ecclesiastico, etsi non vt à potestate laica iudicetur. Vide Farinac. *in append. c.*13.*ad fin. n.*178.

3 Cæterùm immunitate hæreticus non priuatur ob alia crimina à crimine hæresis distincta , sicuti contra Iodocum *in prax. cap.*106. Peregrinum *de immunit.cap.*8. *num.*13. Couarruuiam 2.*var. cap.*20. *num.*11. Ambrosinum *cap.*8. *num.*9. Decianum *lib.*9. *cap.*28. *num.*4. Tannerum *in* 2.2.*disput.*5.*quæst.*8.*dub.*1. *num.*16. Clarum *in pract.* §. *fin. quæst.*30. Sarpum *de iure asylorum , cap.*5.*fol.*60. Gambacurt.*lib.*4.*cap.*8.*& lib.*5.*cap.*3. *num.*6. Bobadil. *tom.*1.*lib.*3. *cap.*14. *num.*54. Cutellium *de immunit.Eccles.lib.*1. & alios, quos citabam *dub.*10. *sect.* 4. aientes , quod in casu , quo de hæresi hæreti-
4 cus non fuerit punitus , immunitate priuetur ob alia delicta , etiam à crimine hæresis distincta , ex eo quod indignus sit talis,qui ab Ecclesia defendatur , probabilius docent Azor *part.*2.*lib.*9.*c.*9 *q.*3.Sylu. *verb. Immunitas*,3.*q.*3. Suarez *de relig. tom.*1. *tract.*2. *lib.*3.*cap.*10. *num.*13. Farinacius *loc.infra citando*, Filliucius *tract.*15. *cap.*6.*quæst.*8.*num.*151.Bonac.*de legib.disp.*3.*q.*7.§.3.*n.*3. Guttier. *lib.*3. *pract.q.*1.*num.*28. Portel. *in dubiis Regul. verb.Ecclesiæ immunitas, n.*10. & alij, quos citabam,& sequebar *cit.dub.*10.*sect.*2. itavt non possit Iudex sæcularis reum in tali casu è loco sacro extrahere , nisi intendat illum extrahere ob delicta priuationem immunitatis inducentia. Et probatur ( vnde patet responsio ad fundamentum aduersariorum ) quia cum non excipiatur delictum , non est cur excipiatur quoad illud persona.

5 Confirmatur, quia in cit.Constitut. Gregorij XIV. excipitur crimen hæresis , consequenter excipitur hæreticus solùm ratione hæresis , quia verba sunt accipienda formaliter, & quia cum immunitas Ecclesiastica sit fauorabilis , non debet restringi sine sufficienti fundamento, & ratione.

Confirmatur secundò , quia Gregorius XIV. in sua Constitutione omninò vetuit extrahi delinquentes, exceptis casibus in ea Constitutione expressis,& sublata facultate aliter interpretandi.

Confirmatur tertiò , quia reliqua crimina non efficiunt delinquentem indignum immunitate : ergo propter reliqua non potest extrahi è loco sacro,& in carcerem detrudi.

6 Confirmatur quartò , quia in illis locis , in quibus hæretici impunè viuunt , & non puniuntur , gaudent immunitate in delictis non exceptis : ergo , &c. Vide Farinacium *in append.de immunit. cap.*13.*num.*170.*& de carcerib. q.*28. *num.*60. *& seq.* vide etiam quæ dicebantur *cit. dict. dub.*10. *sect.*4. & quæ dicentur *dub.*24. *sect.*22.

Ex his sequitur , quod multò minus priuilegio im-
7 munitatis priuentur hæretici , qui ab hæresi recesserunt , quia non sunt amplius hæresis rei , vtpotè iam per pœnitentiam Ecclesiæ matri reconciliati,& consequenter digni , qui ab eadem per immunitatem protegantur. Doctores suprà citati communiter.

An autem immunitate priuetur, qui hæretico fauo- 8
rem,vel auxilium quomodocumque præstat, & sic, vel alio modo de hæresi suspectus est , vt sortiarius , seu maleficus,vel hæreticalis blasphemus, &c.

Respondetur affirmatiuè , non quidem per se (vnde patet ad fundamentum oppositum Gambacurtæ mox *infrà* annuendum) sed ratione hæresis, cuius suspicionem incurrit , quia cùm hæresis crimen exceptum sit, 9
& in animo consistat, & sic examinationem requirat, fit, quod quotiescumque delinquens illius suspicionem incurrit, ob bonum publicum, & ob fauorem fidei ab Ecclesia extrahi possit, vt examini subiiciatur , si non de iure, saltem ex consuetudine, etiam post Gregorianam rationabiliter introductam. Atque ita contra Gambacurtam *lib.*5.*c.*38.*n.*4. ( qui cum quadam limitatione negat,sumpta paritate ex aliis delictis exceptis, in quibus suspicio non sufficit,vt reus Ecclesiæ immunitate non gaudeat ) ex communi docent Peña *in suis adnotat. ad* 2.*part. Director.Inquisit.schol.*9.§.*qui autem*, Mar.Ital.*lib.*1.*cap.*5.§.6.*n.*59.*&* 104. Ambrosin.*cap.*8. *n.*10.Lezana *verb.Immunitas,n.*14.Diana *part.*1.*tract.*1. *resol.*38. Farinac. *de immunit. c.*13,*n.*175. qui de inconcussa praxi testatur. Cutellius *de immunit. Eccles.lib.*1. *q.*38. licet ex alia ratione motus Barbos. *de iure Eccles. lib.*2.*cap.*3.*n.*125.Peregrin.*cap.*8.*n.*8.& Bonacina *disp.*3. *q.*7. *de immunit. punct.*4. *num.*21. & ita verè seruatur in praxi. Vide etiam Cardinalem de Lugo *loc. suprà cit. disp.*25.

His adde quod Gregor. XIV. *in cit. Constitut.* §.6. 10
decernit, quod cognitio hæresis ( & sic apostasiæ à fide , cum sit eiusdem speciei, ) & sortilegij , si hæresim contineat , quamvis contrarium quoad sortilegium sentire videatur Valentia *tom.*4. *disp.*6. *q.*13. *punct.*4. ad forum tantum Ecclesiasticum spectet ( in ordine ad 11
quod immunitas Ecclesiæ locum non habet , vt ex probabiliori sententia DD. *dub.*10. *sect.*12. dicebam ) nullumque ius in ea Iudices sæculares habeant , quod etiam decretum reperitur ab Innocentio IV. Bull.1. & à Iulio III. Bull.11. *in cap. accusatus*, §.*vlt. cap.statutum*, 1.*cap.vt officium*, §.*vlt.& cap.vt Inquisitionis*,§.*prohibemus,de hæreticis in* 6. & meritò , quia ex diuinis literis , sacrisque Canonibus crimen hoc est diiudicandum ; ideoque à solis Iudicibus Ecclesiasticis cognoscendum , quamvis debeat laicus Iudex suspectos de hæresi retinere , vt eos deinde Iudici Ecclesiastico tra- 12
dat, vt præcipit Innocentius IV.*Bull.*1.§.4. Atque ita docent Clar. §.*hæresis, num.*4.*&* §.*fin.quæst.*96. Simanc. *tit.*36.*n.*1. Alciat.*cap.*1.*de offic. Ordin.n.*13.Azor *tom.*1. *lib.*8.*cap.*18.*q.*6.*& tom.*2.*lib.*3.*cap.*43.*q.*2.& alij passim. Idque etiamsi agatur de quæstione facti , ex *cit.cap. vt* 13
*Inquisitionis* , §. *prohibemus , de hæreticis in* 6. quia vbi lex non distinguit , nec nos distinguere debemus : & quia ( cùm ibi dicatur : *Prohibemus quoque districtius Potestatibus , Dominis temporalibus , & Rectoribus , eorumque Officialibus supradictis , ne ipsi de hoc crimine, cùm merè sit Ecclesiasticum , quoquo modo cognoscant, & iudicent* ) ly *quoquo modo* , omnem speciem cognitionis excludit : est enim dictio generalis omnia comprehendens, vt patet ex *l.*1.*vers.quoquomodo*,*ff.de testam.milit. iunct.glos. ff. de fideicommiss.* & notant Ruinus *cons.*98. *n.*11.*vol.*2.Roland.*cons.*80.*n.*37.*vol.*3.& Cephal.*cons.*28. *n.*17.*vol.*1.)& sic licet olim Iudices sæculares potuerint 14
de crimine hæresis cognoscere(vt patet ex §.*si verò, in Auth.de sanctiss. Episc. ex l.*1.§.*fin. C.de summa Trinit.*& *ex l.quicumque*,§.*vlt.Cod.de hæreticis*,) hodie nō possunt ex vi dicti capitis *vt inquisitionis*, vbi id ipsis districtius, & sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda prohibetur,vt dicebamus , & docent etiam Doctores,

quos citat, & sequitur Sanctarellus *in tract. de hæresi, cap.60. dub.4.num.21.* Felinus *in cap. cùm sit, de foro compet.* Alexander *in l.Titia, num.13. ff. solut.matrim.* Dec. *in cap.2.num.24. de iudic. in fin.* Tusch. *verb. Iudex Ecclesiasticus, concl.446.num.4.* Barbosa *in cit.l.Titia, num.82. & in Collect. tom.3. lib.5. tit.2. ap.18.num.9.* Moura *de ensal. sect.3. cap.1.num.34.* & Farinac. *de hæ est, q.18.§.4. num.101. contra Ceuallos part.2.quæst.56.n.39.* Seraphin. Freitas *in 3.edit. de conf. ff. solit. q.5.num.86.* & Pereir. *de manu regia, part.2. cap.29. num.4. cap.43. num.4. cap.44. num.14. cap.50. num.16. cap.62. num.41. & cap.63. n.18.*

15 *&* 19. Quamvis hic, vbi pro parte affirmatiua multas rationes adduxerit, quod scilicet quæstio facti criminis hæresis non sit magis spiritualis, quàm quæstio facti aliorum spiritualium, de quibus Iudex sæcularis de facto cognoscit, provt est causa beneficialis, matri-

16 monialis, &c. & quod cognitio de quæstione facti non sit propria, si contingat Iudicem sæcularem in hoc casu velle se immiscere, possit à Iudice Ecclesiastico inhiberi, ne procedat. Vide quæ dicebantur *c.8. dub.26. cap.10. dub.2. sect.2. & c.14. dub.9. &* 10.

## DVBITATIO XXIII.

**An immunitate priuetur qui committit crimen læsæ Maiestatis humanæ.**

### SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Committens crimen læsæ Maiestatis in personam Principis, non quidem spectato iure communi, sed tantum constitutione Gregoriana, priuatur immunitate.*

2 *Delictum læsæ Maiestatis in personam Principis est atrocissimum.*

3 *In crimine læsæ Maiestatis punitur affectus, effectu non sequuto, & bona acquiruntur fisco: potest de eo cognosci post mortem, & rei memoria damnari.*

*Explicatur quinam, & quando committentes crimen læsæ Maiestatis priuentur immunitate Ecclesiæ.*

4 *Filij ob crimen læsæ Maiestatis excluduntur à successione parentum, & aliorum consanguineorum, licet solum parentes tale delictum commiserint.*

5 *Filij reorum læsæ Maiestatis puniuntur magis, ac filij hæreticorum.*

6 *Filij hæreticorum secundum probabiliorem opinionem Doctorum succedunt ex testamento, & ab intestato ascendentibus, consanguineis, & extraneis Catholicis.*

7 *Limita quod si de tempore commissi delicti hæreditas matris, vel auiæ sit filio delata, filius ea non priuatur ex crimine Patris, quia iam habet ius quæsitum ad illam.*

8 *Amplia hanc limitationem procedere etiamsi nondum cœperit rei possessionem.*

9 *Filiæ reorum læsæ Maiestatis excluduntur ab eorum successione, licet non priuentur legitima in bonis paternis, quia filiæ ob sexus infirmitatem minus auſuræ creduntur, quàm mares.*

10 *Filiæ reorum læsæ Maiestatis non priuantur ſicuti filij successione aliorum consanguineorum & extraneorum.*

11 *Filij, & filiæ reorum læsæ Maiestatis licet priuentur successione parentis, non priuantur tamen donatione parentis, inter viuos, ſicut nec priuantur filij hæreticorum.*

12 *Textus* in l. quisquis, C. ad l. Iuliam maiestatis, *nihil de donatione disponit, sed tantum de successione: at successio testati, & intestati nihil commune habet cum donatione.*

13 *Ex incapacitate ſuccedendi ex testamento, vel ab intestato non bene infertur incapacitas acquirendi ex donatione.*

14 *Licet videatur militare in ſententia Gigantis eadem ratio de donatione ac ſucceſſione, tamen in pœnalibus non est arguendum ex identitate rationis.*

15 *Textus citatus ponderatur vbi disponit dictos filios esse in perpetuum egentes, & pauperes; quod tamen cum sit sub dubio, non est extendendum ob dictam pœnalitatem.*

16 *Filij, & filiæ reorum læsæ Maiestatis, priuantur modo quo ſupra dicebatur, donatione cauſa mortis.*

17 *Donatio cauſa mortis ſapit naturam vltimæ voluntatis, & ſic aquiparatur ſucceſſioni ex teſtamento.*

18 *Filij reorum læsæ Maiestatis contrahunt pœnam infamiæ, dummodo delictum ſit notorium, nec poſſit vlla tergiuerſatione celari.*

19 *Delictum læsæ Maiestatis ad hoc vt reorum filios infamia afficiat debet eſſe notorium per ſententiam, cum ſine ea non videatur ſatis probatum.*

20 *Filij reorum læsæ Maiestatis non poſſunt vt infames aſcendere ad ſacros ordines, & Eccleſiaſticas dignitates.*

21 *Nomine filiorum veniunt filij emancipati poſt delictum, quia præſumuntur in fraudem emancipati, ſecus ſi multo ante delicti conſpirationem emancipati fuerint.*

22 *Nomine filiorum veniunt etiam filij naturales, & ſpurij, qui cer ò ſint filij parentis adulterini, ne plus honoris detur luxuriæ, quam caſtitati.*

23 *Item veniunt filij poſt delictum parentum geniti, non ante, etſi contrarium ſit etiam ſatis probabile.*

24 *Nomine filiorum ob tale delictum non veniunt clerici, quia ratione dignitatis cenſentur exempti.*

25 *&* 26. *Clerici filij reorum læsæ Maiestatis non ſunt inhabiles ad beneficium, & mul ò minus priuantur beneficiis acquiſitis.*

27 *Item nomine filiorum quoad hanc pœnam non veniunt filiæ fœminæ.*

28 *Item non veniunt nepotes, quia nec ipſi exprimuntur, & in materia odioſa non veniunt niſi exprimantur.*

29 *Filij committentis crimen læsæ Maiestatis humanæ, aquiparantur filiis committentis crimen hæreſis, & ita ſicut pœnæ hæreticorum extenduntur ad nepotes via maſculina, ita etiam extendi debent in crimine læsæ Maiestatis humanæ.*

30 *Filij mulieris & non patris committentis crimen læsæ Maiestatis humanæ non incurrunt pœnas ſupradictas.*

31 *Crimen læsæ Maiestatis humanæ in muliere non contingit, & leges accommodantur ad ea, quæ frequenter accidunt, & caſu, quo contingat, eſt leuioris conſideratio nis.*

32 *Pœnæ contentæ in citata lege contra filios & filias reorum læsæ Maiestatis humanæ conſuetudine derogatæ videntur, & ab hac conſuetudine non eſſe in iudicando recedendum, ſentiunt Doctores.*

33 *Pœnæ contentæ in citata lege licèt non ſint derogatæ, habent locum in filiis, & filiabus, ſi crimen ſit commiſſum à patre contra Imperatorem, vel Regem, vel eius lateri aſſiſtentem.*

34 *Lex* quiſquis, *citata ſolum loquitur de crimine læsæ Maiestatis commiſſo aduerſus Imperatorem, Conſiliarios,*

*liarios, & Senatores eius, eosque qui ei militant; & ideo non est extendenda ad crimen læsæ Maiestatis commissum contra Rempublicam, vel Principem inferiorem.*

35 *Nomine Principis in casu priuationis immunitatis venit qui supremam habet iurisdictionem, & nemini est subiectus, vt Pontifex, Imperator, Rex Hispaniarum, Rex Galliæ, Angliæ, Poloniæ, &c.*

36 *Item venit Magnus Dux Florentiæ, Austriæ, Sabaudiæ, Saxoniæ, Parmæ, & similium: Dux Reipublicæ Venetæ, vel Ianuensis, & Magnus Magister Equitum S. Ioannis.*

37 *Item ex non improbabili sententia DD. venit etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, etsi capellum à Papa nondum acceperit. Non item Episcopus, nec summi Pontificis Nuncius.*

38 *Non reuelantes, coniurantes, vel conspirantes, vel machinantes in personam Cardinalis (ante vel post delictum commissum (& eorum fautores, receptatores, nedum qui positiue offendit personam Cardinalis, incidunt in crimen læsæ Maiestatis.*

39 *Cardinales æquiparantur Regibus, & faciunt vnum corpus, & consistorium cum summo Pontifice, & sunt speciali modo membra illius, & filij Ecclesiæ Catholicæ.*

40 *Inter Pontificem, & Cardinales non solum vnio, sed etiam vnitas, & identitas quædam intercedit.*

41 *Occisor Cardinalis nedum Episcopi in sententia Farinacij, Ecclesiæ immunitate non priuatur.*

42 *Prælatus Ecclesiasticus debet in tali casu reum cautum seruare, & interim Pontificem certiorem reddere.*

43 *Offendens Principem ad hoc vt priuetur immunitate, debet ei esse subditus aliquo modo, v. g. ratione originis, vel domicilij.*

44 *Extraneus offendens Principem non incurrit crimen læsæ Maiestatis, & propterea immunitate non priuatur.*

45 *Quilibet offendens Papam committit crimen læsæ Maiestatis, & propterea immunitate priuatur.*

46 *Item probabiliter quilibet offendens Cardinalem.*

47 *Non item quilibet offendens Principem secularem, quamvis hunc reum facile debeat Papa immunitate priuare.*

1 REspondetur, quod immunitate priuetur, qui committit crimen læsæ Maiestatis in personam Principis, non quidem spectato iure communi (vti censent Sarpus de iure Asylorum *cap.5. fol.51.* & quidam alij moti ex eo quod tale crimen detestabilius est homicidio proditorio, quia obstat iis textus *in cap. inter alia, de immunit. Eccles.* concedens immunitatem quibuscumque, quantumvis grauia crimina committentibus, exceptis quibusdam ibi: sicuti rectè notarunt Boss. *tit. de captura, num.32.* Scortia *theor.387.* Villagut *de extensione legum, cap.fin.num.5.* & Guttier. *pract.qq.Ciuil.lib.4.q.4.n.3. & 9.*) sed spectata Constitutione Gregorij XIV. in qua expressè priuatur immunitate reus criminis læsæ Maiestatis in personam Principis.

2 Et meritò, quia tale delictum est atrocissimum,
3 itavt morte infami puniatur, & puniatur etiam affectus, effectu non sequuto, bona acquirantur fisco, deque huiusmodi delicto etiam post mortem possit cognosci, & rei memoria damnari, *l.quisquis, Cod. ad l. Iuliam Maiest.* & ita docent communiter Doctores, Bossius *tit.de crimine læsæ Maiestatis*, Gig. *eodem tit.* Layman *lib.4.tract.6.c.3.n.9.* Scortia *cit. theor.387.* Sà, & alij passim.

Spectata itaque Constitutione Gregorij XIV. immunitate priuatur, qui committit crimen læsæ Maiestatis in personam Principis, exercendo scilicet actionem aliquam in damnum, & offensum Principis, verbi gratia occidendo, vulnerando, percutiendo, coniurando, machinando, hostiliter insequendo personam Principis, vel reuelando hostibus secretum Principis, vt ab illis capiatur. Idem dico de consulentibus, auxiliantibus, vel fauorem præstantibus, quia & isti omnes etiam sunt rei criminis læsæ Maiestatis in personam Principis. Secus dicas de ratum habentibus, vel defendentibus delinquentem post factum, & de scientibus delictum in personam Principis perpetrandum, & non reuelantibus, quia licet isti vtplurimum sint rei criminis læsæ Maiestatis, non tamen sunt rei criminis læsæ Maiestatis in personam Principis; notanda namque est illa particula *in personis Principis*, quæ non frustrà apponitur & actionem positiuam indicat: ratihabitio autem, & reuelandi omissio non importat huiusmodi actionem, & influxum positiuum: Doctores, quos sequitur Peregrinus *cap.10. num.11.* contra Farinacium *in append. cap.14. num.186.* & Marium Italiam *lib.1. cap.5. §.7. numero 52.*

An autem immunitate priuetur, qui commisit crimen læsæ Maiestatis in personam Principis, etiamsi effectus sequutus non sit, vt si quis dedit consilium, vel mandatum percutiendi, vel occidendi Principem, sed percussio, vel occisio sequuta non fuit?

Respondetur ex dictis affirmatiuè, & vlterius probatur, quia adhuc verum est dicere, delinquentem istum esse reum criminis læsæ Maiestatis in personam Principis, iuxta Constitutionem Gregorij XIV. Vide Clarum *in pract.§.crimen læsæ Maiestatis, num.16. vers. scias autem*, Farinacium *tom.2. in tit. de crimine læsæ Maiestatis, quæst.11. num.91. & quæst.116.§.4.* & Peregrin. *cap.10.num.7. & cap.11. num.1.* secus dicas de ratum habente, quia ratihabitio est posterior facto, & in crimen non influit. Secus etiam dicas de sciente, & non reuelante, quia talis non est reus criminis læsæ Maiestatis in personam Principis, per actionem scilicet positiuam, vt requirere videtur illa particula *in personam Principis*, cum ly *in*, importare videatur actionem positiuam, non autem negatiuam, vti *suprà* dictum est, & dicetur *infra sect.5. in fine.*

His adde, quod non solum puniantur in fine rei principales pœnis supradictis, sed etiam puniantur ipsorum filij, successione tum parentum, tum aliorum 4
consanguineorum, & extraneorum, *l.quisquis, leg.Fely, Cod. ad l.Iuli m Maiest.* in quo filij istorum magis ac 5
filij hæreticorum (de quorum pœnis dixi *lib. de Parlamentis, dub.4. sect.19. subsect.31. corollar.7. sub. orollar.3.*) puniuntur, sicuti rectè notarunt Gomez *de delictis, cap.2. num.13.* Decian. *tract. crimin. lib.7. cap.31. num.2.* Menoch. *consil.175. num.2. & seq. lib.3.* Farinac. *de crimine læsæ Maiest. q.116. num.75.* & Sanchez *lib.2. moral. cap.29. num.13.* quia filij hæreticorum secundum pro- 6
babiliorem opinionem Doctorum succedunt ex testamento, & ab intestato ascendentibus, consanguineis, & extraneis Catholicis.

Quamvis si tempore, quo pater crimen commisit, 7
hæreditas matris, vel auiæ sit filio delata, filius ea non priuetur ex crimine patris, quia iam habet ius quæsitum ad illam, & iure quæsito non priuatur filius ob crimen patris, etiamsi possessionem rei nondum apprehenderit. Grammatic. *decis.6.n.13.* & Farinac. *cit. quæst.116. n.110.* & colligitur *ex l.2. ff. de interdict. & relegat.*

Item & puniuntur etiam filiæ (licet hæ legitima in 8
bonis paternis non priuentur, *cit. l. quisquis, §. ad filias*, & redditur ibi ratio, quia filiæ propter sexus in- 9
firmitatem minùs ausuræ creduntur, quàm mares,

& notarunt Doctores, quos citat, & sequitur Decian. *capite* 41. *num.*13. & Farinac. *numero* 94. Quin etiam ex bonis parentis condemnati dotandæ sunt. Doctores, quos citat, & sequitur idem Farinacius 1. *par. tit. de delictis, & pœnis, q.* 24. *numero* 47.) tamen priuantur similiter ac filij successione parentis, cum bona illius sint fisco addicta, & applicata; quamuis similiter ac filij non priuentur etiam
10 successione aliorum consanguineorum, & extraneorum: quia textus *in citata l. quisquis*, distinguit inter filios, & filias; & filios dicit istorum successione priuari, nihil disponens de filiabus. Quapropter dicendum, quod hæ quoad istorum successionem non priuentur similiter ac filij; quia quoad hoc comprehendi non debent, cùm non exprimantur in lege sic rigorosa, & pœnali. Decianus *cit. capite* 41. *num.*12. Greg.Lop.*l.*2.*part.*7.*gloss.penult.*Mol.*de iust.tom.*3. *disp.* 658.*numero* 13. in priori parte Sanchez *lib.*2. *Moral. cap.* 29.*numero* 10. Clarus *pract. crimin.*§. *læsæ Maiest. n.*10.*vers. hæ autem pœnæ*, & Gigas *de crimine læsæ Maiest.q.*41.

Dixi, quod filij, & filiæ committentium crimen læsæ Maiestatis humanæ priuentur successione pa-
11 rentis, &c. quia non priuantur donatione parentis inter viuos, sicut nec priuantur filij hæreticorum. Moueor (quidquid in contrarium dixerit Gigas *lib.* 3. *rubr. de pœnis, quas filij incurrunt, q.* 2. *in fin.*) quia citata lex *quisquis*, nihil de donatione disponit, sed tantum de successione: at successio
12 testati, & intestati nihil commune habet cum donatione, *l. verbo contraxerint, ff. de verbor. significat.* Ergo ex incapacitate succedendi ex testamento, vel ab intestato non bene infertur incapacitas acquiren-
13 di ex donatione, *l. inter stipulantem,*§ *sacram, ff. de verb. obligat.*

Dices, militare in præsenti eandem rationem in donatione, ac in successione. Sic Gigas *suprà.*

14 Respondetur, id non sufficere, vt dispositio dictæ legis *quisquis*, ad donationem etiam extendatur; cum sit illa valde odiosa, & pœnalis; & sic ex identitate rationis non sit facilè entensio concedenda.

15 Instabis, non tam ex extensione rationis, quam ex dispositione legis ipsius donationem comprehendi, ibi, *sint perpetui egentes, & pauperes*; quibus verbis videtur legislator velle filios sic delinquentis in paupertate perpetua existere.

Respondetur, id clarè non constare, sed esse sub dubio: at in dubio in materia pœnali non est facilè concedenda extensio, vt *suprà* dicebamus: & sic in præsenti casu sentiunt Gregor.Lop. Molina, Sanchez, Decianus, & Farinacius *locis supra citat.*& Peregrinus *de iure fisci lib.*3.*tit.*9.*n.*11.

16 Ex dictis tamen sequitur, quod priuentur filij, & filiæ modo, quo suprà dicebatur, donatione
17 causa mortis; quia hæc donatio sapit naturam vltimæ voluntatis, & sic æquiparatur successioni ex testamento, §. 1. *Instit. de donation. & l. fin. Cod. de donat. causa mortis*, & docent Baldus *in l. tam is*, §. *filius, ff. eodem*, Gigas *loco supra cit. q.* 3. Decianus *cap.*41. *numero* 22. & Farinac. *cit. quæst.*116.*num.* 114.

18 Adde, quod iidem filij contrahant pœnam infamiæ, *cit. l. quisquis,* §. *filij verò*, ibi: *Infamia eos paterna semper comitetur: ad nullos prorsus honores, ad nulla sacramenta perueniant.* Debet tamen, vt quod dixi, locum habeat, delictum esse notorium, vt tergiuersatione celari non possit; quinimò ex pro-
19 babili sententia Doctorum debet esse notorium per sententiam; ita vt donec sententia non accedit, non videatur delictum satis probatum ad hanc pœnam aliis à delinquente contrahendam.

Ex hac pœna infamiæ infertur, non posse tales 20
ad sacros ordines & Ecclesiasticas dignitares ascendere, quia licet potestas laica non possit pœnam irregularitatis imponere; tamen quia hæc imposita est à potestate Ecclesiastica vnicuique infami, consequens est, quod ij eam contrahant. Decian. *lib.*7. *cap.*41.*num.*30. Anton. Gomez *tom.*3. *var.cap.*2.*num.*13. Gigas *lib.*3.*de pœnis,q.*1.*num.*6. &*q.*12.*numer.*1. Peregrinus *de iure fisci lib.*3. *tit.* 9.*num.*1. & Farinacius *q.*116. *num.* 83. sub hac pœna infamiæ plures aliæ pœnæ comprehenduntur, cùm infamibus plura alia interdicta sint.

Nomine filiorum hic veniunt filij emancipati 21
post delictum, quia præsumuntur in fraudem emancipati; secut si multò antè delicti conspirationem emancipati fuerint; colligitur *ex cit. l. quisquis*, §. *emancipatione*; & docet ibi Gloss. *vers. non valeant*, & communiter Doctores, quos refert Baiardus *ad Clarum*, §. *læsæ Maiest. numer.*20. Gigas *q.* 6. & Farinacius *quæst.* 11. *numero* 84. *& seqq.*

Secundò veniunt filij naturales, & spurij, qui certò 22
sint filij parentis delinquentis, ne plus honoris detur luxuriæ, quàm castitati. Gigas *quæst.*7. Farinacius *n.*86. Clarus *pract.*§. *læsæ Maiestat. n.*11. & Decianus *lib.*7. *c.*41.*n.*5.

Tertiò veniunt filij post delictum parentum geniti, 23
non ante, *lib.*6. *tit.*27. *part.*2. & docent Clarus *loco supra citato, numero* 12.*vers. fuit etiam*, Diaz *reg.*165.*numero* 2. Farinacius *numero* 92. & alij multi, quos refert, & sequitur Ceuallos *pract. qq. capite* 653. etsi contrarium sit etiam satis probabile.

Non tamen veniunt clerici, quia ratione dignitatis 24
videntur exempti. Gigas *quæst.*9. Boërius *tract. de sedition. quæst.*6. *numero* 3. *&* 23. *in fin.* & Farinacius *numero* 117. Quapropter hi non sunt inhabiles ad 25
beneficia, & multò minus priuantur beneficiis ac- 26
quisitis.

Item nec veniunt quoad hanc pœnam infamiæ 27
filiæ fœminæ; quia in citata lege *quisquis*, non exprimuntur filiæ in hac pœna, sed solum filij: at sub nomine filiorum in materia odiosa non veniunt filiæ. Gigas *q.* 14. Decianus *num.* 12. & Farinacius *numero* 97.

Item nec veniunt nepotes, ob eandem rationem; 28
quia nec hi exprimuntur, & sub nomine filiorum in materia odiosa nec veniunt nepotes. Decianus *in tract. crimin.lib.*7.*cap.*41.*num.*7. & alij. Accedit, quod vt in crimine hæresis ad nepotes via masculina pœnæ descenderent, necesse fuit, nepotes exprimi: ergo cùm in præsenti casu non exprimantur nepotes, sed filij solum exprimantur, filij solùm comprehenduntur. 29
Quamuis contrarium, scilicet filios committentis crimen læsæ Maiestatis humanæ æquiparari cum filiis committentis crimen læsæ Maiestatis diuinæ, seu crimen hæresis; & sic, sicut pœnæ hæreticorum extenduntur ad filios, & nepotes via masculina descendentes, & ad solos filios via fœminina, idem de his filiis dicendum esse sentiant Clarus *pract.* §. *læsæ Maiestatis,num.*13. Peregrinus *de iure fisci lib.*3.*tit.* 9.*num.*5. Gomez *de delictis tom.*3. *cap.*2. *num.*15. & Farinacius *quæst.*116. *num.*89. sed minus rectè, vt patet ex dictis.

An autem si mater, & non pater, commiserit cri- 30
men læsæ Maiestatis humanæ, filij eodem modo incurrant pœnas supradictas.

Respondetur, ex probabili negatiuè, quia in citata lege *quisquis*, nihil statuitur contra filios, cùm mater hoc crimen commiserit; & ex alio capite odia
non sunt amplianda. Accedit, quod talis casus ra- 31
rò contingit, & leges accommodantur ad ea, quæ frequentiùs accidunt. Accedit secundò, quod etiamsi

quando

quando contingat, est id leuioris considerationis, cùm non timeatur propter illud filios, & filias audaciam matris esse imitaturas. Albertinus *in dicta lege quisquis, n.4.* Odofredus *ibidem, n.4.* Salicetus *n.9.* Gigas *q.17.n.3.& seqq.* & Decianus *cap.41. n.14.* contra Doctores plures, quos refert, & sequitur Farinacius *q.116. num.98.*

32 Cæterùm prædictæ pœnæ contentæ in citata lege *quisquis*, aduersus filios, & filias committentis crimen læsæ Maiestatis humanæ consuetudine derogatæ videntur. Doctores, quos citat, & sequitur Farinac. *loco supra citato, n.144.& seqq.* adeò vt subdat, in iudicando non esse ab iis Doctoribus de hac consuetudine at-

33 testantibus recedendũ. At dato, quod non sint consuetudine derogatæ, locum solum habent in filiis, & filiabus, si crimen sit commissum à patre contra Imperatorem, vel Regem, vel eius lateri assistentem, vt multis Doctoribus relatis docet idem Farinacius *num.125.* & probatur ex lege *eorum*, *ff. ad legem Iuliam Maiest.* iuncta glossa, vbi expresse dicitur, bona damnatorum ex hoc crimine fisco applicari, si damnati non habeant filios, secus si habeant: quod pugnat cum eo, quod dicitur in lege *quisquis*, & *leg.1. Cod. de bonis quæ liberis*, & *l.4. ff. de interdict.* Quapropter vt discordes non sint inter se leges, dicendum est, has leges posteriores loqui de crimine læsæ Maiestatis commisso contra Principem: & legem *eorum*, priorem loqui de aliis casibus læsæ Maiestatis, de quibus *in l.1.2.& 3. ff. ad legem Iuliam Maiest.* vt rectè notauit præter alios

34 Clarus *loco supra citato*, *num.15.* Accedit, quod lex *quisquis*, solum loquitur de crimine læsæ Maiestatis commisso aduersus Imperatorem, Consiliarios, & Senatores eius, eosque, qui ei militant, & ex alio capite leges, præsertim pœnales, extendi non debent ad alias personas, præter ibidem expressas, & consequenter extendi illa non debet ad crimen læsæ Maiestatis commissum aduersus Rempublicam, vel Principem inferiorem Imperatore, vel Rege, etiamsi superiorem non recognoscat, vt rectè notauit præter alios Fachin. *lib.9. controuers. c.32.*

35 At quidquid sit de hoc, nomine Principis in casu nostro priuationis immunitatis Ecclesiæ venit, qui supremam habet iurisdictionem, & nemini est subiectus, qualis est, v.g. Pontifex, Imperator, Rex Hispaniæ, Rex

36 Galliæ, Angliæ, Poloniæ, &c. item ex probabiliori sententia Doctorum venit Dux Florentiæ, Austriæ, Sabaudiæ, Saxoniæ, Parmæ, & similes. Item Dux Reipublicæ Venetæ, vel Ianuensis, & Magnus Magister Equitum S. Ioannis, sicuti tradunt Iul. Clar. *§. læsa Maiestatis, num.2.* Decian. *tract. crim. lib.7. cap.32. num.7.* Peregrin. *de immunit. cap.9. num.4.* Farinacius *in append. de immunit. cap.14. num.188.* & *de homicidio quæst.112. num.176.* Ambrosin. *de immunit. cap.9. num.5.* & Mar. Ital. *de immunit. Eccles. cap.6. §.7. num.18* Item ex non

37 improbabili sententia DD. venit si non Episcopus, quin neque S. Pontificis Nuncius, siquidem Gregorius loquitur de offendente personam ipsiusmet Principis. Doctores communiter, quos citat, & sequitur Farinac. *in append. cap.145.* & Mar. Italia *lib.1. §.7. cap.29.* saltem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, etsi Capellum à Papa nondum acceperit, sicut docent Clarus *§. læsa Maiestatis, num.4.* Peregrin. *de immunit. cap.9. num.5.& cap.11. num.2.* Gambacurta *de immunit. lib.5. cap.44. n.5.* Mar. Ital. *lib.1. cap.5. num.16.& §.7. num.11.* Cutellius *de immunit. Eccles. lib.1. q.20. num.3.& 12.* & Diana *part.1. resol.20.* & *part.5. tract.2. resol.86.87.90.& 91.* quia *ex*

38 *cap. felicis, de pœnis in 6.* & ex Bulla Pij V. quæ incipit: *In felicis sæculi, vers. quicumque*, incidit in crimen læsæ Maiestatis, qui non reuelat coniurantes, vel conspirantes, vel machinantes in personam Cardinalis (ante, vel post delictum commissum) & eorum fautores, receptatores, &c. nedum qui positiuè offendit personam Cardinalis, & meritò; quia Cardinales æquiparantur Regibus, & Principes Ecclesiæ Romanæ vocantur, & 39
faciunt vnum corpus, & Consistorium cum Summo Pontifice, & sunt speciali modo membra illius, & speciali modo filij Ecclesiæ Catholicæ, *cit. cap. felicis, §.1. de pœnis in 6.* & multis in id collatis iuribus probat Clarus *loco supra cit.* (adeò quod, vt dicebamus, & rectè notauit Ioan. Andreas *in cap. requisisti, de testam. num.12.*) inter Pontificem, & Cardinales non solum 40
vnio, sed etiam vnitas, & identitas quædam intercedat, & propterea quidquid fauet, vel nocet Cardinalibus, fauere, vel nocere Sedi Apostolicæ intelligatur, & è contra, licet Regiam quasi dignitatem habeat, & Principi æquiparetur, *d. cap. felicis, de pœnis in 6.* non
sit tamen propriè supremus Princeps superiorem non 41
habens, de quo loquitur Constitutio Gregorij XIV. sic sentit Farinacius *in append. de immunit. c.13. n.185. & 192.* vbi propterea ait, quod etiam occisor Cardinalis, nedum Episcopi, Ecclesiæ immunitate non priuetur: etsi subdat, quod ad cautelam debeat Prælatus Ecclesiasticus in tali casu Pontificem certiorem facere, & interim cautè reum seruare.

Requiritur tamen ad hoc, quod offendens Princi- 42
pem immunitate priuetur, quod Princeps offensus sit Princeps respectu offendentis, seu offendens sit ei subditus ratione originis, vel domicilij; itavt licet
delinquens in aliquo territorio sit subditus ratione 43
delicti, non tamen dicatur committere crimen læsæ Maiestatis, nisi ratione domicilij, vel originis sit subditus Principi, in cuius personam delictum commisit, sicuti clarè constat ex *Clement. pastoralis, de appellat.* in
qua, cùm inter cætera ageretur, an Rex Siciliæ com- 44
misisset crimen læsæ Maiestatis, Summus Pontifex negatiuè respondet, quia non erat subditus ratione domicilij, vel originis, ibi: *Rursus non est silentio relinquendum, quod ipse Rex noster, & Ecclesiæ Romanæ ratione Regni prædicti notoriè subditus, homoque ligius, ac vassallus, ac in eodem regno, vel vt præmittitur, in Imperio certum, continuum, ac notorium suum habens domicilium, ac originem inde trahens, Imperatori eo modo non subfuit, quo in eum crimen læsæ Maiestatis commiserit, quantumlibet omnia in sententia supradicta contenta veritatem indubiam continerent*, & docent ex communi ibi gloss. Imola, Zabarella, & alij Canonistæ, Boërius *de seditiosis, col.18. vers. præsuppono etiam sexto*, Bonacina *de legib. disp.3. q.7. de immunit. Eccles. §.4. n.22.* Lezana *verb. Immunitas Eccles. num.15.* Rolandus *lib.1. consil.4. num.5.* Clarus *in pract. §. læsa Maiestatis, n.7.* Diaz *pract. c.119. n.1. in prin.* Farinac. *de homicidio, q.112. n.240.& in append. de immunit. cap.14. n.191.* Anton. Gomez *de delictis, cap.2. n.10.* Scortia *theorem.387.* Ambrosinus *de immunit. Eccles. cap.9. n.6.* Mar. Ital. *de immunit. lib.1. c.5. §.7. num.48.& seqq.* Megal. *in 3.p. lib.4. cap.2. q.1. num.23.* Peregrin. *de immunit. Eccles. cap.9. num.8.* Gambacurta *lib.5. cap.41. num.2.* Decianus *lib.7. cap.8. num.3.* & Diana *part.1. tract.1. resol.7.* contra Cutellium *de immunit. Eccles. lib.1. q.7. num.21. & seqq.* & alios, quos citat *num.38.*

Hinc infertur à præcitatis Doctoribus, crimen 45
læsæ Maiestatis contra Summum Pontificem committi posse ab omnibus, tam laicis, quàm Clericis quacumque dignitate fulgentibus, vbicumque existant, etiamsi ei in temporalibus subditi non sint; quia territorium Summi Pontificis est vniuersus orbis, cum ipse sit Christi Vicarius, suamque iurisdictionem exerceat in toto Orbe. Idem de offendente Cardinalem 46
(etiamsi offendens non sit ei subditus in temporalibus) testatur Farinac. *de carcer. q.112. n.100.* Gigas *de crimine læsæ Maiest. lib.1. rubr. qualiter, & à quibus crimen læsæ Maiest. committi. q.2. n.10.* Peregrin. *c.9. n.7.* & ratio desumi potest ex supradictis *num.38.& seqq.* Non tamen 47
idem dicas de offendente Principem sæcularem, si

offendens

offendens non sit ei subditus ratione domicilij, vel originis, vti dicebam, quamvis Papa facilè posset, & deberet priuilegio immunitatis priuare quemcunque talem delinquentem, qui tam graue scelus in personam alicuius Principis, vel Regis committere ausus fuisset, etiamsi aliàs subditus ei non esset, neque ratione domicilij, neque originis.

## SECTIO II.

### Difficultates, earumque solutiones.

#### SVMMARIVM.

1 *Extraneum offendens Principem licet non subsit ei ratione originis, vel domicilij, subest tamen saltem ratione delicti, ex quo videtur ex mente Cutellij committere crimen læsæ Maiestatis.*

2 *Sicuti forum rei sitæ in ciuilibus, ita in criminalibus forum delicti foro originis, & domicilij potentius est.*

3 *Extraneus offendens Principem subest ei saltem ratione delicti concomitanter ad delictum, ita vt post delictum ei subsit, & ita priuatur immunitate, secus si antecedenter ad delictum non erat ei subditus.*

4 *Extraneus furans in Diœcesi Episcopi, qui furtum prohibuit sub censura, censuram non incurrit si antecedenter ad delictum non erat ei subditus.*

5 *Ius loquendo de ladentibus maiestatem, includit omnem, qui in maiestatem delinquit: propositio vera est si antecedenter ad delictum erant subditi, secus si tantum concomitanter.*

6 *Non subditi, & liberi etiam dato fœdere possunt retineri, & puniri vt rei simpliciter, secus vt rei læsæ Maiestatis formaliter.*

7 *Infidelis offendendo Pontificem, vtpote ei non subditus, non committit crimen læsæ Maiestatis, secus si ei subsit vt Principi sæculari ratione domicilij, vel ratione originis.*

8 *Infidelis gauderet immunitate offendendo Pontificem si ei non sit subditus, vt Principi sæculari, in sententia extendentium immunitatem ad infideles.*

9 *Delicta leuiora sæpe magis puniuntur, quam grauiora, quia frequentius illa accidunt, vel ex aliqua alia causa, quæ mentem legislatoris mouit.*

1 OBiicies ex Cutellio. Extraneus offendens Principem, licet non subdatur ei ratione originis, vel domicilij, subditur tamen saltem ratione delicti: ergo adhuc offendendo Principem committit crimen læsæ Maiestatis. Consequentia patet: antecedens probatur ex *Auth. si qua in prouincia, C. vbi de crimine agi oport.*

2 Quinimò sicuti forum rei sitæ in ciuilibus, ita in criminalibus forma delicti foro originis, & domicilij potentius est, ex *dict. Auth. si qua in prouincia, & Auth. de consul. & Auth. de mandat. Princip. c. postulasti 14. de foro compet. c. consult. in 7. c. 1. de rapt. c. 1. de priuileg. in 6. & Concil. Trid. de reform. sess. 7. c. 14.* & colligitur ex ipsa *cit. Clement. Pastoralis*, & tradunt communiter Doctores, quos citat, & sequitur Cutellius *in Cod. Siculo ad legem patri, nota 7. n. 9 & 10.* Donellus *comm. iur. ciuil. lib. 17. c. 16. tom. 2.* Morla *in empor. part. 1. tit. 2. q. 20. n. 10.* Cabed. *decis. 26. part. 1.* Cald. *consil. 23. n. 5.* & Barbosa *appellat. 101. n. 4. &* 5. vbi allegans Hieronymum Buccarum *in differ. iuris ciuil. & crimin. differ. 130. n. 16.* ait in hoc differre ciuilia à criminalibus, quod si in his contra personam agatur, forus loci delicti est potentior foro domicilij.

Respondetur, distinguo antecedens: extraneus offendens Principem subditur ei saltem ratione delicti concomitanter ad delictum, itavt post delictum, & ratione delicti ei subdatur, vt sic possit ab eo puniri ob tale delictum, concedo; antecedenter ad delictum, itavt committendo delictum, illud committat tanquam subditus, nego. Et hoc requiritur ad committendum crimen læsæ Maiestatis, vt patet ex *dict. Clement. Pastoralis*, & confirmatur ex doctrina communi, quam tradam *c. 11. dub. 1. sect. 11.* quod scilicet, si quis Episcopus in sua diœcesi prohibeat v. g. furtum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, extraneus ibi furando possit quidem ob furtum ibi commissum puniri, citari, & si non obediat, tanquam contumax postea ab Episcopo talis diœcesis excommunicari, quia ratione talis delicti ibi commissi factus est ei subditus, non tamen ibi furando contrahat excommunicationem furto à dicto Episcopo annexam, & alligatam, quia antecedenter ad furtum non erat ei subditus, vt furando contrahere posset excommunicationem, quam Episcopus talis diœcesis furto alligauerat: vnde patet etiam ad rationes antecedentis: concedo enim, quod extraneus delinquendo in aliquo loco, possit, & potiori ratione puniri à Iudice talis loci, quàm à Iudice originis, vel domicilij, quia ratione delicti ei factus est subditus; non tamen hinc infertur, quod ibi delinquendo in Principem, crimen læsæ Maiestatis committat, quia delinquendo non erat ei subditus, & sic non offendit eum vt subditus, quod ex dictis ad committendum crimen læsæ Maiestatis requiritur. 3 4

Instabis. Ius loquendo de lædentibus Maiestatem includit omnem, qui in Maiestatem delinquit, vt *in l. 5.* ibi: *Quod tenetur is, & in l. vlt.* ibi: *Nam quisque legis Iuliæ, ff. ad leg. Iul. Maiest. & l. quisquis, C. eod.* quarum quælibet dictio generalis est, ac omnes sine vlla exceptione comprehendit, teste Hloss. *in l. si necessaria, §. si annum, ff. de pign.* 5

Respondetur. Distinguo antecedens: includit omnem, qui sit subditus antecedenter ad delictum, concedo: concomitanter ad delictum, nego.

Reinstabis, *in l. non dubito, ff. de capt. & postlimin. & reuers.* clarè dicitur, quod non subditi, & liberi, etiam dato fœdere, possint retineri, & puniri, ibi: At fiunt apud nos rei ex ciuitatibus fœderatis, & in eos damnatos animaduertimus: ergo. 6

Respondetur, distinguo antecedens: possint retineri, & puniri vt rei simpliciter, concedo: vt rei læsæ Maiestatis formaliter, nego.

Vrgebis. Sequeretur, quod infidelis offendendo Pontificem, vtpotè ei non subditus, quia secundùm Apostolum, *de foris est*, neque crimen læsæ Maiestatis committeret, & immunitate Ecclesiæ gauderet. 7

Respondetur. Concedo totum, si infidelis neque subdatur Pontifici, vt Principi sæculari, ratione domicilij, vel ratione originis, sed solùm ratione delicti, etsi sit probabilis opinio eorum, qui docent, Ecclesiæ immunitarem, tanquam localem etiam ad infideles extendi, de qua dixi *suprà dub. 10. sect. 4.* 8

Reurgebis. Leuiora delicta immunitate Ecclesiæ priuantur: ergo multò magis priuari debent & hæc.

Respondetur. Nego consequentiam, quia sæpe magis puniuntur delicta leuiora, quàm grauiora, quia frequentius illa accidunt, vel ex aliqua alia causa, quæ mentem legislatoris mouerit, vti videre est ex iis, quæ dicentur *infrà sect. sequenti, per totam*, & colligitur *ex l. aut facta, §. vlt. ff. de pœnis*, ibi: *Nonnunquam euenit, vt aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur*, & ex Aristotele *in problematibus, sect. 29.* ibi: *Legis auctor, cùm sciret illis in locis dominos res suas custodire non posse, custodem legem addidit.* 9

## SECTIO III.

### An immunitate priuetur, qui delinquit in personam Principis superiorem recognoscentis?

#### SVMMARIVM.

1 *Committentes crimen læsæ Maiestatis in personam Principis superiorem recognoscentis, vt in Principes, Duces, Marchiones, Comites, & Barones Regni, non priuantur Ecclesiæ immunitate.*

2 *In constitutione Gregoriana nomen Principis strictè pro Principe supremo accipiendum est.*

1 EX dictis sequitur primò, quod immunitate non priuetur, qui crimen committit in personam Principis superiorem recognoscentis, vt in Principes, Duces, Marchiones, Comites, & Barones Regni, &c. quia cùm simus in materia odiosa, & pœnali, & immunitas Ecclesiæ sit fauorabilis propter loci sacri reuerentiam, vt dicebam *supra dub.* 3. ly nomen Princi-
2 pis in cit. Constitut. Gregorij XIV. strictè, scilicet pro Principe supremo, accipiendum est. Atque ita docent Peregrin. *de immunit. Eccles. cap.* 9. *num.* 8. Barbos. *in collectan. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 49. *cap.* 6. *num.* 10. Farinac. *in append. de immunit. cap.* 13. *num.* 187. Bonacina *de legib. disp.* 3. *quæst.* 7. *punct.* 4. *num.* 7. §. 22. Ambrosinus *de immunit. Eccles. cap.* 9. *num.* ... *in fin.* Mar. Ital. *de immunit. lib.* 1. *cap.* 6. §. 7. *n.* 29. *& seqq.* & Diana *p.* 1. *tract.* 1. *resol.* 6. contra Megalium *cit. cap.* 2. *quæst.* 1. *num.* 22. Gambacurt. *lib.* 5. *cap.* 44. & Cutellium *de immunit. Eccles. lib.* 1. *quæst.* 6.

## SECTIO IV.

### An priuetur, qui delinquit in Statum Principis supremi, in vxorem, consanguineos, vel officiales eius?

#### SVMMARIVM.

1 *Committentes crimen læsæ Maiestatis in statum Principis (quamvis supremi) vel in vxorem, consanguineos, Officiales, vel Consiliarios eius, gaudet Ecclesiæ immunitate.*

2 *Occidentes fiscum Regium, Præsidem Iustitiæ, Consiliarium, vel summum Magistratum lateri supremi Principis assistentem, in sententia Cutellij non omnino improbabili, non gaudent immunitate.*

3 *Summus Magistratus assistens lateri supremi Principis facit vnum corpus cum illo.*

4 *Par est & expediens bono publico, quod ita diligenter, & exactè defendatur supremus Princeps cum tribunali supremo suo sumptu, cum quo bonum publicum curat.*

1 SEquitur secundò, quod immunitate neque priuetur, qui crimen committit in statum Principis supremi, vt in vxorem, consanguineos, Officiales, vel Consiliarios eius supremos, v.g. si quis occidat vxorem, filium, aut fratrem, Proregem, Oratorem, Fiscum Regium, vel quemcunque alium Iustitiæ Præsidem Principis, etiam in odium Principis, quia licet talis per rebellionem, vel per occasionem vxoris, filij, consanguinei, Officialis, vel Consiliarij Principis resistat, & non obediat Principi, & sic crimen læsæ Maiestatis committat, non tamen offendit personam Principis; quod, vt reus immunitate Ecclesiæ priuetur, requiritur ex vi Constitutionis Gregorij XIV. alioquin enim frustra ponerentur in constitutione verba illa: *In personam Principis.* Atque ita docent Peregrin. *de immunit. cap.* 10. *num.* 13. Marsilius, & Bursatus, quos citat, & sequitur Farinac. *in append. c.* 14. *n.* 190. & 192. Ambrosinus *de immunit. cap.* 9. *num.* 7. Scortia *in Bullar. theorem.* 387. Lezana *verb. Immunitas, num.* 15. Bonac. *de immunit. disp.* 3. *q.* 7. *punct.* 4. *n.* 22. Diana *part.* 1. *tract.* 1. *resol.* 7 & 20. Siluius *in resol. var. verb. Immunitas, fol.* 108. Iulius Clarus §. *læsa Maiestatis, n.* 3. Mar. Italia *lib.* 1. *c.* 5. §. 7. *n.* 20. *& seqq.* & Marcellus Vulpe *in praxi* 2
*crimin. lib.* 3. *n.* 15. contra Cutellium *cit. q.* 6. *num.* 25. & Gambacurtam *lib.* 5. *cap.* 45. *dub.* 3. & 4. quorum opinio (vt verum fatear) non omninò improbabilis est in casu, quò verbi gratia occidatur Fiscalis Regius, Præ- 3
ses Iustitiæ, Consiliarius, vel summus Magistratus lateri supremi Principis assistens, qui sit pars proprij corporis illius, seu faciat vnum corpus, seu supremum tribunal cum illo, sicuti ex non improbabili sententia Doctorum dicebatur *supra sect.* 1. *n.* 37. quod offendens Cardinalem immunitate non gaudeat, ex 4
eo, quod Cardinalis faciat vnum corpus, seu consistorium cum Summo Pontifice. Et confirmatur, quia par est, & expediens bono publico, quod ita diligenter, & exactè defendatur supremus Princeps cum tribunali supremo suo sumptu, cùm non solitariè, sed cum tribunali supremo suo sumptu bonum publicum curet, & gubernet.

## SECTIO V.

### An priuetur rebellis, vel qui offendit statuas, vel imagines dicatas Principi, vel quid aliud simile facit contra Principem? Vbi etiam de sciente, & non reuelante.

#### SVMMARIVM.

1 *Rebelles, vel offendentes statuas, vel imagines dicatas Principi, licet committant crimen læsæ Maiestatis, non tamen in personam Principis, gaudent Ecclesiæ immunitate.*

2 *Dictio taxatiua (tantum) de sui natura impedit extensionem ad non expressa.*

3 *Cudentes falsam pecuniam, vel bonam tundentes, & omnes alij offendentes Principem in dignitatem, non autem in personam, gaudent immunitate.*

4 *Appellantes a Papa ad futurum Concilium, licet id agentes incidant in crimen læsæ Maiestatis, non tamen priuantur immunitate contra Gambacurtam, & Cutellium.*

5 *An non reuelans coniurationem, conspirationem, vel machinationem in personam Principis, siue ante, siue post crimen commissum (priuetur immunitate, est discrimen inter Doctores, & sunt pro vtraque parte; negatiua tamen est probabilior.*

6 *Non reuelans coniurationem in personam Principis committit crimen læsæ Maiestatis in omittendo, secus in committendo: & quia Constitutio Gregoriana intelligit tantùm de committentibus, gaudet immunitate.*

7 *Idem dic de eo qui non reuelat machinationem in personam Cardinalis.*

8 *Casus præditus est valde dubius, & ideo ex consilio Auctoris, si accidat, est de eo Summus Pontifex certiorandus per Episcopum, & ab eo consilia capienda.*

9 *Fauens, vel receptans offendentem Principem, vel Cardinalem*

*dinalem per se & formaliter in fauorem criminis commissi in personam Principis & Cardinalis non gaudet immunitate, secus si per accidens & materialiter, puta ratione amicitiæ, consanguinitatis, &c.*

10 *Si casus contingat ex sententia Diana capiendum est consilium a summo Pontifice.*

1 SEquitur tertiò, quod immunitate neque priuetur rebellis, vel qui offendit statuas, vel imagines dicatas Principi, etiam in odium Principis, quia licet talis etiam crimen læsæ Maiestatis committat, non tamen similiter committit in personam Principis,
2 quod requiritur ex vi dictæ Constitutionis Gregorij XIV. vti dicebam; præsertim quia paulò ante ponitur in illa dictio taxatiua *tantum*, de cuius natura est impedire extensionem ad non expressa, & in eadem sit exceptio casuum per modum formæ, cui propterea nihil addi, vel minui potest, sed ad vnguem prorsus seruari debet.

3 Idem propter easdem rationes dicas de eo, qui falsam pecuniam, vel veram, sed contra Principis edictum cudit, vel bonam tundit, tractat de Rege faciendo, viuente Rege, vel facit, & dicit se Regem, cum non sit, offendit eum, qui saluumconductum habet à Rege, exspoliat nuncios Regis, vt sciat arcana Regni, & secreta Regis, à militia fugit, cùm sit miles militiæ, accepta pecunia, adscriptus, imprimit propriam imaginem, sublata imagine Principis, coniurat, vel machinatur, vt inimicis tradatur Regnum, &c. etiam in odium Principis, cum talis etiam non coniuret, & machinetur in personam Principis, nec faciat actionem in offensionem personæ Principis, sed solum in offensionem dignitatis, vel status Principis. Atque ita docent Peregrinus, Siluius, & Farinacius *in locis suprà cit.* Mar. Ital. *de immunit. lib. 1. c. 5. §. 7. n. 45.* Lezana *cit. num. 15.* Bonac. *cit. q. 7. punct. 6. §. 9. num. 5.* Diana *cit. resol. 7. & 20. & part. 4. tract. 1. resol. 103.* & Franciscus Cespedes *in dub. Militar. dub. 21.* contra Gambacurtam *de immunit. lib. 1. cap. 44. dub. 5.* Sarpum *loco suprà cit.* & Cutellium *de immunit. Eccles. lib. 1. q. 7.* Vnde etiam sequitur contra Gambacurtam *lib. 7. cap. 5. in fin.* & Cutellium *q. 17. n. 11.* quod neque appellans à Papa ad futurum Concilium immunitate priuetur, etiam stante, & decernente Constitutione Pij II. & Iulij II. id agentes in crimen læsæ Maiestatis incidere.

4 An autem, qui nouit coniurationem, conspirationem, vel machinationem in personam Principis, & non reuelat (siue ante, siue post crimen commissum) priuetur immunitate Ecclesiæ?

5 Affirmant Farinacius *in append. de immunit. cap. 13. num. 186.* Mar. Ital. *de immunit. lib. 1. c. 5. §. 6. num. 52.* & Cutellius *cit. q. 7. n. 41. & 42.* quia talis reuera committit crimen læsæ Maiestatis in personam Principis.

Negant autem probabilius Peregrin. *de immunit. cap. 10. num. 11.* Bonacina *tom. 2. disp. 3. quæst. 7. punct. 7. num. 11.* Diana *part. 6. tract. 1. resol. 18.* & Ghilinus *in summa, verb. Crimen læsæ Maiestatis, num. 1. lit. C.* quia licet talis aliquo modo committat crimen læsæ Maiestatis in personam Principis, & sic morte sit dignus, committit tamen propriè crimen læsæ Maiestatis in personam Principis omittendo, non autem committendo, quod vltimum requiri videtur in Constitu-
6 tione Gregorij XIV. cùm Pontifex loquatur per dictionem *In*, quæ idem valet, ac *Contra*; & importat actionem in personam Principis, non autem omissionem, & ex alio capite simus in materia pœnali, & odiosa, & immunitas Ecclesiæ propter reuerentiam
7 loci sacri sit fauorabilis, vt suprà dicebatur. Quapropter ob eandem rationem cum Peregrino *cap. 11. n. 5.*
8 idem dicas de eo, qui nouit machinationem in personam Cardinalis, & non reuelat: quamvis ad cautelam, si talis casus contingat, cùm sit valde grauis, & dubius, consulerem, quod Episcopus certiorem faciat Pontificem, & interim cautè custodiat delinquentem. Vide Dian. *cit. resol. 90. & 91.* & Peregrinum *cit. cap. 11. num. 4.* vbi cum Megalio *in 3. part. lib. 3. cap. 9. q. 1. n. 3.* de fautore, & receptatore offendentis Principem, vel 9
Cardinalem rectè notat, quod si receptio facta sit per se, & formaliter in fauorem criminis commissi in personam Principis, vel Cardinalis (vt si facta sit, v.g. ne reus à satellitibus comprehendatur, vel ne à Iudice puniatur) receptator non excusetur à pœna, & Ecclesiæ immunitatem deperdat: si autem non facta per se, & formaliter in fauorem criminis commissi, sed per accidens, & materialiter (vt si facta sit hospitij, amicitiæ, vel consanguinitatis gratia) mitiori pœna puniatur, & Ecclesiæ immunitatem retineat, quamvis quoad hoc vltimum dubius sit Diana *cit. resol. 91. in fin.* & velit similiter, si casus contingat, consulendum esse 10
Pontificem, quod propter iam suprà dictam rationem mihi etiam probatur.

## DVBITATIO XXIV.

### An excipiantur ab Ecclesiæ immunitate aliæ causæ criminales, præter suprà dictas, saltem grauiores?

### SECTIO I.

#### Dubitationis Resolutio.

#### SVMMARIVM.

1 *Præter causas supradictas non excipiuntur ab Ecclesiæ immunitate aliæ grauiores.*
2 *Decisio capituli* inter alia, *de immunitate non est extendenda ad alios casus præter ibi expressos.*
3 *Omnes de iure canonico gaudent immunitate Ecclesiæ, exceptis casibus in dicto capitulo* inter alia, *positis.*
4 *Exceptio firmat regulam in contrarium quoad casus non exceptos.*
5 *A regula generali recedendum non est, vbi exceptio non ponitur.*
6 *Qui habet regulam pro se, fundatam habet suam intentionem in casibus non exceptis.*
7 *Dictio taxatiua (tantum) quando adiecta est orationi affirmatiuæ (vt in constitutione Gregoriana) affirmat illud quod ponit, & negat, & excludit omne aliud, quod est extra modum, & formam eius quod ponitur.*
8 *Afferuntur ad corroboranda quæ dicta sunt, verba Constitutionis Gregorianæ.*
9 *Formæ nihil addi, aut minui potest, sed seruari illa debet ad vnguem.*
10 *Clausula (sublata facultate ei, & eorum cuilibet,) &c. apposita in Constitutione Gregoriana, tollit omnem prorsus interpretationem, & extensionem.*
11 *Qui furatur in Ecclesia, gaudet immunitate Ecclesiæ.*
12 *Constitutio Gregoriana corrigit ius commune, & prouinciale, Doctorum interpretationes, & à paritate rationis ampliationes, consuetudines, & priuilegia in contrarium.*

REspondetur negatiuè, & probatur primò; 1
quia *in cap. inter alia, de immunit. Eccles.* conceditur immunitas quibuscumque reis, quantumvis grauia

grauia delicta committentibus (exceptis quibusdam ibi) ergo omnes alij rei propter quæcumque alia grauia delicta ex vi talis textus, & sic ex vi iuris communis etiam non excipiuntur, sed manent comprehensi. Quapropter Panormit. ibi, *num.17.* & Antonius Gomez *tom.3.var.cap.20.num.2.* dicunt, quod decisio illius capitis non sit extendenda ad alios casus; & Bossius *tit.de captura, num.32.* dicit, concluſum esse in Senatu, quod nec etiam pro crimine læsæ Maiestatis possit reus extrahi; & sic ob quantumvis crimen graue, vltra ibi excepta, non sit extrahendus. Et Montaldus *part.1.tit.21. lib.4.* dicit, quod in nullis aliis casibus, vltra ibi exceptos, reus debeat extrahi; quia immunitas, & fauor Ecclesiæ debet amplè intelligi; & Marianus Zozymus *in tract. de citationibus, art.17.num.36.* dicit, quod secundum Doctores casus ibi excepti non extendantur ad similes. Et tandem Faber §. *fin. Instit. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris, num.2.* dicit, quod de iure Canonico omnes gaudeant immunitate Ecclesiæ, exceptis casibus *in dicto cap. inter alia*, positis: idemque docent Gutierrez *in pract. qq. lib.3. quæst.4. num.12. & 13* Farinac. *in append. de immunit. cap.22. n.353.* Castrus Palaus *tom.2.tract.11.d sp. vnic.punct.10. num.4.* Chartarius *decis.crimin.9. num.14. & 15.* & alij mox *infra* citandi, contra Gambacurtam *lib.5. cap.18.* Portellium *in dubia Regular. verb. Ecclesiæ immunitas, num.15.* Cutellium *in leg. Martini Regis, cap.17.num.5. & de immunit. Eccles. quæst.2. & 21. lib.1.* Sarpum *de iure Asylorum, cap.5. fol.55.* & quosdam alios. Et ratio est, quia dictum *cap. inter alia*, prius dicit, quantuncunque grauia delicta perpetrauerint, & postea in particulari subdit quasdam exceptiones, scilicet, nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, &c. ergo non possumus ad alia delicta æquè grauia illas exceptiones extendere, quia sic non esset exceptio, sed regulæ destructio: cùm ergo ius commune constituat vniuersalem regulam, & postea subdat quasdam particulares exceptiones, consequens est, quod confirmet regulam quoad omnia delicta non ex- 4
cepta, iuxta illud: *Exceptio firmat regulam in contrarium quoad casus non exceptos, ex l. nam quod liquidè, §. fin. de procurat. legit. & ex l. quæsitum, §. denique, ff. de fund. instruct. & ex cap. domus, 32. quæst.7.* & tradit Bartol. *in dict. leg. quæsitum*, Roman. *singular. 337. num.8.* Surdus *consil.430. num.7. lib.3.* Gratian. *discept. forens. cap.598.* Gratus *responſ. 155. num. 6. lib.2.* Giurba *consil.110. num.18.* & determinauit Rota Ro- 5
mana coram Ludouisio *decis.259. num.4.* Vnde recedere non possumus à regula generali posita *in dict. c. inter alia*, quia à regula generali recedendum non est, vbi exceptio non ponitur, vt patet *ex l. præuaricationis, ff. de præuaricat.* & docuit Rota Romana penes Farinacium, *part.4. decis.688. num.3.* & Caputaquensis *part.2. decis.367. num.2. & 3.* & ideò rectè dixit Bartol. *in l. in fraudem, §. bonorum, ff. de testament. militari*, & Monaldus *consil.96. num.3. vol.2.* quod exceptio, quæ à lege non fit, neque ab homine fieri debeat. Cum igitur ius commune constituat regulam generalem (scilicet, quod rei pro quibuscumque delictis, quantumvis grauibus, gaudere debeant immunitate Ecclesiæ) & postea excipiat quosdam casus, sequitur necessariò, 6
quod in casibus non exceptis regulæ generali standum sit, quia qui habet regulam pro se, fundatam habet suam intentionem in casibus non exceptis, ex glos. *in c.1. de regul. iuris in 6. circa fin.* & ex gl. *in l. omnis definitio, ff. eodem.*

Secundò probatur, quia in Constitutione Gregorij XIV. (in qua omnia ad vnam formam rediguntur) expressè excipiuntur casus in præcedentibus recensiti, & nullus alius præter illos excipitur: ergo nullus alius præter illos manet ab immunitate excluſus. Consequentia probatur, quia exceptio firmat contrarium in casibus non exceptis, seu non expressis, *l. nam quod liquidè, §. fin. ff. de penu legata, & c. domus, 32. q.7.*

Addè, quod excipiens Pontifex prædictos casus, apponit particulam taxatiuam *tantum*, quæ de sui natura impedit extensionem in non exceptis, seu non expressis, *l. si cum exceptione, §. quod si homo, ff. quod metus causa, l. properandum, §.1. Cod. de iudiciis, & §.1. in fin. Instit. de stipulat. seruor.* Et quando adiecta est ra- 7
tioni affirmatiuæ, vt in dicta Constitutione, affirmat illud, quod ponit, & negat, ac excludit omne aliud, quod est extra modum, & formam eius quod ponitur, *ex l. Iulianus, & l. non tantùm, ff. de petit. hæredit.* & ex *l. qui aliena, §. libertos, ff. de negot. gest.* & obseruant Surdus *decis.192. num.10.* Viuius *decis.380. num.11. lib.2.* Franchus *decis.123. num.4.* & Seraphinus *decis.257. num.2.* Vide etiam Decium *lib.1. consil.54. num.1.* Suar. *de legib. lib.8. cap.19. num.6.* & *de relig. lib.3. cap.11. num.5.* Ambrosinum *de immunit. cap.1. num.14.* Farinacium *consil.76. num.13.* & *in append. cap.25. num.353.* Peregrinum *cap.6. num.24.* & Dian. *part.4. tract.1. resol.45.* Et quod dixi eo magis verum est, quia Gregor. XIV. in fine hæc 8
verba subdit: *Quæ omnia, & singula, ac illorum tenores pro expressis habentes, quatenus præmissis in aliquo aduersentur, aut plures, quam sapius expressos casus contineant, authoritate, & tenore præmissis omnino tollimus, & abrogamus, & ad terminos præsentis Constitutionis quoad superius restricta dumtaxat reducimus. Et nolumus quidquam de cætero suffragari, ex qualibet alia dicta sedis indulgentia generali, vel speciali, per quæ præsentibus non expressa, vel ad verbum non inserta, effectus earum quomodolibet valeat impediri.*

Adde secundò, quod talis exceptio fit per modum formæ (vti constat exillis verbis: *Ad vnam tantùm formam reducimus.*) At quod formæ nihil addi, vel mi- 9
nui possit, sed seruari illa debeat ad vnguem, certum est *ex l.1.§. opus nouum, ff. de nou. oper. nunciat.* & docent Baldus *in l. quoties, C. de suis, & legitim.* Roland. *consil.30. n.3. & consil.72. n.60. & 68. lib.3.* & Paris. *consil.19. n.188. l.b.2.*

Adde tertiò, quod in dicta Constitutione apponitur clausula, *sublata eis, & eorum cuilibet*, &c. quæ clau- 10
sula resecat, & tollit omnem prorsus interpretationem, & extensionem ad casus non expressos, vt notat Decius *consil.61. num.2. lib.1.* Puteus *decis.50. num.5. lib.1.* Aymon. *consil.201. num.43.* Farinac. *consil.76. n.14. & in appendice de immunit. Eccles. c.22. n.353.* Gutierrez *lib.3. pract. cap.4. n.12. & 13.* Leo *in thesauro fori Eccles. c.13. num.23.* Suar. *de relig. lib.3. cap.11. num.5.* Germonius *de sacror. immunit. lib.13. cap.13. num.56.* Ambrosinus *cap.1. ad fin.* & Peregrin. *de immunit. cap.16. num.44.* contra Decianum *lib.6. cap.28. num.20.* & alios.

Adde quartò, quod S. Congregatio immunitatis 10. Martij 1631. apud Barbosam *in Collectan. Bullar. verb. immunitas*, declarauit, quod immunitate Ecclesiæ gaudeat, qui furatur in Ecclesia. Et S. Congregatio Episcoporum 16. Nouembris 1618. apud eundem Barbosam *de iure Eccles. lib.1. cap.3.* declarauit, quod immunitate Ecclesiæ etiam gaudeat, qui infert sfrigia in faciem alicuius in Ecclesia.

Atque ita (quamvis contrarium dicant Gambacurta, Portellius, Cutellius, & Sarpus *in locis supra citatis*, 11
& Decianus, ac Layman in locis *infra* citandis) præter octodecim Doctores (quos citat, & sequitur Diana *par. 1. tract.1. resol.1.*) docent etiam Sanchez *in opusc. tom.2. lib.6. c.1. dub.10. n.2.* Elisæus Danza *in pugna Doctorum tom.2. tit. de immunit. Eccles. c.7. n.15.* Gutierrez *in pract. qq. lib.3. quæst.1. num.3. & quæst.4. num.12.* Germonius *de sacror. immunit. lib.3. c.16. n.53.* Azeuedus *lib.1. tit.2. leg.3. n.18.* Marcellus Vulpe *in prax. fori Eccl. c.3. n.3.* Maranta *in controu. iur. part.2. responſ.36. n.29.* Ambrosinus *de immunit. c.1. n.5. & 6.* Farinac. *in append. de immunit. cap.22. n.355.* Castrus Palaus *tom.2. tract.11. disp. vnic. punct.10. num.6.* Chartarius *decis. criminal. 46. num. 3. & 4.*

Lezana *verb. Immunitas Ecclesiarum*, *num.*11. Sperellus *decis.* 22. *num.* 8. Peregrin. *de immunitat. cap.*6. *num.*23. *&* 44. Locatellius *in Breuiar. de tortura*, *inspect.*5. *num.*159. Antonius de Marinis *in quotidian. resol. cap.*170. *num.*10. Ciarlinius *in controuers. forens. cap.*4. *num.*34. Bonacina *tom.*2.*disput.*3. *quæst.*7.*punct.*3. *num.*1. & Nouarius *in Summa Bullar. tit. de immunitat. Eccles. num.*3. *&* 55. Quod præsertim verum est ex vi Constitutionis Gregorij XIV. quæ vt dicebamus, corrigit ius commune, & prouinciale, Doctorum interpretationes, & à paritate rationis ampliationes, consuetudines, & priuilegia in contrarium, & omnia ad vnam formam redigit. Vide *suprà dubit.*7.*&* 8.

## SECTIO II.

### Difficultas prima, eiusque solutio?

#### SVMMARIVM.

1 *Immunitas ex authent. de mandat. Princip. concedenda non est Homicidis, Adulteris, & Virginum Raptoribus.*

2 *Authentica prædicta Iure canonico correcta est.*

3 *Si liber quantumcunque grauia maleficia perpetrauerit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus: & paulò post, nisi publicus latro fuerit, vel depopulator agrorum.*

4 *Virginum Raptores in sententia Clari priuantur immunitate, quia tale crimen est enorme. Sed ratio non conuincit.*

5 *In materia immunitatis potius standum est Iuri Canonico, quàm Iuri Ciuili.*

6 *Virginum Raptores, si consuetudine legitimè introducta id seruetur, nec gaudent immunitate, in aliquibus locis.*

7 *Consuetudine introductum est aliquibus in locis, quod fures etiam simplices ad Ecclesiam confugientes à sæculari Iudice extrahi inde possint, cum hoc crimen propter eius frequentiam Reipublicæ perniciosum sit.*

1 OBiicies primò, in Authent. de mandatis Principum, *cap.*11. expressè habetur, quod nec homicidis, neque adulteris, neque virginum raptoribus, &c. immunitas concedenda sit: ergo.

2 Respondetur, concedo antecedens: at nego consequentiam, quia talis Authentica iure Canonico correcta est, vti constat *cap. de raptoribus*, 36.*quæst.*1. 3 *&* ex *cit. cap. inter alia*, *de immunitate Ecclesiæ*, vbi dicitur: *Si liber quantumcumque grauia maleficia perpe-*4 *trauerit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus.* Et paulò post: *Et hoc verum est, nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, &c.* quæ exceptio firmat regulam in contrarium, vti *suprà* dicebamus, & docent Abbas *cit. cap. inter*, *num.*14. Angel. *verb. Immunitas*, §.17. Sylu.3. *quæst.*2. Suarez *cit. cap.*11.*num.*11. Ioan. Faber *Institut. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris*, §. *sed & hoc tempore* (vbi dicit esse communem) & 5 Clarum §. *fin. quæst.*3. *num.*10. quamvis de Virginum raptoribus contrarium sentiat ibid. *num.*8. ex eo, quod tale crimen enorme sit: quæ ratio non conuincit, quia apertè obstat iuris Canonici Constitutio *in cit. cap. inter alia*, cui in hac materia potius standum est, quàm iuri Ciuili, sicuti *suprà dubit.*5. ex communi dicebamus, & fatetur etiam ipse Couar. *num.*3. Quapropter 6 id defendi non potest, nisi forsan consuetudine alicubi scientibus, & tacitè consentientibus Ecclesiæ Prælatis, introductum sit, sicuti consuetudine introductum est (ait idem Couar. *num.*13. *in fin.* & Martha *de iurisdict. part.*2. *cap.*51. *num.*13.) quod fures, etiam simplices, ad Ecclesiam confugientes, à sæculari Iudice extrahi inde possint, cùm hoc crimen propter eius frequentiam, Reipublicæ valdè perniciosum existat, quamvis fateantur, quod in Gallia gaudeant immunitate, sicuti & gaudent in regno Neapolis, & aliis multis locis. Vide quæ dicentur *infrà sect.*5. *& seqq.* & quæ dicebantur *suprà dub.*25.

## SECTIO III.

### Difficultas secunda, eiusque solutio.

#### SVMMARIVM.

1 *Videntur nonnullæ criminales ex identitate rationis gaudere non debere immunitate, vt raptus, adulteriy, sodomiæ, incendij, sacrilegij, & similium tendentium in præiudicium Reipublicæ.*

2 *Lex pœnalis extendi potest ad alios similes casus, præsertim quando in dispositione legis ratio scripta est, quia tunc non dicitur extendi, sed comprehendi sub expresso.*

3 *Ne immunitas in Dei iniuriam cedat dicendum est, quod in supradictis causis criminalibus ex identitate, vel maioritate rationis locum non habeant.*

4 *Quod Lex pœnalis extendi possit ad casus similes & maiores ex identitate, vel maioritate rationis, non procedit quando agitur de præiudicio causæ fauorabilis.*

5 *Item si liceret extensio vltra casus exceptos, nihil stabile, & firmum constitueretur.*

6 *Confessarius solicitans in confessione Puerum ante Bullam Gregorij XV. non erat denunciandus, quia præcedentes aliorum Pontificum Bullæ erant contra solicitantem fœminas.*

7 *Clericus abutens fœmina, vel committens bestialitatem non incurrit pœnas Bullæ Pij V. latæ contra Clericos sodomiam exercentes, cum talis actus non sit propriè sodomiticus.*

8 *Clericus sodomiam patiens probabiliter non incurrit dictas pœnas latas à Pio V. quia non est propriè sodomita, sed mollis.*

9 *Molles dupliciter dicuntur, vel quia patientes sunt cum aliis, vel quia peragunt in se pollutionem voluntariam.*

10 *Grauius est peccatum Agentis quàm Patientis, & in foro exteriori maior pœna imponitur agenti, quam patienti.*

11 *Reseruatio casus sodomiæ in sententia Graff. extenditur tantùm ad agentem, & non ad patientem.*

12 *In relatiuis quidquid disponitur de vno, dispositum censetur de altero.*

13 *Fœmina sæcularis nubens Religioso professo non incurrit excommunicationem latam contra Moniales professas nubentes cuicumque, & contra docentes illas in vxores, & contra professos matrimonium ineuntes.*

14 *Cogens mares Religionem ingredi non incurrit excommunicationem Tridentini contra cogentem fœminas monasteria ingredi.*

15 *Religiosus ministrans Baptismum, & pœnitentiam sine licentia Parochi non incurrit pœnas Clementinæ primæ de priuilegiis.*

16 *Pœna Religiosi fraudantis decimas Ecclesiæ non extenditur ad Clericum sæcularem.*

17 *Excommunicatio contra ingredientem Monasteria monialium prætextu licentiarum non extenditur ad ingredientem sine prætextu illarum.*

18 *Pœna*

grauia delicta committentibus (exceptis quibusdam ibi) ergo omnes alij rei propter quæcumque alia grauia delicta ex vi talis textus, & sic ex vi iuris communis etiam non excipiuntur, sed manent comprehensi. Quapropter Panormit. ibi, *num.17.* & Antonius Gomez *tom.3.var.cap.20.num.2.* dicunt, quod decisio illius capitis non sit extendenda ad alios casus; & Bossius *tit.de captura, num.32.* dicit, concluſum esse in Senatu, quod nec etiam pro crimine læsæ Maiestatis possit reus extrahi; & sic ob quantumvis crimen graue, vltra ibi excepta, non sit extrahendus. Et Montaldus *part.1.tit.21. lib.4.* dicit, quod in nullis aliis casibus, vltra ibi exceptos, reus debeat extrahi; quia immunitas, & fauor Ecclesiæ debet amplè intelligi; & Marianus Zozymus *in tract. de citationibus, art.17.num.36.* dicit, quod secundum Doctores casus ibi excepti non extendantur ad similes. Et tandem Faber §. *fin. Instit. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris, num.2.* dicit, quod de iure Canonico omnes gaudeant immunitate Ecclesiæ, exceptis casibus *in dicto cap. inter alia*, positis: idemque docent Gutierrez *in pract. qq. lib.3. quæst.4. num.12. & 13* Farinac. *in append. de immunit. cap.22. n.353.* Castrus Palaus *tom.2.tract.11.d sp. vnic.punct.10. num.4.* Chartarius *decis.crimin.9. num.14. & 15.* & alij mox *infra* citandi, contra Gambacurtam *lib.5. cap.18.* Portellium *in dubia Regular. verb. Ecclesiæ immunitas, num.15.* Cutellium *in leg. Martini Regis, cap.17.num.5. & de immunit. Eccles. quæst.2. & 21. lib.1.* Sarpum *de iure Asylorum, cap.5. fol.55.* & quosdam alios. Et ratio est, quia dictum *cap. inter alia*, prius dicit, quantuncunque grauia delicta perpetrauerint, & postea in particulari subdit quasdam exceptiones, scilicet, nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, &c. ergo non possumus ad alia delicta æquè grauia illas exceptiones extendere, quia sic non esset exceptio, sed regulæ destructio: cùm ergo ius commune constituat vniuersalem regulam, & postea subdat quasdam particulares exceptiones, consequens est, quod confirmet regulam quoad omnia delicta non ex- 4
cepta, iuxta illud: *Exceptio firmat regulam in contrarium quoad casus non exceptos, ex l. nam quod liquidè, §. fin. de procurat. legit. & ex l. quæsitum, §. denique, ff. de fund. instruct. & ex cap. domus, 32. quæst.7.* & tradit Bartol. *in dict. leg. quæsitum*, Roman. *singular. 337. num.8.* Surdus *consil.430. num.7. lib.3.* Gratian. *discept. forens. cap.598.* Gratus *responſ. 155. num. 6. lib.2.* Giurba *consil.110. num.18.* & determinauit Rota Ro- 5
mana coram Ludouisio *decis.259. num.4.* Vnde recedere non possumus à regula generali posita *in dict. c. inter alia*, quia à regula generali recedendum non est, vbi exceptio non ponitur, vt patet *ex l. præuaricationis, ff. de præuaricat.* & docuit Rota Romana penes Farinacium, *part.4. decis.688. num.3.* & Caputaquensis *part.2. decis.367. num.2. & 3.* & ideò rectè dixit Bartol. *in l. in fraudem, §. bonorum, ff. de testament. militari*, & Monaldus *consil.96. num.3. vol.2.* quod exceptio, quæ à lege non fit, neque ab homine fieri debeat. Cum igitur ius commune constituat regulam generalem (scilicet, quod rei pro quibuscumque delictis, quantumvis grauibus, gaudere debeant immunitate Ecclesiæ) & postea excipiat quosdam casus, sequitur necessariò, 6
quod in casibus non exceptis regulæ generali standum sit, quia qui habet regulam pro se, fundatam habet suam intentionem in casibus non exceptis, ex glos. *in c.1. de regul. iuris in 6. circa fin.* & ex gl. *in l. omnis definitio, ff. eodem.*

Secundò probatur, quia in Constitutione Gregorij XIV. (in qua omnia ad vnam formam rediguntur) expressè excipiuntur casus in præcedentibus recensiti, & nullus alius præter illos excipitur: ergo nullus alius præter illos manet ab immunitate excluſus. Consequentia probatur, quia exceptio firmat contrarium in casibus non exceptis, seu non expressis, *l. nam quod liquidè, §. fin. ff. de penu legata, & c. domus, 32. q.7.*

Addè, quod excipiens Pontifex prædictos casus, apponit particulam taxatiuam *tantum*, quæ de sui natura impedit extensionem in non exceptis, seu non expressis, *l. si cum exceptione, §. quod si homo, ff. quod metus causa, l. properandum, §.1. Cod. de iudiciis, & §.1. in fin. Instit. de stipulat. seruor.* Et quando adiecta est ra- 7
tioni affirmatiuæ, vt in dicta Constitutione, affirmat illud, quod ponit, & negat, ac excludit omne aliud, quod est extra modum, & formam eius quod ponitur, *ex l. Iulianus, & l. non tantùm, ff. de petit. hæredit.* & ex *l. qui aliena, §. libertos, ff. de negot. gest.* & obseruant Surdus *decis.192. num.10.* Viuius *decis.380. num.11. lib.2.* Franchus *decis.123. num.4.* & Seraphinus *decis.257. num.2.* Vide etiam Decium *lib.1. consil.54. num.1.* Suar. *de legib. lib.8. cap.19. num.6.* & *de relig. lib.3. cap.11. num.5.* Ambrosinum *de immunit. cap.1. num.14.* Farinacium *consil.76. num.13.* & *in append. cap.25. num.353.* Peregrinum *cap.6. num.24.* & Dian. *part.4. tract.1. resol.45.* Et quod dixi eo magis verum est, quia Gregor. XIV. in fine hæc 8
verba subdit: *Quæ omnia, & singula, ac illorum tenores pro expressis habentes, quatenus præmissis in aliquo aduersentur, aut plures, quam sapius expressos casus contineant, authoritate, & tenore præmissis omnino tollimus, & abrogamus, & ad terminos præsentis Constitutionis quoad superius restricta dumtaxat reducimus. Et nolumus quidquam de cætero suffragari, ex qualibet alia dicta sedis indulgentia generali, vel speciali, per quæ præsentibus non expressa, vel ad verbum non inserta, effectus earum quomodolibet valeat impediri.*

Adde secundò, quod talis exceptio fit per modum formæ (vti constat exillis verbis: *Ad vnam tantùm formam reducimus.*) At quod formæ nihil addi, vel mi- 9
nui possit, sed seruari illa debeat ad vnguem, certum est *ex l.1.§. opus nouum, ff. de nou. oper. nunciat.* & docent Baldus *in l. quoties, C. de suis, & legitim.* Roland. *consil.30. n.3. & consil.72. n.60. & 68. lib.3.* & Paris. *consil.19. n.188. l.b.2.*

Adde tertiò, quod in dicta Constitutione apponitur clausula, *sublata eis, & eorum cuilibet*, &c. quæ clau- 10
sula resecat, & tollit omnem prorsus interpretationem, & extensionem ad casus non expressos, vt notat Decius *consil.61. num.2. lib.1.* Puteus *decis.50. num.5. lib.1.* Aymon. *consil.201. num.43.* Farinac. *consil.76. n.14. & in appendice de immunit. Eccles. c.22. n.353.* Gutierrez *lib.3. pract. cap.4. n.12. & 13.* Leo *in thesauro fori Eccles. c.13. num.23.* Suar. *de relig. lib.3. cap.11. num.5.* Germonius *de sacror. immunit. lib.13. cap.13. num.56.* Ambrosinus *cap.1. ad fin.* & Peregrin. *de immunit. cap.16. num.44.* contra Decianum *lib.6. cap.28. num.20.* & alios.

Adde quartò, quod S. Congregatio immunitatis 10. Martij 1631. apud Barbosam *in Collectan. Bullar. verb. immunitas*, declarauit, quod immunitate Ecclesiæ gaudeat, qui furatur in Ecclesia. Et S. Congregatio Episcoporum 16. Nouembris 1618. apud eundem Barbosam *de iure Eccles. lib.1. cap.3.* declarauit, quod immunitate Ecclesiæ etiam gaudeat, qui infert sfrigia in faciem alicuius in Ecclesia.

Atque ita (quamvis contrarium dicant Gambacurta, Portellius, Cutellius, & Sarpus *in locis supra citatis*, 11
& Decianus, ac Layman in locis *infra* citandis) præter octodecim Doctores (quos citat, & sequitur Diana *par. 1. tract.1. resol.1.*) docent etiam Sanchez *in opusc. tom.2. lib.6. c.1. dub.10. n.2.* Elisæus Danza *in pugna Doctorum tom.2. tit. de immunit. Eccles. c.7. n.15.* Gutierrez *in pract. qq. lib.3. quæst.1. num.3. & quæst.4. num.12.* Germonius *de sacror. immunit. lib.3. c.16. n.53.* Azeuedus *lib.1. tit.2. leg.3. n.18.* Marcellus Vulpe *in prax. fori Eccl. c.3. n.3.* Maranta *in controu. iur. part.2. responſ.36. n.29.* Ambrosinus *de immunit. c.1. n.5. & 6.* Farinac. *in append. de immunit. cap.22. n.355.* Castrus Palaus *tom.2. tract.11. disp. vnic. punct.10. num.6.* Chartarius *decis. criminal. 46. num. 3. & 4.*

Lezana *verb. Immunitas Ecclesiarum*, *num.*11. Sperellus *decis.* 22. *num.* 8. Peregrin. *de immunitat. cap.*6. *num.*23. *&* 44. Locatellius *in Breuiar. de tortura*, *inspect.*5. *num.*159. Antonius de Marinis *in quotidian. resol. cap.*170. *num.*10. Ciarlinius *in controuers. forens. cap.*4. *num.*34. Bonacina *tom.*2.*disput.*3. *quæst.*7.*punct.*3. *num.*1. & Nouarius *in Summa Bullar. tit. de immunitat. Eccles. num.*3. *&* 55. Quod præsertim verum est ex vi Constitutionis Gregorij XIV. quæ vt dicebamus, corrigit ius commune, & prouinciale, Doctorum interpretationes, & à paritate rationis ampliationes, consuetudines, & priuilegia in contrarium, & omnia ad vnam formam redigit. Vide *suprà dubit.*7.*&* 8.

## SECTIO II.

### Difficultas prima, eiusque solutio?

#### SVMMARIVM.

1 *Immunitas ex authent. de mandat. Princip. concedenda non est Homicidis, Adulteris, & Virginum Raptoribus.*

2 *Authentica prædicta Iure canonico correcta est.*

3 *Si liber quantumcunque grauia maleficia perpetrauerit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus: & paulò post, nisi publicus latro fuerit, vel depopulator agrorum.*

4 *Virginum Raptores in sententia Clari priuantur immunitate, quia tale crimen est enorme. Sed ratio non conuincit.*

5 *In materia immunitatis potius standum est Iuri Canonico, quàm Iuri Ciuili.*

6 *Virginum Raptores, si consuetudine legitimè introducta id seruetur, nec gaudent immunitate, in aliquibus locis.*

7 *Consuetudine introductum est aliquibus in locis, quod fures etiam simplices ad Ecclesiam confugientes à sæculari Iudice extrahi inde possint, cum hoc crimen propter eius frequentiam Reipublicæ perniciosum sit.*

1 OBiicies primò, in Authent. de mandatis Principum, *cap.*11. expressè habetur, quod nec homicidis, neque adulteris, neque virginum raptoribus, &c. immunitas concedenda sit: ergo.

2 Respondetur, concedo antecedens: at nego consequentiam, quia talis Authentica iure Canonico correcta est, vti constat *cap. de raptoribus*, 36.*quæst.*1. 3 *&* ex *cit. cap. inter alia*, *de immunitate Ecclesiæ*, vbi dicitur: *Si liber quantumcumque grauia maleficia perpe-*4 *trauerit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus.* Et paulò post: *Et hoc verum est, nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, &c.* quæ exceptio firmat regulam in contrarium, vti *suprà* dicebamus, & docent Abbas *cit. cap. inter*, *num.*14. Angel. *verb. Immunitas*, §.17. Sylu.3. *quæst.*2. Suarez *cit. cap.*11.*num.*11. Ioan. Faber *Institut. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris*, §. *sed & hoc tempore* (vbi dicit esse communem) & 5 Clarum §. *fin. quæst.*3. *num.*10. quamvis de Virginum raptoribus contrarium sentiat ibid. *num.*8. ex eo, quod tale crimen enorme sit: quæ ratio non conuincit, quia apertè obstat iuris Canonici Constitutio *in cit. cap. inter alia*, cui in hac materia potius standum est, quàm iuri Ciuili, sicuti *suprà dubit.*5. ex communi dicebamus, & fatetur etiam ipse Couar. *num.*3. Quapropter 6 id defendi non potest, nisi forsan consuetudine alicubi scientibus, & tacitè consentientibus Ecclesiæ Prælatis, introductum sit, sicuti consuetudine introductum est (ait idem Couar. *num.*13. *in fin.* & Martha *de iurisdict. part.*2. *cap.*51. *num.*13.) quod fures, etiam simplices, ad Ecclesiam confugientes, à sæculari Iudice extrahi inde possint, cùm hoc crimen propter eius frequentiam, Reipublicæ valdè perniciosum existat, quamvis fateantur, quod in Gallia gaudeant immunitate, sicuti & gaudent in regno Neapolis, & aliis multis locis. Vide quæ dicentur *infrà sect.*5. *& seqq.* & quæ dicebantur *suprà dub.*25.

## SECTIO III.

### Difficultas secunda, eiusque solutio.

#### SVMMARIVM.

1 *Videntur nonnullæ criminales ex identitate rationis gaudere non debere immunitate, vt raptus, adulteriy, sodomiæ, incendij, sacrilegij, & similium tendentium in præiudicium Reipublicæ.*

2 *Lex pœnalis extendi potest ad alios similes casus, præsertim quando in dispositione legis ratio scripta est, quia tunc non dicitur extendi, sed comprehendi sub expresso.*

3 *Ne immunitas in Dei iniuriam cedat dicendum est, quod in supradictis causis criminalibus ex identitate, vel maioritate rationis locum non habeant.*

4 *Quod Lex pœnalis extendi possit ad casus similes & maiores ex identitate, vel maioritate rationis, non procedit quando agitur de præiudicio causæ fauorabilis.*

5 *Item si liceret extensio vltra casus exceptos, nihil stabile, & firmum constitueretur.*

6 *Confessarius solicitans in confessione Puerum ante Bullam Gregorij XV. non erat denunciandus, quia præcedentes aliorum Pontificum Bullæ erant contra solicitantem fœminas.*

7 *Clericus abutens fœmina, vel committens bestialitatem non incurrit pœnas Bullæ Pij V. latæ contra Clericos sodomiam exercentes, cum talis actus non sit propriè sodomiticus.*

8 *Clericus sodomiam patiens probabiliter non incurrit dictas pœnas latas à Pio V. quia non est propriè sodomita, sed mollis.*

9 *Molles dupliciter dicuntur, vel quia patientes sunt cum aliis, vel quia peragunt in se pollutionem voluntariam.*

10 *Grauius est peccatum Agentis quàm Patientis, & in foro exteriori maior pœna imponitur agenti, quam patienti.*

11 *Reseruatio casus sodomiæ in sententia Graff. extenditur tantùm ad agentem, & non ad patientem.*

12 *In relatiuis quidquid disponitur de vno, dispositum censetur de altero.*

13 *Fœmina sæcularis nubens Religioso professo non incurrit excommunicationem latam contra Moniales professas nubentes cuicumque, & contra docentes illas in vxores, & contra professos matrimonium ineuntes.*

14 *Cogens mares Religionem ingredi non incurrit excommunicationem Tridentini contra cogentem fœminas monasteria ingredi.*

15 *Religiosus ministrans Baptismum, & pœnitentiam sine licentia Parochi non incurrit pœnas Clementinæ primæ de priuilegiis.*

16 *Pœna Religiosi fraudantis decimas Ecclesiæ non extenditur ad Clericum sæcularem.*

17 *Excommunicatio contra ingredientem Monasteria monialium prætextu licentiarum non extenditur ad ingredientem sine prætextu illarum.*

18 *Pœna*

18 *Pœna lata contra delegatum Papæ non extenditur contra delegatum Ordinarij.*

19 *Lex imponens pœnam priuationis vocis non extenditur ad priuationem vocis passiuæ, præsertim cum vox passiua non sit propriè vox.*

20 *Prohibitio conuiuendi, nutriendi Iudæos, eisque famulantium non extenditur ad idem exercentes cum Saracenis, & Paganis.*

21 *Pœna lata contra deferentem arma, & instrumenta bellica ad Hostes nominis Christiani, non extenditur ad deferentem illa ad Hæreticos.*

22 *Idem in casu, de quo agitur, non dari extensionem ex identitate vel maioritate rationis, docent multi Auctores.*

23 *Ecclesia nemini dat occasionem delinquendi concedendo immunitatem ex misericordia, sed delinquentes eam per se accipiunt.*

24 *S. Ioannes Chrysostomus defensor immunitatis contra Honorium, & Arcadium Imperatores, qui Europium ab Ecclesia extrahere volebant.*

1 OBiicies secundò excipi saltem, præter causas supradictas in præcedentibus dubitationibus, aliquas alias causas criminales, ex identitate, vel maioritate rationis, vt raptus, adulterij, sodomiæ, incendij, sacrilegij, & similium, quæ tendunt in præiudicium Reipublicæ: ergo, &c. Antecedens probatur, quia (vt probat Decian. *tract. crimin. lib. 6. c. 28. num. 20.*)
2 lex, etiam pœnalis, extendi potest ad alios similes casus, præsertim quando in dispositione legis ratio scripta est; quia tunc non dicitur lex pœnalis extendi, sed comprehendi, seu intelligi sub expresso, *l. nominis, & rei, ff. de verbor. significat.* Neque illa est extensio, sed intellectio legis, & declaratio illius, vti tradunt Baldus *in l. quamcis, circa princip. Cod. de fideicommiss.* Calderin. *consil. 1. tit. vt lite pendente*, & *consil. 1. tit. de Regularibus.* Oldrad. *consil. 185. in fin.* & complures alij, quos referam *infrà dubitat. 37. num. 3. & seqq.*

Confirmatur, quia alioquin daretur improbis occasio liberius viuendi, & grauia crimina perpetrandi: quapropter ne Ecclesiæ immunitas (quæ in
3 honorem Dei introducta est) in eius iniuriam cedat, dicendum est, quod in supradictis causis criminalibus ex identitate, vel maioritate rationis locum non habeant.

Respondetur, nego antecedens: & ad probationem eius respondeo, quod (quidquid dicendum sit in aliis casibus) in casu nostro non est facienda extensio ex identitate, vel maioritate rationis; quia *in cap. inter alia, de immunitate* dicitur, quod Reus non extrahatur ab Ecclesia, quantumcunque grauia delicta perpetrauerit, nisi in casibus ibi expressis. Vnde Abbas ibi, *num. 17.* ait, decisionem illius capitis extendendam non esse ad alios casus: quod etiam docent Gomez *tom. 3. variar. cap. 10. num. 2.* Bossius *tit. de capitura, num. 23.* & alij complures Doctores, vt *suprà* dicebam; tum quia extensio in casu nostro præiudicaret causæ fauorabili immunitatis Ecclesiasticæ.
4 At licet ex identitate, vel maioritate rationis Constitutio pœnalis extendi possit ad casus similes, vel maiores, id tamen (vt ex Alexandro, & Romano rectè docet Farinacius *in append. de immunitat. cap. vlt. num. 355.* & nos dicemus *infrà citat. dubitat. 37.*) non procedit, quando agitur de præiudicio causæ fauorabilis, provt est in casu nostro immunitas Ecclesiastica. Tum quia si vltra casus exceptos liceret alios ob
5 identitatem, vel maioritatem rationis excipere, per regulam assignatam *in cap. inter alia*, & in Constitutione Gregorij XIV. omnia reducentis ad vnicam formam, nihil firmum, & stabile constitueretur. Vide quæ dicebantur *suprà dubit. 7. & 8.*

Adde, quod (vt tradunt Gl. *in cap. in pœnis, de regul. iuris in 6. c. pœnæ, de pœnitent. dist. 1. & l. interpretationem, ff. de pœnis*, Ioan. Andreas *in reg. odia, de regulis iuris*, Caietan. 2. 2. *quæst. 7. art. 4. ad 2.* Ledesma *in 2. 2. quæst. 3. art. 4.* Suarez *disput. 4. sect. 7.* Larrea *decis. Granatens. tom. 2. decis. 78. num. 16. & decis. 95. num. 7.* Salas *de legib. tract. 14. disp. 21. sect. 13. num. 29. in fin.* Villagut. *in tract. de extensione legum*, Rubr. *de extens. legis pœnalis respectu meræ pœnæ, per totam*, Sanchez *de matrim. lib. 10. disp. 4. num. 3.* Henriquez *lib. 7. cap. 30. num. 4. & in gl. lit. C.* Castrus *de leg. lib. 6. cap. 3. num. 5. & cap. 4. num. 2.* Portell. *in addit. ad dubia Regul. verb. Lex, numero 13.* Ioan. Valerus *verb. Lex, differ. 5. num. 2.* Bonac. *de legib. disput. 1. quæst. 1. punct. 8. num. 23.* Cutellius *de immunit. Eccles. lib. 1. quæst. 41. num. 11.* Macerat. *resol. 34. num. 11. & 32. lib. 3.* Gironda *de priuileg. num. 563.* Barbosa *verb. Pœna, num. 7. & 9.* Gutierrez *can. qq. lib. 1. cap. 4. num. 30. & seqq.* & Diana *1. part. tract. 10. resol. 26.*) & clarè habetur ex Authent. *de non eligend. 2. nubentes*, §. *sin autem, ex l. factum cuique*, §. *in pœnalibus, ff. de regul. iuris*, & *ex cap. in pœnis, de regulis iuris in 6.* lex pœnalis, & eius pœnæ, vtpotè odiosæ, locum non habent, nisi in casibus expressis, ita vt non possit fieri extensio ex vno ad aliud, nec de casu ad casum, nec de persona ad personam, etiam ex identitate rationis. Vnde verbi gratia Confessarius solicitans in confessione puerum ante Bullam Gregorij XV. non erat denunciandus, quia præcedentes aliorum Pontificum Bullæ erant contra solicitantem fœminas. Diana *loco supra cit.* 6

Item clericus abutens fœmina, vel committens bestialitatem non incurrit pœnas Pij V. latas contra cle- 7
ricos sodomiam exercentes, præsertim cum talis actus non sit propriè actus sodomiæ. Bañez *2. 2. dist. 64. art. 4.* Garcia *de benefic. tom. 2. cap. 10. part. 2. §. 2. num. 205.* & Barbosa *in collectan. tom. 2. l. 5. tit. 31. cap. 4. num. 10.* Quas pœnas probabiliter neque incurrit etiam clericus sodomiam patiens, præsertim quia talis non est propriè sodomita, sed mollis, iuxta illud Pauli *1. ad Cor. 6. Neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores Regnum Dei possidebunt.* Sicuti Gl. *ibi*, S. Th. *1. 2. quæst. 138. art. 1. ad 1.* exponunt, & Caietan. *verb. Mollities, in fin.* vbi ait, quod molles dupliciter dicantur, vel quia patientes sunt cum aliis, vel quia peragunt in se pollutionem voluntariam, tum quia (vt notauit S. Antonin. *part. 3. tit. 17. cap. 17. §. 4.*) grauius est peccatum agentis, quàm patientis: quapropter in foro exteriori maior pœna imponitur agenti, quam patienti: & Graff. *in pract. cas. resol. lib. 1. cap. 11. num. 7. & 26.* docet, quod reseruatio casus sodomiæ extendatur tantum ad agentem, & non ad patientem. Quamvis contrarium ex communi sententia Doctorum (vt fatear) sentiant Riccius *in prax. tom. 3. resol. 57. num. 7.* Floronus *de casib. reserv. part. 2. cas. 7. §. 1. num. 6.* Coriolan. *part. 2. cas. 9. §. 1. n. 30.* Bonac. *de matrim. quæst. 4. punct. 11.* & Finellius *de casib. reserv. cas. 9.* ex eo, quod simus in relatiuis, in quibus quidquid disponitur in vno, dispositum censetur in altero.

Item fœmina sæcularis nubens Religioso professo non incurrit excommunicationem *in Clement. vnic. de consanguin. & affin.* latam contra moniales professas nubentes cuicumque, & contra ducentes illas in vxores, & contra professos matrimonium ineuntes. Caietan. *verb. Excommunicatio, cap. 74.* S. Antonin. *part. 3. tit. 24. cap. 34.* & Sanchez *de matrimon. lib. 7. disp. 48. num. 2.*

Item cogens mares Religionem ingredi, non incurrit excommunicationem. Tridentin. *sess. 25. de Regularibus, cap. 8. contra cogentem fœminas monasteria ingredi.* Sanchez *lib. 4. moral. cap. 4. num. 3.* cum Bañez, & Suarez.

Item Religiosus ministrans Baptismum, & pœni-

tentiam sine licentia Parochi , non incurrit pœnas *Clement.1. de priuilegiis* , latas contra Religiosum ministrantem Matrimonium , Eucharistiam , vel Extremam-Vnctionem, Gl. & Abb. *in cit. Clement.*1.& Tolos. *decis.*121.

Item Constitutio, qua punitur Religiosus fraudans decimas Ecclesiæ,non extenditur ad clericum sæcularem idem facientem.Gl. *in Clem.*1. *de decimis.*

Item Excommunicatio Gregorij XIII.contra ingredientem Monasteria Monialium prætextu licentiarum, non extenditur ad ingredientem[sine prætextu illarum. Suarez *de cens.disp.*22.*sect.*9.*num.*11.

18 Item pœna *in cap.statutum,*§.*insuper, de rescriptis,* lata contra Delegatum Papæ, non extenditur ad Delegatum Ordinarij.Gl.*in cit.cap.vers. Moderatas,in fin.*

19 Item lex imponens pœnam priuationis vocis , non extenditur ad priuationem vocis passiuæ ; præsertim cùm vox passiua non sit propriè vox. Garc. *de benefic. part.*3.*cap.*4.*num.*15.& Castr. Palaus,*tomo* 2. *tractat.*13. *disp.*6.*punct.*6.*num.*15. quamvis contrarium probabiliter sentiant Less.*lib.*2.*c.*34.*dubit.*29.*num.*105.

20 Item *cap. ad hæc, de Iudæis,* in quo prohibetur Christianis famulari,conuiuari,nutrire Iudæos,&c.non extenditur,si id exerceant cum Saracenis,& Paganis,præsertim cùm Iudæi sint acerbiores in Christum ; & leges,quando volunt Saracenos,& Paganos amplecti, id exprimant. Hurtad.*in* 2.2. *disp.*76.*sect.*3. *num.*81. cum Sanchez. Quamvis contrarium sentiat Suarez *de fide, disp.*18.*sect.*6.*num.*10.

21 Item pœna lata contra deferentem arma , & instrumenta bellica ad hostes nominis Christiani , non extenditur ad deferentem illa ad hæreticos ; præsertim cùm hi non odio habeant , sed glorientur nomine Christi.Mendoza *in* 2.2.*disp.*76.*sect.*3.§.83. Quamvis contrarium sentiat Lorca *in* 2.2.*disp.*84.*sect.*7.§.125.& sic de aliis, &c.

22 Quapropter in præsenti casu nostro,quod non detur extensio ex identitate, vel maioritate rationis , docent Gutier.*pract.qq.lib.*3.*cap.*4.*num.*12.& 17. Franc. Leo *in Thesaur.fori Ecclesiast.cap.*13. *rubr. de immunit. Eccles. num.*27.& *seqq.* Anastas.Germon.*de sacror.immunit.lib.*3. *cap.*13.*num.*56.Ambrosin.*de immunit. Eccles.cap.*1.*n.*13. & *seqq.*Farinac.*in append.de immunitat.cap.vlt.num.*353. Genuens.*in prax.c.*22.*n.*8.Suarez *lib...cap.*11.*n.*15.& 17. & alij Doctores innumeri supra citati contra Decianum *loco suprà cit.*Sarpum *de iure Asylorum, c.*5.*fol.*51. Cutellium *in leg.Martini Regis, cap.*17.*num.*5.& *de immunit. Eccles. lib.*1. *quæst.*2. & 21.& 32.Layman *lib.*4. *tract.*9.*cap.*9.*num.*2. & *seqq.* & alios infrà citandos.

23 Ad confirmationem respondetur ex dictis , quod id sit totum per accidens, & non sit occasio data, sed accepta. Quod inde etiam probatur , quia alioquin in nullo delicto locum habere deberet immunitas Ecclesiarum, quod dicendum non est , præsertim,quia apud Gentes ( vti testatur Tacitus lib.3. Annalium ) capitalium criminum Rei in Asylo tuti erant. Et ad statuam Beli(vt notat S.Antoninus *lib.*1.*histor.titul.*1. *c.*3. §.7. ) Rei quorumcunque criminum impunitatem inueniebant. Vide Gutierrez *pract.qq.lib.*3.*quæst.*3.*num.*9. vbi satis ad rem adducit auctoritatem S. Chrysostomi defendentis Eutropium sæuissimum tyrannum, depræ-
24 datorem,& Christianorum persecutorem , qui ob manifestas eius rapinas ab Honorio, & Arcadio Imperatoribus ad mortem damnatus , ad Ecclesiam confugerat , & ne ab Ecclesia extraheretur , acriter contendit. Vide etiam quæ dicebantur *suprà dubitat.*9. *sect.*15. 16. & 17.

## SECTIO IV.

### Difficultas tertia , eiusque solutio?

### SVMMARIVM.

1 *Nauarrus qui scripsit Romæ solùm pro delictis leuioribus Reos gaudere immunitate arguitur , & excusatur simul a Farinacio.*

2 *Stylus,qui seruatur in Vrbe circa immunitatem, dato, quod solùm leuibus delictis Rei ea non priuentur,non potest amplecti à Principibus laicis,& cur.*

OBiicies tertiò cum Sarpo,in Vrbe solùm pro delictis leuioribus Reos gaudere immunitate Ecclesiæ,sicuti testantur Nauarrus,& Farinacius : ergo. 1

Respondetur , nego antecedens , quapropter Farinacius *in append. de immunitat. cap.*2. *num.*17.vbi se retractat,& sic inuehitur contra Nauarrum : *Et in Vrbe, quod Ecclesiastica immunitas non habeat locum aduersus Iudices seculares Pontificis , testatus fuit Nauarrus in Man. cap.*25. *num.*16. *Quod idem testatus fui & ego in quæst.*26. *num.*24. *quam testificationem typis mandaui , fidem Nauarri secutus , & longè prius , quam Officialis in Vrbe fuissem , sed postquam Locumtenentis criminalis Sanctissimi D. N. & successiuè Procuratoris Fiscalis generalis officiis functus fui , hanc corruptelam in Vrbe non vigere comperi ; quia Reos ad Ecclesiam propter grauia delicta confugientes , officiales non extrahunt , nisi de licentia Pontificis : & ita ego sæpius expertus sum , & practicaui. Nec mirum est , quod Nauarrus in hoc hallucinatus fuerit , quia huiusmodi licentiæ per Summum Pontificem oretenus Officialibus concedantur.* Sic ille.

Vnde corruit , quod ibidem subdit Sarpus , scilicet quod sicut ratione boni regiminis Pontifex in Vrbe non obseruat iura circa immunitatem Ecclesiarum, sic etiam concedere Principibus laicis dicendus sit.

Adde,quod,dato,& non concesso, quod Pontifex in Vrbe dictam immunitatem obseruet solùm quoad de- 2
licta leuiora, & non quoad alia,non tamen hinc sequitur,quod idem efficere possint Princeps laici, quia speciali ratione id Pontifex potest , propter præsentiam ipsius,qui legem tulit,qui propterea secundùm contingentiam, & diuersitatem casuum potest oretenus prouidere,& sic concedere, vel non concedere immunitatem,iuxta *leg.præsenti,C.de his,qui ad Eccles.confug.*vbi Imperator,facta generali prohibitione,quod nullus ex Ecclesia extrahi possit, declarat , hanc prohibitionem (quamvis defectu iurisdictionis nulla fuerit,) vbique seruandam , præterquam Constantinopoli , vbi ipse regebat.

## SECTIO V.

### Difficultas quarta, eiusque solutio.

### SVMMARIVM.

1 *Concilium Tridentinum de facto sustulit omnes consuetudines immunitatis Ecclesiasticæ derogantes.*

2 *In Bulla confirmationis Concilij adest clausula Decreti irritantis , quæ omnem consuetudinem præteritam,& futuram sustulit.*

3 *Item clausula ( sublata ) in constitutione Gregoriana adimit facultatem aliter interpretandi , quam ibi sit expressum.*

4 *Contra*

4 *Contra decretum irritans non potest allegari contrarius vsus.*
5 *De natura forma, ad quam vnicam est reducta constitutio Gregoriana, est vt ad vnguem seruetur.*
6 *Consuetudo immunitatem Ecclesiasticam derogans est corruptela.*
7 *Nomine facultatis iudicandi venit statutum, lex & consuetudo.*
8 *Pontifex motus fuit ad edendam suam Constitutionem de immunitate ob priuilegia, & indulta Principibus sæcularibus, siue verè, siue ex prætensione concessa.*
9 *Testantes de consuetudine legitimè introducta in Regnis Portugaliæ, & Hispaniarum contra Ecclesiasticam immunitatem, videant ne propter Principum gratiam, Dei gratiam amittant.*
10 *Allegami consuetudinem Immunitati contrariam credendum non est, nisi probet.*
11 *Factum in dubio non præsumitur, nisi demonstretur.*

OBiicies quartò, excipi præter causas supradictas in præcedentibus dubitationibus, aliquas alias causas criminales, ex consuetudine sic legitimè introducta, & præscripta: ergo, &c. Antecedens probatur; quia Constitutio Gregorij XIV. non videtur tollere consuetudines, sed solum priuilegia, & indulta Principibus concessa. Et dato, quod sustulerit consuetudines, non est, cur iterum non potuerit legitimè introduci, & præscribi consuetudo aliqua in oppositum, præcipuè videntibus, & tacentibus Prælatis, sicut quod de facto introducta, & præscripta sit consuetudo extrahendi complures delinquentes è locis sacris per Iudices sæculares, affirmant Clarus *in pract. §. fin. quæst.* 30. *vers. scias autem*, Oldradus *consil.* 54. *num.* 2. Petrus Gregor. *syntag. iuris lib.* 33. *cap.* 22. *num.* 2. Suarez *lib.* 3. *cap.* 33. Layman *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 6. & alij apud Farinacium *de carcerib. quæst.* 28. *num.* 73. *& in append. de immunit. cap.* 2. *num.* 16. apud Bossium *tit. de captura, num.* 3. & Ambrosinum *de immunit. Eccles. cap.* 14.

Respondetur, nego antecedens; & ad probatio-
1 nem respondeo negando etiam primam partem illius, quia Concilium Tridentinum de facto sustulit omnes consuetudines immunitati Ecclesiasticæ derogantes, quatenus *in sess.* 25. *cap.* 20. *de reformat.* renouauit obseruantiam immunitatis secundum canones, concilia generalia, & summorum Pontificum constitutiones: quod Concilium postea confirmatum fuit per Bullam Pij IV. in qua adest clausula decreti irritantis, quæ tollere videtur omnem consuetudinem præteritam, & futuram, vt mox infra dicetur. Sustulit etiam easdem Constitutio Gregorij XIV. si non expressè, saltem per verba æquiualentia, quia ibi adest clausula, *sublata*, &c. qua tollitur omnis facultas aliter iudicandi, vel
3 interpretandi, iuxta *c. si eo tempore, de elect. in* 6. tum quia adest ibi decretum irritans, contra quod non potest allegari contrarius vsus, vt ex Cassad. Puteo, & & aliis docet Farinacius *in append. de immunit. cap.* 2.
5 *num.* 15. tum quia dicta Constitutio edita fuit, vt ad
6 vnam formam omnia reducerentur, de cuius natura est, vt ad vnguem seruetur: tum quia consuetudo immunitatem Ecclesiasticam derogans, corruptela à Pontifice vocatur: tum quia expressè derogatur quælibet facultas (quomodocumque emanauerit à Sede Apostolica) contrarium iudicandi, sub qua tam statutum, quàm lex & consuetudo comprehendi videtur; sicuti rectè docent Ambrosinus *de immunit. Eccles. cap.* 14. Marius Ital. *de immunit. lib.* 1. *cap.* 6. *in princ.* & Bonac. *disp.* 3. *quæst.* 7. *de immunit. punct.* 6. *num.* 4. Vide quæ dicebantur *supra dub.* 7. *&* 8.

Neque obstat, quod Pontifex motus fuerit ad talem Constitutionem edendam ob priuilegia, & indulta Principibus sæcularibus, siue verè, siue prætensiuè concessa; quia esto ex tali capite motus fuerit, simul etiam in illa Pontifex voluit consuetudines contrarias, & ius, siue commune, siue prouinciale, & Doctorum interpretationes derogare, & formam generalem vbique seruandam in materia immunitatis constituere, vt constat ex illis verbis: *Sublata qualibet differentia, ad vnam formam tantùm reducimus, &c.*

Secunda pars probationis (quod scilicet iterum post Concilium Tridentinum, & Constitutionem Gregorij XIV. consuetudo contraria legitime introduci, & præscribi potuerit) tranicat, de qua dixi *supra dub.* 6. *& seqq.*

Tertiam partem (quod scilicet de facto legitimè 9
fuerit introducta, & præscripta, vt aliqui testantur de Portugalia, de Hispania, & de quibusdam aliis locis) videant ipsi, qui id affirmant, ne forte propter Principum gratiam, Dei gratiam amittant. Nam cæterum, si ita est, non audeo illam damnare, illud tamen addo, quod alleganti consuetudinem immunitati contrariam, credendum non sit, nisi probet, *argum.* 10
*l. in bello, §. fact. ff. de captiuis, & postlimin. reuers.* & docent Surdus *lib.* 3. *consil.* 354. *num.* 2. Menoch. *consil.* 37. *num.* 92. Farinac. *in append. de immunit. cap.* 2. *num.* 18. & Bonac. *disp.* 3. *quæst.* . *punct.* 6. *num.* 4. & meritò, tum quia est quid facti, factum autem in dubio non præsumitur, nisi demonstretur, *cit. l. in bello*, & *l.* 2. *de probat.* tum quia 11
est quammaximè odiosa. Vide, quæ dicebantur *supra cit. dubit.* 67. *&* 68. & quæ dicentur *infra sect.* 8. *& dubit.* 41. *sect.* 2. *num.* 18. *& seqq.*

## SECTIO VI.

### An immunitate priuetur raptor Virginis, & adulter?

### SVMMARIVM.

1 *Raptor Virginis, & adulter propter rationes iam dictas non priuantur immunitate.*
2 *Raptus est rapina grauior quolibet alio latrocinio, non tamen excipitur cum latrocinio, quia non valet argumentum à maioritate rationis.*
3 *Authentica de mandatis Principum, vbi denegatur Raptoribus Virginum, & Adulteris immunitas Ecclesiæ, fuit correcta per ius canonicum.*
4 *Immunitas ad honorem, & reuerentiam rebus sacris exhibendam pertinet.*
5 *Honor, & cura rerum sacrarum spectat ad superiores Ecclesiasticos, non ad sæculares.*
6 *Consuetudo legitimè introducta, & præscripta, præcipuè videntibus, & tacentibus Prælatis, tenet contra immunitatem.*
7 *Auctor credit non adesse huiusmodi consuetudinem immunitati contrariam.*
8 *Raptoribus virginum expressè immunitas conceditur* in c. de raptoribus 36. q. 1.
9 *Canon præallegatus licet non sit Concilij Generalis, sed tantum Prouincialis, quia tamen ab Ecclesia receptum est, ab omnibus seruari debet.*
10 *Raptorem Virginis intelligi nomine publici latronis, non videtur proprium vocabuli.*
11 *Raptor Virginis dato quod sit publicus latro, non tamen priuatur immunitate, nam neque publicus latro ea priuatur, si non pluries in viis publicis cum armis, & violentia depræda tus sit.*

REspondetur negatiuè, propter rationes dictas. 1
Et confirmatur, quia talibus in specie immu-

nitas conceditur *in cap. de raptoribus*, 36. *quæst.* 1. Atque ita in terminis nostri casus docent, etiam de iure communi, Hostiensis, Archidiaconus, Bellamera, Abbas, & omnes Canonistæ, & Casuistæ, quos citat, & sequitur Peregrinus *de immunit. Eccles. cap.* 12. *num.* 14. Fagundez *de præceptis Eccles. præc.* 2. *lib.* 4. *c.* 4. *num.* 47. Layman *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 2. *num.* 8. Tuschus *verb. Ecclesia, concl.* 11. *num.* 17. *& seqq.* Suarez *de relig. tom.* 1. *tract.* 2. *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 3. Raphaël de la Torre *tom.* 2. *in* 2. 2. *S. Thom. q.* 99. *art.* 3. *disp.* 7. *grad.* 8. (quamvis hi duo Doctores contrariam sententiam etiam probabilem putent ex rationibus mox infrà adducendis.) Azor 2. *part. instit. Mor. lib.* 9. *cap.* 9. Gutierrez *pract. qq. ciuil. lib.* 3. *q.* 5. Farinac. *de carcerib. quæst.* 28. *num.* 17. *& in append. de immunit. cap.* 6. *num.* 88. Anastas. Germon *de sacror. immunit. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 57. Mar. Ital. *de immunit. Eccles. lib.* 1. *cap.* 3. §. 2. *num.* 8. Bonac. *disp.* 3. *q.* 7. *punct.* 4. *num.* 4. Diana *part.* 1. *tract.* 1. *resol.* 31. Guazzinus *tom.* 1. *defens.* 1. *cap.* 37. *num.* 72. Perficus *de offic. sacerd. lib.* 1. *cap.* 9. *dub.* 11. *num.* 113. Chartarius *decis. crimin.* 46. *num.* 84. Sperellus *decis.* 59. *num.* 32. Lezana *verb. Immunitas, num.* 16. & Ludouicus Correa *in relect. de immunit. part.* 4. *num.* 1. *contra Angelum de maleficiis, verb. quod fama publica, num.* 59. *in princip.* & ibi addentes, *lit. B.* Anton. de Butrio *cap. inter alia, de immunit. Eccles. num.* 18. Ancharanum *in cit. cap. inter alia, de immunit. Eccles.* Couar. 2. *var. cap.* 20. Bocrium *decis.* 109. *ad fin.* Decianum *tract. crim. lib.* 6. *cap.* 28. *num.* 20. *in fin.* Sarpum *cap.* 5. *fol.* 49. *de iure asylorum*, & Ludouicum Correa *in relect. ad cap. inter alia, de immunit. Eccles. part.* 3. *n.* 16.

2 Obiicies. Raptus est rapina grauior quolibet alio latrocinio: ergo excipitur cum latrocinio.

Respondetur ex dictis, non valere in casu nostro argumentum à paritate, vel maioritate rationis.

3 Instabis, *in cit. auth. de mandatis Principum,* §. *quæ autem, collat.* 3. denegatur talibus delinquentibus immunitas: ergo.

Respondetur, concedo totum: at ius Ciuile correctum est à Canonico, cui in materia de immunitate Ecclesiastica standum est, sicuti *suprà dub.* 5. dicebamus, & docent Chartarius, Guazzinus, Sperellus, & Ludouicus correa *in loc. suprà cit.* Item alij, quos refert, & sequitur Farinacius *in append. de immunit. cap.* 2. *n.* 27. *& seqq.* & Villalob. *in summ. tom.* 2. *tract.* 39. *diffic.* 7. *n.* 15.

4 Et ratio est clara, quia immunitas ad honorem, & reuerentiam rebus sacris exhibendam pertinet, ex *leg. præsenti, C. de his, qui ad Eccles. confug.* ibi: *Vt honor Ecclesiarum conseruetur.* Rerum sacrarum autem honor,

5 & cura ad Superiores Ecclesiasticos spectat, non ad sæculares, *ex cap. decernimus, de iudiciis: cap. sicut antiquitus* 17. *q.* 4. & ex Gloss. ibi:

6 Vrgebis. Ita habet consuetudo legitimè introducta, & præscripta, præcipuè videntibus, & tacentibus Prælatis: ergo, &c.

7 Respondetur ex dictis, si sic est, transeat. At videant ipsi, qui id affirmant: nam credo, quod non sit. Quapropter Farinacius opinionem, quam tradiderat *in tract. de carcerib. q.* 28. *n.* 17. *& seqq.* (nempe quod seruanda sit consuetudo) retractauit *in append. de immunit. cit. cap.* 6. *n.* 88. dicendo, quod nullo modo consuetudini standum sit.

Cæterùm ad id, quod pro probabilitate contrariæ sententiæ adducit Raphaël de la Torre (quod scilicet iura priuantia immunitate Ecclesiæ raptorem Virginis non sint clara) patet ex dictis, cùm *in cap. inter alia, de immunit.* & in Constitutione Gregorij XIV. raptor virginis clarè non excipiatur: & *in c. de raptoribus,* 36.

8 9. 1. expresè immunitate donetur, cuius canonis decre-

9 tum, licet non sit Concilij generalis, sed Prouincialis; quia tamen ab Ecclesia receptum est, ab omnibus seruari debet.

Ad id verò, quod pro probabilitate eiusdem contra- 18
riæ sententiæ adducit Suarez (quod scilicet raptor virginis veniat nomine publici latronis) patet etiam ex dictis, præsertim cùm id sit valde impropriare vocabulum in præiudicium immunitatis Ecclesiasticæ. Et dato, quod sit propriè publicus latro, tamen ad hoc, quod publicus latro immunitate priuetur, requiritur (vt suprà in suo loco dicebam) quod non semel, sed pluries in viis publicis cum armis, & violentia deprædatus sit.

## SECTIO VII.

### An immunitate priuetur sodomita?

#### SVMMARIVM.

1 *Sodomita, quamvis sodomiæ crimen grauissimum sit, non priuatur immunitate.*

2 *Sodomiæ crimen ex iure Cæsareo habet annexam pœnam mortis.*

3 *Clericus exercens sodomiam, ex constitutione Pij V. Curiæ sæculari traditur.*

4 *Auctores aliqui censent sodomitam non gaudere immunitate.*

5 *Auctor ob rationes iam dictas, & quod tale crimen nullibi sit exceptum, sentit sodomitam non priuari immunitate.*

6 *Non solum laicus sodomita, sed etiam Clericus non priuatur immunitate.*

7 *Amplia id procedere etiamsi sodomiæ crimen commissum sit in Ecclesia.*

8 *Si in casu, quo sodomita confugerit ad Ecclesiam, consulatur Summus Pontifex, daturus est facultatem vt sodomita ab Ecclesia extrahatur.*

9 *Sodomita vt incidat in constitutionem Pij V. necesse est, vt de pluribus actibus sit infamatus, ponderato verbo (exercens) ibi apposito.*

10 *Decisio Castilli, quod in Curia Panormitana Archiepiscopali fuerit exclusus ab immunitate quidam Religiosus, qui in dormitorio sui Monasterij commiserat sodomiam, processit ex literis arbitrariis à Pontifice concessis, non de iure communi.*

REspondetur, quod immunitate neque priuetur 1
sodomita (quamvis sodomiæ crimen grauissimum sit, itavt ex iure Cæsareo pœnam mortis anne- 2
xam habeat, & quamvis ex Constitutione Pij V. cle- 3
ricus tale crimen exercens Curiæ sæculari tradatur: 4
quapropter Correa *in relect. ad cap. inter alia, de immunit. Eccles. part.* 3. *num.* 40. *q.* 17. Rodriguez *in qq. Regul. tom.* 2. *q.* 51. *art.* 4. Auendanus *de exequend. mandatis, p.* 1. *cap.* 229. Phœbus *tom.* 1. *decis.* 81. *num.* 7. Barbosa *ad ordin. tom.* 2. *lib.* 2. §. 1. *num.* 5. Cutellius *in leg. Martini, c.* 17. *n.* 5. *& de immunit. Eccles. lib.* 1. *q.* 2. & Mar. Ital. *de immunit. lib.* 1. *cap.* 5. §. 3. censent oppositum) moueor 5
ob eadem rationes dictas, quod scilicet tale crimen nullibi exceptum reperiatur, & in materia pœnali) præsertim si immunitati Ecclesiasticæ præiudicet, non sit facienda extensio de casu ad casum, etiam ex maioritate, nedum ex paritate rationis. Atque ita in terminis, etiam iuris communis, docet præter alios Bonacina *disp.* 3. *quæst.* 7. *punct.* 5. *num.* 14. Giurba *consil.* 100. *num.* 4. Sanchez *in opusc. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 1. *dub.* 10. *num.* 2. Diana *part.* 4. *tract.* 1. *resol.* 45. Lezana *verb. Immunitas Eccles. n.* 16. Elisæus Danza *in pugna Doctorum, tom.* 1. *tit. de immunit. Eccles. cap.* 4. *num.* 10. *& seqq.* (qui hanc sententiam docet non solum in laico, sed etiam in cle- 6
rico.) Anton. Nouarius *in summa Bullarum, tit. de immunit. Eccles.* (qui id extendit, etiamsi sodomiæ cri- 7
men

men commissum sit in Ecclesia: & meritò, quia in Constitutione Gregorij XIV. excipitur tantum homicidium, & mutilatio commissa in Ecclesia. Rouitus *ad pragmat. de Sodomitis, in Rub. in notis addit.* & Farinac. 8 *in append. de immunit. cap. 6. num. 98. & seqq.* qui rectè tamen aduertit, quod si Pontifex in tali casu (sicut & in aliis similiter grauioribus) consulatur, daturus sit facultatem vt sodomita ab Ecclesia extrahatur; præsertim, si de pluribus actibus sit infamatus, quod requirit citata Constitutio Pij V. per ly *exercens*, vt ex communi contra Ioan. de Vela *de pœnis delict. cap. 33.* Ceuallos *part. 2. quæst. 87. n. 4.* Salzed. *in addit. ad pract. crimin.* Bernardi Diaz, *cap. 8. lit. C.* Cherubinum *in compendio Bullarij, const. 72. Pij V. schol.* & Aldrete *lib. 2. cap. 15. §. 5. num. 28.* docent Nauar. *cap. 27. num. 249. vers. tertiò dico.* Azor *part. 3. lib. 3. cap. 19. num. 2.* Suar. *de cens. disput. 31. sect. 4. num. 21.* Genuens. *in prax. cap. 97. num. 1.* Quaranta *verb. Sodomia, limit. 4.* Portel. *in dub. Regul. verb. Pœna, n. 7.* Sayr. *de cens. lib. 7. c. 12. n. 23.* Graff. *part. 1. lib. 2. cap. 90. n. 12.* Rodriguez *in summ. part. 1. cap. 208. num. 2.* Riccius *in prax. tom. 3. resol. 58.* & Auila *de cens. part. 7. disp. 4. concl. 7.*

10 Obiicies, adest in contrarium *decisio* 155. Francisci de Castillo, *part. 2.* in qua habetur, quod in Curia Archiepiscopali Panormitana fuerit decisum quendam, qui sodomiam in dormitorio sui Monasterij commiserat, immunitate non gaudere: ergo.

Respõdetur ex mox suprà dictis, quod decisio illa fundata fuit in literis arbitrariis à Pontifice Archiepiscopo illi concessis: quapropter stando in terminis iuris, meritò reprobat decisionem illam del Castillo Carolus Maranta *in controuers. iur. part. 2. respons. 36. num. 22. & 23.*

## SECTIO VIII.

### An immunitate priuetur, qui furatur in Ecclesia, sicut & sacrilegus?

#### SVMMARIVM.

1 *Furans in Ecclesia etiam res sacras, & quicumque alius sacrilegus (licet crimen sacrilegij grauissimum sit) non priuatur immunitate.*

2 *Sacrilegium tendit specialiter contra reuerentiam Deo debitam.*

3 *Sacrilegus in sententia multorum Doctorum priuatur immunitate.*

4 *Sacrilegus ob rationes supradictas non priuatur immunitate, & quia in Constitutione Gregorij XIV. excipitur solum sacrilegium ob mutilationem, & homicidium in Ecclesia commissum.*

5 *Amplia id esse verum, licet fur sacrilegus confugiens ad Ecclesiam rem sacram furto sublatam in Ecclesia contrectet.*

6 *Qui conterit sacra, indignus est vt illis teneatur, non tamen inspecta pietate Ecclesiæ.*

7 *Principes sæculares non possunt quidquam statuere circa immunitatem Ecclesiasticam.*

8 *Attestantes de consuetudine legitimè introducta contra Ecclesiæ immunitatem, videant quid affirment.*

9 *Fur qualiscumque ille sit, siue sacrilegus, siue non sacrilegus, rebus furto sublatis, vt possit spoliari, recurrendum est ad iudicem Ecclesiasticum.*

10 *Fur sacrilegus subest iurisdictioni iudicis Ecclesiastici, cum sacrilegium sit mixti fori.*

11 *Fur sacrilegus, & quicumque in Ecclesia delinquit, capi potest à Ministris Ecclesiasticis, & datur locus preuentioni.*

12 *Quin ad mentem aliquorum, si videbitur Episcopo, tradi potest potestati sæculari, obtenta prius cautione, saltem iuratoria, de salute delinquentis.*

REspondetur, quod immunitate neque priuetur, 1 qui furatur in Ecclesia, etiam res sacras, vel quicumque alius sacrilegus (quamvis sacrilegium crimen 2 grauissimum sit, & specialiter contra reuerentiam Deo 3 debitam tendat, faciendo eam speluncam latronum, ob quas rationes multi Doctores, quos refert, & sequitur Guttier. *pract. qq. lib. 3. q. 1. num. 33.* Farinacius *de carcerib. q. 28. num. 47.* sibi contrarius *in appendice loc. infra citando*, Decian. *tom. 2. lib. 6. cap. 26. num. 7.* Boërius *decis. 109. n. 3.* Godofredus à Fano *in prax. crimin. lib. 2. §. sacrilegium, num. 23.* Igneus *in l. g. 1. n. 20. ff. ad Sylan.* Castrus *consil. 458. num. 1. lib. 2.* Bobadil. *in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14.* Sarpus *de iure asyiorum, c. 5. fol. 43.* Tuschus *verb. Eccle a, concl. 11. num. 19.* Cutellius *de immunit. Eccles. lib. 1. q. 2. & q. 17. num. 12 & q. 34. num. 18.* & Petr. Gregor. *syntagm. iuris cap. 21. num. 2.* tenent, quod sacrilegus immunitate priuetur) moueor ob easdem rationes supradictas, & quia in Constitutione Gregorij 4 XIV. excipitur solum sacrilegium ob mutilationem, & homicidium in Ecclesia commissum, quapropter cætera sacrilegia excepta non sunt, sed sub priuilegio immunitatis includuntur. Atque ita docent Cardin. *in cap. fin. de immunit. Eccles.* Nauar. *cap. 25. n. 19.* Ambrosin. *de immunit. cap. 5. num. 6.* Tuschus *tom. 3. lit. E. concl. 11. num. 16. & 17.* Couar. *2. var. cap. 20 num. 15.* Peregrinus *de immunit. Eccles. c. 12. num. 10.* Bonac. *disp. 3. q. 3. de immunit. punct. 4. num. 3. & punct. 5. n. 7.* Nouarius *in summa Bullarum, tit. de immunit. num. 4.* Riccius *part. 1. decis. 110.* Lezana *verb. Immunitas, num. 8. & 16.* Chartarius *decis. crimin. 7. num. 7. & decis. 9. num. 7.* Sperellus *decis. 9. num. 11.* Diana *part. 1. tract. 1. resol. 17. & part. 6. tract. 1. resol. 9.* (vbi ex Barbosa *in Collect. Bullar. tit. Immunitas*, refert sic determinasse sacram Immunitatis Congregationem in vna Squillacensi 18. Martij 1632.) Barbos. *de iure Ecclesiast. lib. 2. cap. ... num. 123.* Gauantus *in addit. ad Episcop. verb. Immunitas Ecclesiastica, num. 8.* qui ex Farinacio contra Naldum *verb. Ecclesia, num. 5.* id etiam extendunt ad furantem in Ecclesia Pyxidem Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramenti.) Castrus Palaus *tom. 1. tract. 11. disp. 1. punct. 9. n. 3.* Mar. Ital. *de immunit. Eccles. lib. 1. cap. 5. §. 3. num. 75. & seqq.* Genuens. *in prax. cap. 33. num. 8.* & Farinacius *in append. de immunit. cap. 16. num. 99.* qui subdunt, id esse verum, etiamsi fur sacrilegus, confugiens ad Ec- 5 clesiam, rem sacram furto sublatam in Ecclesia contrectet.

Obiicies ex Cutellio *loc. suprà cit. qui conterit sa-* 6 *cra, indignus est, vt illis tueatur, cap. frater, 17. q. 4.* ergo.

Respondetur: indignus est, vt illis tueatur, si attendatur Ecclesiæ pietas, quæ sic magis elucet, nego; indignus est, vt illis tueatur, si attendatur eius delictum, concedo. Vnde solum sequitur, quod fuerit quidem fundamentum condendi talem legem, vt scilicet talis sacris non tueatur, non tamen quod de facto condita sit, præsertim cùm contrarium potius constet ex dictis.

Obiicies secundò, statutum Principum (saltem in 7 aliquibus locis, vbi est copia furum) est in contrarium, vt scilicet fur, præsertim si furetur in Ecclesia, immunitate priuetur: ergo. Sic Sarpus *loc. suprà cit.*

Respondetur, transeat antecedens. At hoc nihil obstat, quia Principes sæculares non possunt quidquam statuere circa immunitatem Ecclesiasticam. Vide Farinacium *in append. de immunit. cap. 6. num. 25.* Alexandrum *lib. 7. consil. 145. num. 4.* Decianum *lib. 3. consil. 80.*

*n.*28. & Sperellum *decis.*59. *n.*33. Vide etiam quæ *lib. de Parlamentis, dub.*27. *per totam*, & præcipuè *sect.*5. *per suas subsectiones, & suprà cap.* 8. *per totum*, diffusè dicebantur.

Instabis, est saltem in contrarium consuetudo legitimè (videntibus scilicet, & in odium delicti consentientibus Prælatis Ecclesiasticis) introducta: ergo, &c. Ita Sarpus *vbi suprà*, Villalob. *in sum.tom.2.tr.*39. *disp.*5.*n.*2. Suarez *de relig. tom.*1.*lib.*3.*c.*11.*n.*4. & Raphael de la Torre *tom.*2. *in* 2. 2. *S. Thom. q.*99. *num.*4. *disp.*7.*grad.*8.

Respondetur, nego antecedens; quia vt *suprà sect.*5. *& dub.*6. *& seqq.* dicebamus, & dicemus *infrà dub.*41. *sect.*2. *num.*20. Tridentinum Concilium, & 8 Constitutio Gregorij XIV. sustulit omnem consuetudinem in contrarium, quæ si iterum postea in aliquo loco legitimè introducta sit, videant ipsi, qui id affirmant: nam si ita est, non audeo illam damnare, vt ibidem dicebamus, quamvis probabilius damnent alij, quos *in locis suprà cit.* referebam, & alij, quos refert Diana *part.*6.*tract.*1.*resol.*9. vide etiam Balboam de Mogrou.*in cap.*1.*de foro compet. n.*6. Palaum *tom.*2. *tract.*11.*disp.vnic.punct.*11.*n.*5. Sperellum *decis.*37.*n.*63. & quæ dicebam *suprà cit. c.*8. *& cit. dub.*27. *per totam de Parlamentis.*

Hinc, vt fur qualiscumque ille sit, siue sacrilegus, 9 siue non sacrilegus, rebus furto sublatis (sicut & quilibet alius reus armis prohibitis, quæ ad Ecclesiam defert) spoliari possit, recurrendum est ad iudicem Ecclesiasticum; qui cùm in Ecclesia iurisdictionem exercere queat, poterit illum, siue per seipsum, siue per iudicem laicum, de licentia tamen ipsius, præ- 10 dictis rebus spoliare, sicut & capere, etiam extra Ecclesiam,quando reus delinquendo sacrilegium commisit, cùm sacrilegium sit mixti fori. Vide Bonacinam *tom.*2.*disp.*3.*q.*7.*punct.*5.*n.*7. Dian. *part.*5.*tract.*1.*resol.*9. *in fin.* Sperellum *decis.*3.*&* 4.

Itaque huiusmodi fur, omnisque alius in Ecclesia delinquens capi poterit à Ministris Ecclesiasticis, quia commisit, inquam, sacrilegium, quod est mixti fori, quapropter in ipso datur locus præuentioni, sicut ex multis probat Farinac. *in append. cap.*22. *num.*364. & Mar.Ital.*lib.*1.*cap.*5. §.14. *num.*7. Imò multi Doctores putant, delinquentem in Ecclesia, si Episcopo videbitur, tradi posse potestati sæculari, obtenta prius cautione, saltem iuratoria, de salute delinquentis quoad vitam, & corporis pœnam, *cap. id constituimus,*17.*q.*4. nam huiusmodi delictum, vti dicebam, est mixti fori, & delinquens non capitur authoritate laicæ potestatis, sed Ecclesiasticæ, cui Ecclesiarum immunitas non præiudicat, *vt suprà dub.*10. *sect.*12. dicebatur de Clerico.Sic Suar. *de relig. tom.*1. *tract.*2.*lib.*3. *cap.*13.*n.*3. Silu.*verb.Immunitas,*3.*q.*4. Peregrin. *de immunit. cap.*6. *n.*28.& *cap.*13.*dub.*9.*n.*9. Mar.Ital. *lib.*1.*cap.*5.§.3.*n.*75. *&* 76.& Farinac.*in append.cap.*16. *n.*117. *&* 256. Vide quæ dicebam *dub.*11.*sect.*6.& *dub.*19.*sect.*1.*&* 3. *in fin.* & quæ dicebam *dub.*25.26.*&* 30.

## SECTIO IX.

### An priuetur blasphemus, & superstitiosus.

#### SVMMARIVM.

1 *Blasphemus etiam Dei, & B. Virginis, ac superstitiosus, nisi de hæresi suspectus sit, gaudet immunitate.*

2 *Blasphemus etiam Dei, & B. Virginis in sententia multorum Doctorum non gaudet immunitate.*

3 *Qui delinquit aduersus Ecclesiam sponsam immunitate priuatur: ergo multò magis immunitate priuabitur qui delinquit aduersus Christum Iesum sponsum, & caput Ecclesiæ.*

4 *Non quilibet delinquens contra Ecclesiam sponsam, nisi mutilando, vel occidendo in illa, immunitate priuatur.*

5 *Blasphemus, si blasphemia sit hæreticalis, non gaudet immunitate, non vt blasphemus, sed vt hæreticus est.*

EX dictis *sect. præcedenti*, sequitur primò, quod ne- 1 que immunitate priuetur blasphemus, etiam Dei, & B.Virginis, nec superstitiosus (nisi de hæresi suspectus sit, vt *suprà dub.*22. dicebatur.) Atque ita in terminis docent Nauarrus *cap.*25,*num.*20. Nouarius *in summa Bullarum, tit.de immunit.num.*4.Bonacina *tom.*2. *disp.*3.*q.*7. *punct.*5.*n.*13. Ambrosin. *de immunit. Eccles. cap.*8.*num.*11. Peregrin.*cap.*12.*num.*12.Megalius *in* 3.*p. lib.*4.*cap.*2.*num.*6.Farinac.mutans sententiam *in append. de immunit.cap.*13.*num.*175.Gambacurta *lib.*4.*num.*9.& Diana *p.*1.*tract.*1.*resol.*31.*&* 39. Quamvis contrarium 2 sentiant Boërius *decis.*110. Decian. *lib.*6.*c.*26. *n.*5.*&* 6. Martha *de iurisdict.part.*1.*c.*51.*num.*30.*&* 31. Sanchez *in select.disp.*44. *num.*52. Oldrad. *consil.*154. Remigius *de immunit.fall.*24.Tusch.*verb. Ecclesia,concl.*11.*num.*51. Cutel. *de immunit. Eccles.lib.*1.*q.*39. Baiardus *ad Clarum, q.*30.*num.*15. Villalob. *in summa, tom.*2. *tract.*39. *d ffic.*7.*num.*20.Ludouicus Correa *in relect.de immunit. part.*3. *num.*35. Lezana *num.*16. & Farinac. *de carcerib. q.*28. *num.*67. motus ex eo, quod si qui delinquit ad- 3 uersus Ecclesiam sponsam, immunitate priuatur, multò magis immunitate priuabitur, qui delinquit aduersus Christum Iesum sponsum, & caput Ecclesiæ. At minus rectè, quia non quilibet delinquens contra Ecclesiam sponsam (nisi mutilando, vel occidendo in illa) immunitate priuatur, & quia in hac materia non valet argumentum à maioritate rationis, & quia alioquin omne crimen (cùm omne crimen sit contra Christum) immunitate priuaretur. Illud tamen 4 rectè aduertit Farinacius *in cit. cap.*13. *num.*175. quod si blasphemia sit hæreticalis, blasphemus immunitate Ecclesiæ non gaudeat (itavt in tali casu à Ministris S. Officij, ad quos solum spectat de hæresi cognoscere, extrahi possit) non quidem quà blasphemus, sed quà hæreticus, vel quà de hæresi suspectus, vt *in cit. dub.*22. dicebam,& tradunt Cutell.*loc.cit.*Gambacurta *cit. lib.*4. *cap.*9. & Barbosa *de vniu. iure Eccles. tom.*2. *cap.*6.*n.*105.122.*&* *seqq.*

## SECTIO X.

### An priuetur simoniacus?

#### SVMMARIVM.

1 *Simoniacus, nisi sit cum errore intellectus (quia tunc est hæreticus, & exceptus in Constitutione Gregorij) non priuatur immunitate.*

2 *Simoniacus equiparatur hæretico, sed in pœnis non valet illatio de casu ad casum.*

3 *Simoniacus æquiparatur hæretico, si sit cum errore intellectus, si credat scilicet res spirituales posse licitè emi, & vendi.*

SEquitur secundò, quod neque immunitate priue- 1 tur simoniacus (nisi sit cum errore intellectus, quia tunc est hæreticus, & sic exceptus in Constitutione Gregorij.) Atque ita contra Decianum *lib.*6. *cap.*26. *num.*5. ex communi docent Farinac. *cap.*13. *n.*177.

*n.*177. Peregrinus *cap.*12. *num.*17. Barbosa *de iure Eccles. lib.*2. *c.*2. *n.*126. Lezana *num.*16. & Dian. *p.*1. *tract.*1. *resol.*31.

2 Obiicies. Simoniacus æquiparatur hæretico, *c. Petrus*, & *c. cum omnis*, 1. *q.*1. ergo.

Respondetur, transeat antecedens: at in pœnis (vt sæpius dictum est) non valet illatio de casu ad casum, præsertim in præiudicium causæ fauorabilis, 3 qualis est immunitas Ecclesiarum. Vel respondetur, æquiparatur hæretico, si sit cum errore intellectus, scilicet si credat, res spirituales posse licitè emi, & vendi, & tunc concedo, quod immunitate priuetur, vt mox *suprà* dicebamus.

## SECTIO XI.

### An priuetur deflorans monialem?

#### SVMMARIVM.

1 *Deflorans monialem non priuatur immunitate.*
2 *Amplia etiamsi ipsam defloret in Ecclesia Monasterij.*

1 SEquitur tertiò, quod neque immunitate priuetur deflorans monialem: atque ita docet præter alios Diana *part.*4. *tract.*1. *resol.*43. contra Ludouicum Corream *in relect. ad cap. inter alia, de immunit. Eccles. part.*3. *num.*16. & Barbosam *ad Ordin. Lusitan. tom.*2. 2 *lib.*2. *it.*5. §.2. *num.*5. Idque etiam verum est, si monialem defloret in ipsa Ecclesia Monasterij; quia (vt *dub.*19. *per totam*, dicebamus) delicta ex eo, quod committantur in Ecclesia, non sunt de exceptis, nisi sit homicidium, vel mutilatio.

## SECTIO XII.

### An priuetur periurus, & falsus testis?

#### SVMMARIVM.

1 *Periurus, & falsus testis non priuantur immunitate.*
2 *Omnes sacrilegi hodie, præter occidentes, vel mutilantes, gaudent immunitate.*
3 *Omnes publicè percutientes, vel occidentes etiam Clericum, vel Religiosum, licet sacrilegium committant, non priuantur immunitate.*
4 *Periurus, & falsus testis, æquiparantur homicidæ, sed quoad pœnitentiam, non quoad omnes alios effectus.*
5 *Periurus, & falsus testis, si causa sint vt quis morti damnetur, sunt homicidæ proditorij moraliter, non autem physicè, & ideo non priuantur immunitate.*

1 SEquitur quartò, quod neque immunitate priuentur periurus, & falsus testis: atque ita in terminis nostri casus docent contra Guttierrez *lib.*3. *q.*1. *num.*33. & Igneum *in leg.*1. *num.*20. *ff. ad Syllan.* Decianus *tract. crimin. lib.*6. *c.*28. *num.*121. Farinac. *in append. de immunit. c.*9. *n.*140. Peregrin. *de immunit. c.*12. *n.*15. Bonac. *tom.*2. *disp.*3. *q.*7. *punct.*5. *num.*11. & Char- 2 tarius, vbi rectè ait, omnes sacrilegos hodie, præter occidentes, vel mutilantes, immunitate gaudere. Adde 3 tu, & omnes publicè percutientes, vel occidentes etiam clericum, vel Religiosum, licet sacrilegium committant, quia ex dictis nullum sacrilegium immunitate priuat, nisi sit mutilatio, vel occisio in loco sacro. Vide etiam Suar. *de relig. tom.*1. *tract.*2. *lib.*3. *cap.*10. *n.*3. Alterium *de censur. tom.*1. *lib.*2. *c.*6. & Sperellum *decis.* 22. *n.*10.

Obiicies, periurus, & falsus testis æquiparantur 4 homicidæ, *cap. fin.* 22. *q.*1. ergo priuantur immunitate Ecclesiæ.

Respondetur, nego consequentiam; quia in pœnis (præsertim si sint in præiudicium immunitatis) non valet argumentum à paritate, quin neque à maioritate rationis, vt suprà dicebatur.

Respondetur secundò, distinguo antecedens: æquiparantur homicidæ quoad pœnitentiam, itavt possit pro ipsis eadem pœnitentia imponi, ac pro homicida imponitur, concedo: æquiparantur homicidæ, quoad alios omnes effectus, nego: alioquin periurus, & falsus testis essent irregulares, sicut homicida, quod falsum est. Vel æquiparantur homicidæ voluntario tantum, concedo; homicidæ proditorio, nego: at huic tantum homicidæ imponitur pœna priuationis immunitatis Ecclesiarum, vt *dub.*20. dicebatur.

Instabis, saltem periurus, & falsus testis priuantur immunitate, si causa sint, vt quis morti damnetur, qui alioquin non damnaretur, quia tunc sunt homicidæ proditorij: ergo. Atque ita non omninò improbabiliter docet Marius Ital. *de immunit. lib.*1. *cap.*5. §.4. & *cap.*5. *num.*145. *& seqq.* Cutellius *de immunit. Eccles. lib.*1. *quæst.*19. *num.*11. *&* 12. & inclinat Farinac. *in append. de immunit. cap.*9. *num.*141. quatenus dubius dicit, quod in tali casu consulendus sit Pontifex: videri etiam poterit Clarus *in §. falsum, in princip.* Menoch. *de arbitr. casu* 506. *centur.*4. Tiraq. *de pœnis temperandis, causa* 3. *n.*23. *&* 24. Ioseph. Ludouic. *de is.* 15. *n.*32. *& seqq.* Barbosa *tom.*2. *de iure Eccles. cap.*3. *n.*129. & Zambellus *in repert. mor. verb. Ecclesia quoad eius immunitatem, n.*10.

Respondetur, nego antecedens, & ad probationem 5 respondeo, quod in tali casu periurus, & falsus testis sint homicidæ proditorij, moraliter, concedo; physicè, nego. At homicidæ proditorio physice tantum (vt *supra cit. dub.*20. *sect.*8. dicebam de mandante homicidium) immunitas Ecclesiarum denegatur. Vide quæ dicebantur *cit. dub.*20. *sect.*8. *& seqq.* & *dub.*21. *sect.*7. vbi referebam Doctores nostram sententiam in terminis sequentes.

## SECTIO XIII.

### An priuetur, qui infert strigia in Ecclesia?

#### SVMMARIVM.

1 *Inferens strigia in Ecclesia non priuatur immunitate.*

SEquitur quintò, quod neque immunitate priuetur, 1 qui infert strigia in Ecclesia, atque ita declarauit S. Congregatio Episcoporum die 16. Nouembris 1618. Quod intellige in casu, quo absit suspicio hæresis. Vide Lezanam *num.*16. & quæ dicebam *dub.*19. *sect.*2. & *dub.*22. *n.*6. *& seqq.*

## SECTIO XIV.

### An immunitate priuetur parricida?

#### SVMMARIVM.

1 *Parricida ob rationes recensitas, non priuatur immunitate, contra Parisium, & alios.*

2 *In iure nullibi cautum reperitur, hominem ex sola parricidij qualitate priuari immunitate.*

3 *Occidens patrem insidiosè, & incautè non priuatur immunitate, secus est si inter patrem, & filium nulla præcesserit inimicitia.*

1 REspondetur negatiuè, ob easdem rationes *suprà* dictas, quamvis contrarium minus rectè sentiant Cutell. *de immunit. Eccles. lib. 1. q. 34. num. 9.* Parisius *lib. 1. cons. 96.* & alij, quorum sententia secundùm aliquos non procedit in quovis parricidio, sed tantùm in parricidio insidioso, & incauto: alioquin si simul pater, & filius degladiarentur, & vnus alterum
2 in rixa occideret, immunitate priuaretur, quod non est dicendum (inquiunt ipsi) cùm ex sola parricidij qualitate hominem immunitate priuari, in iure cautum nullibi reperiatur: ita inter alios Barbos. *de iure Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 95.* sed etiam minus rectè, quia si secundùm ipsum sola qualitate parricidij reus immunitate non priuatur, neque immunitate priuabitur, si occideret patrem insidiosè, & incautè, cùm (vt *suprà* dicebatur) homicidium insidiosum, & incautum non priuet reum immunitate. Secus, si inter patrem, & filium nulla præcessisset inimicitia, quia tunc homicidium, vtpotè proditorium, absque dubio immunitate priuaret.

## SECTIO XV.

### An immunitate priuetur incendiarius?

#### SVMMARIVM.

1 *Incendiarius non priuatur immunitate, cum non excipiatur in iuribus recensitis.*

2 *Incendiarius æquiparatur agrorum depopulatori, sed vt diximus non valet argumentum à paritate rationis.*

3 *Principibus datur facultas puniendi expressè incendiarium, consultis Prælatis Ecclesiasticis, in quantum incendiarius confugit ad Ecclesiam, non ad ipsum extrahendum ab illa, sed vt Principes prudenter procedant in assignanda pœna incendiario.*

4 *Constitutio Gregoriana derogat iuri communi, & omnia reducit ad vnicam formam, & sic non obstat aliquid in contrarium.*

5 *Violans Ecclesiam eius fores frangendo, vel comburendo, gaudet immunitate.*

6 *Violans tamen Ecclesiam Regularem eius, vel Monasterij fores frangendo, vel comburendo, vel in eas quocumque alio modo violentiam exercendo, præter sacrilegium, & pœnas communes, pœnas quasdam alias incurrit ex priuilegiis Religionum, etsi non priuationem immunitatis.*

7 *Qui violat Ecclesiam eius fores frangendo, vel comburendo, peccat non solum in Ecclesia, sed etiam contra Ecclesiam, at non valet argumentum à maioritate rationis, vt suprà dictum est.*

8 *Neque valet argumentum ab incendiario segetum ad incendiarium forium Ecclesiæ.*

9 *Qui simpliciter violat Ecclesiam, est indignus vt ab illa defendatur, & sic eius immunitate gaudet, si attendatur eius delictum, secus si attendatur Ecclesiæ pietas.*

10 *Persona loquentis cum fert legem, in generali sermone censetur excepta, si aliunde contrarium clarè non constet.*

1 REspondetur negatiuè, ob easdem rationes dictas, quod scilicet neque *in cap. inter alia*, vel aliis iuribus, neque in Constitutione Gregorij XIV. excipiatur, & consequenter comprehendatur sub regula generali immunitatis: atque ita docet præter alios Farinac. *in append. de immunit. cap. 1. n. 105.* Diana *part. 1. tract. 1. resol. 21.* & *part. 6. tract. 1. resol. 16.* & Bonacina *tom. 2. disp. 3. q. 7. punct. 6. §. 6.* quamvis oppositum sentiant Faber *in l. 1. C. de his, qui ad Eccles. confugiunt.* Peregrin. *de immunit. cap. 12. n. 6.* Guazzinus *tom. 1. defens. 1. cap. 38. n. 44.* Mar. Ital. *lib. 1. cap. 4. §. 3. num. 56.* & *57.* Sarpus *de iure asylorum, cap. 5. fol. 50.* Villadieg. *in Polit. c. 3. num. 213.* & Bobadilla *in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14. num. 49.*

Obiicies, incendiarius æquiparatur agrorum depopulatori, *c. pessimum, 23. q. 8.* ergo. 2

Respondetur, solutio patet ex dictis; quin retorquetur argumentum, quia cùm incendiarij crimen non sit idem crimen, ac crimen agrorum depopulatoris, exceptio vnius non est exceptio alterius, sed potius firmat regulam in non exceptis.

Instabis, incendiarius expressè priuatur immunitate, *cit. cap. pessimum*: ergo. Antecedens patet, quia datur ibi facultas Principibus eum puniendi consultis Prælatis Ecclesiasticis: quod consilium requiritur, in quantum incendiarius confugit ad Ecclesiam, aliàs enim non requireretur tale consilium, & tamen hoc non obstante conceditur illis facultas eum puniendi, consultis Prælatis Ecclesiasticis: ergo, &c. 3

Respondetur, nego antecedens: & ad probationem respondeo, quod consilium Prælatorum Ecclesiasticorum requiratur in dicto casu, non quia incendiarius confugit ad Ecclesiam, sed vt Principes prudenter procedant in assignanda pœna incendiario, cùm secundum ius antiquum variæ in illum pœnæ sint constitutæ, vt notat Gloss. ibi.

Adde, quod Constitutio Gregorij XIV. derogat 4
iuri communi, & omnia reducit ad vnicam formam cum particulis taxatiuis, & clausulis prohibentibus: & sic non obstat hodie talis textus, etiamsi esset in contrarium.

Hinc sequitur, quod neque immunitate priuetur, 5
qui violat Ecclesiam, eius fores frangendo, vel comburendo, sicuti contra Cutellium *de immunit. Eccles. lib. 1. q. 21.* & alios rectè docent in terminis Diana *resol. 16.* Nouarius *in summa Bullarum, tit. de immunit. num. 9.* & ex aduersariis peregrinus *loc. suprà cit. n. 15.* quia cùm ex dictis *dub. 19.* solum immunitate priuetur, qui violat Ecclesiam per homicidium, vel mutilationem, consequens est, quod qui alio modo illam violat, immunitate non priuetur, sed gaudeat, vt patet ex dictis ibi. Vide etiam, quæ dicebantur *dub. 16.* & *17.*

Cæterùm, si Ministri curiæ sæcularis fores Eccle- 6
siarum, vel Monasteriorum Regularium infringant, aut in eas violentiam exerceant, præter sacrilegium, & pœnas communes, pœnas quasdam alias incurrunt ex Religionum priuilegiis, quæ referunt Cassarubius *in compend. priuileg. Mendicant. verb. Ecclesiæ fratrum, n. 3.* Rodrig. *tom. 2. qq. regular. q. 50. art. 2.* & Lezana *verb. Immunitas Eccles. n. 20.*

Obiicies secundò, ex Cutellio *loc. suprà cit.* Qui vio- 7
lat Ecclesiam, eius fores frangendo, vel comburendo, peccat non solum in Ecclesia, sed etiam in Ecclesiam: ergo immunitate non gaudet.

Respondetur, concedo antecedens: at nego consequentiam, quia in materia hac immunitatis non valet argumentum à paritate, neque à maioritate rationis, vt patet ex dictis *suprà cit. dub. 19.* & *dub. 24.*

Instabis ex eodem Cutellio: agrorum depopula- 8
tor, qui incendit segetes, immunitate non gaudet: ergo multò minus, qui incendit fores Ecclesiæ.

Respondetur similiter vt suprà: concedo antece-
dens, at nego consequentiam, ob rationem dictam.

Accedit,

Accedit, quòd vt agrorum depopulator, qui incendit segetes, immunitate non gaudeat, requiritur, quod id pluries, non autem semel, vel bis fecerit, sicuti dicebam *dub.* 13.

9 Reinstabis ex eodem Cutellio: Qui simpliciter violat Ecclesiam, est indignus, vt ab illa defendatur, & sic eius immunitate gaudeat, *c. ad Episcopos, 17. q. 4.* ibi: *Ad Episcopos cunctos direxisse iussionem, & eos, qui Ecclesias violasse perhiberentur, accessu earum iudicarent esse indignos. Et in cap. frater* 10. *dict. causa* 17. *q.* 4. ibi: *Nullus enim inter limina tanta veneratione deputata vtrumque sibi licere existimet pro suæ voluntatis arbitrio, vt & humanitatem sibi vendicet, & furorem:* & *in c. omnes, cit.* 17. *q.* 4. ibi: *A limitibus eiusdem matris anathematizamus Apostolica auctoritate, pellimus, damnamus, atque sacrilegos iudicamus:* ergo, &c.

Respondetur: Distinguo antecedens, est indignus, si attendatur eius delictum, concedo: est indignus, si attendatur matris Ecclesiæ pietas, quæ ex hoc magis elucet, & propter quam correxit ius commune: nego. Quod inde magis patet, quia alioquin nullus delinquens gauderet immunitate Ecclesiæ, quia omnes delinquens, vtpotè delinquens, indignus est, qui defendatur ab Ecclesia.

Vrgebis ex eodem Cutellio: Persona loquentis, cùm fert legem, in generali sermone censetur excepta, quòd non ferat illam in proprium præiudicium: Doctores communiter, quos citat Barbosa *axiom.* 206. *n.* 2. ergo, &c.

10 Respondetur: Distinguo etiam antecedens, si aliunde contrarium clarè non constet, concedo: si constet, sicuti contingit in casu nostro, nego. Quod inde confirmatur, quia alioqui quomodocumque quis delinqueret in Ecclesia, immunitate non gauderet Ecclesiæ.

Respondetur secundò, quòd licet id vergat in casu nostro in proprium præiudicium materialiter, seu quoad materiale Ecclesiæ, non tamen vergit in proprium præiudicium formaliter, seu quoad immunitatem, & iurisdictionem Ecclesiæ.

---

## SECTIO XVI.

### An immunitate priuetur apostata à Religione?

#### SVMMARIVM.

1 *Apostata à Religione ob rationes supradictas non excluditur ab immunitate Ecclesiæ, in opinione tamen illorum Doctorum asserentium, quod Clerici, & Regulares delinquentes gaudeant Ecclesia immunitate.*

1 REspondetur etiam negatiuè ob easdem rationes iam dictas: quod tamen dico in opinione eorum Doctorum, qui docent, quod Clerici, & Regulares delinquentes immunitate Ecclesiarum gaudeant, cùm ego tamen opinionem oppositam putem probabiliorem, de qua vide *dub.* 10. *sect.* 15.

---

## SECTIO XVII.

### An immunitate priuetur exul, vel capitaliter bannitus?

#### SVMMARIVM.

1 *Exul, vel bannitus, dummodo eius delictum non sit de exceptis, non priuatur immunitate.*

2 *Bannitus non potest extrahi ex alieno territorio, & sic neque ex Ecclesia, cum ea sit de territorio Episcopi.*

3 *Bannitus, vel exul, si sit in Ecclesia suæ patriæ, non dicitur exilium fregisse.*

4 *Ius generaliter loquens generaliter est intelligendum.*

5 *Vbi ius non distinguit, neque nos distinguere debemus, præsertim si distinctio sit in præiudicium Ecclesiæ.*

6 *Reus, qui ducitur ad supplicium mortis, si se eximat à manibus satellitum, gaudet Ecclesiæ immunitate.*

7 *Bannitus, & exul mortuus, non potest sepeliri, ex doctrina Bartoli in Ecclesiis locorum, de quibus arcetur.*

8 *Non valet argumentum à priuatione sepulturæ ad priuationem immunitatis.*

9 *Excommunicatus non potest sepeliri in Ecclesia, & tamen gaudet immunitate.*

10 *Infidelis non potest sepeliri in Ecclesia, & tamen ex multorum satis probabili opinione, gaudet etiam immunitate.*

11 *Opinio Bartoli de sepultura banniti, & exulis non est tuta.*

12 *Bannitus, vel exul, hoc ipso, quod transgrediatur fines vetitos confugiendo ad Ecclesiam, committit crimen læsæ Maiestatis, sed non in personam Principis.*

13 *Bannitus, vel exul cum confidenter audeat permanere in loco sacro, delinquit in Ecclesia, non tamen occidendo, vel mutilando, & ideo gaudet immunitate.*

14 *Literæ concessæ particularibus locis contra immunitatem, non sunt generaliter ad omnia loca extendendæ.*

15 *Bannitus si vi statuti possit impunè occidi, non solum non debet extrahi ab Ecclesia, sed nec in illa occidi.*

16 *Occidens bannitum ex permissione statuti, si occidat in Ecclesia, licet non possit puniri vt homicida, punitur tamen vt Ecclesiastica immunitatis violator.*

17 *Occidens tali casu in Ecclesia contrahit excommunicationem constitutionis Gregorianæ latam contra extrahentes ab Ecclesia.*

REspondetur, quod immunitate neque priuetur exul, vel capitaliter bannitus (dummodo delictum, pro quo est exul, vel bannitus, non sit de exceptis) ob easdem rationes supradictas. 1

Et confirmatur, quia bannitus non potest extrahi ex alieno territorio (vt inter alios notauit Azeuedus *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 7.) ergo neque ex Ecclesia, cùm Ecclesia sit de territorio Episcopi (quapropter si bannitus, vel exul fuerit in Ecclesia suæ patriæ, non dicitur exilium fregisse, qua de re Diana *part.* 4. *tract.* 1. *resol.* 91.) Atque ita contra Sarpum *de iure asylorum, cap.* 5. *fol.* 53. & quosdam alios docent Sanchez *in opusc. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 24. Barbosa *de iure Ecclesiast. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 130. Peregrin. *in tract. de immunit. cap.* 5. *num.* 11. Diana *part.* 1. *tract.* 1. *resol.* 31. Clarus *in pract.* §. *fin. q.* 38. *num.* 21. Farinacius *q.* 28. *num.* 47. Castrus Palaus *tom.* 2. *tract.* 11. *disp. vnic. punct.* 7. *num.* 9. Baiardus ad Iulium Clarum *q.* 30. *num.* 28. Guazzinus *tom.* 1. *defens.* 1. *c.* 38. *n.* 55. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 3. *q.* 7. *punct.* 5. *num.* 15. Ludouicus Correa *in relect. de immunit. part.* 3. *num.* 40. Lezana *verb. Immunitas, num.* 16. Cochier. *de iurisdict. p.* 4. *q.* 65. *n.* 2. & Marius Anton. Maceratensis *var. resol. lib.* 3. *resol.* 15. *n.* 9. Vide etiam quæ dicebantur suprà *cit. dub.* 1. *sect.* 5. *& seqq.* 2 3

Obiicies, Ecclesia non defendit, quos Iudicum sententia

sententia damnauit, sed eos solum, quos iustitia insequitur, antequam sententiam ferat: ergo.

Respondetur, nego antecedens, quia iura quoad
4 hoc indefinitè loquuntur: ius autem, quod generaliter loquitur, generaliter est intelligendum, *cap. in fraudem, §. vlt. de testam. militar.* præsertim in fauorabi-
5 libus. Item vbi ius non distinguit, nec nos distinguere *debemus, l. g. præses, ff. de offic. Præsid.* præsertim, si di-
6 stinctio sit in præiudicium Ecclesiæ. Adde, quod si quod dicitur, verum esset, sequeretur, quod si reus lata sententia, & damnatus ad morem, cùm ad supplicium ducitur, eximens se è manibus satellitum ad Ecclesiam confugeret, Ecclesiæ immunitate non gauderet, quod est contra praxim, & communem sententiam Doctorum, vt videre est apud Decianum *lib. 6. cap. 28. num. 29.* Guttierrez *in qq. pract. lib. 4. q. 4. num. 10.* Tuschum *verb. Ecclesia, c. 15. n. 107.* Corream *in relect. de immunit. p. 2. n. 9.* Farinacium *in append. de immunit. cap. 15. n. 197.* & Castrum Palaum *tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 7. n. 12.* & nos dicebamus *suprà cit. dub. 10. sect. 7. & seqq.*

Obiicies secundò, bannitus, & exul mortuus ex
7 Bartolo non potest sepeliri in Ecclesiis locorum, de quibus arcetur, adeò quod si in aliqua Ecclesia illorum sepeliatur, exhumandus sit: ergo viuus Ecclesiæ immunitate non gaudebit.

Respondetur, transeat antecedens, at nego conse-
8 quentiam, quia non valet argui de priuatione sepulturæ ad priuationem immunitatis Ecclesiæ, quando-
9 quidem excommunicatus non potest sepeliri in Ecclesia, & tamen gaudet immunitate Ecclesiæ, vt dicebatur
10 *cit. dub. 10. sect. 3.* Item infidelis similiter non potest sepeliri in Ecclesia, & tamen ex multorum satis probabili opinione gaudet etiam immunitate Ecclesiæ: qua de re vide *cit. dub. 10. sect. 4.*

Respondetur secundò, nego antecedens, quia licet Ecclesia sit in territorio Principis sæcularis, non ta-
11 men propriè est de eius territorio, quin (vt alij loquuntur) est extra territorium, & iurisdictionem Principis sæcularis. Atque ita docent Aymon. *consil. 908. n. 6. lib. 5.* Tuschus *verb. Ecclesia, concl. 5. n. 10.* Farinac. *in append. de immunit. cap. 22. num. 357.* Chassanæus *in consuetud. Burgund. rubr. 1. §. 5. n. 117.* Sperellus *decis. 3. n. 11. & 16.* Antonius de Matinis *cap. 116. per totum*, & alij.

Obiicies tertiò, bannitus, vel exul, hoc ipso, quod
12 transgreditur fines vetitos, confugiendo ad Ecclesiam committit crimen læsæ Maiestatis: ergo immunitate Ecclesiæ non gaudet.

Respondetur, transeat antecedens: at non com-
13 mittit in personam Principis, quod requiritur, vt Ecclesiæ immunitate non gaudeat, sicuti dicebatur *suprà dub. 32. sect. 4. & seqq.*

Obiicies quartò, hoc ipso, quod permanet in Ecclesia (cum in loco sacro sibi interdicto stare confidenter audeat) in illo actu delinquit: ergo illius immunitate non gaudet.

Respondetur, transeat, quod actu in illa delinquat: at non delinquit in illa occidendo, vel mutilando, quod requiritur, vt immunitate non gaudeat, sicuti dicebatur *suprà dub. 19. per totam.*

14 Obiicies quintò, cum Mario Italia *de immunit. Eccles. lib. 1. cap. 5. §. 8. num. 1. & seq.* & Cutellio *de immunit. Eccles. lib. 1. q. 17. num. 8.* quasdam literas Clement. VIII. Missas ad Archiepiscopum Bononiæ, & Nuncium Neapolis, in quibus præcipit Regularium Superioribus, ne bannitos, fraudulenter decoctos, fures, &c. in suis Conuentibus receptent, & detineant, sed expellant: ergo, &c.

15 Respondetur, de his literis vide, quæ dicebantur *suprà dub. 11. sect. 6. in fin.*

16 Cæterùm aduerte hic, quod exul, vel bannitus non solum non possit ab Ecclesia extrahi, sed nec etiam (non obstante, quod ex forma statuti, vel ex alio capite posset impunè interfici) in Ecclesia occidi, adeò quod taliter occidens, licet non possit puniri vt homicida, puniri tamen debeat vt Ecclesiæ, & Ecclesia- 17
sticæ immunitatis violator, sicuti rectè ex Remigio de Gonny notauit Peregrin. *de immunit. cap. 5. num. 11.* & videri potest Farinacius *q. 103. n. 323. & in append. de immunit. cap. 2. n. 39.*

An autem in tali casu occidens in Ecclesia exulem, vel bannitum, contrahat excommunicationem Gregorij XIV. contra extrahentes ab Ecclesia latam.

Respondetur affirmatiuè, vt *infrà dub. 37.* dicebatur.

## SECTIO XVIII.

### An immunitate priuetur cudens falsam monetam, vel bonam tondens?

#### SVMMARIVM.

1 *Cudens falsam monetam, vel bonam tondens, non priuatur immunitate, ob rationes supradictas.*
2 *Cudens falsam monetam, vel bonam tondens committit iniustitiam aduersus Rempublicam, & Regem: & sic committit furtum publicum, non tamen dicitur committere latrocinium publicum, quod requiritur ad perdendam immunitatem.*
3 *Cudens falsam monetam committit crimen læsæ Maiestatis in statum Principis, non autem in personam eiusdem.*

REspondetur negatiuè ob easdem rationes dictas, 1
quod scilicet non sit crimen hoc exceptum in iure communi, neque in Bulla Gregorij XIV. Atque ita contra Sarpum *de iure asylorum, cap. 5. fol. 52.* docent Guttierrez *pract. qq. ciuil. lib. 3. q. 4.* (vbi in crimine falsæ monetæ sic in Regali Cancellaria Pinciana decisum fuisse testatur.) Farinacius *in append. de immunit. cap. 6. num. 91.* Mar. Italia *lib. 1. cap. 5. §. 1. num. 15.* Diana *part. 1. tract. 1. resol. 31.* Villalob. *in summ. tom. 2. tract. 39. diffic. 7. num. 19.* Trulleneh. *in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 3. num. 28.* Peregrin. *de immunit. cap. 6. num. 11.* Nouarius *in summa Bullarum, tit. de immunit. num. 4.* Lezana *n. 16.* Bonacina *tom. 2. disp. 3. quæst. 7. punct. 6. §. 1. n. 4.* & Barbos. *de iure Ecclesiast. lib. 2. cap. 3. num. 122.* vbi ait, quod cùm Neapoli in Ecclesiam quidam monetarij confugissent, Prorex Paulo V. supplicauit, vt eius Nuncio mandaret, quod tales reos Regiæ Curiæ consignare vellet: & Pontifex sub die 19. Iulij 1519. mandauit, dari literas Nuncio, vt (constito sibi summariè, & ex processu laicorum, quod tales erant monetarij) eos consignari mandet.

Obiicies, talis committit iniustitiam aduersus Rem- 2
publicam, & Regem, & sic committit furtum publicum: ergo.

Respondetur, concedo vtramque partem antecedentis: at nego consequentiam, quia non committit latrocinium publicum (cùm non inferat violentiam cum publicitate, seu in loco publico, sed furetur clam, & sine violentia.) At latroni publico tantum, vt suprà suo loco dicebatur, imponitur pœna priuationis immunitatis. Vide *dub. 13.*

Iustabis, committit crimen læsæ Maiestatis: ergo, 3
&c.

Respondetur, distinguo antecedens: committit crimen læsæ Maiestatis in statum Principis, concedo; in personam Principis, nego. At ex dictis in hoc casu tantùm

tantùm immunitas Ecclesiarum denegatur. Vide *dubit. 23. sect. 4. & seqq.*

## SECTIO XIX.

### An immunitate priuetur Regia tributa, vel fiscum fraudans, aut Reipublicæ pecunias in suos vsus conuertens? Vbi etiam de obstricto ad reddendum ratiocinia ratione tutelæ, vel officij Regij.

### SVMMARIVM.

1 *Fraudans Regia Tributa, aut Reipublicæ pecunias in suos vsus conuertens, non priuatur immunitate.*
2 *Authentica de mandatis Principum, vt diximus fuit correcta per ius canonicum.*
3 *Ius ciuile, cum discordet à Canonico in materia immunitatis, standum est iuri canonico.*
4 *Obligatus ad reddendum ratiocinia ratione tutelæ, vel administrationis, si sit in fraude, multo minus priuabitur immunitate.*
5 *Textus* in can. vxor, 17. q. 4. *non loquitur de homine libero, sed de seruo.*
6 *Officialis Regius, & debitor ex causa syndicatus multò minus priuatur immunitate.*

1 REspondetur etiam negatiuè, ob easdem rationes dictas; atque ita contra Sarpum *de iure asylorum, c. 5. f. 1. 52.* & Cutell. *de immunit. Eccles. lib. 1. q. 32. n. 41. & seqq.* docent Angel. *verb. Immunitas, n. 15.* Silu. *eodem verb. 3. num. 8.* Tabien. *n. 8.* Armilla *n. 12.* Suarez *de relig. tom. 1. lib. 1. c. 11. n. 3.* Fagundez *præcept. 2. lib. 4. c. 4. n. 53.* Villalob. *in summ. tom. 2. tract. 39. d ffi. 7. n. 17.* (vbi citat Abbatem, Lopez, & Bobadillam) Ambrosin. *de immunit. c. 13. n. 2.* Farinac. *c. 3. n. 61.* Germon. *de sacror. immunit. lib. 3. c. 16. n. 11.* & Castrus Palaus *tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 8. n. 5.* & videri poterunt quæ dicebantur *dub. 11. sect. 5. & 6.*

Obiicies, est in contrarium Authent. *de mandatis Princip. §. publicanorum:* ergo, &c.

2 Respondetur, concedo antecedens. At id nihil obstat, quia correcta iam illa est per ius canonicum;
3 cùm autem in materia immunitatis discordat ius ciuile à canonico, standum est iuri canonico, etiam in foro ciuili, sicuti ex communi docent Gutier. *in pract. qq. lib. 4. q. 4. n. 4.* Tusch. *verb. Ecclesia, concl. 10. n. 19. & verb. Immunitas, concl. 59. n. 13.* Germon. *de sacror. immunit. lib. 3. c. 16. n. 21.* Peguera *in pract. crimin. c. 26. n. 6.* & Spellus *decis. 52. n. 32.* & nos dicebamus *supra dub. 5.*

Hinc sequitur primò, contra Cutell. *loc. cit.* quod à
4 fortiori multò minus immunitate priuetur obligatus ad reddendum ratiocinia ratione tutelæ, vel administrationis. Nec obstat textus *in cap. vxor, 17. q. 4.* vbi
5 quidam seruus obligatus ad ratiocinia reddenda, confugit ad Ecclesiam: & Gelasius Pontifex mandauit, quod præstito impunitatis iuramento, ex illa extraheretur. Nam (vt rectè aduertit præter alios Decianus *lib. 6. c. 28. n. 26.*) non loquitur textus ille de homine libero, sed de seruo, qui (cùm sit quid Domini) certum est, quod Domino, præstito impunitatis iuramento, restitui debeat.

6 Sequitur secundò, contra eundem Cutellium, quod similiter à fortiori multò minus immunitate priuetur officialis Regius obligatus, & debitor ex causa syndicatus, sicuti notauit præter alios Farinac. *in append. de immunit. c. 2. n. 66.* Vide quæ dicebantur *supra citata dub. 11. sect. 1. & seqq.*

## SECTIO XX.

### An immunitate priuetur iudex, vel alius minister extrahens ab Ecclesia confugientem ad illam?

### SVMMARIVM.

1 *Crimen extrahendi reos ab Ecclesia non est de exceptis: & ideo extrahens gaudet immunitate, contra graues Doctores.*
2 *Iudex, & minister in tali casu indignus est, vt immunitate gaudeat, cum alterum immunitate priuauerit, secus est inspecta Ecclesiæ pietate.*

REspondetur etiam negatiuè ob easdem rationes dictas, quod scilicet crimen extrahendi reum ab 1
Ecclesia non sit vnum de exceptis. Atque ita docet Farinac. *in append. de immunit. c. 6. n. 106.* Quamvis contrarium sentiant graues Doctores, inter quos Decian. *tract. crimin. lib. 6. cap. 25. n. 7.* & *c. 26. n. 9.* Mar. Ital. *de immunit. lib. 1. c. 5. §. 15.* Anast. Germon. *de sacror. immunit. lib. 3. c. 16. n. 104. & seqq.* Cutell. *de immunit. Eccles. lib. 1. quæst. 11.* & Petr. Gregor. *syntag. iuris lib. 33. c. 21. n. 3.* & *c. 22. n. 2.*

Obiicies, iudex, vel minister in tali casu indignus est, 2
vt immunitate gaudeat, cùm alterum immunitate priuarit, quapropter conqueri non potest, quod eadem mensura, qua alios mensus est, remetiatur: ergo, &c.

Respondetur, distinguo antecedens: indignus est, vt immunitate gaudeat, si spectetur ad pietatem Ecclesiæ, nego antecedens: si spectetur ad personam, & delictum, concedo antecedens. At hinc tantum sequitur, quod potuerit statui, quòd talis reus immunitate priuetur, non autem quod de facto sic statutum sit, cùm contrarium in Gregoriana appareat. Quapropter pro reo stat regula generalis, quod immunitate gaudare debeat: ita vt si ius commune *in cap. frater 10. causa 17. q. 4.* vel alibi oppositum præceperit, id iam correxerit Gregoriana.

## SECTIO XXI.

### An immunitate priuetur occidens clericum vel Regularem, vel etiam Episcopum?

### SVMMARIVM.

1 *Occidens clericum, vel regularem, vel etiam Episcopum, non priuatur Ecclesiæ immunitate, cum non sit homicidium de exceptis.*
2 *Occidens supradictos contrahit excommunicationem, non autem amittit immunitatem, quia priuilegium est concessum loco sacro, non personæ sacræ.*
3 *Excommunicationi esse annexum effectum priuandi excommunicatos immunitate, non reperitur in iure.*
4 *Occidens clericum saltem constitutum in sacris est parricida, sed impropriè, & dato, quod esset propriè, diximus parricidam gaudere immunitate.*
5 *Occidens clericum committit sacrilegium, & tamen per ea qua dicta sunt, non eximitur ab immunitate.*
6 *Occidens clericum committit crimen læsæ maiestatis, sed remotè.*
7 *Occidens clericum licet delinquat in Ecclesiam, non tamen delinquit materialiter, quod oporteret, vt priuetur immunitate.*

8 *Ecclesia cum diligat inimicos, ac se persequentibus benefaciat, occisores amplectitur.*

9 *Immunitas Ecclesiarum est solum in ordine ad iudices sæculares, non item in ordine ad iudices Ecclesiasticos.*

1 REspondetur etiam negatiuè, ob easdem rationes suprà dictas, quod scilicet inter homicidia excepta non ponatur, nisi homicidium proditorium, quale non est homicidium, de quo nunc loquimur. Atque ita docent Peregrin. *de immunit. Eccles. c.12.n.13.* Diana *p.1. tract.1.resol.39.* Boër. *decis.109.n.7.in fin.* Farinac. *de immunit. cap.7. n.114.* retractans sententiam oppositam, quam prius docuerat *in tract. de carcerib. q.28.num.29.* Mar. Ital. *de immunit. lib.1.c.2.§.vnic.n.6.* & *c.5.§.3.n.79.* Giurba *consil.70.n.9.* Anton. de Marinis *in quotid. resol. c.170.n.14.* & Ceual. *p.2.q.101.* contra Decian. *lib.6.c.28.* Ricc. *in prax. p.2.resol.290.* Sanch. *in select. disp.44.n.52.* Villadieg. *in Polit. c.3.n.212.* Cutell. *de immunit. Eccles. lib.1.q.24.* Suar. de Paz *in prax. tom.1.part.5.c.3.n.169.* Ludouic. Corream *in relect. de immunit. Eccles. p.3.n.37.* & Bobadil. *tom.1. lib.2. c.14.n.47.* qui citat Vasquium, & Remigium: videri etiam poterit Barbosa *de iure Eccles. tom.2.c.3.n.123.*

2 Obiicies ex Cutell. *loc. cit.* qui occidit clericum, vel Regularem, &c. contrahit excommunicationem: ergo priuatur immunitate Ecclesiæ.

Respondetur, concedo antecedens: at nego consequentiam, quia tale priuilegium concessum est loco sacro, non autem personæ sacræ. Vnde clericidium (vt dicebamus) non reperitur inter homicidia excepta; nec, quod excommunicatio habeat talem effectum,

3 reperitur in iure vnquam expressum. Vide quæ dicebantur *suprà dub.10.sect.3.*

4 Obiicies secundò, qui occidit clericum, saltem constitutum in sacris, est parricida, *cap.quis 9.dist.96.* ibi: *Quis dubitet, Sacerdotes Christi, Regum, & Principum, omniumque fidelium patres, & magistros censeri?* Ergo priuatur immunitate.

Respondetur: distinguo antecedens, est parricida impropriè, concedo: at in casu nostro ex dictis *suprà sect.3.* non est facienda extensio ad alia, præsertim ad impropria: est parricida propriè, nego. Respondetur secundò, transeat antecedens, at nego consequentiam, quia neque parricida propriè priuatur immunitate Ecclesiæ, sicuti dicebam *suprà sect.14.*

5 Instabis, committit sacrilegium: ergo.

Respondetur, concedo antecedens; at nego similiter consequentiam, per ea quæ dicebantur *suprà sect.8.*

6 Reinstabis, committit crimen læsæ Maiestatis diuinæ: ergo.

Respondetur, distinguo antecedens: ita vt committat immediatè in Deum, vel in personam Principis (quod requiritur, vt quis immunitate Ecclesiæ priuetur) nego: ita vt committat mediatè, seu remotè (quod nihil obstat) concedo. Vide, quæ dicebantur *suprà dub.23.sect.4.& seqq.*

7 Vrgebis, delinquit in Ecclesiam, cùm læsus clericus repræsentet Ecclesiam: ergo.

Respondetur, distinguo antecedens: delinquit in Ecclesiam, ita vt delinquat in materialem, in illa scilicet occidendo, vel mutilando (quod requiritur, vt quis immunitate Ecclesiæ priuetur) nego: ita vt delinquat in Ecclesiam alio modo, transeat. At hinc nihil sequitur contra nos, cum in pœnis, præsertim in casu nostro, non valeat argumentum à maioritate, nedum à paritate rationis, vt *suprà sect.3.* dicebamus. Vt omittam, quod Ecclesia, cum diligat inimicos, ac se persequentibus benefaciat, occisores amplectatur.

8 Cæterùm, an saltem qui occidit, vel quocumque alio modo offendit S.R.E. Cardinalem, immunitate priuetur? Vide *suprà dub.23.sect.1.n.7.*

Reurgebis ex eodem Cutellio, si clericus delinquit, 9
& confugit ad Ecclesiam, non gaudet immunitate Ecclesiæ: ergo par est, quod si laicus delinquat in clericum, neque gaudeat immunitate Ecclesiæ.

Respondetur, transeat antecedens: quod dixi, quia satis probabile est oppositum, vti dicebatur *dub.10. sect.12.* Nego tamen consequentiam, quia immunitas Ecclesiarum est solum in ordine ad iudices sæculares, non item in ordine ad iudices Ecclesiasticos, ob rationes dictas cit. *sect.12.*

## SECTIO XXII.

### An priuetur immunitate quoad crimina non excepta, delinquens in crimine excepto?

#### SVMMARIVM.

1 *Delinquens in crimine excepto non priuatur immunitate quoad crimina non excepta, siue ante, siue post commissa.*

2 *Casus procedit si iudex non intendit punire in eo homicidium proditorium, sed solum casum non exceptum.*

3 *Non est improbabile reum posse absolutè extrahi ab Ecclesia ob alia delicta non excepta, quando ob excepta absolutè priuatur immunitate.*

4 *Contrarium videtur probabilius, quia pœnales Constitutiones immunitatem derogantes accipiendæ sunt in rigorosa, & formali significatione.*

REspondetur, quod delinquens in crimine excepto, 1
neque priuetur immunitate quoad crimina non excepta, siue ante, siue post commissa, v.g. quod homicida proditorius non priuetur immunitate quoad crimen adulterij, stupri, simplicis furti, &c. siue ante, siue post commissi. Casus autem procedit, si iudex non in- 2
tendit punire in eo homicidium proditorium, quia si illud punire in eo intendat, & ob illius causam reum ab Ecclesia extrahat, absque dubio in tali casu in eo reliqua crimina punire potest, quia tunc non censetur iudex reum extrahere ab Ecclesia ob alia crimina, sed iam iustè extractum punit. At si solùm non excepta crimina in eo punire intendit (quamvis non impro- 3
babile sit, reum extrahi etiam posse, quia absolutè immunitate priuatus existit) tamen probabilius vide- 4
tur, extrahi non posse, quia pœnales Constitutiones immunitatem derogantes, accipiendæ sunt in rigorosa, & formali significatione: & sic Constitutio excludens reum ab immunitate in quibusdam casibus, accipienda est in eadem significatione, ita vt solum comprehendat delinquentes, quatenus tales sunt, id est, quatenus talia crimina commiserunt, & quoad alia crimina securi maneant, præsertim cùm Constitutio Gregorij XIV. vetuerit extrahi ab Ecclesia delinquentes, nisi pro delictis exceptis, sublata facultate aliter interpretandi. Atque ita contra Peregrinum *de immunit. cap.6.num.20.* Ambrosinum *cap.5. num.10.* Sanchez *in select. disp.44. num.52.* & Sarpum *de iure asylorum, cap.5. fol.60.* docent Farinacius *de carcerib. q.28.num.67. in fin.* Decian. *tract. crimin. lib.6.c.26.n.6.* Diana *part.1.tract.1.resol.39.* & Bonacina *disput.3.quæst.7. de immunit. punct.4.in fin. num.23.* Vide quæ dicebantur *suprà dub.10. sect.4.& dub.22.*

## SECTIO XXIII.

An immunitate priuetur, qui vulnerat, vel etiam occidit Sacerdoti peccata sua actu confitentem, vel actu quodcumque aliud Sacramentum sumentem?

### SVMMARIVM.

1 & 2. *Occidentes pœnitentem Sacerdoti sua peccata confitentem, vel quodcumque aliud Sacramentum actu sumentem, non priuantur immunitate, secus si id facinus committant animo hæreticali, aut cum errore intellectus.*

3 *Neque valet argumentum in hoc delicto à paritate, vel maioritate rationis.*

4 *Talis delinquens indignus est, vt ab Ecclesia recipiatur spectato delicto, & persona, secus est spectata Ecclesia pietate.*

1 REspondetur etiam negatiuè, ob easdem rationes supradictas: atque ita præter alios in terminis docet Diana *p.6.tract.1.resol.26.* contra Barbos. *de iure Eccles. lib.1.cap.3.n.98.* & Trullench. *in Decalog. tom.1. lib.1.c.11.dub.3.n.21.*

Obiicies, qui in vilipendium Sacramenti Confessionis, vel cuiuscumque alterius Sacramenti tantum facinus committit, contemnit Ecclesiam, & Christum Dominum auctorem Sacramentorum: ergo immunitate priuatur.

2 Respondetur, distinguo consequens, si id facinus committat animo hæreticali, seu cum errore intellectus, saltem rationabiliter præsumpto, concedo consequens, quia tunc immunitate priuatur, vt hæreticus, vel saltem, vt de hæresi suspectus: si id facinus committat non tali, sed alio modo, nego consequentiam; quia tunc facinus, licet sit grauissimum, & enorme, non tamen est de exceptis: iura autem antiqua, & maximè Constitutio Gregorij XIV. omninò vetuit, extrahi reum, præterquam in casibus exceptis, sublata etiam facultate aliter interpretandi. Quapropter ad minus censeo in tali casu consulendum esse Summum Pontificem.

Instabis, qui committit homicidium proditorium, vel qui occidit, vel etiam mutilat in Ecclesia, & secundùm aliquos etiam extra Ecclesiam, cum spe confugiendi ad Ecclesiam, immunitate priuatur: ergo multò magis priuabitur, qui in vilipendium Confessionis, vel cuiuscumque alterius Sacramenti tantum facinus committit.

Respondetur, nego consequentiam; quia in pœnis (præsertim in præiudicium immunitatis Ecclesiasticæ,
3 quæ quammaximè fauorabilis est) non valet argumentum à paritate, vel maioritate rationis, vt *supra* dicebamus *sect.3.*

Vrgebis, indignus est, vt ab Ecclesia recipiatur, *cap. fin. de immunit. Eccles.* ergo.

4 Respondetur, distinguo antecedens: indignus est, vt ab Ecclesia recipiatur, si spectetur delictum, & persona, concedo (quapropter p terat quidem in ipsum talis pœna statui, at esse statutam, nec ex iure antiquo, nec ex nouo Gregorianæ Constitutionis apparet:) si spectetur pietas S. Matris Ecclesiæ, in quo magis relucet eius pietas, nego. Vide, quæ dicebantur *suprà dub.19.*

## DVBITATIO XXV.

An possit reus è loco sacro extrahi inuitus?

## SETIO I.

### Dubitationis Resolutio.

### SVMMARIVM.

1 *Reus è loco sacro extrahi inuitus, & contra voluntatem Ecclesiæ non potest.*

2 *Reus si liberè à loco sacro egrediatur, potest capi, & puniri per iudicem laicum, cum immunitas res concessa sit tantum ratione loci.*

REspondetur, quod non possit reus è loco sacro 1
extrahi inuitus: quod si extractus fuerit inuitus, restituendus sit Ecclesiæ. Atque ita habetur *in l.2. Cod. de his qui ad Ecclesiam confug.* & *in cap. inter alia, de immunit. Eccles. cap. de his qui ad Eccles. confug. cap. sicut antiquitus, cap. miror, c. frater, c. reum,* & *c. desinuit, 17.q.4.*

Dixi, quod *non possit reus à loco sacro extrahi inui-* 2
*tus*, quia si liberè egrediatur, poterit eum sic egressum iudex sæcularis capere, & punire, cùm immunitas reo concessa sit ratione loci. Vnde cum dicitur, non violari immunitatem Ecclesiæ, si capiatur reus in Ecclesia seipsum offerens, nolens scilicet frui immunitate Ecclesiæ, intelligitur, dummodo non capiatur in loco sacro, sed postquam exiit è loco sacro, cum immunitas sit directè concessa loco sacro, cuius priuilegio non potest ipse cedere, iuxta ea, quæ dicam *dub.26.* & ex communi docent Nauar. *cap.15. num.21.* Graff. *lib.1.cap... num.47.* Couarru. *cit. cap.10. num.17.* Farinac. *in append. de immunitat. cap.9.n.306.* Decian. *cit. lib.6.cap.26. n.11.* Suar. *lib.3.cap.12.n.5.* & 6. Lezana *verb. Immunitas Eccles. num.18.* Layman *lib.4. tract.9.c.3.n.13.* & Bonacina *disp.3. quæst.7. de immunit. punct.5.* Hinc.

## SECTIO II.

An, & quid dicendum, si egressus fuerit necessitate ductus?

### SVMMARIVM.

1 *Reus egressus ab Ecclesia tantum ad exonerandum ventrem statim regressurus, quia indecens est, vt Ecclesia Dei his immunditiis sordescat, gaudet immunitate.*

2 *Reus ad necessaria naturæ, absque eo, quod in domibus extraneorum se recipiat, potest ab Ecclesia progredi per spatium 30. passuum, vltra quod non prodest excusatio.*

EX dictis sequitur primò, quod idem dicendum sit, 1
si necessitate ductus, v.g. ad exonerandum ventrem, statim regressurus, egressus fuerit: indecens enim est, quod Ecclesia Dei, locus sacer, qui omni odore bono olere debet, his immunditiis sordescat: quapropter tunc iudex non poterit eum capere, & punire, cùm in

tali casu non censeatur moraliter egressus è loco sacro, vti docent præter alios Fagundez *de præcept. Eccles. lib.4.c.4.n.56.* Cutellius *de immunit. Eccles. lib.1.q.26. n.11.* & Bonacina *cit.punct.6.n.1.in 2.effectu.* Vide etiam Suar.*verb.Immunitas,3.n.34.* Dian.*part.1.tract.1.resol.36.*

2 Vide tandem *cap.diffiniui,33.* ibi: *Sic tamen, vt hi, qui ad eam conf. giunt, in extraneis, vel longè separatis ab Ecclesia domibus nullo modo absedant, sed in hoc 30. passuum numero absque domorum extranearum receptaculo progredientes,aditum obtinebunt, qualiter ad requisita naturæ vsum debitis exeant locis, & nullo teneantur euentu necessitudinis, qui Dominicis se defendendos commiserint locis.* Vnde colligi videtur, quod ad hunc finem datum sit hoc spatium, & vltra hoc spatium non prosit excusatio.

## SECTIO III.

### An, & quid dicendum, si extractus fuerit per vim?

#### SVMMARIVM.

1 *Reus si per vim extractus sit ab aliquo loco sacro,debet à iudice Ecclesiæ restitui, & sic non puniri, cum talis extractio, vtpotè violenta,sit nulla.*

2 *Iudex, qui non fuit particeps violentæ extractionis non violat immunitatem physicè, secus est moraliter.*

3 *Iudex secularis si ab alio reum extractum à loco sacro Ecclesiæ non restituat, primam iniustam extractionem continuat, & sic Ecclesiæ immunitatem violat.*

1 SEquitur secundò, quod idem etiam dicendum sit,si per vim ab aliquo inde extractus fuerit; quia tunc iudex neque poterit eum capere, & punire, sed tenebitur Ecclesiæ restituere, cum talis extractio, vtpotè violenta, nulla sit, & sic reo præiudicare non debeat. Vide *infrà sect.4.& 5.*

Confirmatur, quia alioquin facilè posset iudex confugientes ad Ecclesiam capere, & punire, si per vim ab aliis extractos licitè capere, & punire posset, vt docet Valent. *tom.2. disput.6. quæst.15. punct.1. ad 2.* Genuens. *in prax. cap.17. num.6.* & Bonac. *disp.3.q.7. de immunit. punct.2.* contra Suar. *lib.3. cap.12. num.19. in fin.*

2 Obiicies, iudex,qui non fuit particeps violentæ extractionis, non violat immunitatem; quia non extrahit delinquentem è loco sacro, sed profano,ergo: sic Suar.*in loco suprà cit.* quamvis subdat, quod sic primò extrahens teneatur extracto damna omnia quoad possit, compensare.

Respondetur, nego antecedens: & distinguo probationem, non extrahit delinquentem è loco sacro, sed profano; physicè, concedo; moraliter, nego: quia delinquens, quamvis existat extra locum sacrum corporaliter, moraliter tamen reputatur, ac si in loco sacro sit, cùm extractio, vtpotè violenta (vti dicebam) nulla fuerit, & sic priuilegium immunitatis reus non
3 amiserit: quapropter si Ecclesiæ iudex eum non restituit, primam iniustam extractionem continuat, & sic Ecclesiæ immunitatem violat.

## SECTIO IV.

### An, & quid dicendum, si egressus fuerit per metum?

#### SVMMARIVM.

1 *Reus extractus per metum ei incussum, puta ob persuasam extractionem de eo faciendam à iudice seculari à loco sacro,non potest capi, neque puniri, cum moraliter in tali casu extrahi censeatur.*

SEquitur tertiò, quod idem etiam dicendum sit, si per metum iniustè illatum,& non vanum, sed fundatum (quod v. g. à iudice laico extrahendus sit) ex Ecclesia egressus fuerit; quia tunc iudex neque poterit eum egressum capere, & punire, cum in tali casu moraliter non tam egredi, quàm per violentiam extrahi ex Ecclesia censeatur. Atque ita docet præter alios Farinac.*in append.de immunit.cap.2.n.55.* & Lezana *verb. Immunitas Eccles.n.18.*ex *cap. sicut antiquitus,& c. miror, 17.q.4.* Quidquid in contrarium sentire videantur Abbas,Syluester,& alij apud Peregrin. *c.14.n.2.*quatenus aiunt, quod non violet immunitatem Ecclesiæ, & sic non contrahat excommunicationem iudex,qui verbis iniuriosis, vel minis inducit reum ad egrediendum è loco sacro,egressumque ex illo in carcerem coniicit, ex eo, quia immunitas violatur, & excommunicatio incurritur tantum ob violentam extractionem, vel cooperationem ad illam: nam ad hoc istorum Authorum fundamentum facile responderi potest ex dictis.

## SECTIO V.

### An, & quid dicendum, si voluntariè egressus fuerit,rogatus vel blanditiis,vel doctoris verbis inductus?

#### SVMMARIVM.

1 *Reus rogatus, vel blanditiis, vel dolosis verbis inductus,ab Ecclesia voluntariè egressus capi, & puniri potest, cum in tali casu non violenter ab Ecclesia extrahatur.*

2 *Extractio sola violenta in iure prohibetur.*

3 *Adducuntur in medium plures sacri Canones prohibentes dictam extractionem, & iubentes restitutionem, contra nonnullos graues DD. contrarium sentientes.*

4 *Blanditiæ, & præcipuè dolosa verba violentiæ æquiparantur.*

5 *Beneficium non confertur in inuitum,& volenti non fit iniuria.*

6 *Ecclesia ius propriæ immunitatis illæsum curat, non rei vtilitatem, nisi quatenus sacris adhæret, quo semel discedente,ius coniunctionis cessat, separataque de reo ratio habetur.*

7 *Blanda, & fallaciæ verba æquiparantur violentiæ,habito respectu ad mulierem, & valde impropriè,secus habito respectu ad virum; nam necessarius est metus cadens in virum constantem.*

8 *In iure vani timoris, ac doli ratio non habetur.*

9 *Ecclesia non fauet reis,vt reis, sed quatenus ad ipsam tanquam ad asylum confugiunt, ne ipsa violetur.*

10 *Ecclesia nunquam id sibi ad fauorem reputat, quod renuentibus canonibus fit, quia fauorum per iniuriam captatrix non est.*

11 *Ecclesia respuit rescripta fauorabilia contra ius impetrata.*

12 Excom

12 *Excommunicatio non contrahitur si in iure non sit expressum.*

13 *Iudex promittens impunitatem reo, ad effectum ipsum extrahendi ab Ecclesia, tenetur stare promissis, aliàs potest cogi per Episcopum ad dandam hanc securitatem, cum secus talis cessio immunitatis esset nulla.*

14 *Tenetur etiam iudex restituere reum Ecclesiæ, si priuata persona eum ab Ecclesia extraxerit per deceptionem, cui iudex consenserit.*

15 *Secus, si iudex deceptioni non consenserit; qui tamen decepit, tenetur reo compensare damna, & expensas.*

1 SEquitur quartò, quod è contra, si rogatus, vel blanditiis, vel dolosis verbis inductus ex Ecclesia voluntariè egressus fuerit, capi, & puniri possit, cùm in tali casu non violenter ex Ecclesia extrahatur, & ex alio capite sola extractio violenta in citatis iuribus
2 prohibeatur. Atque sic ex communi docent Nauar. *c.25.n.21.* Decian. *lib.6. cap.26.n.11.* Farinac. *in append. de immunit. cap.19.n.302.* Suar. *lib.3.c.13.n.2.* Filliuc. *tom.1. tract.15.c.6.n.154.* Duard. *in Bull. Cœn. lit.2. conf.15.q.16. n.34.* Fagundez *cit. lib.4.c.4.n.66.* Layman *lib.4. tract.9. c.3.n.13.* Cutellius *de immunit. Eccles. lib.1.q.26.* & Bonacina *disp.3.q.7. de immunit. punct.2. vers.6. arg. cit. cap.*
3 *inter alia*, ibi: *Non est violenter extrahendus, & cap. miror 8. caus.17.q.4.* ibi: *Hominem de Ecclesia rapuisti*, & infrà: *Ecclesiæ igitur illæsum reuoca, quem irreligiosissimè rapuisti, & c. frater 10. eadem causa, & quæst.* ibi: *Vt hominem in sanctuariis constitutum, captata sacerdotis absentia, reluctantem, reclamantemque violenter abstraherent: & in Canon. si quis contumax, 20.* ibi: *De porticibus Ecclesiæ quolibet modo adhærentibus per vim abstraxerit: & in Canon. definiuit, 33.* ibi: *Nullus audeat confugientes ad Ecclesiam, vel residentes inde vi abstrahere, vel quodcumque nocibilitatis, &c. inferre: & in Canon. constituimus, 34.* ibi: *Timore aliquo, vel ob compositionis spem ab Ecclesia discedens, à clericis repeti non debet*, quasi dicatur, sibi imputet qui vano ductus timore, respectu, vel spe se cum læso componendi, Ecclesiæ refugium deserit, ac alibi se recipit, *argum. l.1. ff. de eo, per quem factum fuerit, vers. quamvis.* Idemque habetur *in l.3. C. de his, qui ad Eccles. confug.* ibi: *Si quis eos conetur inuadere: & in l. præsenti, Cod. eodem*, ibi: Expelli, aut trahi, vel protrahi confugas: & in Constit. ipsa Gregorij XIV. ibi: *Ne confugas in Ecclesia existentes sæcularis iudex, eiusque ministri capere, extrahere, vel incarcerare possint*, quæ verba vim propriè continent, ac supponunt: ergo, &c. Quamvis contrarium sentiant alij nonnulli graues Doctores, vt Megalius *in 3.p. lib.4.c.2. q.1.n.32.* Bobadil. *in Polit. tom.1. lib.2.c.14.n.80.* Anton. de Marinis *resol. quotid. c.78.* Mastrillus *lib.2. decis.169. n.12.* Villadieg. *in Polit. c.3.n.222.* Lezana *verb. Immunitas, n.19.* & Diana *p.1. tract.1. resol.26* ex eo, quod blanditiæ, & præcipuè dolosa verba, violentiæ æquiparentur: & hæc opinio Ecclesiæ fauorabilis videatur. Vide Suar. *n.17.* Layman *cit. n.13.*

4 At quod dixi, est multò probabilius, tum ob Canonum, & iurium verba, quæ violentam tantùm extractionem damnant, & improbant: tum ob casum expressum Canonis, *id constituimus*, clericis præcipientem, ne confugam inde timore exeuntem reduci curarent: tum ob rationem, quia cùm confuga nequeat inuitus extrahi, ne Ecclesia violetur, cessat omnis ratio,
5 vbi ille Ecclesiam volens relinquat; præsertim, quia beneficium non confertur in inuitum, & volenti non fit iniuria, *l. in diem, ff. de aqua pluu. arcenda*, præsertim
6 etiam, quia Ecclesia ius propriæ immunitatis illæsum curat, non rei vtilitatem, nisi quatenus sacris adhæret, quo semel discedente ius coniunctionis cessat, separataque de reo ratio habetur, *l. eum actum, ff. de negot. gestis.*

Accedit, quod licet blanda, & fallacia verba aliquando violentiæ æquiparentur, id est per exaggerationem, & valde impropriè; quapropter ad summum in muliere locum habere potest: nam vbi cum vitis agitur, requiritur violentia, vel saltem metus cadens in constantem virum; siquidem in iure vani timoris, & doli 8
ratio non habetur, *cap. cùm dilectus, de his, quæ vi, metusve causa fiunt*, ibi: *Non obstante violentia, qua proponebatur illata, cùm neque metum mortis, neque cruciatum corporis contineret, & ideo non debuerat cadere in constantes, non obstante dolo, quo se proponebant fuisse seductos, cùm talis dolus non tam ad circumuentionem prædictorum, quam ad fatuitatem eorum debeat retorqueri, super restitutione petita silentium eis duximus sententialiter imponendum, & l.1. ff. de eo, per quem factum erat*, ibi: *Sibi eum imputare debere, qui credulus fuerit.*

Quod verò dicitur, quod hæc opinio Ecclesiæ fauo- 9
rabilis videatur, nego assumptum, cùm Ecclesiæ per id tantum consultum sit, quod fines ipsius non violentur, sed maneant illæsi, & illibati: quapropter quod inde 10
recedentibus confugis damnum sequatur, Ecclesia non curat, quia non fauet reis vt reis, sed quatenus ad ipsam, tanquam ad asylum confugerint, ne ipsa violetur. Accedit, quod Ecclesia nunquam id sibi ad fauorem reputat, quod renuentibus Canonibus fit, quia fauorum per iniuriam captatrix non est: vnde rescri- 11
pta fauorabilia contra ius impetrata respuit, *c. dicenti, 25.q.2.* ibi: *Concessa prænalere, & effectui mancipari, quæ cum iuris, & legum ratione concordant.* Accedit secundò, 12
quod nostro casu contraheretur excommunicatio, quæ est maxima pœna, & propterea vt non contrahatur, sufficit dicere, quod verba canonis id non dicant, vt *in leg.1. ff. de aleator.* ibi: *Prætor enim simplici ver ait*, & *in l. si verò, §. de viro*, ibi: *Nihil in lege scriptum est. ff. solut. matrim.*

Excipe, nisi iudex criminis impunitatem promise- 13
rit, & sub hac promissione reus ex Ecclesia egressus fuerit, quia tunc (delictum non erat exceptum) videtur capi, & puniri non posse non secus ac si in Ecclesia existeret, cùm ipse immunitatis priuilegio cesserit pro securitate à iudice promissa, & sic iudex teneatur, & si nolit, per Episcopum cogi possit, hanc securitatem seruare, cùm aliàs talis cessio immunitatis sit nulla, sic tradunt Nauar. *c.25.n.22. in fin.* Azeued. *lib.1. tit.2. leg.3. n.13. & seqq.* Farinac. *de carcerib. q.81.n.282. & in append. de immunit. c.19 n.301.* Barbosa *in tract. de vniuers. iure Eccles. tom.2. c.3.n.54.* Cutellius *de immunit. Eccles. lib.1. q.27.n.11.* Sanch. *tom.2. consil. moral. lib.6. cap.1. dub.12.* Lezana *verb. Immunitas Eccles. n.19.* & Azor. *2.p. lib.9. c.9.q.11.* Vide etiam Salonium *2.2. q.60. art.4. contr.2.* Lessium *lib.2.c.19. dub.9.n.52.* & Genuens. *in prax. c.17. n.5.* qui refert, sic in terminis iudicatum in Curia Archiepiscopali Neapolitana anno 1698. quòd scilicet in casu, quo quis ab Ecclesia, cuius immunitate gaudebat, extractus fuerit sub promissione, quod non puniretur ipsi à iudice facta, non debeat, nec possit puniri, quia in tali casu fides ipsi seruari debet, vel ad Ecclesiam remitti propter ius, quod habet ad immunitatem Ecclesiæ simul cum ipsa Ecclesia. Excipe secundò, nisi reus à 14
priuata persona per deceptionem extra Ecclesiam traheretur, & iudex tali deceptioni consenserit, quia tunc iudex capiens illum teneretur Ecclesiæ restituere, secus, si talis deceptionis iudex particeps non fuerit, quia si 15
reum sic deceptum extra Ecclesiam inuenerit, poterit illum capere, & contra illum procedere, quamvis priuata illa persona, quæ decepit, teneatur ratione iniustæ actionis reo decepto damnum, & expensas compensare.

## DVBITATIO XXVI.

### An possit reus è loco sacro extrahi contra voluntatem Ecclesiæ.

#### SVMMARIVM.

1 *Reus è loco sacro extrahi contra voluntatem Ecclesiæ non potest, secus de Ecclesiæ voluntate in delictis exceptis.*

2 *Reus in delictis exceptis nullum ius habet ad immunitatem Ecclesiæ, & sic Prælatus Ecclesiæ tueri illum non potest.*

3 *Prælatus Ecclesiasticus accepta securitate quod reus pro delictis non exceptis non punietur, potest eum iudici sæculari consignare, si expedire iudicauerit, spectato tamen iure loci.*

4 *Prælatus Ecclesiasticus si per consignationem factam iudici laico de reo, iudex nolit stare promissis, potest eum compellere per Ecclesiasticas censuras, spectato iure communi.*

5 *Prælatus Ecclesiasticus non potest in casibus non exceptis consignare iudici laico reum inuitum spectata constitutione Gregoriana.*

6 *Immunitas loci sacri ne violetur debet in casibus non exceptis concurrere consensus delinquentis, & consensus Ecclesiæ.*

7 *Consensus solius delinquentis in casibus non exceptis non sufficit, cum tale priuilegium non ratione sui, sed ratione loci sit concessum, nec ab eo etiam cum iuramento renunciari possit.*

8 *Clericus non potest in præiudicium status clericalis renunciare priuilegium canonis, etiam cum iuramento.*

9 *Clericus potest in ciuilibus se subiicere iudici sæculari, qui tamen non potest exequi mandatum à se relaxatum contra ipsum, sed debet adiri superior Ecclesiasticus.*

10 *Clericus in causa reconuentionis potest iudicari à iudice sæculari.*

REspondetur, quod non possit reus è loco sacro extrahi contra voluntatem Ecclesiæ: patet ex iuribus adductis *supra dub.25.sect.1.n.1.*

1 Cæterum ex voluntate Ecclesiæ extrahi potest: &
2 quidem quod possit in delictis exceptis, docent Doctores omnes, cùm tunc reus nullum ius habeat ad immunitatem Ecclesiæ, & sic Prælatus Ecclesiæ tueri illum non possit: in delictis autem non exceptis, docent Suar. *lib.3. cap.13. num.3.* Cutellius *de immunit. Eccles.lib.1.quæst.32.num.24. & seqq.* & *q.40. num.4.* &
3 Layman *lib.4.tract.9.cap.3.num.13.* (iuramento tamen, vel simili cautione à mortis, & omni alia corporali pœna immunitatis à iudice accepta) ex eo, quia *in cap.reum,* & *in cap. id constituimus,17.q.4.* dicitur: *Reos abstrahere non liceat, sed neque alteri consignare, nisi ad Euangelia datis sacramentis, de morte, debilitate, & omni pœnarum genere sunt securi:* Ergo data hac securitate poterit Ecclesiæ Prælatus (si expedire iudicauerit)
4 reum iudici laico consignare, etiam inuitum: Layman, Cutellius, & Suarez, qui subdit, quod in tali casu iudex laicus teneatur promissum seruare, & si seruare noluerit, compelli debeat ad illud seruandum ab Ecclesiæ Prælato per censuras. Vide etiam Abb. *in cap.inter alia, in fin.de immunit.Eccles.* Silu. *verb.Immunitas 3.q.4.* & Azor.*tom.2.lib.9.c.9.q.10.*

5 At licet,quod docent Suarez,Cutellius,& Layman, verum sit, spectato iure communi, spectata tamen Constitutione Gregorij XIV. probabilius videtur opositum (quod scilicet Ecclesiæ Prælatus non possit reum inuitum consignare iudici sæculari extra casus exceptos) ex eo, quia in citat. Constitutione solum in casibus exceptis datur Ecclesiæ Prælatis talis facultas: ergo tacite in aliis casibus denegatur, præcipuè cùm in eadem Constitutione subdatur, esse irritum, & inane, quod contrà actum fuerit. Vide quæ dicentur *infra dub.39.& 40.per totam.*

Itaque ne immunitas loci sacri violetur, debet in 6
casibus non exceptis concurrere consensus delinquentis, & consensus Ecclesiæ: non enim sufficit consen- 7
sus solius delinquentis, cùm tale priuilegium non sit ipsi concessum, ratione sui, sed ratione loci: & sic ab ipso, etiam cum iuramento (quidquid in contrarium dicat Cutellius *de immunit. Eccles.lib.1.q.30.num.14.* & Barbosa *de iure Eccles.tom.2.cap.3.num.58.*) renunciari 8
non potest in præiudicium loci; sicuti etiam cum iuramento renunciari non potest priuilegium Canonis, vel fori à clerico (cùm ipsi illud non ratione sui, sed ratione ordinis, concessum sit) v.g.quod iniuriosè grauiter percutiatur, vel licitè, aut validè à iudice sæculari, siue in criminalibus, siue etiam in cilibus iudicetur, *c.inolita, 11.q.1.* & *c.placuit, ibid.* & *c.si diligenti, de foro compet.* Quamvis possit clericus se subiicere in 9
ciuilibus iudici sæculari, vt arbitror, qui tamen clericum nolentem stare sententiæ non potest per se cogere. Et quamvis possit clericus vt actor, laicum pertrahere ad iudicem sæcularem, non autem vt reus pertrahi, item & possit clericus in casu reconuentionis à 10
iudice sæculari iudicari, vt si dum laicum pertrahit ad iudicem sæcularem, laicus vicissim illum in causa ciuili reconueniat, vt expressè docet Gloss. communiter recepta *in cap.2.de mutuis petitionibus*, & colligitur tum ex *illo cap.* tum *ex 3.q.8. c.1.* Vide Farinacium *in append. de immunitate, cap.19. num.304.* Vide etiam quæ dicebam *lib. de Parlamentis, dub.4. sect.19. subsect.27.* & *dub.27. sect.8. subsect.3.* & *supra cap.9. dub.34.*

## DVBITATIO XXVII.

### An possit reus in Ecclesia incarcerari, vinculis alligari, vel alio modo vexari: vbi etiam quid interim fieri possit, donec examinatur causa?

#### SVMMARIVM.

1 *Reus in Ecclesia carcerari, vinculis alligari, vel alio quocumque modo vexari non potest.*

2 *Reus neque potest in Ecclesia vinculis alligari, saluo iure restituendi loco sacro.*

3 *Reus etiam quando dubitatur an delictum sit receptum necne, non debet in Ecclesia vinculis alligari, sed potest iudex laicus mittere custodiam extra locum sacrum.*

4 *Custodiam ponere extra locum sacrum, non est ipsum obsidere, neque reum ibidem vexare, sed profanum locum obseruare, & in illo custodiam constituere.*

5 *Iudex Ecclesiasticus in delictis exceptis casu quo nolit consignare Curiæ sæculari reum, debet illum custodire in carcere Ecclesiastico, dum causam examinet.*

6 *Reus dum causa examinatur an gaudere debeat, necne immunitate, gaudet ipsa immunitate Ecclesiæ.*

7 *Ecclesia dum causa examinatur habet pro se regulam, quod quilibet cuiuscumque conditionis ad ipsam confugiat, sit in ipsa tutus.*

8 Ecclesia

8 *Ecclesia debet conseruari in sua possessione, cum ibi Reus reperiatur, donec de veritate constiterit.*

9 *Reus regulariter etiam de iure communi, non est consignandus Curiæ sæculari, vt in eius carceribus detineatur, sed tutus manere debet pœnes Iudicem Ecclesiasticum.*

10 *Iudex Ecclesiasticus non potest donec articulus discutitur custodire Reum in carceribus Iudicis laici, licet id fiat nomine Episcopi, contra nonnullos.*

11 *Iudex laicus, qui extrahit Reum in casibus exceptis non potest etiam dando cautionem de immunitate, in suis carceribus detinere; sed debet Ecclesiæ restituere, etiamsi Reus sic extractus iuri suo cedere velit.*

12 *Iudex laicus non potest ligere Reum in Ecclesia, neque de Episcopi licentia, nisi forsan id faciat ad instantiam Episcopi, seu nomine Episcopi, & non proprio.*

1 RESpondetur, quod non possit reus in Ecclesia incarcerari, vinculis alligari, vel alio quocumque modo vexari; quia hoc esset locum sacrum è loco sacro carcerem fieri, & in loco exempto iurisdictionem exerceri; sic habetur *in cit. l. præsenti, Cod. de his, qui ad Eccles. confugiunt*, & *in cit. c. definiuit*, 17. *quæst.* 4. & docent ex communi Couar. *num.* 17. Tusch. *verb. Ecclesia, concl.* 10. *num.* 12. & 16. Suarez *lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 2. *& seqq.* Decian. *tractat. crimin. lib.* 6. *cap.* 27. *num.* 6. Farinac. *de carceribus quæst.* 28. *num.* 9. & *in append. de immunit. cap.* 19. *num.* 297. Mar. Italia *de immunitat. lib.* 1. *cap.* 6. §. 2. *num.* 51. Scortia *Theor.* 385. Layman *num.* 13. Bonacina *disput.* 3. *quæst.* 7. *de immunit. punct.* 5. & alij passim.

2 An autem possit vinculis alligari in Ecclesia, vel alia via custodiri, verbi gratia extrahi (saluo iure restituendi loco sacro) ex Ecclesia, donec ab Ordinario examinetur causa, vtrum debeat reus immunitate gaudere?

Respondetur negatiuè; tum ob rationes iam dictas; tum quia *in cit. l. præsenti*, indefinitè præcipitur, ne ipsi requies denegetur; & *in cit. cap. definiuit, indefinitè* præcipitur, ne ipsi aliqua vis, nocibilitas, vel damnum inferatur, quin & possit, quod modo non est in vsu, per triginta passus ab Ecclesia egredi; ergo supponitur, quod vinculis ibi alligari, vel alio modo vexari non possit. Atque ita docent Suarez *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 2. Fagundez *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 55. Diana *part.* 6. *tract.* 1. *resol.* 29. & Bonacina *disputat.* 3. *quæst.* 7. *de immunit. punct.* 5. in secundo effectu. Quamvis contrarium teneant Clar. *in pract.* §. *fin. quæst.* 30. Sarpus *de iure Asylorum, cap.* 6. *fol.* 65. Farinacius *de carcerib. quæst.* 28. *num.* 10. & esse probabile ex vi consuetudinis defendat Fontanella, *decis.* 200. & 201.

Obiicies ex Claro, Sarpo, & Farinacio in locis *suprà* citatis; dum causa examinatur, dubium est, ad cuiusnam iurisdictionem spectet delinquens: ergo Iudex sæcularis, vt se seruet indemnem, poterit eum, ne fugiat, vinculis ibi alligare, vel in custodiam tradere.

Respondetur, transeat antecedens: at nego consequentiam; quia hoc non est, Iudicem sæcularem seruare se indemnem, sed falcem mittere in messem alienam; cùm reus, dum est in Ecclesia, sit extra territorium, & iurisdictionem Iudicis sæcularis; & præterea Iudex sæcularis alio modo possit se indemnem seruare, apponendo scilicet custodiam extra locum sacrum, vt si forte inde egrediatur, capi possit; cùm hoc non sit locum sacrum obsidere, neque reum ibidem vexare; sed profanum locum obseruare, & in illo custodiam constituere, sicuti docent idem Farinacius *in append. de immunit. cap.* 19 *num.* 69. *in fin.* Mar. Ital. *de immunit. Eccles. lib.* 1. *cap.* 6. §. 2. *num.* 52. Suarez *lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 4. Megalius *in tertia part. lib.* 4. *cap.* 2. *quæst.* 1. *num.* 29. Peregrin. *de immunit. Eccles. cap.* 13. *num.* 10. Diana *part.* 1. *tract.* 1. *resol.* 8. *in fin.* Fagundez *part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 55. Perficus *de offic. sacer. lib.* 1. *cap.* 9. *dub.* 12. *num.* 116. Raphaël de la Torre *tom.* 2. *in* 2. 2. *quæst.* 99. *art.* 3. *disp.* 7. & Bonac. *disput.* 3. *quæst.* 7. *de immuni. punct.* 5.

Instabis, in Constitutione Gregorij XIV. dicitur: *Quodque delinquentes laici prædicti, postquam, vt præfertur, ab Ecclesiis, locisve extracti, & capti fuerint, ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub vno, & firmo carcere, ac opportuna custodia data illis, si opus fuerit, per Curiam sæcularem detineri, neque inde extrahi, &c.*

Respondetur, sermonem ibi esse, non de alligatione facta in Ecclesia, sed in carcere Ecclesiasticæ iurisdictionis, & hoc in criminibus exceptis, casu quo requisitus Iudex Ecclesiasticus noluerit reum dum causam examinat, sub tuto loco habere. 5

At, quod dum causa examinatur (vtrum scilicet reus gaudeat immunitate) non possit Iudex sæcularis illum ab Ecclesia extrahere, & in suis carceribus detinere (saluo iure restituendi loco sacro, quando immunitate gaudere iudicatus fuerit, vt præcipuè Sarpus *loco cit.* contendit) patet ex rationibus iam suprà adductis. Et probatur vlterius, quia extrahens extraheret ab Ecclesia reum sine licentia Episcopi, quod (vt dicetur *infrà sect.* 9. *subsect.* 1. per totam) est contra sacros Canones, & Bullam Gregorij XIV. tum quia Ecclesia habet pro se regulam, quod quilibet cuiuscumque conditionis ad Ecclesiam confugit, sit in ipsa tutus, tum quia; cùm reus sit in Ecclesia; Ecclesia est quasi in ipsius rei possessione; & sic debet Ecclesia conseruari in sua possessione, donec de veritate constiterit. Atque ita præter Suarez, Fagundez, Dian. & Bonacinam *in locis suprà cit.* docent Decianus *lib.* 6. *cap.* 29. *num.* 2. Peregrinus *de immunitat. cap.* 16. *num.* 29. & etiam Farinacius *in append. cap. vlt. n.* 370. qui subdunt, quod regulariter, etiam de iure communi, reus non sit consignandus Curiæ sæculari, vt in eius carceribus detineatur, sed tutus manere debeat penes Iudicem Ecclesiasticum. Quod (post Constitutionem Gregorij XIV. vbi decernitur, quod delinquentes, postquam ab Ecclesia, in casu quod Episcopus eos extrahi recusauerit, à sæculari extracti, & capti fuerint, ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ reponantur, & ibi sub tuto, & firmo carcere, custodia, si opus fuerit, apposita per Curiam sæcularem detineantur) dubium esse non debet. Vide, quæ dicentur *infrà cit. dub.* 40. *per totam.* Vide etiam determinationem Sacræ Congregationis Episcoporum in vna Neapol. die 30. Septembr. 1616. quæ habet quod delinquentes, quia ab Ecclesiis, aliisque locis immunibus extrahuntur, debeant dum articulus, an immunitate Ecclesiastica gaudeant, discutitur, per Ecclesiasticos ministros sub custodia, iuxta citatam Constitutionem Gregorij XIV. retineri 6 7 8 9

An autem possit Iudex laicus in casibus exceptis, nomine Episcopi reponere reos in carceribus laicis, vt ibi tutius custodiantur.

Respondetur quod (quamvis nonnulli affirment, ex eo, quia in tali casu, cùm nomine Episcopi ibi detineantur, censentur reponi in carceribus Curiæ Ecclesiasticæ) negari tamen debeat; quia Constitutio Gregorij XIV. præscribit, quod Reus reponendus sit in carceribus Ecclesiasticis, & postquam Episcopus declarauerit, eum immunitate gaudere, non possit, nisi consentiente Magistratu sæculari, e carceribus liberari: ergo à fortiori non poterit Iudex laicus, qui extrahit reum in casibus exceptis eum, etiam dando cautionem de immunitate, in suis carceribus, dum causa discutitur, detinere, sed debet Ecclesiæ restituere, 10 11

etiamsi reus sic extractus iuri suo cedere velit. Vide Bonac. *tom.2.disp.3.quæst.7.punct.4.num.11.* & quæ dicentur *infrà dub.33.& 34.*

Vrgebis, saltem quod reus compedibus in Ecclesia detineatur, viget consuetudo diuturna: ergo.

Respondetur de hac re vide, quæ dicebantur *dub.6. & dub.24.sect.4. & 8.* & quæ dicentur *dub.41.sect.2. num.18.*

12 Cæterùm licet Mar. Italia *lib.1. cap.6. §.2. num.51.* & Peregrin. *cap.13. num.2.* putent, Iudicem laicum non esse reum violationis immunitatis Ecclesiæ, si delinquentem in Ecclesia liget de Episcopi licentia, ex eo quod id faciat non authoritate laica, sed Ecclesiastica, iuxta illud: *Omnia nostra facimus, quibus authoritatem impertimur, l.1. §. sed neque, Cod. de vet. iur. enucl.* mihi tamen id probabile non videtur, nisi Iudex laicus faciat bona fide, quod certum est apud omnes; cum in tali casu non intercedat peccatum mortale, nedum non intercedat præsumptio, vel nisi faciat ad instantiam Episcopi, & non proprio nomine Romano, quia Episcopus non potest in iure communi dispensare concedendo Iudici laico facultatem non seruandæ immunitatis, quamvis id probabile sit, si faciat authoritate Episcopi, & ad instantiam illius, sed nomine Episcopi, & non proprio, quia probabile est, quod immunitas concessa sit Ecclesiis, ne ibi existentes capiantur à laica potestate tantum, non item ab Ecclesiastica, sicuti dicebam *dub.10. sect.14.*

## DVBITATIO XXVIII.

An possit Iudex laicus immittere satellites, vel milites in locum immunem, vt ob metum ne reus inde discedat, & capi possit.

### SVMMARIVM.

1 *Iudex laicus non potest immittere satellites, vel milites in locum immunem, vt ob metum reus inde discedat, & capi possit, contra nonnullos.*

2 *Nullum genus nocumenti inferri potest confugienti ad locum immunem, nec directè, nec indirectè.*

1 REspondetur, quod (quamvis nonnulli affirment ex eo, quia id non est extrahere reum è loco immuni, nec ei vim inferre, vel prohibere, quo minus immunitate loci fruatur, sed tantum facere quid vnde is occasionem sumat discedendi de loco immuni, quod dat occasionem solum, vt possit capi) negandum tamen sit, quia ex dictis suprà nullum genus nocumenti inferri potest confugienti ad locum immunem, *cit. cap. definiuit, 17. quæst 4.* sed immittere satel-
2 lites, vel milites in locum immunem, vt inde reus discedat, & sic habeat occasionem, quod possit capi, est maximum nocumentum ipsi inferre, quia indirectè cogitur ad relinquendum locum immunitatis, quod est valde ipsi præiudiciale, cùm sic non solum non sit securus, quia patitur vim moralem, sed etiam indirectè cogatur exire, & sic indirectè priuetur beneficio immunitatis, ex quibus patet ad ea, quæ in oppositum dicebantur. Vide etiam *dubit.25. sect.4.*

## DVBITATIO XXIX.

An possit reus in Ecclesia victu, & vestitu, & reliquis vitæ necessariis impediri? Vbi etiam, an ad Ecclesiam custodia apponi possit?

### SVMMARIVM.

1 *Reus, dum in Ecclesia existit, victu, & vestitu, & reliquis vitæ necessariis impediri non debet.*
*Impedientes variis pœnis, & censuris, non tamen latis, sed ferendis afficiuntur.*

2 *Reus, si in Ecclesia existens, non habeat vnde neque de suo, neque de bonis consanguinei, vel amici viuat, tenetur Ecclesia illi alimenta præstare.*

3 *Reus, cum sub Ecclesiæ protectione sit, par est, vt Ecclesia, vtpote pia, ipsum non derelinquat, ne ipse necessitate sæculari Iudici se tradat. Idem in iure statuitur de custode in ordine ad captiuos. Idemque possunt facere Regulares, non obstante in contrarium Bulla quadam Sixti V.*

4 *Reus si habeat bona ad se alendum, debet compensare expensas Ecclesia, quia tunc Ecclesia præsumitur solum velle subuenire præsenti necessitati, non autem absolutè donare.*

5 *Reus si simpliciter non habeat bona, cum quibus possit se sustentare, tenetur Ecclesia ei subuenire, vel de proprio, vel applicando aliquid pro vsu Pauperum deputatum, secus si possit laborando se alere.*

6 *Rectores Ecclesiarum subministrantes alimenta reo, possunt ipsum compellere ad laborandum pro Ecclesia, seu Conuentu in victus compensationem, secus si non possit, aut non soleat.*

7 *Iudex sæcularis potest apponere Ecclesiæ custodiam ne reus inde liberè aufugiat, & si extra Ecclesia fines constitutus sit, eum capere, & incarcerare.*

8 *Immunitas Ecclesia violatur si reus, cum solam vestem extra Ecclesiam posuit, extrahatur, & capiatur.*

9 *Idem dic si capiatur per aliquam pallij partem, quæ prominet extra tectum, vel valuas, vel quemcunque alium locum immunem.*

10 *Idem dicendum si pedem, vel manum (capite, & aliis præcipuis membris intra Ecclesiam existentibus) extra Ecclesiam posuit, secus si ambobus pedibus in via publica existat, & humeris solum Ecclesia parietes attingat.*

11 *Reus, qui manibus ferrum, vel valuam Ecclesiæ apprehendit, gaudet immunitate.*

12 *Reus vt gaudeat immunitate, sufficit quod præcipuas corporis partes habeat in loco sacro.*

REspondetur, quod non possit reus, dum in Ec- 1
clesia existit, victu, & vestitu, & reliquis vitæ necessariis impediri. Atque ita expressè habetur *in l.2. & l. præsenti, Cod. de his, qui ad Eccles. confug.* ibi: *Vt ei aliquid, vel victualium rerum, vel vestis denegetur, aut requies,* &c. & *in cap. diffiniuit, cap. nullus, cap. si quis contumax, cap. miror, & cap. id constituimus, 17. quæst.4.* vbi mandatur, ne ei quodcumque nocibilitatis, vel damni inferatur: & docent ex communi Couar. *2. var. cap.20. num.17.* Farinac. *de carceribus, quæst.28. num.9.* Azor. *lib.9. part.2. cap.8. quæst.9. num.14.* Anton. Gomez *tom.3. cap.10. tit. quando reus gaudeat immunitate, num.1.* Clar. *§. læsæ Maiestatis, num.21.* Abb. *cap. inter alia, de immunitat.* Scortia *theor. 384.* Layman *num.13.* Suar. *lib.3. cap.12. num.2.* Lezana *verb. Immunitas*

*nitas Eccles. num.*18. & Bonacina *disput.*3. *quæst.*7. *de immunit. punct.*5. Et probatur, quia alioquin esset illum per indirectum ab Ecclesia extrahere (cogeretur enim, quod ipsemet se potestati sæculari tradat & moriatur) & sic esset per indirectum aduersus Ecclesiarum immunitatem operari; quapropter reum in persona, vel in bonis lædentes, etiam obsidendo, vel prohibendo, ne eis victus, aut vestitus deferatur, variis pœnis afficiuntur, tum de iure ciuili, vt *in cit. l.*2. *& l. præsenti*, *Cod. de his, qui ad Eccles. confug.* tum etiam de iure canonico, vt *in cit. cap. definiuit*, & aliis iuribus suprà allegatis. Vide Suar. *cap.*13. *num.*7. & Azorium *loco cit.* Non tamen in dictis iuribus censu-
2 ræ feruntur ipso facto, sed sunt ferendæ.

Hinc sequitur, quod si reus in Ecclesia existens, non habet vnde, neque de suo, neque de bonis consanguinei, vel amici viuat, teneatur Ecclesia alimenta illi præstare, *ex dict. l. præsenti*, §. *sanè*, *Cod. de his, qui*
3 *ad Eccles. confugiunt*; & à simili de custode carceris, qui prouidet captiuis, *Cod. de Episcop. audientia*, vt Iudices, & glos. *in cap. diffiniuit*, 17. *quæst.*4. Et ratio esse potest, quia cùm sub Ecclesiæ protectione sit, par est, quod Ecclesia, vtpotè pia, eum non derelinquat, ne ductus necessitate, sæculari Iudici se tradat. Atque ita docent Abb. *in cap. inter alia*, *de immunitat. Eccles. num.*28. Archidiacon. *in cap. definiuit*, 17. *q.*4. Hugo ibidem, Igneus *in l.*1. *num.*47. Angel. *verb. Immunitas*, *quæst.*22. Sylu. *eodem verb.*3. *num.*5. Azor 2. *part. lib.*9. *cap.*9. *quæst.*13. Decian. *tract. crimin. lib.*6. *cap.*29. *num.*3. Boërius *decis.*303. *num.*3. & Farinacius *cit. quæst.*28. *num.*9. & *in append. de immunit. cap.*19. *num.*299. & Peregrinus *cap.*13. *num.*12. quidquid in contrarium dicat Sarpus *de iure Asylorum*, *cap.*2. *fol.*30. Vide etiam Rodriguez *tom.*2. *qq. Regular. quæst.*50. *art.*3. & Sorbum *in addition. ad Compend. priuileg. Mendicat. vers. Ecclesiæ Fratrum*, qui subdunt, id posse facere etiam Regulares, non obstante excommunicatione quadam Sixti V. pro Regno Neapolis; cum hæc, vt inquiunt ipsi, reuocata sit per Constitutionem Gregorij XIV.

Dixi, si reus in Ecclesia existens, non habeat, vnde neque de suo, neque de bonis consanguinei, vel
4 amici viuat; quia si habet propria, vel consanguinei, vel amici bona, debet ex his se sustentare; quæ si tamen præsto non habet, tenetur Ecclesia supplere; ipse tamen manebit obstrictus ad compensandas expensas,
5 quia tunc Ecclesia præsumitur solum velle subuenire præsenti necessitati, non autem absolutè donare: S. Thom. *quodlib.*5. *art.*17. & Sylu. *verb. Immunitas*, 3. *num.*5. Quod si autem simpliciter non habet bona, ex quibus possit se sustentare, tenetur Ecclesia simpliciter subministrare, quia tunc ille se habet tanquam pauper, cui Ecclesia, seu Ecclesiasticæ personæ tenentur subuenire, vel de proprio, vel applicando aliquid pro vsu pauperum deputatum. Quod tamen intelligo, si reus non possit manibus laborando victum sibi quærere; quia si potest, & sit solitus, debet laborando sibi prouidere; cùm priuilegium immunitatis non debeat esse occasio otiandi; quapropter à Rectoribus Ecclesiæ cogi poterit, quod verbi gratia in Ecclesia,
6 Conuentu, vel in alio loco immuni laboret, inseruiendo fabricæ, vel alteri operi, quando non potest alio modo sibi victum comparare; quia cùm Ecclesia illi subministret alimenta, par est, quod in compensationem operam illius exigat, si eam tamen præstare possit, & soleat. Vnde fit, quod possit etiam à Rectoribus Ecclesiæ cogi quod resarciat expensas pro ipso factas, vel det cautionem de resarciendo antequam à loco immuni exeat, aliàs ipsum non dimittere, sed retinere poterit: quia non debet Ecclesia detrimentum pati ex beneficio præstito: quod tamen intellige, si reus non erat simpliciter pauper, sed pauper secundùm quid, id est, non habeat præsto bona, ex quibus se posset sustentare, & præterea Ecclesia liberaliter non sustentasset, quia in vtroque tali casu non sunt resarciendæ expensæ: non enim in priori; quia datæ sunt pro eleemosyna; neque in posteriori, quia donatæ sunt simpliciter.

Aduerte tamen hic, quod possit Iudex sæcularis custodiam Ecclesiæ apponere, ne reus in de liberè aufu- 7
giat, & si extra Ecclesiæ fines constitutus sit, eum capere, & incarcerare.

Dixi, si extra Ecclesiæ fines constitutus sit, quia 8
meritò Couar. *citat. cap.*20. *num.*17. cum Ioan. Andrea, & Ioan. Igneo monet, immunitatem Ecclesiæ violari, si reus, cum solam vestem extra Ecclesiam posuit, extrahatur, & capiatur. Idem dicendum, rectè ait Villalob. *in sum. tom.*2. *tract.*39. *diffic.*5. *num.*4. 9
vbi citat Couarrium, Paz, & Bobadillam, si capiatur per aliquam pallij partem, quæ prominet extra tectum, vel valuas, vel quemcunque alium locum immunem. Idemque dicendum, rectè ait Suarez *citat. cap.*12. *num.*4. Peregrin. *cap.*4. *num.*61. & Bonacina 10
*disput.*3. *quæst.*7. *punct.*4. *num.*20. si pedem, vel manum (capite, & aliis præcipuis corporis membris intra Ecclesiam existentibus) extra Ecclesiam posuit; quia adhuc in tali casu non extra Ecclesiam; sed in Ecclesia constitutus dicitur. Vnde cum Bonacina *loc. suprà cit.* contrarium dicendum videtur de eo qui ambobus pedibus in via publica existit, & humeris solum Ecclesiæ parietes attingit; quamvis secus, si manibus ferrum, vel valuam Ecclesiæ attingat, seu apprehendat, vt *dub.*9. *sect.*6. dicebatur) contra Ægidium Trullench. *tom.*1. *lib.*1. *cap.*11. *dub.*1. *n.*12. & Diana *part.*6. *tract.*1. *resol.*6. *in fin.* vbi non in probabiliter defendunt, eum, qui fugiens è manibus satellium cadit super limen portæ Ecclesiæ, & humeris, ac capite illam tangit, licet tibias, & pedes extra habeat, immunitate gaudere, talis enim, inquiunt ipsi, præcipuas corporis partes, scilicet caput, & humeros, habet in loco sacro.

## DVBITATIO XXX.

An possit reus in Ecclesia bonis suis, & iustè possessis, quæ secum ad Ecclesiam transtulit, spoliari? Vbi etiam de bonis, aliis, & an possit his per iudicem laicum spoliari?

### SVMMARIVM.

1 *Reus bonis suis, quæ secum ad Ecclesiam transtulit, & iustè possessis spoliari non debet, adeò quod si quis eum in Ecclesia spoliauerit dictis bonis, quin & armis, saltem non prohibitis, puniri debeat tanquam immunitatis Ecclesiasticæ violator.*

2 *Reus, si bona sint aliena, vel alteri obligata, potest probabiliter ipsis spoliari à Iudice sæculari, cum hoc non sit illi nocumentum inferre.*

3 *Item Reus potest à Iudice spoliari armis prohibitis, cum quibus ad Ecclesiam confugit, cum hoc etiam non sit reo nocumentum inferre, sed peccandi occasionem auferre.*

4 *Item dic si fœminam secum ad Ecclesiam rapuerit.*

5 *Iudex laicus secundum probabiliorem opinionem non potest reum in Ecclesia receptum spoliare bonis, & armis, nisi de licentia Prælati Ecclesiastici; nam quod simpliciter possit, est de iure ciuili, non autem de iure Canonico.*

*Seruus indebitè fugiens ad Ecclesiam à domino, extrahi*

*trahi potest ab isto, at non propria authoritate, sed cum licentia Episcopi, & præstito iuramento de non offendendo.*

6 *Accessorium sequitur naturam sui principalis, & dispositio facta de superiore, comprehendit etiam officialem.*

7 *Reum armis prohibitis, & rebus furtiuis spoliare se habet, non per modum Iurisdictionis exercendæ, sed per modum facti, & iuris defensionis naturalis.*

8 *In praxi obseruandum semper est, quod in spoliando reum in Ecclesia rebus alienis seu armis, semper intercedat licentia Prælati Ecclesiastici, quo tamen recusante per seipsum poterit.*

9 *Vbi parti aliquid tribuitur vt se vindicare sine Iudice possit, Iudex vt quid gerat, non censetur Iurisdictionem exercere, sed maius periculum vitare, ne priuatus id prosequatur.*

10 *Iudex incompetens ob competentis defectum procedere potest.*

11 *Contra nocturnum furem vnusquisque est Iudex.*

12 *Non obstat in casu, quod reus debeat spoliari à Iudice laico, quod sequatur aliqua irreuerentia contra Ecclesiam, quia maior irreuerentia est non auferre ab eo occasionem delinquendi.*

13 *Furis receptio cum furto, furtum censetur.*

14 *Reus in quocumque euentu Parti lasæ satisfacere debet.*

15 *Opinio Gambacurtæ, quod satellites Curiæ secularis possint quando reus est in Ecclesia, ne inde fugiat, brachio apprehensum illum tenere, reiicitur.*

1 REspondetur, quod non possit reus in Ecclesia bonis suis, & iustè possessis, quæ secum ad Ecclesiam transtulit, spoliari. Atque ita habetur *in cit. cap. definimus*, ibi: *Aut quodcumque nocibilitatis, & damni, seu spolij residentibus in loco sacro inferre.* Et docent Couarr. *lib.2. var. resol. cap.20. num.16.* Scortia *Theor. 385.* Layman *lib.4. tract.9. cap.3. num.13.* Farinac. *citat. cap.19. num.100.* Suarez *lib.3. cap.12. num.3.* Lezana *verb. Immunitas, num.18.& 19.* & Bonac. *disp.3. quæst.7. de immunit. punct.5.* Quapropter Congregatio super controuersiis iurisdictionalibus 13. Ianuarij 1632. declarauit, quod aduersus auferentes hæc, etiam arma (saltem non prohibita) à confugientibus ad Ecclesiam procedendum sit, vti aduersus violatores immunitatis Ecclesiasticæ.

Dixi, *bonis suis, & iustè possessis*, quia si bona sint aliorum, vel aliis obligata, poterunt probabiliter illis à Iudice sæculari spoliari; cùm hoc non sit ei nocumentum inferre, sed potiùs prohibere, ne ipse aliis
2 nocumentum inferat: sicuti potest etiam armis prohibitis (cum quibus ad Ecclesiam confugit) ab eodem spoliari, cum hoc etiam non sit reo nocumentum inferre, sed peccandi occasionem auferre. Atque ita docent Suarez *cit. lib.3. cap.12. num.3.* Layman *n.13.*
3 Cutellius *de immuni. Eccles. lib.2. quæst.8.* & videri etiam poterit Couar. *loco supra cit.* propè finem. Idemque dicendum, si fœminam secum ad Ecclesiam ra-
4 puerit, quod possit etiam ea à Iudice sæculari spoliari, *cap. de raptoribus 36. quæst.1.* & docent Suarez, Couar. & Layman, vbi suprà Graff. *tom.1. lib.3. consil. vnic. num.19. de immunit. Eccles.* Sanchez *in opuscul. tom.2. lib.6. cap.1. dub.14.* Villalob. *tom.2. tract.23. diffic.5. num.11.* Sarpum *de iure Asylorum, cap.5. fol.43.* Na dum *verb. Ecclesia, num.5.* Franciscum Cespedes *in dub. Militiar. dub.21.* Fagundez *de prac. Eccles. prac.2. lib.4. cap.4. num.55.* Portell. *vers. Ecclesiæ immunit. n.15.* Ioan. de la Cruz *part.1. præcept.8. quæst.3. art.1. concl.3.* Gambacurta *lib.4. cap.16. num.11. cap.17. & cap.26. n.11.* Villadieg. *in Polit. cap.3. num.214.* qui omnes in eandem sententiam affirmatiuam conueniunt.

Quamvis etiam quoad hæc contrarium, si non fiat de licentia Prælati Ecclesiastici, multò probabilius doceant Peregrin. *de immunit. cap.13. num.5.* Diana *part.6. tract.1. resol.8.* (vbi refert sic determinasse sacram Episcoporum Congregationem in Salernitana, die 30. Septembr. 1616. Maranta *in controuers. iur. part.2. respons. 37. num.1.* Zambellus *in Repert. Moral. verb. Ecclesia quoad eius immunitatem, num.9.* Nouarius *in sum. Bullar. tit. de immunit. num.6.* Palaus *tom.2. tract.11. disput. vnic. punct.9. num.10.* Ciarlinius *in controuers. forens. cap.10. num.16.* Lezana *cit. num.19.* & Farinac. *in append. cap.16. num.248.* vbi ait, quod contraria sententia procedat de iure ciuili, iuxta *l.3. §. arma, Cod. de his, qui ad Eccles. confug.* ibi: *Arma quo-* 5
*que in quouis telo, ferro, vel specie eos, qui confugiunt, minimè intra Ecclesiam habere præcipimus*: non autem procedat de iure Canonico. Et probatur, quia *in cap.1. extra de immunit. Ecclesiarum, & in cap.2. de immunit. Eccles. in 6.* expressè prohibetur sub pœna 6
excommunicationis Iudici sæculari iurisdictionem aliquam in Ecclesia exercere: tum quia, licet seruus à domino ad Ecclesiam indebitè fugiens, ei obtento iuramento de securitate, seu de non offendendo restituendus sit, adhuc tamen non potest propria authoritate ex Ecclesia extrahi à domino, *cap. nullus clericorum, 17. quæst.4.* & videri potest Azor. *part.2. lib.9. quæst.9.* Decian. *lib.6. cap.26. num.9.* Suar. *de statu Relig. lib.3. cap.10.* & Farinac. *cap.4. num.67. & seqq.* tum quia non potest Iudex sæcularis, & in delictis exceptis, reum ab Ecclesia extrahere sine licentia Episcopi, vel eius Officialis (vti determinat Constitutio Gregor. XIV. & nos *infrà dubit.30. & 40.* dicemus) ita nec poterit armis, & cæteris rebus prohibitis in Ecclesia reum spoliare sine licentia eiusdem Episcopi, vel eius Officialis; cùm accessorium sequatur naturam sui principalis. Vide quæ dicebantur *suprà dubitat.11. sect.6 dubit.19 sect.3. & dub.24 sect.8.*

Quamvis responderi possit ad hoc, quod reum armis prohibitis, vel rebus furtiuis spoliare se habeat 7
non per modum iurisdictionis exercendæ, sed per modum facti, & iuris defensionis naturalis, & sic ea, quæ pro posteriori sententia dicebantur, nihil obstent.

At quidquid sit, an prior, vel posterior sententia in puncto iuris sit probabilior, illud (in quo conueniunt multi prioris, & posterioris sententiæ Doctores, Couar. & Farinac. *quæst.28. num.58.* Cutellius 8
*num.18.* & alij) in praxi sequendum mihi videtur, quod semper Ecclesiæ superior requirendus sit, vt ipse hoc præstet; quod si renuat præstare, occurri periculo, atque per laicos ministros armorum prohibitorum, & rerum furtiuarum ablatio fieri possit, argum. ipsius Constitutionis Gregorianæ, per quam etiam permittitur, si Ecclesiæ superior renuat, reum extrahi, ac laicis ministris tradi, ac mancipari: quapropter si in personæ extractione permittitur, multò magis in armorum prohibitorum, & rerum furtiuarum ablatione permitti debebit. Accedit, quod vbi parti ali- 9
quid tribuitur, vt se vindicare sine Iudice possit, Iudex si quid gerat, non censetur iurisdictionem exercere, sed maius periculum vitare, ne priuatus id prosequatur; ideoque etiam non habenti iurisdictionem id permittitur, vt dicitur de incompetente, quod ob competentis defectum procedere possit: Doctores 10
communiter, quos citat, & sequitur Cutellius *in C. Nota 24. ad leg. Feder. vers. item pro Regibus fol.145.* & de debitore à creditore (absente Iudice) retento, aliisque exemplis, *ad l.1. Cod. quando liceat vnicuique vindicare*: Doctores etiam communiter, quos citabam, & & sequebar *lib. de Parlam. dub.4. sect.19. subsect.6. & supra cap.9. dub.8.* Vnde etiam fit, quod contra nocturnum furem vnusquisque sit Iudex, *l. si in pignore, §. furem,*

*furem, ff. de furtis, & l. furtum, ff. ad leg. Corneliam de sicariis*, ob delectum scilicet illius, qui iniuriam auertere possit.

12 Neque obstat, quod hinc aliqua irreuerentia ex ministrorum sæcularium opere sequatur; quia in tali casu timoris, quo arma prohibita in damnum commune, vel res furtiuæ in damnum domini abscondantur, permitti ea debebit, sicuti permittitur eadem in simili casu timoris, quo reus aufugiat, vel quod ab Ecclesiasticis dimittatur, & per hoc ipsum permittitur etiam laicis clerici personæ ipsius captura, præsertim quia ex opposito (quod scilicet reus armis prohibitis, vel rebus furtiuis non spolietur) sequitur non minor Ecclesiæ irreuerentia, cùm per hoc faueatur reo in rebus prauis, & peccaminosis; & furi sic aliquid largiri, spe-
13 cies furti sit, *l. si pignore, ff. de furtis*, & furis receptatio cum furto furtum quoque sit: quapropter licet quoad pœnam personalem pro reo Ecclesia, ne ei infligatur, intercedat, tamen quod ad armorum prohibitorum, & rerum furtiuarum restitutionem attinet, non intercedit, cùm id ipsius rei non damnum, sed lucrum sit, quod nullo pacto conuenit; quia Canones expres-
14 sè præcipiunt, quod reus in quocumque euentu parti læsæ satisfacere debeat, *c. id constituimus, 17. quæst. 4.* & alibi pluries.

Hinc minus probabile mihi videtur, quod docet Gambacurta *loco supra cit. num. 14. 15. & 18.* nempè quod possint semper satellites Curiæ sæcularis, quando reus est in Ecclesia, ne inde fugiat, brachio apprehensum illum tenere, donec licentia Episcopi obtineatur. Item quod possint semper, si quis Ecclesiasticus attentet, & quærat reum dimittere, & saluum facere non expectata licentia Episcopi, eum capere, & ab Ecclesia extrahere, & ad Episcopum ducere. Moueor tum ob rationes suprà dictas pro posteriori sententia; tum quia exinde passim multa scandala, & incommoda sequerentur in detrimentum reuerentiæ locis sacris debitæ sine necessitate; cum in securitatem Iudicum sæcularium aliud remedium adhiberi possit, scilicet ad Ecclesiam custodiam apponi, ne inde reus liber aufugiat; ita vt si extra fines Ecclesiæ exeat, capiatur; cùm in tali casu nulla vis inferatur existenti in loco sacro (vt esset in opposita sententia) sed solum custodiatur locus non sacer; vt si voluntariè eò ex Ecclesia deueniat, ibi teneatur, & sic vis ei inferatur in loco non sacro, vbi licitè inferri potest, vt *suprà dubit. 27.* dicebamus.

## DVBITATIO XXXI.

An possit reus in Ecclesia existens ad pœnam aliquam corporalem damnari? Vbi etiam, an possit saltem ad aliquam aliam? & per quem.

### SVMMARIVM.

1 *Reus dum in Ecclesia existit, morte vel pœna aliqua corporali non damnetur per Iudicem secularem, neque etiam per Ecclesiasticum, quin potiùs de morte, debilitate, & omni pœnarum corporalium genere securus esse debet.*

2 *Reus in Ecclesia affici potest solùm pœna pecuniaria.*

3 *Reus existens in Ecclesia damnari non potest pœna seruitutis, exilij, aut triremis, quia sunt hæ valde graues pœnæ, & corporalibus æquiparantur.*

4 *Opinio Gambacurtæ, quod reus existens in Ecclesia possit puniri pœna triremis, etiam in perpetuum, dummodo non debeat ibi remigare, refellitur.*

5 *Item reiicitur etiam eius opinio de pœna seruitutis.*

6 *Dispositio* capitis de raptoribus, 36. quæst. 1. *specialis est in raptu Virginis propter atrocitatem talis delicti, sed non est vsu recepta.*

7 *Confugiens ad Ecclesiam non est liberè dimittendus, sed de crimine, quod iniquè gessit, puniendus pœna pecuniaria: quod si egeat aliquali pœna corporali, non multum tamen corporis afflictiua.*

8 *Reus si nolit ab Ecclesia egredi, eo quod timeat iudicem secularem sibi fidem non seruaturum, potest dicta pœna puniri per Iudicem Ecclesiasticum, qui si omittat, peccat.*

9 *Reus existens in Ecclesia procurare debet vt Iudex Ecclesiasticus ipsum condemnet; quia sic à Iudice multatus non poterit amplius de eodem delicto ab vllo accusari, inquiri, vel iudicari.*

10 *Reus si Iudici seculari consignetur modo supradicto, Iudex secularis pœnam inferre poterit.*

11 *Reus, cum ad Ecclesiam confugit in casibus non exceptis, consuetudine receptum est, vt Iudex laicus seruatis seruandis contra eum delicto condignam, etiam capitalem proferat sententiam, quam tamen executioni non mandat.*

12 *In omnibus casibus, in quibus confugiens ad Ecclesiam extrahi potest, non est seruanda fides super impunitate delicti.*

13 *Secus si de iure extrahi non poterat.*

14 *Opinio Syluestri, & multorum Doctorum, quod confugiens ad Ecclesiam, licet postea ex illa egrediatur, immunitate semper gaudere debeat, reiicitur, exceptis quatuor casibus, vt ibi diffusius.*

15 *Reus confugiens ad Ecclesiam, licet non possit à Iudice Laico spoliari bonis quæ possidet in Ecclesia; potest tamen spoliari bonis quæ possidet extra Ecclesiam.*

16 *Potest etiam dum existit in Ecclesia, affici pœna bonorum, quæ possidet in Ecclesia, quin & omni alia pœna, etiam capitali; quæ tamen, pro tunc quod Reus existit in Ecclesia, executioni non mandetur.*

17 *Non violatur immunitas Ecclesiæ, si reus, qui in Ecclesia captus fuit, & in carcere fori secularis nomine Episcopi detinebatur, è carcere fugit, & postea ab eodem foro iterum capitur, & morti traditur, non expectata Episcopi sententia.*

REspondetur, quod non possit reus, dum in Ecclesia existit, ad mortem, vel ad pœnam aliquam corporalem damnari, neque per Iudicem sæcularem, neque per Ecclesiasticum; sed quod debeat de morte, debilitate, & omni pœnarum corporalium genere securus esse. Atque ita habetur *cit. cap. id constituimus*, & in aliis multis, *cap. 17. quæst. 4. & in cap. inter alia, de immunit. Eccles.* vbi explicat Abb. *num. 3.* monetque (quod est contra Cutellium *loc. infrà* citando *num. 23.*) pecuniaria solùm reum affici posse, 2
sicuti colligitur ex verbis *cit. cap. inter alia*, ibi: *Super hoc tamen, quod iniquè fecit, est aliàs legitimè puniendus.* Idem contra Gambacurtam *lib. 4. cap. 33. & 35.* Cutellium *de immunit. Eccles. lib. 1. quæst. 12. per totam*, & Sarpum *de iure Asylorum, cap. 2. fol. 30.* docent Syluest. *verb. Immunitas 3. quæst. 4.* Azor *tom. 2. lib. 9. c. 9. quæst. 12.* & Suarez *cit. cap. 12.* vbi subdit, nec pœnam seruitutis, exilij, aut triremis (etiamsi vbi verberandus esset) decerni non posse; quia valde graues hæ pœnæ sunt, & corporalibus æquiparantur, immò earum quasdam excedunt. Idemque docent Salon. *2. 2. quæst. 60. art. 4. controu. 2.* Less. *de iustit. & iur. lib. 2. c. 29. dub. 6. num. 52.* Clar. *in pract. crimin. quæst. 30.* Scortia 3

*theorem.*

*theorem.* 385. Layman *lib.*4. *tractat.*9. *cap.*3. *num.*13. Barbosa *de iure Eccles. lib.*2. *cap.*3. *num.*56. Tuschus *verb. Ecclesia, conclus.*5. 8. 14. *&* 66. Bonacina *disp.*3. *quæst.*7. *de immunit. punct.*5. *num.*8 Peregrin. *cap.*13. *num.*13. Lezana *verb. Immunitas Ecclesiast. num.*18. Persicus *de offic. sacerd. lib.*1. *cap.*9. *dub.*12. *num.*119. & Fagundez *part.*2. *lib.*4. *num.*48. Vide etiam Glossam, Innocentium, & Hostiens. *in cit. cap. inter alia*, Ancharan. & Zabarel. *in Clem.*1. *de pœnit. & remiss.* Bellugam *in Specul. Princip. rubr.*24. §. *mixtum*, & §. *videamus*, *num.*4. Farinacium *in append. de immunit. Eccles. cap.*21. *num.*33. *&* 336. Dian. *part.*1. *tract.*1. *resolut.*12. Marium Ital. qui similiter (vt Suarez *loco supra cit.*) contra Gambacurtam, Cutellium, & Sarpum docent, quod dum reus in Ecclesia existit, non possit per Iudicem puniri pœna exilij, vel perpetui carceris, ex eo, quod exilium, & perpetuus carcer (vti dicebatur) sint pœnæ valde graues, & corporalibus comparentur.

4 Vnde cum Cutell. *num.*19. mihi minus probatur, quod docet Gambacurt. *cap.*35. *num.*9. nempe, quod possit reus in casu posito per Iudices pœna triremis, etiam in perpetuum, puniri, dummodo non habeat ibi remigare: quod adhuc Gambacurta non negat in homine robusto, & laboribus assueto, etiamsi in remigatione verberandus esset.

5 Nec etiam cum Cutellio *num.*20. mihi probatur, quod docet idem Gambacurta *cap.*32. *num.*2. *& seqq.* nempe, quod possit per Iudices puniri pœna seruitutis, vt scilicet seruiat ei, cui iniuriam intulit, *argum.* 6 *cap. de raptoribus*, 36. *quæst.*1. Nam (vt omittam rationem suprà dictam, dispositio illa citati Canonis, vti rectè notauit Suar. *loc. suprà cit.* specialis est in raptu Virginum propter atrocitatem talis delicti. Adde, quod non est vsu recepta; & sic si non est vsu recepta in raptu Virginum, multò minus recepta erit in casu nostro.

7 Obiicies, confugiens ad Ecclesiam non est liberè dimittendus, sed de crimine, quod iniquè gessit, puniendus, *cit. c. inter alia*: ergo.

Respondetur distinguo antecedens: puniendus (vt suprà dicebatur) pœna pecuniaria, & ad damna, & interesse passa ab eo, in quem deliquit, concedo: puniendus pœna corporali, vt vitæ, triremis, verberum, vel exilij, &c. nego. Quamvis, si pecuniam non habeat, vt sententiæ satisfacere possit, improbabile non sit, quod tunc aliqua pœna corporali, non multum tamen corporis afflictiua, puniri queat, cùm tunc non per se, sed quasi per accidens in corpore puniatur, vti docent Mar. Ital. & Suar. *in locis cit. num.*6. & Farinac. *num.*334. *&* 336. *& seqq.* Vide etiam Glossam, Innocentium, Hostiens. Abbatem, Ioan. Andream, Ancharanum, Butrium, Ananiam, Zabarellam *in c. inter alia, de immunit. Eccles.* & Decianum *lib.*6. *cap.*27. *num.*3.

Instabis, non est qui hanc pœnam inferat: ergo. Antecedens probatur; quia non est maior ratio, quod inferat eam Iudex Ordinarius loci sacri, quàm Iudex sæcularis, cui laicus reus extra locum sacrum subditus: ergo, &c.

8 Respondetur, nego antecedens; & ad probationem respondeo, quod si nolit reus ab Ecclesia egredi, & Iudici sæculari tradi, eo quod timeat, quod is seruaturus ipsi non sit securitatis promissionem, ad Iudicem Ecclesiasticum spectet hanc pœnam inferre; quia ratione loci ab Ecclesia puniendus est, sicuti contra Cutell. *num.*21. docent Doctores, quos refert, & sequitur Farinac. *in append. de immunit. cap.*21. *num.*338. *&* 339. & patet ex textu *in cap. inter alia, de immunit.* ibi: *Qui ad Ecclesiam confugit, legitimè*, id est canonicè, *puniendus sit de eo, quod iniquè fecit*, &c. Quapropter Iudex Ecclesiasticus non solùm potest, sed etiam tenetur id facere; ita vt si non faciat, peccet contra iustitiam, & officium suum omittendo, vti rectè notarunt communiter Canonistæ *in dict. c. inter alia*, Hostiensis *num.*1. Ioan. Andreas *num.*5. Ancharanus, *n.*2. Abbas *num.*13. Zabarella *num.*3. & alij, quos citat, & sequitur Farinacius *in append. de immunit. cap.*21. *n.*329. & Castrus Palaus *tom.*2. *tract.*11. *disput. vnic. punct.* 11. *num.*9. Quod & reus in se fieri procurare debet; 9 quia sic à Iudice Ecclesiastico mulctatus, non poterit amplius de eodem delicto criminaliter ab vllo accusari, vel inquiri, vel iudicari, &c. alioquin enim priuilegium immunitatis Ecclesiæ nihil, vel parum prodesset, vt mox infrà dicemus.

At si Iudici sæculari Reus consignetur, modo, quo 10 suprà (alio enim modo non potest ei reus in casibus non exceptis consignari) propterea quod scilicet ipse è loco sacro egredi velit, in tali casu, in quo consentio cum Cutellio *loco suprà cit.* Iudex sæcularis pœnam inferre poterit, sicuti docent Abb. *in c. inter alia, num.*8. *& seqq.* & alij Doctores, quos refert, & sequitur Farinacius *loc. suprà cit.* reus tamen hac pœna imposita, & sic iudicatus, iudicari ab vllo amplius non poterit; alioquin priuilegium immunitatis parum, vel nihil prodesset, sicuti *suprà* dicebamus, & docent Gl. *in cap. Reum, verb. ad mortem*, 17. *quæst.*4. & ibidem Archidiaconus *num.*3. Bellamera *num.*3. Hostiensis, Ioan. Andr. Ancharan. Butrius, & Zabarella *in cap. inter alia, de immunit.* Decian. *lib.*6. *cap.*29. *num.*6. *in fin.* & Farinacius *in append. de immunitat. cap.*21. *num.*340.

Quamvis consuetudine nunc receptum esse videa- 11 tur, quod cùm reus ad Ecclesiam confugit in casibus non exceptis, Iudex sæcularis eum inquirat, & citari faciat, & si non comparet, tanquam in absentem, condignæ iuxta delicti qualitatem pœnæ, etiam capitalis, proferat sententiam, quam tamen executioni non mandat; quia ob immunitatem mandare non potest. Atque ita testantur Clarus *lib.*5. *pract.* §. *fin. quæst.*3. & Farinac. *de carcerib. quæst.*28. *num.*77. *in fin. vbi num.*78. subdit, quod in omnibus casibus, in quibus confugiens ad Ecclesiam extrahi potest, non 12 sit ei seruanda fides à Iudice data super impunitate delicti ad finem, vt ipsum extraheret, quamvis secus dicendum sit quando iure non potuisset sic confugiens ab Ecclesia extrahi.

Cæterùm, quod Sylu. *verb. Immunitas, quæst.*4. An- 13 gel. *eod. verb. quæst.*16. Abb. *in cap. inter alia, num.*8. *de immunit. Eccles.* Boss. *sub tit. de captura, num.*24. Armilla *num.*12. Decian. *consil.*80. *num.*9. *lib.*3. Oldradus *consil.*154. *in fin.* Azor. *part.*2. *lib.*9. *cap.*9. *quæst.*12. Fagundez *præc.*2. *lib.*4. *cap.*48. Persicus *de offic. sacerd. lib.*1. *cap.*9. *dub.*12. *num.*12. & alij relati per Boër. *decis.*109. *num.*8. docent, nempe quod confugiens ad Ecclesiam, licèt posteà ex illa egrediatur, immunitate sem- 14 per propterea quod ad Ecclesiam semel confugerit, gaudere debeat, itavt de iure non possit ob illud delictum amplius corporaliter, sed solùm pœna pecuniaria puniri, & condemnari, vniuersaliter mihi (vt verum fatear) non probatur; sed solùm in quatuor casibus. Primò, quando reus fuit condemnatus à Iudice Ecclesiastico, vel sæculari, modo quo *suprà* dicebamus. Secundò, quando fuit extractus ab Ecclesia in casibus non exceptis, in quibus scilicet gaudet immunitate. Tertiò, quando fuit extractus in casibus etiam exceptis, sed sine licentia Episcopi. Quartò, quando fuit consignatus ab Episcopo in casibus similiter exceptis cum cautione impunitatis quoad vitam, membra, & alias pœnas corporales, iuxta *cap. id constituimus*, & *cap. Reum*, 17. *quæst.*4. Quamvis hodie hic vltimus casus post Constitutionem Gregorij XIV. quæ decernit, quod in casibus exceptis reus liberè Curiæ sæculari puniendus tradatur, ac si nunquam ad Ecclesiam confugisset, locum non habeat, vt rectè obseruauit Boër. *loco suprà cit.* Clar. *in pract. crimin. quæst.*

*quæst. fin.* 30. *in fin.* & Ambrosinus *de immunit. cap.* 11. *num.* 6. & nos dicemus *infrà dubit.* 40.

15 Ex dictis sequitur, quòd reus confugiens ad Ecclesiam, licet non possit à Iudice laico spoliari bonis, quæ possidet in Ecclesia, possit tamen spoliari bonis, quæ possidet extra Ecclesiam, si scilicet citatus sub pœna confiscationis bonorum negligat coram Iudice comparere; quia textus *in c. inter alia, de immunit. Eccles.* ibi: *Neque damnari debet ad mortem, vel ad pœnam*, &c. loqui solum videtur de pœna corporali, non verò de pœna pecuniaria: tum quia hoc modo non agitur contra ipsum ratione confugij ad Ecclesiam, sed ratione delicti, propter quod lex pœnam imponit: sic contra glossam *loc. cit.* & Ioannem de Vischis *tract. de immunit. num.* 57. *vers. nunquid*, docent Abbas, Decianus, Farinac. Suar. Gambacurta, Peregrinus, & alij, quos citat, & sequitur Bonacina *de excomm. in partic. extra Bullam Cœnæ, disp.* 2. *q.* 3. *punct.*

16 16. §. 3. *n.* 9. qui subdunt, & nos dicebamus supra, Iudicem sæcularem consueuisse citare delinquentem, illumque iuxta delicti qualitatem, etiam ad mortem, nedum ad quamcunque aliam pœnam condemmare, quæ consuetudo, & praxis comprobari potest ex ratione mox supradicta, quod scilicet hoc modo non damnetur reus, vt mors, vel alia pœna corporalis executioni in ipsum mandetur de præsenti, dum scilicet existit in Ecclesia, sed in futurum, cum scilicet licitè in eum pœna illa statuta inferri poterit, & sic cessat præiudicium Ecclesiæ.

17 Sequitur secundò, quod immunitas Ecclesiæ non violetur; si reus, qui in Ecclesia captus fuit, & in carcere, seu custodia fori sæcularis nomine Episcopi detinebatur, donec cognosceret, an reus immunitate Ecclesiæ gaudere deberet, è carcere, seu custodia fori sæcularis fugit, & postea ab eodem foro iterum capitur, & morti traditur, non expectata Episcopi sententia; quia in hac secunda vice non est captus in loco sacro, sicuti suppono, & reus sibi imputare debet damnum, quod patitur ratione fugæ, quæ ipsi abstulit priuilegium primæ detentionis. Farinac. *in append. cap.* 39. *num.* 206. licet alij contrarium sentiant. Vide Decianum *tract. crim. lib.* 6. *cap.* 29. *num.* 7. Farinacium *loc. cit. num.* 52. & 306. & Marium Iulium *lib.* 1. *cap.* 6. §. 7. *num.* 38.

## DVBITATIO XXXII.

### An Iudici tentanti extrahere reum è loco sacro resistere quis possit?

### SVMMARIVM.

1 *Iudici tentanti extrahere reum è loco sacro vltra casus permissos, resistere potest & reus, & Ecclesia; cum sic vtrique Iudex iniuriam faciat.*
2 *Vim vi repellere, & Ecclesiasticam immunitatem tueri licet.*
3 *Reus in Ecclesia ad defendendam immunitatem resistere potest armis, & quacumque alia vi; quia cuilibet ius suum armis defendere licet.*
4 *Ecclesia resistere potest ostia claudendo, & quælibet alia media extrema ad impediendam vim apponendo, sine armis tamen.*
5 *Rarò auxilium laicorum, etiam cum armis adhibendum est ad Ecclesiam defendendam.*
6 *Ordinarius modus defendendi immunitatem est censura Ecclesiastica.*

1 REspondetur, quod Iudici tentanti extrahere reum è loco sacro vltra casus permissos, resistere possit & reus, & Ecclesia, cùm sic vtrique Iudex iniuriam faciat, & ex alio capite vim vi repellere, 2 & Ecclesiasticam immunitatem tueri liceat. Atque ita docent Farinac. *in append. de immunit. cap.* 2. *numero* 46. Mar. Italia *de immunit. Eccles. lib.* 1. *cap.* 6. §. 2. *num.* 45. *in fin.* Diana *part.* 6. *tract.* 1. *resol.* 32. Suarez *lib.* 3. *cap.* 13. *n.* 4. Layman. *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *numero* 14. & Bonac. *disp.* 3. *q.* 7. *de immunitat. punct.* 5. *in princip. & colligitur ex l. prohibitum, Cod. de iure fisci, lib.* 10. vbi Officiali iniustè exequenti licitè de facto resistitur.

Cæterùm reus ei resistere potest armis, & qua- 3 cumque alia vi; quia cuilibet ius suum armis defendere licet, cùm talis non sit aggressio, sed defensio; Ecclesia autem eidem resistere potest ostia claudendo, 4 & quælibet alia media externa ad impediendam vim apponendo, sine armis tamen (cùm Ecclesiasticis non 5 liceat arma sumere, cum exinde maiora scandala, & mala exoriri soleant) saltem quibus ipsimet clerici vtantur; quia in raro necessitatis casu auxilium laicorum, etiam cum armis, adhiberi potest ad Ecclesiam defendendam. Atque ita docent Fagundez *lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 59. *de præcept. Eccles.* Suarez *cit. cap.* 13. *n.* 4. Layman *n.* 14. Azeued. *lib.* 1. *tit.* 2. *leg.* 3. *n.* 30. Bobad. *lib.* 2. *cap.* 15. *n.* 3. *p.* 1. & Cutellius *de immun. Eccles. lib.* 1. *q.* 37. *in fin. & lib.* 2. *quæst.* 10.

Ordinarius autem modus defendendi Ecclesiasti- 6 cam immunitatem, & arcendi Iudicem ab iniqua violentia, est per censuras Ecclesiasticas, præsertim excommunicationis, si desistere, vel reum iam extractum restituere Iudex recuset, iuxta *cap. miror*, 17. *q.* 4. vt rectè tradunt Abb. *cap. inter alia, num.* 62. *de immunit. Eccles.* Couar. *cap.* 20. *in fin.* Suarez *cap.* 13. *n.* 6. Layman *n.* 14. & alij passim. Vide quæ dicentur *dubit.* 39.

## DVBITATIO XXXIII.

### An debeat reus è loco sacro extractus ante omnia Ecclesiæ restitui? Vbi etiam an extrahentes immunitate priuentur?

### SVMMARIVM.

1 *Reus è loco sacro (extra casus exceptos) extractus debet ante omnia Ecclesiæ restitui.*
2 *Iudex sæcularis non potest reum sic extractum, neque etiam ob alia delicta, post carcerationem v. g. in carceribus sæcularibus commissa, illum detinere.*
*Iudex laicus extrahendo indebitè reum ab Ecclesia, semper tenetur iniuriam factam Ecclesiæ compensare.*
3 *Ecclesia in tali casu est prior in tempore, & sic potior esse debet in iure.*
*Idem dic, si Iudex extraxerit in casibus exceptis, sed non seruata forma præscripta in Bulla Gregorij XIV.*
4 *Iudex tenetur satisfacere Ecclesiæ præuia rei restitutione, neque excusatur iuramento, vel cautione exhibita, quod reus non plecteretur corporali pœna.*
5 *Item tenetur satisfacere Ecclesiæ, etiamsi reus violenter extractus postea extractioni consentiat, & priuilegium immunitatis renunciet.*
6 *Idem dicendum, si renunciet existens in loco sacro.*
7 *Idemque dicendum, si renunciet existens in carcere*

*Curiæ sæcularis, dum agitur, an immunitate gaudere debeat.*

8 *Reus ad hoc vt renunciare possit priuilegium Immunitatis requiritur, vt prius Ecclesiæ, ex qua extractus fuit, restituatur, & postea voluntariè ex illa exeat.*

9 *Iudex non excusatur à restitutione rei facienda Ecclesiæ per petitionem termini ad probandum, quod reus in casu excepto deliquerit.*

10 *Spoliatus ante omnia est restituendus, maximè quando agitur de præiudicio Ecclesiæ.*

11 *Priuilegium Immunitatis vniuersale, & generale est ad omnes Ecclesias, & sic iniuria vni facta, censetur omnibus facta, & satisfactio vni præstita censetur omnibus præstita.*

12 *Episcopus, quia Ecclesiam repræsentat, vel eius Vicarius loco Ecclesiæ restitui potest in rei possessione.*

13 *Episcopus est in Ecclesia, & Ecclesia in Episcopo.*

14 *Offensa facta Episcopo dicitur facta Ecclesiæ.*

15 *Qui seruit Episcopo dicitur quod seruiat Ecclesiæ.*

16 *Pœna pecuniaria imposita pro offensa facta Ecclesiæ ob violatam eius immunitatem causa extractionis rei ex ipsa, solui debet Episcopo.*

17 *Quando iniuria fit Ecclesiæ, siue eius loco, sufficit si satisfactio fiat Episcopo.*

18 *Restitutio propter exactionem Pedagiorum facienda Ecclesiæ sufficit, si similiter fiat Episcopo.*

19 *Restitutio facienda à Visitatoribus, quòd indebitam procurationem, seu munera extorserint, sufficit, si fiat etiam Episcopo, qui repræsentat Ecclesiam, contra Barbosam qui affert pro se declarationem sacræ Congregationis immunitatis, sed de ea non constat authentice.*

20 *Vide conciliationem vtriusque opinionis factam per Farinacium.*

21 *Cognitio an crimen commissum sit exceptum, & an fuerit legitimè probatum, spectat ad Iudicem Ecclesiasticum, non autem ad secularem.*

22 *Opinio Nouarij refellitur innixa illi fundamento, quod sicut Ecclesia, quæ fuit spoliata, habet interdictum de libero homine restituendo; ita etiam habeat Curia sæcularis interdictum restitutionis.*

23 *Vbi iura non distinguunt, neque nos distinguere debemus, præsertim in fauoribus, qui potius sunt ampliandi, quàm restringendi.*

24 *Reus ex hoc ipso quod non sit in manibus Curiæ, etiamsi violenter sit ab aliis extractus, habet ius confugiendi ad Ecclesiam.*

25 *Extractio violenta non potest priuare reum iure, quod habet ad vitam, libertatemque suam tuendam.*

26 *Ecclesia excipiendo, & defendendo reum vi à satellitibus subductum, non facit contra iustitiam, nec fouet iniustam spoliationem.*

27 *Si quis exiens è carcere sub iuramento redeundi ad carcerem, confugiat ad Ecclesiam, immunitate eius gaudet, & non dicitur quod Ecclesia non restituendo foueat sacrilegium rei.*

28 *Princeps vnius Territorij non dicitur quod faciat iniuriam Principi alterius Territorij non restituendo reum, qui illuc confugit, cum liber in illius Territorium intrauerit.*

29 *Princeps extrahens reum sibi subditum à Territorio alterius violat iurisdictionem ipsius.*

30 *Reus immunitate gaudet, etiamsi detentus à satellite simul cum satellite ad Ecclesiam confugiat.*

31 *Satelles si capiat aliquem extra domum, & captus satellitem capientem trahens, ingressus fuerit domum, vel intra clausuram domus partem corporis immiserit, non debet inde inuitus extrahi.*

32 *Reus à satellitum manibus extractus, aut reus satellitem secum ad Ecclesiam trahens, non excipiuntur in Constitutione Gregoriana.*

33 *Reus captus antequam deducatur ad carcerem, non intelligitur ita perfectè captus, vt sit in tuto, sub dominio, & potestate iustitiæ.*

34 *Reus è manibus Curiæ sæcularis violenter ab aliis extractus, si confugerit ad Ecclesiam, quod Ecclesia immunitate gaudeat, & consequenter Curiæ sæculari restituendus non sit, decisum fuit in Hispaniarum Regnis.*

35 *Assignatur disparitas, quæ est in argumento Nouarij, nempe de homine libero, & non libero.*

36 *Iudex laicus debet restituere reum Ecclesiæ spoliatæ; quia per talem spoliationem Ecclesia non amittit ius protectionis acquisitum.*

37 *Curia sæcularis capiens reum, ladit ius Ecclesiæ, ex iniusta autem lasione oritur restituendi obligatio.*

38 *Quisque vti potest iure suo, licet per accidens impediatur ius alterius, quin licet per accidens sequatur damnum alterius.*

39 *Argumentum non valet de casu priuilegiato ad casum non priuilegiatum, & de fauoribus ad odia.*

40 *Extrahentes reum à manibus satellitum, etiam cum vulneribus ipsorum, gaudent Ecclesiæ immunitate.*

REspondetur, quod reus è loco sacro extra casus exceptos, siue à satellitibus, siue ab aliis extractus, debeat ante omnia Ecclesiæ restitui. Atque ita habetur *ex cap. inter alia, de immunit. Eccles. cap. conquerente, & cap. item cum quis, de restitut. spoliatorum, cap. sicut antiquitus, cap. miror*, & aliis multis, *cap.* 17. *quæst.* 4. (vbi dicitur, extrahentem compellendum esse per excommunicationem ad restitutionem) & docent ibi glossa, Abb. Ancharan. Bellamera, & alij Canonistæ passim. Vide etiam Clarum *in pract. crimin. q.* 30. Salonium *quæst.* 62. *art.* 4. *contr.* 2. Scortiam *Theor.* 385. & Lessium *lib.* 1. *cap.* 29. *dubit.* 6. *num.* 52. 1

Et hoc adeò verum est, vt non possit Iudex sæcularis reum sic extractum, neque etiam ob alia delicta post extractionem, v. g. in carceribus sæcularibus commissa, illum detinere; quia sic extractus habet ius, vt restituatur Ecclesiæ, ac per consequens, vt nihil contra ipsum agatur, & Iudex semper in obligatione est, vt iniuriam factam Ecclesiæ compenset, & sic statim ac potest, compensare illam tenetur: tum quia Ecclesia prior est in tempore, & sic potior esse debet in iure, & non est conueniens, quod propter iniustam extractionem illa in sua immunitate detrimentum patiatur. Atque ita docent Farinac. *in appendend. de immunit. cap.* 2. *n.* 49. Mar. Ital. *de immunit. Eccles. lib.* 1. *cap.* 6. §. 2. *n.* 49. Peregrin. *cap.* 15. *n.* 25. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 3. *q.* 7. *punct.* 4. *num.* 13. Genuensis *in praxi, cap.* 17. *num.* 5. Lezana *verb. immunitas, n.* 19. & Diana *part.* 6. *tract.* 1. *resol.* 32. contra Gammam *decis.* 57. 2 3

Neque ab hac restitutione rei facienda Ecclesiæ excusatur Iudex, esto iuramentum præstet, & cautionem, seu securitatem exhibeat, quod ipse illum corporali pœna plexurus non sit; quia prius satisfacere debet Ecclesiæ, quæ spoliata fuit: at debitam satisfactionem non præstat Ecclesiæ, nisi prius ei faciat actualem restitutionem, *cap. mir.* 17. *q.* 4. & docent Archidiaconus, Turrecrem. Bellàm. Angelus, Silu. & alij, quos citat, & sequitur Farinacius *in loco suprà cit. num.* 50. Couar. 2. *var. cap.* 20. *num.* 6. Decian. *lib.* 6. 4

*lib. 6. cap. 25. num. 1.* Suarez *lib. 3. cap. 13. n. 6. in fin.* Villalob. *in Summa, tom. 2. tract. 59. d. ffic. 8. num. 4.* & Diana *part. 6. tract. 1. resol. 32.*

Quinimò Remig. de Gonny *in tract. de immunit. quæst. 15.* Peregrin. *cap. 15. num. 21.* & alij idem dicendum sentiunt, si Iudex extrahit in casibus exceptis, sed non seruat formam præscriptam in Bulla Gregorij XIV. & meritò, quia adhuc in tali casu Iudex immunitatem Ecclesiæ violat, extrahendo v. g. causa nondum cognita, vel ab Episcopo licentia non obtenta: tum quia Ecclesia contra Iudicem potest agere de spolio. Doctores quos citat, & sequitur Tuschus *tom. 3. lit. E. concl. 10. num. 20.* ergo signum est, quod Iudex teneatur de spolio; tum quia in dicto casu extractio iuridica nulla est ex textu *in cit.* Bulla ibi: *Ne non irritum decernimus, & inane, si secus super his per quoscumque quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit* attentari: ergo nullo modo potest Iudex in dicto casu reum extractum retinere; cum ex actu irrito nullum ius acquiratur.

5 Neque secundò à dicta restitutione rei facienda Ecclesiæ excusatur Iudex, esto reus, qui fuit extractus violenter ab Ecclesia, & deductus v. g. ad carceres sæculares, priuilegio immunitatis ibi renunciet; quia tale priuilegium principaliter, & directè Ecclesiæ (licet secundariò, & indirectè reo) concessum est, & sic renunciare illud non potest reus; sicuti renunciare non potest clericus priuilegium fori, vel Canonis, quod ipsi non ob ipsum, sed ob dignitatem clericatus principaliter concessum est. Atque ita docent Decianus, & Mar. Ital. quos citat, & sequitur Farinacius *in append. de immunit. cap. 19. numero 304.* Suar. *num. 11.* Peregrin. *cap. 15. n. 22.* Castrus Palaus *tom. 2. tract. 11. disp. unic. punct. 11. numero 5.* Mastrillus *lib. 2. decis. 169.* & Trullench. *in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dubit. 1. numero 14. & 15.* contra Remigium de Gonny *in tract. de immunit. fallent. 11. ad fin.* Barbosam *de iure Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 58.* & Salgadum *in tract. de Bull. Pontific. part. 1. cap. 3. num. 64.*

6 Idem ob eandem rationem dico de eo, qui renunciat existens in loco sacro: hic enim, licet possit voluntariè exinde exire, vt extra locum sacrum capiatur, non tamen potest consentire, vt è loco sacro à laica potestate extrahatur. Decianus *cap. 26. num. 12.* Peregrinus *num. 23.* Mar. Ital. *lib. 1. cap. 5. §. 2. num. 82.*

7 Idemque ob eandem rationem dico de eo, qui legitimè extractus ex Ecclesia nomine Episcopi, in carceribus Iudicis sæcularis detinetur: hic enim etiam (dum agitur an deliquerit in casibus à Gregorio expressis) non potest renunciare; quia fieri potest, quod fuerit extractus in casu, in quo immunitas loco sacro concessa fuerit; & ipse, sicuti dicebam, non potest loci sacri immunitati cedere. Decianus, Mar. Ital. & Peregrinus *in locis supra cit.*

8 Itaque vt possit reus immunitatis priuilegio renunciare, requiritur, vt prius Ecclesiæ, ex qua extractus fuit, restituatur, & posteà voluntariè ex illa exeat, & sic à ministris laicis capiatur; quia tunc non fit præiudicium Ecclesiæ, secus dum in Ecclesia existit; quia tunc ob rationem dictam non potest renunciare priuilegio immunitatis: quapropter licet consentiat in Ecclesia se ligari, & extrahi, talis consensus non excusat extrahentes à censuris iuris, & Constitutionis Gregorij XIV. sicuti nec excusat consensus Prælati Ecclesiastici nisi simul cum consensu rei coniungatur, vt dicebatur *supra dubit. 26.* & dicetur *infra dub. 30.* & 40.

Neque tertiò à dicta restitutione rei facienda Ec-
9 clesiæ excusatur Iudex, esto petierit terminum ad probandum, quod reus in casu excepto deliquerit; quin esto id probauerit per confessionem ipsius rei. Ratio est, quia non fuit seruata forma, nec talis est sufficiens probatio, cùm non agatur de præiudicio tantum rei, sed etiam Ecclesiæ, & semper procedat regula, *quod spoliatus ante omnia sit restituendus.* Atque ita docent Remigius *de immunit. Eccles. q. fin.* Suarez *in prax. 1. p. tom. 1. cap. 3. §. 3. num. 16.* & Genuens. *in prax. Archiepisc. cap. 22. num. 6.* 10

Quapropter cum Ecclesia spoliata sit iure detinendi reum, prius ipsa restitui debet in sua possessione, & postea fieri causa, an legitimè possideat; restitui verò debet Ecclesia in sua possessione, siue eadem numero, siue alia, dummodo sit æquè tuta, & æquè commoda reo; quia hoc priuilegium vnicum est omnibus Ecclesiis, & sic iniuria vni facta, censetur omnibus præstita; siquidem immunitas Ecclesiæ non magis respicit hanc, quam illam Ecclesiam, cum in vniuersum omnibus Ecclesiis concessa sit; tum quia qui homicidij, vel mutilationis delictum in vna Ecclesia commisit, potest in alia à Ministris laicæ potestatis capi, & in carcerem deduci: ergo similiter qui captus est in vna Ecclesia, poterit alteri Ecclesiæ restitui, si in hac cum æquali commodo æquè tutus, & securus sit; cum in tali casu extractus nullum damnum sentiat, & Ecclesia, ex qua fuit extractus, facta alteri Ecclesiæ restitutione, nullum detrimentum patiatur. 11

Quin ob eandem iamdictam rationem restitutio fieri poterit Episcopo, vel eius vicario; quia Episcopus Ecclesiam repræsentat, ipsique cura incumbit seruandæ immunitatis Ecclesiæ, *cap. scire debes 7. q. 1.* & docent Bonif. *in Clem. attendentes, § hoc autem, n. 17. de statu Monachor.* Farinac. *cit. cap. 2. num. 48.* & Bonacina *disp. 3. q. 7. de immunit. punct. 5. circa fin.* Vnde *in cit. cap. scire debes, & in cap. 1. de restitut. in integrum, in 6.* dicitur, quod Episcopus sit in Ecclesia, & Ecclesia in Episcopo. Item offensa facta Episcopo, dicitur facta Ecclesiæ: *Clem. 1. de foro compet.* & docent ibi Card. & Bonif. Item qui seruit Episcopo, dicitur quod seruiat Ecclesiæ, *cap. de catero, de clericis non residentibus.* Item ly *dic Ecclesia*, intelligitur *dic Episcopo, cap. nouit, de iudiciis.* Item pœna pecuniaria imposita pro offensa facta Ecclesiæ ob violatam eius immunitatem causa extractionis rei ex ipsa, solui debet Episcopo, *cap. si quis contumax, 17. q. 4.* & docet ibi Archidiaconus, quem sequens Ioan. Andr. *in cap. quamquam, de censib. in 6.* ait, quod quando iniuria fit Ecclesiæ, seu eius loco, sufficit, si satisfactio fiat Episcopo; subditque, quod restitutio propter exactionem pedagiorum facienda Ecclesiæ, iuxta *cit. cap. quamquam*, sufficit si similiter fiat Episcopo; & Marian. *in tract. de visitatione, lib. 11. in fin.* ait, quod restitutio facienda à visitatoribus, ex eo, quod contra formam *cap. 2. de censib. in 6.* indebitam procurationem, seu munera extorserint, sufficit si fiat etiam Episcopo, qui repræsentat Ecclesiam: ergo sic & in casu nostro. 12 13 14 15 16 17 18 19

Quamvis Barbosa *de iure Eccles. lib. 2. c. 3. n. 54.* probabiliter contrarium sentiat, quod scilicet restitutio fieri debeat eidem Ecclesiæ, & non sufficiat fieri alteri Ecclesiæ, vel Episcopo, aut eius Vicario, loco Ecclesiæ: & affert pro se declarationem sacræ Congregationis immunitatis anno 1632. cui tamen, cùm de ipsa non constet authenticè, necessariò standum non est; præsertim quia dici potest, quod illa iuxta dicta intelligatur in casu, quo restitutione tali facta, extractus non sit cum æquali commodo, & æquè tutus, ac si restitutio facta fuisset eidē Ecclesiæ, nam cum immunitas concessa sit locis sacris, vt ad ipsa confugiens securus sit, cumque inde extractus passus sit iniuriam, & sic habeat ius petendi, vt in suam libertatem pristinam restituatur, par est, vt in loco æquè commodo, ac æquè tuto constituatur, quæ Farinacius probabiliter etiam distinguit, & sic vtramque opinionem conciliat, quod 20 scilicet,

scilicet, aut reus petit se restitui Ecclesiæ, ex qua fuit extractus, & sic procedit posterior opinio; aut non petit, & sic procedit prior, nempe quod restitui possit alteri Ecclesiæ, vel loco Ecclesiæ etiam Episcopo, aut eius Vicario, non vt eum inclusum in carcere detineat, sed vt liberum in Palatio, vel in Ecclesia reponat; alioquin enim immunitatis priuilegium frustratorium esset, seu vt dici solet, seruiret de vento.

Cæterùm cognitio, an commissum crimen sit exceptum, & an fuerit legitimè probatum, &c. spectat ad Iudicem Ecclesiasticum, non autem ad secularem,
21 vt *dubit.*41. dicetur.

Obiicies, Ecclesia reo spoliata restituenda est in sua possessione; ergo Curia sæcularis similiter, si spoliata fuerit reo, qui detinebatur à suis ministris, restituenda erit in sua possessione; quo argumento con-
22 uictus Nouarius *in summa Bullar. tit. de immunit. numero* 14. non omninò improbabiliter ait quod licet reus, si è carceribus, vel è satellitum manibus se eximens, confugiat ad Ecclesiam, immunitate gaudeat, & curiæ sæculari restituendus non sit; tamen si inde exemptus ab aliis ad eam confugiat, immunitate non gaudeat, & curiæ sæculari restitui debeat; sicut & non gaudet, si detentus à satellite, simul cum satellite ad Ecclesiam confugiat; quia in tali casu non liber, & solutus ad Ecclesiam confugit, sed captiuus, & detentus ab aliis, & probat vlterius; quia sicut Ecclesia, quæ fuit spoliata, habet interdictum de libero homine restituendo, ita etiam habet Curia sæcularis interdictum restitutionis: & adducit pro se Franchum *decis.*709. *num.*3. & videri etiam poterit Pasqualigus *decis.*486. *per totam.*

Respondetur concedo antecedens. At nego consequentiam; quia licet extrahentes malè faciant, & digni sint propterea, vt maxima pœna puniantur, extractus tamen, si ad Ecclesiam confugiat, immunitate gaudet, & Curiæ sæculari restituendus non est; quia liber, & solutus ad Ecclesiam confugit, & sic non est, cur immunitate priuetur, cùm omnia iura, tam antiqua (vt *cap. inter alia, de immunit. cap. definiuit*, 17. *quæst.*4. *lex* 2. *Cod. de his, qui ad Eccles. confug.*) quàm noua (vt Constitutio Gregorij XIV.) absolutè dicant, quod rei confugientes ad Ecclesiam im-
23 munitate gaudeant, & ex alio capite, vbi iura non distinguunt, nec nos distinguere debemus, ex vulgatis textibus (quos adducit Iason *in l. non dubium, n.*58. *ff. de legibus*, Surdus *consil.*51. *num.*7. & alij passim) præsertim in fauoribus, qui potius sunt ampliandi, quàm restringendi.

Confirmatur, quia si quis se eximens, ad Ecclesiam confugit, gaudet; ergo & gaudebit, qui ad eandem confugiet exemptus ab aliis; cùm in vtroque casu liber, & solutus, non autem detentus, & captiuus
24 ad Ecclesiam confugiat; & cum hoc ipso quod reus non est amplius in manibus Curiæ (etiamsi violenter ab aliis è manibus illius extractus fuerit) habeat
25 ius confugiendi ad Ecclesiam; siquidem extractio illa violenta non potuit ipsum priuare iure, quod habet ad vitam, libertatémque suam tuendam; alioquin si sic extractus remaneret adhuc sub dominio Curiæ sæcularis, teneretur fugam non arripere, sed permittere, & expectare, iterum se à satellitibus
26 capi; quod dicere absurdum est; ergo dicendum, quod licitè pro sui defensione ad Ecclesiam confugere possit, & sic quod Ecclesia ipsum excipere, & defendere debeat; atque adeò quod eundem excipiendo, & defendendo non faciat (vti contendunt aduersarij) contra iustitiam, non foueat iniustam spoliationem, sicut faceret contra iustitiam, & foueret iniustam spoliationem, qui rem ab alio furatam apud se retineret, & nollet illam restituere Domino (sed præstet tantùm patrocinium reo iam in pristina libertate reposito, & liberè ad ipsam confugienti; quamvis ipsi extrahentes in extractione illa violenta peccauerint; quorum improbitas (vti dicebam) tollere non potest, quin reus sic extractus, & in pristina libertate repositus, non possit vti iure suo pro sui defensione ad Ecclesiam confugiendi; & quin Ecclesia non teneatur illum, quem liberum recipit, defendere, & suo patrocinio iuuare; quia si reus habet ius pro sui defensione violenter se extrahendi è manibus Curiæ, & ad Ecclesiam confugiendi; multò magis habebit ius id faciendi ab aliis extractus, & sic in sua pristina libertate repositus. Quapropter dicendum, quod Ecclesia in tali casu præstet tantum auxilium suum reo libero, & liberè ad ipsam confugienti; non autem, quod non restituendo, foueat iniustam spoliationem laico Iudici factam. Si- 27
cuti si quis exiens è carcere sub iuramento redeundi ad carcerem, confugiat ad Ecclesiam, immunitate eius gaudet, & non dicitur, quod Ecclesia non restituendo, foueat sacrilegium rei, & iniustum damnum, quod inde custos carceris recipit, sed tantum quod Ecclesia tueatur ius, quod reus habet pro sui defensione ad Ecclesiam confugiendi, vt *supra dubit.*10. *sect.*10. dicebatur. Item sicuti, si quis ex manibus Curiæ etiam violenter extractus ex territorio vnius Principis recipiat se ad territorium alterius, etiam immunitate gaudet, & non 28
dicitur, quod Princeps illius territorij, ad quod reus liberè confugit, non restituendo, faciat iniuriam alteri Principi, & foueat iniustam spoliationem illi factam; sed quod tantum licitè reum defendat, quia non tenetur requisitus reum restituere, cùm ille liber in ipsius territorium intrauerit; quinimò Princeps alter, si inde violenter extrahit, violabit iurisdictionem Principis istius, ex cuius territorio extrahit. Quapropter rectè 29
dixit Ludouicus Correa *in relect. ad cap. inter alia, de immunit. Eccles. part.*3. *n.*21. quod licet delinquens prius esset in manibus Curiæ, nihilominus nunc, cùm existat in Ecclesia, fiat Ecclesiæ præiudicium in suo priuilegio, si ex illa extrahatur, sicut qui in alienum territorium fugit, fiet alienæ iurisdictionis offensio, si exinde similiter violenter extrahatur. Vide quæ dicebantur *supra cit. dubit.*10. *sect.*6. *per totam, dubit.*19. *sect.*2.

Confirmatur secundò, quia reus immunitate gaudet 30
etiamsi detentus à satellite, simul cum satellite ad Ecclesiam confugiat, vt *in locis cit.* probamus.

Confirmatur tertiò ex doctrina Mariani Socini 31
*in tractat. de cit. art.*17. *in* 2. *membr.* vbi docet, quod si satelles capit aliquem extra domum, & captus satellitem capientem trahens ingressus fuerit domum, vel intra clausuram domus partem corporis immiserit, non debeat inde inuitus extrahi.

Confirmatur quartò, quia *in cap. inter alia*, & in 32
constitutione Gregorij XIV. nominatim excluduntur rei, qui ad Ecclesiam confugientes, immunitate non gaudent, inter quos non numeratur reus è satellitum manibus extractus, nec reus satellitem secum ad Ecclesiam trahens: ergo non est, cur ab immunitate hi excludantur; præsertim quia (vt fatetur ipse Nouarius *num.* 47. verba Constitutionis Gregorij XIV. cùm tollant omnem facultatem aliter interpretandi) licet non sint amplianda, nec extendenda, non sunt tamen limitanda, nec declaranda, sed intelligenda provt sonant.

Confirmatur quintò ex doctrina Ægidij Bossij 33
*tit. de captura, num.*23. vbi docet, quod reus captus, antequam deducatur ad carcerem, non intelligitur ita perfectè captus, vt sit in tuto sub dominio, & potestate iustitiæ, quapropter sibi imputet Curia sæcularis, si non tutè, & securè reum in carcerem traduxerit. Vnde, quod reus è manibus Curiæ sæcu- 34
laris violenter ab aliis extractus, si confugerit ad Ecclesiam, Ecclesiæ immunitate gaudeat, & consequenter Curiæ sæculari restituendus non sit, in Hispania decisum

decisum fuisse testatur Gutierrez *in qq. pract. lib. 3. quæst. 4. num. 10.*

35 Ad id verò, quod dicit Nouarius, quod sicut Ecclesia in sua possessione restitui debet, ita & Curia sæcularis similiter in sua possessione restitui debeat. Respondetur, disparitatem esse, quia in casu Ecclesiæ ipse Iudex sæcularis illam spoliauit, extrahendo ab ipsa, vel retinendo extractum ab ipsa reum violenter; & ideò iure reus est ei restituendus. At in eo casu ipsa Ecclesia non spoliauit Curiam sæcularem, quia recepit eum liberum, & ius habentem pro sui
36 defensione ad ipsam confugiendi. Quapropter Iudex laicus debet restituere reum Ecclesiæ spoliatæ, quia per talem spoliationem Ecclesia non amittit ius protectionis acquisitum; & ideò Curia capiens reum læ-
37 dit tale ius: ex iniusta autem læsione oritur restituendi obligatio. At Ecclesia protegens reum violenter creptum Curiæ, non lædit ius Curiæ, licet quodammodo reus in tali casu sit sub dominio Curiæ: quia protegit reum vtentem iure suo: atque adeò protegit in eo, in quo potest illum protegere: quia sine iniuria alterius vnicuique ius proprium protegi po-
38 test. Quod si ex hac protectione impediatur ius alterius, per accidens est, atque quisque potest vti iure suo, licet per accidens impediatur ius alterius, quin licet per accidens, sequatur damnum alterius, *l. si cui, §. denique Marcellus, ff. de aqua, & aqua pluu. arcenda.* Adde, non valere argumentum de casu priuilegiato ad non priuilegiatum, & de fauoribus ad odia:
39 præsertim quia Gregorius XIV. prohibet actiones istas, *extrahere, capere, vel incarcerare*, disiunctiuè per particulam *vel*: & sic licet Ecclesia possit tueri reum è Curiæ manibus violenter extractum (quia sic extractus habet etiam ius, vti dicebam pro sui defensione confugiendi ad Ecclesiam) non tamen in casu, quo reus fuerit violenter extractus ex Ecclesia ab aliis, poterit Iudex laicus illum sic extractum capere, vel incarcerare, quia hoc ipsum à Pontifice in Bulla prohibetur, cùm disiunctiuè dictæ actiones prohibeantur, vti dicebam.

Instabis, saltem Ecclesiæ immunitate non gaudent extrahentes (præsertim qui damnatum iam, vel è carceribus reum in illis manentem extraxerint) si hi ad Ecclesiam confugiant, quia committunt crimen læsæ Maiestatis, *ex textu in l. cuiusque, ff. ad l. Iuliam Maiest.* Et docet ex communi Alexander *consil. 35. num. 4. vol. 2.* Bursat. *consil. 216. num. 1. & 5. vol. 2.* Viuius *decis. 92. num. 4.* Mastrillus *de indulto, cap. 59. num. 1. & 2.* & alij passim.

Respondetur, nego antecedens, maximè in terminis Constitutionis Gregorij XIV. vbi tantùm ab Ecclesiæ immunitate excluduntur rei læsæ Maiestatis in personam Principis: Vide quæ dicebantur *supra dub. 23. sect. 4. & seqq.*

40 Ex quibus vlterius sequitur, quod ipsi extrahentes Ecclesiæ immunitate etiam gaudeant, si in ipso actu extrahendi ipsos satellites, quin & quoscumque Regios Officiales vulnerent, & occidant; quia adhuc (licèt crimen læsæ Maiestatis committant, *ex l. 1. ff. ad leg. Iul. Maiest.* & notant communiter Doctores apud Farinacium *quæst. 112. num. 136.* & Antonium de Amatis *decis. 1. & 4.*) non tamen in personam Principis committunt. Vide *cit. dub. 23. per totam.*

## DVBITATIO XXXIV.

An si reus extractus Ecclesiæ non restituatur, omnia acta sint nulla? vbi etiam quinam alij effectus inde sequantur?

### SVMMARIVM.

1 *Si Reus extra casus exceptos extractus, Ecclesia non restituatur, omnia acta sunt nulla.*

2 *Ecclesia est locus exemptus à iurisdictione Iudicis sæcularis quoad actum extrahendi reum ab ipsa extra casus exceptos; & propterea extractio, & sic omnia subsequentia sunt nulla.*

3 *Iudex præter casus exceptos non potest reum ab Ecclesia extractum in arcerare, vel interrogare, vel torquere, vel quidquam aliud iudiciale in eum facere.*

4 *Iudex sæcularis per capturam iniustam non acquirit iurisdictionem in reum.*

5 *Fundamentum iudicij si iure non subsistat, omnia, quæ in eo fundantur, irrita sunt.*

6 *Non potest Iudex in tali casu iuridicè reum interrogare, qui propterea non tenetur respondere ad mentem Iudicis interrogantis.*

7 *Extrahens illegitimè, vel contra ita extractum vlterius procedens, tenetur ex iustitia compensare reo omnia damna, quæ ex tali extractione ei contigerunt.*

8 *Extrahens illegitimè absolui non debet, nisi prius restituerit Ecclesia extractum, & refecerit ei omnia damna, & interesse.*

9 *In debita rei extractione intercedit solùm sacrilegij culpa primariò & per se, secundariò verò & consecutiuè obligatio restituendi.*

10 *Nullus extrahens est, qui talem extracti restitutionem faciat, vel quia fecit bona fide, vel quia si mala, putat tantum esse sacrilegium.*

RESpondetur, quod si reus extra casus exceptos 1
extractus, Ecclesiæ non restituatur, omnia acta sint nulla? Atque ita expressè definitur in Constitutione Gregorij XIV. ibi: *Necnon irritum decernimus, & inane, si secus super his per quoscumque quæuis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari*, & docent Bartol. *in l. præsenti, Cod. de his, qui ad Eccles.* Oldradus *cons. 53.* Syluest. *verb. Immunitas 3. q. 4.* Angel. *eod. verb. num. 20.* Abb. *cap. inter alia, de immunit.* Mar. Ital. *lib. 1. cap. 6. §. 2. num. 21.* Ambrosin. *c. 15. num. 7.* Peregrin. *cap. 15. num. 21.* Lezana *verb. immunitas, num. 18.* Suar. *lib. 3. cap. 13. num. 12. & seqq.* Clar. *in pract. crimin. quæst. 30.* Salon. *quæst. 60. art. 4. contr. 2.* Less. *lib. 2. cap. 29. dubit. 6. num. 52.* Farinacius *tom. 1. de carcerib. quæst. 28. num. 5. & in append. de immunit. cap. 2. n. 56.* Scortia *epit. 152.* & *theor. 385.* Layman *lib. 4. cap. 3. in fin.* & Bonacina *cit. quæst. 7. punct. 5. num. 2.* & proba- 2
tur, quia cùm Ecclesia sit locus exemptus à iurisdictione Iudicis sæcularis quoad actum extrahendi reum ab ipsa, extra casus exceptos extractio est nulla vtpotè facta ab eo, qui non habet iurisdictionem extrahendi, tum ob rationem dictam; tum quia reus habet ius, ne à loco sacro inuitus extrahatur) & sic omnia subsequentia sunt nulla.

Hinc sequitur, quod Iudex sæcularis non possit ex- 3
tractum reum in tali casu incarcerare, vel torquere, vel quidquam aliud iudiciale in eum exercere, quia cum ad hæc omnia requiratur, vt prius acquisuerit in reum iurisdictionem (quam per capturam

sacrilegam, & iniustam non acquisiuit) consequens est, quod omnia ibi fundata, nulla, & irrita sint.

5 Vnde fit, quod processus iudicij post huiusmodi sacrilegium, iniustam, & violentam extractionem institutus, ipso facto sit irritus; quia si fundamentum iudicij (sicuti dicebam) iure non subsistit, omnia, quæ in eo fundantur, irrita sunt consequenter, cum omnis vlterior iudicij processus fundetur in captura, per quam veluti possessio in reum acquiritur, consequens est, quod si captura illegitimè, sine iurisdictione, & per sacrilegam, & iniustam violentiam attentata fuit, reliquus etiam processus ipso iure irritus sit. Atque ita docent Farinacius, Suarez, Layman, Bonac. & alij *in locis suprà cit.* contra nonnullos paucos, quos innuit Suar. & Bonacina *in tract. de excommun. in particulari, disp.2.quæst.3.punct.16.§.3.num.17.*

Sequitur secundò, quod Iudex sæcularis neque possit in dicto casu iuridicè reum interrogare, & consequenter reus non teneatur interroganti ad mentem eius respondere; quia Iudex sæcularis, vti dicebam, non habet iurisdictionem in reum eo modo captum, & reus eo modo captus habet ius se eximendi ab eius potestate, & procurandi, vt loco sacro liber restituatur; tum quia sicut reus, dum in Ecclesia existit, potest sine culpa resistere, ne indè extrahatur, & non tenetur Iudici sæculari interroganti ad mentem eius respondere (cum sit extra eius territorium, & ius dicenti extra territorium impunè non pareatur, *l. vlt. ff. de iurisdict. omnium Iudic. & cap.2. de constitut. in 6.* ita neque tenetur respondere, postquam per vim extractus fuit; cum idem ius, quod ipsi ante extractionem competebat, post extractionem retinere videatur. Farinacius, Suar. & alij, quos suprà citabam.

6 Sequitur tertiò, quod illegitimè extrahens, vel contra ita extractum vlterius procedens, teneatur ex iustitia compensare reo, vel eius hæredibus, omnia damna, quæ ex tali extractione reo contigerunt; quia non solum Ecclesiæ, sed etiam ipsi reo talis extractio iniuriosa est; cùm etiam reus (cui saltem secundariò, *vt suprà dicebam*, priuilegium immunitatis conceditur) ius habeat, ne in loco sacro capiatur) & sic si opus fuerit, capienti per vim possit resistere, vt suprà etiam dicebatur (& cum Iudex in reum, dum in Ecclesia existit, iurisdictionem non habeat. Vide Valentiam *tom.3.*

7 *disput.6. & 15. punct.1. quæst.2.* Medinam *in sum. lib.1. cap.16.* Suarez *cit. cap.13. num.15.* Farinacium *de carceribus quæst.28. num.5. & in append. de immunit. cap.20. num.221.* Bonac. *cit. quæst.7. punct.6. num.1. & 2.* Sanchez *tom.1. consil. moral. lib.3. cap. vnic. dubit.17.* Scortiam *theor.385.* Layman *lib.4. tract.9. cap.3. num.14.* Villalob. *in summa, tom.2. tract.39. diffic.8. num.4.* Lezanam *verb. Immunitas, num.20.* Peregrinum *cap.15. num.26.* & Ambrosinum *de immunit. cap.15. num.7.* Vide etiam S. Augustinum in persona Bonifacij Regis, *cap. miror, 17. quæst.4.* Sylvestrum *verb. Immunit.3. in fin.* Ioannem de Vichis *de immunit. num.165.* Marium Ital. *lib.1. cap.6. §.11. num.23.* Capell. Tolosan. *dec.423. num.3. in addit.* & Decianum *lib.6. cap.27. in princip.* qui propterea, *& arg. c. conquer. de restit. spoliat.* & aliorum iurium tradunt, quod illegitimè extrahens, absolui non debeat, nisi prius restituerit Ecclesiæ extractum, & refecerit ei, vel eius hæredibus omnia damna, & interesse.

8 Obiicies, *S.Th.2.2.quæst.99. art.2. ad 3.* docet, quod in indebita rei extractione è loco sacro, intercedat solum sacrilegij culpa: ergo.

Respondetur, distinguo ad mentem S. Th. antecedens, intercedat solum sacrilegij culpa per se, & primariò, concedo; secundariò, & consecutiuè etiam (quatenus scilicet, supposita immunitate, competit reo ne inuitus ab Ecclesia extrahatur) nego.

Instabis, nullus extrahens est, qui talem extracto restitutionem faciat: ergo. 9

Respondetur, id esse, vel quia extrahens bona fide extrahit, putando in casu, quo extrahit, extrahere sibi licere ex probabili aliqua opinione Doctorum, vel dato, quod mala fide extrahat, id esse, quia sequitur opinionem eorum, qui dicunt, quod in indebita rei extractione è loco sacro, intercedat solum sacrilegij culpa contra locum sacrum, & non etiam iniustitiæ contra reum extractum, quorum Doctorum opinionem probabilem putant Suarez, & Bonac. *in locis suprà cit.* licet alij quos citat, & sequitur Diana *part.6. tract.1. resol.32.* meritò ad id ex rationibus supra adductis non consentiant. Et si contra eos obiicias, talem restitutionem non esse vsu receptam; respondent, esse tamen illam vsu recipiendam, & Iudicibus restitutionis obligationem imponendam, non obstante consuetudine in contrarium; quia huiusmodi consuetudo, quandiu durat priuilegium immunitatis locis sacris concessum, est contra ius naturæ, contra quod induci non potest consuetudo. Vide Valentiam *loc. cit. vers. ad primum argumentum,* & Suar. *cit. num.15.*

## DVBITATIO XXXV.

An, & quam culpam, & pœnam incurrat indebitè reum extrahens è loco sacro. Et quis?

### SECTIO I.

### Dubitationis Resolutio.

### SVMMARIVM.

1 *Extrahens indebitè reum à loco sacro incurrit culpam sacrilegij grauissimam, quia in re grauissima facit contra sanctitatem Ecclesiæ, & infert iniuriam grauissimam Deo, cui Ecclesia dicata est.*

2 *Extrahens indebitè reum è loco sacro incurrit infamiam ex legibus Caroli IV. & inhabilitatem ad Concilia publica, & priuationem honorum ex iisdem legibus.*

3 *Item incurrit pœnam capitalem, quia reputatur crimen istud crimen læsæ maiestatis, cum Diuinam Maiestatem offendat, qui eius domum violat.*

4 *Extrahens indebitè reum ab Ecclesia, vsurpat iurisdictionem Pontificis, de cuius licentia solum reus in Ecclesia existens extrahi inde potest.*

5 *Pœna Iuris ciuilis circa punitionem extrahentis reum ab Ecclesia, non videtur vsu recepta, quia tam in puniendo, quam in indicando tale crimen, non iuri ciuili, sed iuri canonico standum est.*

6 *Item incurrit de iure canonico pœnam pecuniariam aliquando 30. librarum examinati argenti, aliquando nonaginta solidorum.*

7 *Pœna pecuniaria in tali casu inspecta qualitate delicti, & personæ poterit arbitrio Iudicis moderari.*

8 *Pœna lata contra immunitatis Ecclesiæ Violatores non est antiquata, contra nonnullos Doctores, quia per Tridentinum, & constitutionem Gregorianam renouantur circa id omnes pœnæ in antiquis canonibus latæ.*

9 *Item incurrit pœnam excommunicationis non latæ, sed ferendæ sententiæ, tam vigore Iuris communis, quam etiam constitutionis Gregorianæ.*

10 *Auctor*

10 *Auctor existimat ponderando verba constitutionis, & præsertim particulam (ipso facto) quod sic Extrahentes sint ipso iure excommunicati.*

11 *Clemens VIII. & Paulus V. declarauerunt sic extrahentes esse ipso iure excommunicatos.*

12 *Pœnas, & censuras dictas incurrit, qui extrahit in casibus non exceptis, vel extrahit non seruata forma Bullæ Gregorianæ.*

13 *Quapropter incurrit, qui extrahit absque licentia Episcopi, vel si cum licentia Episcopi, absque interuentu personæ Ecclesiasticæ, ad hoc ab Episcopo deputatæ.*

14 *Idque in opinione multorum, etiamsi extrahat ad bonum finem, quod Authori non probatur.*

15 *Item, si extrahat quem notoriè constat commisisse delictum in Gregoriana exceptum.*

16 *Incurrit etiam pœnas, & censuras dictas, qui eum, quem notoriè constat commisisse delictum exceptum, si Episcopus extrahendi facultatem indebitè negauit, extrahit cum magno scandalo, quem sine scandalo extrahere potuisset.*

17 *Item, qui captum, & extractum de licentia Episcopi, vel etiam sine licentia Episcopi indebitè denegata, reponit in carceribus Curiæ sæcularis.*

18 *Limitant nonnulli, dummodo id fiat nomine proprio, secus si reponant in propriis carceribus nomine Episcopi, et ibi tutius custodiatur? Quod Auctor non facilè concesserit.*

19 *Potest Iudex apponere debitam custodiam ad carcerem Curiæ Ecclesiasticæ, si ibi repositus fuerit extractus.*

20 *Non potest tamen inde reum extrahere, donec Episcopus cognouerit, an reus crimen exceptum commiserit.*

21 *Postquam autem Episcopus id cognouit, debet eum consignare Curiæ sæculari.*

22 *Incurrit etiam censuras dictas qui extrahit personam Ecclesiasticam, etiamsi hæc commiserit crimen exceptum, dummodò seruauerit requisita Concilij Tridentini.*

23 *Item incurrit, qui cognoscit de crimine ad forum Ecclesiasticum pertinenti.*

24 *Iudex mandans extrahi reum à loco sacro in casibus non exceptis, & etiam sic extractum Ecclesiæ non restituens, birruary mandatum exequentes, consanguinei, & amici ipsius occisi incurrunt excommunicationem, contra Gambacurtam.*

25 *Iudex qui non restituit reum ab Ecclesia ipso facto etiam extractum, incurrit pœnas Gregorianæ constitutionis.*

26 *In legem committit non solùm qui contra iuris verba facit, sed etiam qui contra mentem.*

27 *Constitutio Gregoriana, ne elusoria reddatur, extendenda est ad mandantes, & non restituentes, etiamsi de his in illa mentio non fiat.*

28 *Verba (quauis dignitate profulgeant) apposita in Constitutione Gregoriana, non de Extrahentibus, cum ij viles sint, sed de mandantibus intelligi debent.*

29 *Confugiens ad Ecclesiam neque à persona priuata extrahi potest, contra Gambacurtam.*

30 *Iura generaliter loquentia generaliter sunt intelligenda.*

31 *Carceratus in alieno Territorio, vel in Ecclesia, non potest etiam pro alia iusta causa ad instantiam cuiusuis in carcere detineri.*

32 *Res tradita sit cum onere suo, & res furtiua transit ad quemcunque cum onere restitutionis.*

33 *Peccatum, quod ex confessione etiam mediatè scitur, transit ad quemcunque cum onere sigilli sacramentalis.*

34 *Reus ab Ecclesia iniustè extractus, si postea à carcere aufugiat, & iterum capiatur in loco etiam non immuni, Ecclesia restitui debet, propter rationem dictam.*

35 *Constitutionis Gregoriana verba, videlicet (extrahunt, capiunt, incarcerant) vt inania, & superflua non sint, & suum operentur effectum, valent ac si ab aliis extractum non restituant.*

REspondetur (quidquid sit de culpa iniustitiæ contra reum extractum, de qua dixi *dub. præced.*) incurrit culpam sacrilegij grauissimam (sicut & quandocumque alia ratione violat immunitatem Ecclesiasticam) quia in re grauissima facit contra sanctitatem Ecclesiæ, in cuius honorem immunitas hæc introducta est; & consequenter infert iniuriam grauissimam Deo, cui Ecclesia dicata est. Atque ita constat *ex cap. sacrilegium, 17. quæst. 4.* & ex pœnis subsequentibus grauissimis, sub quibus prohibetur talis extractio, docet S. Thom. communiter receptus *in 2. 2. quæst. 99. art. 2. ad 3.* 1

Secundò, incurrit infamiam ex legibus Caroli IV. de quibus Scortia *epit. 29.* & inhabilitatem ad consilia publica, & priuationem honorum ex iisdem legibus. 2

Tertiò, incurrit pœnam capitalem, vt habetur *in l. præsenti, & l. fideli, C. de his, qui ad Eccles. confugiunt*, quia reputatur crimen istud, crimen læsæ Maiestatis, cum diuinam Maiestatem offendat, qui eius domum violat; tum quia vsurpatur iurisdictio Pontificis, de cuius licentia solum reus in Ecclesia existens, extrahi inde potest. Atque ita docent Bacconus *in 4. distinct. 12. art. 1. num. 5.* Tuschus *verb. Eccles. conclus. 8. num 2. & 4.* Azor *2. part. lib. 9. cap. 9. quæst. 11.* Clar. *in pract. quæst. 68.* Decian. *lib. 6. cap. 18. num. 4.* Scort. *epit. 152. & theor. 387.* Suar. *de relig. lib. 3. cap. 13. n. 7.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. cas. 360. num. 68.* Thesaurus *in praxi, part. 2. verb. immunitas, cap. 1.* Farinac. *de carceribus, quæst. 28. num. 2. & in append. de immunit. c. 20. num. 309.* Anastas. Germon. *de sacror. immunitat. lib. 2. cap. 18. num. 6.* & Bonac. *disput. 3. quæst. 7. de immunitat. punct. 6. num. 5.* & alij passim. 3 4

Quamvis hæc pœna (vt aduertunt Suarez *cit. c. 13. num. 6.* Bonac. *cit. num. 5.* Clarus §. *fin. quæst. 30.* & Decian. citato *num. 4.*) non videatur vsu recepta, ex eo, quia tam in puniendo, quàm in iudicando tale crimen, non iuri Ciuili, sed iuri Canonico standum sit, sicuti rectè docent Doctores, quos refert, & sequitur Couar. *2. var. cap. 20. num. 3.* Item & docent Decian. *loco suprà cit. num. 16. & cap. 25. num. 7.* & Farinac. *de carceribus cit. quæst. 28. num. 6.* 5

Quartò, incurrit de iure Canonico pœnam pecuniariam, aliquando 50. librarum examinati argenti, aliquando nonaginta solidorum, vti tradit Hostiens. *in sum. de immunit. num. 24.* Quam tamen pœnam pecuniariam poterit Iudex pro suo arbitratu, pensata delicti qualitate, & delinquentis conditione moderari, & suo iudicio cum pœnitentia publica mulctare, sicuti habetur *in c. quisquis, & c. si quis contumax, 17. quæst. 4. vers. Componas*, & docent Hostiens. *loco suprà cit.* Gutier. *pract. qq. ciuil. lib. 3. quæst. 4. n. 13.* Farinac. *de carcerib. quæst. 28. num. 5. & in append. de immunit. cap. 20. num. 320.* Suar. *num. 7.* Lezana *num. 21.* & Ambrosin. *de immunit. c. 15. n. 7.* 6 7

Et quamvis nonnulli Doctores (quos refert, & sequitur Clarus *suprà*, & Decian. *lib. 6. cap. 28. num. 8.*) velint, pœnam hanc esse antiquatam, dicendum tamen contrarium est, quia per Tridentinum *sess. 25. cap. 20.* & per Constitutionem Gregorij XIV. renouantur omnes pœnæ in antiquis Canonibus latæ contra immunitatis violatores: tum quia hæc pœna (si scilicet in Ecclesiæ cultum applicetur, vt de iure applicari debet) efficacius Ecclesiæ satisfit. Atque ita 8

docent

docent Tusch. *verb. Ecclesia, concl.* 8. *n.* 11. Farin. *de carcerib. cit. q.* 28. *n.* 5. *& in append. de immunit. cit. cap.* 20. *n.* 319. Ambrosin. *cit. c.* 15. *n.* 1. *&* 2. & Bonac. *disp.* 3. *q.* 7. *de immunit. punct.* 6. *n.* 5.

9 Quintò incurrit pœnam excommunicationis, *cap. nouerit, de sent. excommun. cap. sicut antiquitus, cap. frater, cap. definiuit, cap. miror, cap. quisquis, cap. si quis contumax,* 17. *q.* 4. In his tamen iuribus non est excommunicatio ipso facto lata, sed ferenda, & comminatoria sub conditione, si violator immunitatis Ecclesiasticæ reum non restituat, nec satisfaciat, vti notat Suar. *loc. cit. c.* 13. *n.* 3. Zerola *in praxi, verb. immunitas, vers.* 24. Peregrin. *c.* 25. *n.* 3. Silu. *verb. immunitas* 3. *q.* 8. & Farin. *de immunit. Ecclesiast. c.* 20. *n.* 312. Quapropter Socin. Turrecremata, Gofred. & alij apud Farinac. *in append. de immunit. c.* 20. *n.* 312. item & Suarez *n.* 7. putant, quod spectato iure communi, nulla censura de facto lata tali crimini annexa sit, & fortasse (sicuti præter alios docet Zambell. *in repert. mor. verb. Ecclesia quoad eius immunitatem, n.* 23. de facto lata, neque etiam annexa est, spectata Constitutione Gregorij XIV. ex eo, quod in ea sic statuitur: *Si quis quouis prætextu quidquid præter, aut contra huius nostræ Constitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus eum ipso facto censuras, & pœnas easdem incurrere, quæ contra libertatis, iuris, & immunitatis Ecclesiasticæ violatores per sacros Canones, Conciliorumque generalium, & nostrorum Prædecessorum Constitutiones sunt promulgatæ,* &c. Ex quibus verbis (cùm intendat ibi Pontifex antiquas pœnas renouare) solum sequitur, quod talis violator excommunicationem incurrat, si per sacros Canones, vel Concilia lata sit. Quapropter cùm nullibi lata ipso facto reperiatur, dicendum videtur, quod ipso facto etiam spectata Constitutione Gregorij XIV. illam non incurrat.

10 Nihilominus contrarium probabilius dicendum sentio, sicut & sentiunt Farinac. *in append. de immuni. c.* 20. *n.* 313. *& seqq.* Diana *part.* 6. *tract.* 1. *resol.* 34. Mar. Ital. *de immunit. Eccles. lib.* 1. *c.* 6. *§.* 2. *n.* 29. *& seqq.* Larrea *de immunit. part.* 4. *n.* 8. Thesaurus *in prax. part.* 2. *verb. immunitas, c.* 1. Lezana *eodem verb. n.* 11. Bonac. *disp.* 3. *q.* 7. *de immunit. punct.* 6. *n.* 5. & inclinat Naldus *verb. casus reseruatus, n.* 1. & probatur, quia illa verba Constitutionis *ipso facto* (ne superflua esse dicantur, aliquid operari debent; sed si excommunicationem ipso facto non inferrent, nihil operarentur (siquidem excommunicatio ferenda iam habebatur *in cit. cap. antiquitus, cit. cap. frater,* & *cit. cap. definiuit,* 17. *q.* 4.) ergo, &c. tum quia in cit. Constit. dicitur, quod talis violator incurrat ipso facto censuras aduersus libertatis, iuris & immunitatis Ecclesiasticæ violatores à sacris Canonibus, Conciliis & Pontificum Constitutionibus promulgatas: sed promulgata est iam excommunicatio cit. iuribus aduersus illos: ergo ipso facto excommunica-
11 tionem incurrit: tum quia ita declarauit Clemens VIII. & Paulus V. (vti testantur Farinac. Mar. Ital. Diana, & Bonac. *in loc. supra cit.* ergo, &c.

12 Cæterùm has dictas pœnas incurrit primò, qui extrahit in casibus non exceptis (de quibus dixi *dub.* 13. *& seqq.*) & qui extrahit non seruata forma Bullæ Gregorij XIV. ibi: *Volumus, dictaque auctoritate decernimus, & declaramus, vt Curia secularis, eiusque Iudices, & Officiales ab Ecclesiis, Monasteriis, locisque sanctis prædictis laicum aliquem, vt profertur, delinquentem in nullo ex casibus supradictis sine expressa licentia Episcopi, vel eius Officialis, & cum interuentu personæ Ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos, & non alios Episcopis inferiores, etiamsi alij Ordinarij sint, aut nullius diœcesis, aut conseruatores ab hac Sede specialiter, vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat: occurrente autem casu in loco exempto, & nullius diœcesis, tunc ad Episcopum vicinio-rem deuoluatur hæc cognitio, & non ad alios, capere, extrahere, aut incarcerare non possint nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dictæ personæ Ecclesiæ requisitæ, illos in delictis superiùs expressis culpabiles tradere, aut captura, & carcerationi interuenire, & assistere recusauerint; tunc que reuerentiæ Ecclesiæ, & locis sanctis debitæ memores prædictos delinquentes minori, quo id fieri poterit, cum scandalo, & tumultu extrahere curent.*

Vnde sequitur, dictas pœnas incurrere Ministros 13
Curiæ sæcularis, si extrahant absque licentia Episcopi, vel si cum licentia Episcopi, absque interuentu personæ Ecclesiasticæ, ad hoc ab Episcopo deputatæ, quia in vtroque casu non seruatur forma in Bulla Gregorij præscripta. Doctores, quos citat, & sequitur Gamba- 14
curta *lib.* 8. *c.* 10. *num.* 8. idque ampliant Farinac. *in append. c.* 20. *n.* 325. & Genuens. *in prax. c.* 22. *n.* 9. etiamsi 15
fiat ad bonum finem, quia Gregorius prohibet extrahi pro quacumque causa: qua de re tamen vide *dub. sequent. in fine.* Ampliant secundò alij iuxta ea quæ dicam *dub.* 40. *sect.* 2. contra Gambacurtam *lib.* 6. *c.* 10 *n.* 2. etiamsi extrahatur is, quem notoriè constat commisisse delictum in Gregoriana exceptum; quia 16
cum Summus Pontifex absolutè, & indistinctè prohibeat vllum capi, vel extrahi absque licentia Episcopi, adhuc in tali casu non seruatur forma in dicta Bulla Gregorij præscripta.

Sequitur 2. dictas pœnas incurrere Ministros Curiæ sæcularis, si (etiam quem notoriè constat commisisse delictum exceptum, & Episcopus eum extrahendi facultatem renuit concedere) extrahant cum magno scandalo, quem alioquin sine magno scandalo extrahere potuissent, vt si vulnera, vel mortem infligant, cum alioquin commodè illæsum, & viuum capere potuissent; quia similiter in hoc casu non seruatur forma in Bulla Gregorij præscripta. Doctores, quos sequitur Gambac. *cit. c.* 10. *n.* 11.

Sequitur 3. propter eandem rationem idem dicen- 17
dum esse, si captum, & extractum de licentia Episcopi, vel etiam sine ipsius licentia, quam renuit concedere in casibus in Bulla exceptis, reponant in carceribus Curiæ sæcularis; quia in Bulla præscribitur, reponi in carceribus Curiæ Ecclesiasticæ: quare si ministri Curiæ sæcularis reponant in propriis carceribus, excommunicationem incurrent, quia attentant aliquid contra formam in Bulla præscriptam. Quod tamen 18
quidam limitant, modò Ministri Curiæ sæcularis id faciant auctoritate, vel nomine proprio, secus si reponant in propriis carceribus nomine Episcopi, vt ibi tutius custodiatur: in hoc enim casu putant, excommunicationem non incurri, quia tunc censetur reus reponi in carceribus Curiæ Ecclesiasticæ, cum ibi nomine Episcopi reponatur. Doctores, quos sequitur Gambacurt. *loc. cit. n.* 12. quamvis horum Doctorum opinionem non facilè in praxi concesserim, cùm in Bulla præscribatur, extractum reponi in carceribus Ecclesiasticis.

Additur 1. in Bulla, quod post dictam actionem à 19
Curia sæculari in extractum è loco sacro, & repositum in carceribus Curiæ Ecclesiasticæ debita custodia adhibeatur. Quod intellige, non præceptiuè, sed permissiuè, ne reus interim effugiat, vt patet ex forma loquendi, ibi: sub tuto, & firmo carcere, ac opportuna custodia data illis, si quis per Curiam sæcularem, &c.

Additur 1. quod non liceat Ministris Curiæ sæcu- 20
laris huiusmodi delinquentem repositum in carceribus Curiæ Ecclesiasticæ inde extrahere, donec Episcopus, aut alius ab eo deputatus cognouerit, an is commiserit crimen in Bulla exceptum; quare si secus fiat, excommunicatio incurretur à Ministris Curiæ sæcularis.

Aduerte 3. quod huiusmodi delinquens, postquam 21
Episcopus cognouit, eum commisisse crimen excep-
tum,

ptum, consignandus sit Curiæ sæculari: quare si Ministri dictæ Curiæ sæcularis propria auctoritate dictum delinquentem extrahant è carceribus Curiæ Ecclesiasticæ, excommunicationem incurrent, quia faciunt præter formam in Bulla præscriptam.

22 Et similiter excommunicationem incurrent, si capiant, vel extrahant, &c. personam Ecclesiasticam, etiamsi commiserit crimen exceptum, quia licet ob hoc non gaudeat priuilegio immunitatis laicalis, gaudebit tamen priuilegio immunitatis personalis, quod competit personæ ratione status Ecclesiastici, si seruauerit requisita Concilij Tridentini *sess.23.cap.6.* quæ si non seruauerit, neque gaudebit priuilegio personali.

23 Vide *dub.18.sect.11.& seqq.& c.4. per tot.* Excommunicationem etiam incurrent Ministri Curiæ sæcularis, si cognoscant de criminibus ad forum Ecclesiasticum pertinentibus in casibus, qui ex iuris dispositione non permittuntur. Vide *c.3.9.& 10.per totum.*

Secundò contra nonnullos dictas pœnas incurrit Iudex, qui mandat extrahi, vel iam ab aliis extractum Ecclesiæ non restituit, in casibus similiter non exceptis; quia in vtroque casu operatur Iudex contra, vel

24 præter Bullam Gregorij XIV. ob quam eandem rationem, vti dicebam, eadem pœnas incurrunt birruarij mandatum exequentes, & (non renuente Cutellio *de immunit.Eccles.lib.1.q.16.n.14.*) quælibet aliæ priuatæ personæ (vt consanguinei, vel amici ipsius occisi, cum Bulla generaliter loquatur de facientibus aliquid contra, vel præter formam in ipsa præscriptam, & non tantum de Ministris Curiæ; quidquid in contrarium quoad hoc dicat Gambacurt. *lib.8.cap.7.num.4.& 5.*) reum extrahentes, vel ad id aliquo modo iuuantes: atque ita docent Suar. *tom.1.de Relig.tract.2.lib.3.c.13. n.17.* Farinac. *in append.de immunit.c.20.n.324.* Peregrin. *de immunit.Eccles.c.14.n.10.* Mar.Ital. *de immunit.lib.1. c.6.§.2.n.38.& 39.* & Genuens. *in prax.c.26.n.7.* & colligitur *ex c.reum, & c.definiuit, 17.q.4.*

Has, inquam, dictas pœnas incurrit Iudex, qui reum è loco sacro extrahi mandat. Doctores commu-

25 niter, etsi nonnulli contrarium sentiant; quin & Iudex, qui illum ab ipsius familia, vel ab occisi consanguineis, aut amicis (etiam ipso inscio) extractum Ecclesiæ non restituit, vel mori facit; quia per quamlibet istarum actionum (vti suprà dicebam) operatur

26 contra Constitutionem Gregorij XIV. in qua de facto excommunicantur attentantes facere aliquid præter, vel contra formam ipsius Constitutionis, quæ cùm velit, confugientes ad Ecclesiam immunitate gaudere, Iudex etiam non restituens, videtur non solum præter, sed etiam contra constitutionem attentare, & operari, maximè si extractum mori faciat, cùm illum reducat ad terminum, vt non possit ampliùs immunitate gaudere: tum quia in legem committit, non solum qui contra eius verba facit, sed etiam qui con-

27 tra mentem, *l. non dubium, Cod. de legib.* & docent ibi Bart. & alij Iuristæ passim: tum quia alioquin Constitutio de facili elusoria redderetur: ergo ne talis illa reddatur, extendenda est ad mandantes, & non resti-

28 tuentes, etiamsi de his in illa mentio non fiat, & etiamsi de censuris, quæ stricti iuris sunt, agatur, *c.si sententia, §.fin. & c.si ciuitas, de sententia excomm. in 6.* & docent ibi Franchus, & Probus. Gloss. *in cap.quamquam, de vsuris in 6.* & Imola *in l.si verò, §.de viro, ff. solut.matrim.* tum quia verba illa, quæ apponuntur in Constitutione, *Quavis dignitate præfulgeant*, intelligi non possunt de extrahentibus (cùm tales vilis conditionis esse soleant:) ergo necessariò intelliguntur de iudicibus mandantibus reum extrahi, vel illum Ecclesiæ non restituentibus: Quapropter etiamsi reus à personis priuatis, vt ab amicis, vel consanguineis occisi (iudice, & eius ministris insciis) ex Ecclesia extractus fuerit, Iudex, & eius ministri illum de manibus eorum accipientes, vt dictas pœnas non incurrant, tenentur extractum Ecclesiæ restituere, vt patet ex dictis.

Confirmatur, quia confugiens ad Ecclesiam, ne- 29
que à persona priuata extrahi potest (vt supra contra Gambacurtam dicebatur, & vlterius probatur ex *cap. reum, c.definiuit, 17.q.4.* & *ex l.2.Cod.de his qui ad Ecclesiam confugiunt*, cùm enim hæc iura generaliter intelligenda sint, *l.1. §.generaliter, ff.de legatis præstandis*) ergo extractio, etiam in tali casu, fuit non so- 30
lum illicita, sed etiam irrita, & nulla: & consequenter sic extractus non poterit iuridicè à Iudice sæcu lari incarcerari (quamdiu per extractum non steterit, vt in Ecclesia reponatur) sed debet statim Ecclesiæ restitui, vel reponi in carcere Curiæ Ecclesiasticæ, donec Iudex Ecclesiasticus cognouerit, an ille delictum exceptum perpetrauerit. Vide quæ *dub.33.& 34.* dicebantur.

Confirmatur secundò, quia carceratus in alieno 31
territorio, vel in Ecclesia (provt in casu nostro) non potest, etiam pro alia iusta causa, ad instantiam cuiusvis in carcere detineri, sicuti rectè docet Bart. *in q.6. incipiente* Lapus. Item & Baldus *in l.fin. de iurisdict. omn.iudic.& in consil.90.vol.5.* Parisius *consil.101.vol.3.* Brun. *de cess. bonorum, 11.q.4. in princip.* Anton.Gom. *lib.var.resol.tit.de captura reorum, n.4.* & nos etiam *suprà cit. dub.33.* dicebamus: ergo nec poterit etiam in casu nostro.

Confirmatur tertiò, quia sic extractus est affectus pro restitutione Ecclesiæ, quæ per iniuriam spoliata fuit: ergo ad quemcunque transierit, cum tali onere transit, *argum.l.si obducta, C.de furtis, & §.furtiuæ, Instit. de vsucap.* vbi res furtiua transit ad quemcunque cum onere restitutionis, cui de iure competit, scilicet do- 32
mino suo: & similiter peccatum, quod ex confessione, etiam mediatè, scitur, transit ad quemcunque cum onere sigilli sacramentalis: Quapropter rectè dixit Anton.de Marinis *resol.quotid.cap.80.* & Diana *part.4. tract.1.resol.34.* quod reus ab Ecclesia iniustè extra- 33
ctus, si postea è carceribus aufugit, & iterum capiatur in loco, etiam non immuni, Ecclesiæ restitui debeat, 34
propter rationem dictam.

Confirmatur quartò, quia hoc ipsum expressè præ- 35
cueri videtur à Gregorio XIV. in his verbis, *extrahunt, capiunt, vel in carcerant*, scilicet extractum, ad hoc, vt omnia verba operentur effectum, & inania, seu superflua non sint, iuxta *c.Pastoralis, de appellat.* vbi Ant.Abb.Præposit.Franch. & alij passim. Accedit, quod ly *vel*, facit propositionem alternatiuam, quæ verificatur adimpleta altera parte.

Atque ita docent Farinacius, Marius Ital. & Genuens. *in locis suprà cit.* Item Megalius *in 3.part.lib.4. cap.2. quæst.1.num.32.* Diana *part.1.tract.1.resolut.16.* Bonac. *in Decalog. disput.3.quæst.7. de immunit.punct.9. num.10.* & Valentia *tom.3. disput.6. quæst.15. punct.1. ad 2.* contra Suar. *de relig. tract.2. lib.3. cap.13. num.17.& 19. in fin.* Gambacurtam *cit. lib.8. cap.7.* & Cutel. *vbi suprà*, qui contrarium sentiunt ex eo, quia Iudex sæcularis, & eius Ministri in tali casu (cum reum reperiant extra Ecclesiam ab aliis extractum) exercent suam potestatem extra locum sacrum. Ad quod tamen fundamentum facilè respondetur ex dictis. Vide quæ dicentur *infrà dub.39.*

## SECTIO II.

### Difficultates, earumque solutiones.

### SVMMARIVM.

1 *Iudex, qui non mandauit extrahi reum ab Ecclesia, si tamen restituat, cum sit sub eius potestate, non peccat ratione mandati, sed ratione indebitæ retentionis.*

2 *Iudex, qui non mandauit extrahi reum ab Ecclesiæ, sed extractum non restituit, cum sit sub eius potestate, peccat violando reuerentiam debitam Ecclesiæ, & immunitatem eius, & quoad vtrumque facit contra Gregorianam.*

3 *Iudex, qui reum nulliter, & inualidè extractum etiam ipso inscio, Ecclesiæ non restituit, censetur primò extrahere, seu capere ab Ecclesia.*

4 *Ratificans percussionem Clerici non factam suo nomine peccat, sed non incurrit excommunicationem Canonis.*

5 *Ratificans tamen extractionem rei, indebitæ detentioni cooperando, non solum peccat, sed incidit in excommunicationem.*

6 *Consulens extractionem rei non incurrit censuras, & pœnas Gregorianæ.*

7 *Neque etiam, qui illam ratam solum habet.*

8 *Neque Episcopus, aliusve Prælatus, qui extrahit, vel extrahi mandat, si id faciat quatenus vtitur potestate Ecclesiastica, secus si prout vtitur potestate laica.*

9 *Respondetur ad opposita.*

1 OBiicies ex Cutell. *loc. supra cit.* saltem Iudex, qui sine mandato proprio extractum reum, iamque in suo posse sine propria culpa existentem non restituit, non peccat: ergo non incurrit excommunicationem, cùm hæc necessariò supponat peccatum mortale.

Respondetur ex dictis, nego antecedens.

Instabis: non peccat violando reuerentiam debitam Ecclesiæ, nec violando immunitatem eius, qui ad Ecclesiam confugit, iuxta *cap. sicut antiquitus*, ibi: *Qui autem confinia eorum confringere tentauerit: & c. miror*, ibi: *Hominem ab Ecclesia rapuisti*, & paulò post: *Ecclesiæ igitur illæsum reuoca, quem irreligiosè rapuisti*, & *in cap. frater*, ibi: *In contumeliam religionis, acerba nimis, & plectibili contumacia prosiluisse, qui confugientem ad Ecclesiæ septa Curialem suum, nec ibi quidem tutum de iniuria sua securum esse dimiserunt.* Et infrà: *Hi, qui in iniuriam sanctorum locorum prosiluisse probantur: & in Canon. si quis contumax*, ibi: *Timorem Dei, vel reuerentiam sanctarum Ecclesiarum non habuerit*: ergo, &c.

2 Respondetur: nego antecedens, sed peccat quoad vtrumque, siquidem Ecclesiæ, quæ per iniuriam est spoliata, reum per iniuriam extractum non restituit:
3 & sic quoad vtrumque facit contra Gregorianam. Accedit, quod cùm extractio fuerit non solum illicita, sed etiam nulla, & inualida, sicuti dicebam, Iudex, qui reum sic extractum Ecclesiæ non restituit, ipse censetur primò extrahere, seu capere ab Ecclesia.

4 Vrgebis, qui approbat percussionem Clerici factam, licet peccet, non incurrit excommunicationem, nisi illa nomine suo fuerit facta, vel ab ipso mandata, *cap. cùm quis, 23. de sentent. excommun. in 6.* ergo & Iudex, qui approbat extractionem rei ab Ecclesia, licet peccet, excommunicationem similiter non contrahet, nisi extractio similiter nomine suo fuerit facta, vel ab ipso mandata.

Respondetur, concedo antecedens: at nego consequentiam, & disparitas est, quia posterior excommunicatio, vt patet ex dictis, fertur diuerso modo, quo fertur prior: non enim omnis excommunicatio fertur eodem modo, scilicet in easdem personas, vel actiones.

Respondetur 2. distinguo consequens: ergo & Iu- 5
dex, qui approbat extractionem rei ab Ecclesia, licet peccet, excommunicationem similiter non contrahet, nisi extractio similiter nomine suo fuerit facta, vel ab ipso mandata, distinguo: si approbet quoad effectum tantum, concedo; si approbet vlterius etiam quoad effectum, reum scilicet sic ab aliis extractum retinendo, & incarcerando, nego; quia sic progreditur ad actum, cui etiam à Gregorio XIV. eadem excommunicatio allegata est, vt patet ex dictis: sicuti excommunicationem contraheret, qui percussionem Clerici nomine suo non factam, non solum approbaret quoad affectum, sed etiam quoad effectum, vlterius scilicet Clericum percutiendo.

Petes 1. An pœnas, & censuras dictas incurrat, qui consulit aliquid contra, vel præter formam istius Bullæ.

Respondetur negatiuè, quia pœnæ, & censuræ latæ 6
contra facientem, vel attentantem non complectuntur consulentem, quapropter, vt eum complectantur, solet legislator in eis explicare.

Petes 2. An incurrat, qui solum ratam habet extractionem rei?

Respondetur etiam negatiuè; quia cum ratihabi- 7
tio sit posterior facto, qui ratum habet, non dicitur attentare, sed approbare factum; quapropter vt excommunicatio Canon. *si quis suadente*, eum complectatur, explicuit legislator.

Petes 3. An incurrat Episcopus, vel alius Prælatus, qui extrahit, vel extrahi mandat contra vel præter formam præsentis Bullæ?

Respondetur, quod (licet Gambacurt. *lib. 8. c. 9. n. 7. & seq.* simpliciter affirmet, quia si Ecclesiastici immunitatem non seruant, neque eam seruabunt Ministri Curiæ sæcularis ob prauum Ecclesiasticorum exem- 8
plum: tum quia postquam Gregorius in hac Bulla expressit nonnulla seruanda, tam à laicis, quàm à Clericis, absolutè excommunicat omnes temerarios huius Bullæ transgressores, qui aliquid contra, vel præter formam in ea expressam attentare præsumpserint) tamen distinguendum sit, vel Episcopus, aliusque Prælatus id facit, quatenus vtitur potestate laica, vt si dominium temporale habeat, vel Principis officialis sit, & hoc titulo procedat, vel quatenus vtitur potestate Ecclesiastica, siue ordinaria, siue delegata. Si primum, absque dubio incurrit excommunicationem præsentis Bullæ; quia tunc procedit vt laicus. Si secundum, satis probabiliter non incurrit, quia satis probabiliter præsens Bulla solum introducta est in præiudicium potestatis laicæ, ad refrænandam scilicet temeritatem, & audaciam laicorum, qui confugientes ad Ecclesiam propria authoritate extrahebant, vti *dub. 10. sect. 12.* dicebam.

Quapropter ad primum Gambacurtæ argumentum 9
respondetur, quod laici arrepturi sint occasionem scandali, si Ecclesiastici non seruent immunitatem, cum procedunt authoritate laica, secus cùm procedunt authoritate Ecclesiastica, cum immunitas Ecclesiæ, vti dicebam, introducta sit solum in ordine ad potestatem laicam, non item Ecclesiasticam.

DVBITA

## DVBITATIO XXXVI.

An ad dictas pœnas, & præcipuè Gregorij XIV. excommunicationem incurrendam requiratur extractio rei è loco sacro secuta, vel sufficiat solùm attentata? vbi etiam, an sufficiat quæcumque scientia?

### SVMMARIVM.

1 *Ad incurrendas pœnas Constitutionis Gregorianæ, & excommunicationem ipsi annexam sufficit attentare per illam clausulam ibi appositam (quis præter, vel contrà attentare præsumpserit) modo attentatio ad actum proximum externum reducta fuerit.*

2 *Exempla attentatorum adducuntur, hoc est dare mandatum, portas aperire, & huiusmodi; non item capiendi, vel extrahendi sola tractatio.*

3 *Ad incurrendas in foro conscientiæ pœnas Constitutionis Gregorianæ requiritur scientia earum, nec sufficit ignorantia culpabilis, etiam crassa, & affectata, siue iuris, siue facti.*

4 *Difficulter in foro externo admittitur excusatio.*

5 *Tentans extrahere, quin & etiam extrahens, non improbabiliter excommunicationem euitat, si statim, vel saltem mox requisitus, satisfaciat Ecclesiæ, & reum restituat.*

1 REspondetur, quod (cùm in Constitutione Gregorij XIV. dicatur: *Si quis præter, vel contra attentare præsumpserit,*) probabilius, cum simus in materia immunitatis, quæ est fauorabilis, sufficiat attentatio, modò attentatio ad actum proximum ex-
2 ternum aliquem reducta fuerit, v. g. si dedisti mandatum, & mandatarius acceptauit: si Ecclesiam clausam tentasti aperire, vt inde reum extraheres (etiamsi ob resistentiam non potueris) quia per talem conatum contra tenorem dictæ Constitutionis Gregorij XIV. cum effectu attentare præsumpsisti: & ex alio capite censura incurritur, dum exercetur actio sub censura prohibita, quæ sicuti dicebam, in casu nostro est conatus, & attentatio externa capiendi, &c. cum in textu dicatur *attentare præsumpserint*: & delictum dicatur attentatum, etiamsi effectu ipso perpetratum non sit, modò iunctus sit aliquis actus consummationi proximus, non autem præcesserit solum capiendi, vel extrahendi tractatio, quæ cum non sit propriè, & proximè attentatio, ad contrahendam censuram non sufficit. Atque ita contra nonnullos (inter quos Gambacurta *lib.8. c.13.* & Cutellius *de immunit. Eccles. lib.1.quæst.15.*) docent Glossa *in l.2.Cod.de his, qui ad Ecclesiam confugiunt, verb. tentauerit*, Farinacius *de carceribus, quæst.28.num.4. & in append. de immunit. Eccles. cap.20.num.321.* ex text. *in cit. l.2.* Decian. *tract. crimin. lib.6.cap.27. num.5.* Marius Ital. *de immunit. Eccles. lib.1.cap.6.§.2.num.60.* Megalius *in 3.part.lib.4.c.2. quæst.1.num.30. in fin.* Peregrinus *de immunit. Ecclesiæ, cap.14.num.7.* Ambrosinus *de immunit. Ecclesiast.c.15. num.6.* Diana *1.part. tract.1. resolut.15.* & Menochius *de arbitr. cas. 350. numero 68.* vbi recensent multos alios casus, in quibus punitur conatus, non secuto effectu.

3 At ob eandem rationem (quia in dicta Constitutione Gregorij XIV. dicitur: *Si quis præter, vel contrà attentare præsumpserit*) dicendum est, quod ad dictas pœnas in foro conscientiæ incurrendas non sufficiat ignorantia culpabilis, etiam crassa, & affectata (siue iuris, siue facti) & multò minus probabilis, seu bona fides, sed requiratur vera scient (ficuti *lib. de Parlamentis, dub.4. sect.19. subsect.3ia pag.78.* dicebamus, *& infrà cap.17. dub.1. num.10. & cap.19. dub.59.* dicemus (ita vt operans verè sciat, se nullo pacto licitè id posse facere, cum nulla iuris congrua interpretatione, nulloque remedio, vel exceptione iuridica ad id faciendum fulciri se videat, & tamen cum malitia & dolo (legem saltem virtualiter contemnendo) faciat, atque ita saluant, & rectè, multas oppositiones Flam. Paris. *de resignat. benef. lib.8. quæst.7. num.169.* Marchesan. *de commiss. part.2. fol.422.* Martha *clas. f.314. part.1. num.1.* Barbos. *claus. 91.num.5.* & videri poterit Sayr. *in Thesauro lib.3. c.17.* Malderus *2.2.quæst.1.art.10.dub.8.* Mar.Ital. *lib.1.cap.6. §.2. num.88. & seqq.* & Caietan. *verb. præcepti transgressio, in fin.* vbi hanc vniuersalem regulam tradit, quod in iis, quæ sunt positiui iuris, si absque contemptu, ac refutatione finis, ex ignorantia pura, vel ex apparente sibi excusatione transgressio fiat ab eo, qui animum habet nullo pacto consentiendi contra præceptum obligans ad mortale, non incurratur peccatum mortale, neque censura in foro conscientiæ, quia non est intentio piæ, ac iustæ matris Ecclesiæ bonas huiusmodi animas illaqueare tam hostili vinculo, etsi putet Caietanus, talem absoluendum esse ad cautelam.

Dixi, *in foro conscientiæ*, quia in foro externo non 4
sine difficultate ista excusatio admittitur: cum enim præsumptio stet pro lege, quam constat publicatam fuisse, & qua Gregorius intendit ita obligare, & afficere, ac si cuilibet personaliter intimata fuisset, vt dicitur in dicta Bulla Gregorij XIV. sequitur ignorantiam prædictæ Bullæ in foro externo non posse, nisi saltem cum magna difficultate, allegari. Doctores, quos sequitur Farin. *in append. cap.20.num.1326.* contra Mar.Ital. *loc.supra cit.*

Cæterum, cum contrauenientes aduersus dictam 5
Constitutionem Gregorij XIV. de iure non excommunicentur absolutè, sed sub conditione, si Ecclesiæ non satisfaciant, & reum non restituant, sicuti dicebam *præcedenti dub.9. num.9.* & docet Turrecrem. *in cap. miror, 17. quæst.4.* & Suar. *de relig. tom.1. tract.2. lib.3. cap.13. num.7. circa fin.* sequitur, quod esto ipso facto vigore dictæ Constitutionis excommunicationem contrahant, probabiliter tamen dici videatur, quod excommunicationem non incurrant eo ipso, quod confugientem ad Ecclesiam inde extrahere attentent, quin & extrahant, sed solum si Ecclesiæ non satisfaciant, & reum non restituant, quia vt ait Suarez ibidem, pro tali delicto commisso non fertur excommunicatio, nisi quatenus pendet in futurum, cum habeat tractum successiuum quoad emendationem. Vnde sic extrahentes, nedum extrahere attentantes, si statim, vel saltem mox requisiti, reum restituant, & Ecclesiæ satisfaciant, in censuram huiusmodi non videntur incidere, eo magis, quia dicta Constitutio Gregorij XIV. quoad hoc non disponit nouiter, sed tantum declarat, sic delinquentes ipso facto censuras, & pœnas eadem incurrere, quæ contra libertatis iuris, & immunitatis Ecclesiasticæ violatores per sacros Canones, Conciliorum generalium, & aliorum prædecessorum Pontificum Constitutiones sunt promulgatæ, vt patet ex illis verbis: *Declaramus eum ipso facto censuras, & pœnas eadem, &c.* Vide quæ *in cit. dub. præced. num.11. & seqq.* dicebantur.

## DVBITATIO XXXVII.

An ad easdem pœnas, & præcipuè Gregorij XIV. excommunicationem incurrendam, sufficiat, quod remota extractione, Iudex laicus solum iubeat, reum occidi in Ecclesia, & Ministri ibi eum occidant?

### SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

### SVMMARIVM.

1 *Iudex laicus mandans reum solum occidi in Ecclesia, incurrit pœnas, & excommunicationem Constitutionis Gregorianæ, si Ministri illum ibi occidant.*
2 *Iudex laicus iubens occidi reum in Ecclesia, non solum facit præter, sed etiam contra Constitutionem.*
3 *In legem committit non solum qui contra eius verba, sed etiam qui agit contra mentem.*
4 *Certum est, quod is committit in legem, qui verba legis complectitur, & contra legis nititur voluntatem.*
5 *Recedere debemus à verbis legis ad hoc vt mentem seruemus, idque non solum quando mens, seu ratio legis est expressa, sed etiam quando non est expressa.*
6 *Mens, & ratio finalis Constitutionis Gregorianæ fuit reuerentia debita sacris templis, & sic indemnitas confugientium ad illa.*
7 *Maiorem offensionem in confugientes ad Ecclesiam præstat, qui iubet occidi, vel occidit in illis, quàm qui extrahit ex illis.*
8 *Lex frequentioris vsus causa aliquid decernens, casum minus frequentem non excludit, sed comprehendit.*
9 *Quis admitti non debet per aliam viam, quando per vnam prohibetur illud facere.*
10 *Vbicumque etiam in odiosis, & pœnalibus est eadem ratio, & omnimoda similitudo, debet esse eadem iuris dispositio, quia tunc non fit extensio, sed declaratio iuris.*
11 *Vbicumque est eadem ratio (licet non simus in eadem materia) fit idem casus formalis ex mente iuris.*
12 *Constitutio pœnalis non dicitur extendi, vbi extenditur ex mente eiusdem Constitutionis.*
13 *Lex licet prohibeat extensionem, tamen non renuit extensionem de similibus ad similia.*
14 *Similia sunt in quibus est eadem ratio, vel maior.*
15 *Vbicumque & in quacumque materia ratio legis locum habet, ibi etiam locum habet ipsa lex.*
16 *In his, qua per rationem legis comprehenduntur, non dicitur fieri interpretatio extensiua, sed comprehensiua.*
17 *Lex pœnalis licet extendenda non sit de casu ad casum à paritate, vel maioritate rationis, extendenda tamen est etiam quando agitur de censuris, quando alioquin redderetur elusoria.*
18 *Interdictum ciuitatis, ne remaneat elusorium, extenditur ad suburbana.*
19 *Glossa* in Clem. 1. de sepult. & in cap. quamquam, de vsuris in 6. *extendit constitutionem illam odiosam de testamento ad Codicillos, & omnem vltimam voluntatem.*
20 *Excommunicatio lata contra confringentes, & spoliantes Ecclesiam extenditur contra comburentes.*
21 *Lex extendenda est quando primariò est fauorabilis, licet secundariò sit odiosa.*
22 *Dispositio ex primario fine attendenda est.*
23 *Glossa* in cap. si propter, de rescriptis in 6. vers. *primi anni, Constitutionem illam fructus venaturos Episcopo mortuo reseruantem appellat fauorabilem, quia edita est in fauorem Episcopi, quamvis redundet in damnum eorum, quibus fructus obuenire debebant.*
24 *Excommunicatio lata in Canone si quis suadente, licet pœnam contineat, non pœnalis, sed fauorabilis est, atque ideo extendenda.*
25 *Leges lata pro defensione Immunitatis Ecclesiasticæ, etiamsi pœnas infligant, fauorabiles sunt, & inter priuilegia computari debent.*
26 *Reus dum in Ecclesia existit, non potest vinculis alligari, vel alio quocumque modo vexari.*
27 *Quotiescumque est opinio hinc, & inde probabilis, opinio illa amplexanda est, qua facit pro Ecclesia, cum in dubio fauendum sit Ecclesiæ.*

REspondetur ex dictis affirmatiuè: atque ita docent Naldus *in annotationibus practicis ad Ius Canon. cum, fol.* 61. Ioan. Maria Nouarius *tract. de elect. fori, tom.* 2. *p.* 2. *q.* 14. Paulus Squillante *tract. de obligat. cleric. part.* 5. *dub.* 14. *n.* 90. vbi testatur, ita etiam fuisse obseruatum in facti contingentia. 1

#### *Prima Probatio.*

Probatur primò; quia sic, & præcipuè, sit contra Constitutionem Gregorij XIV. in qua de facto excommunicantur attentantes facere aliquid præter, vel contra formam ipsius Constitutionis, quæ cùm statuat confugientes ad Ecclesiam immunitate gaudere, Iudex iubens ibi reum occidi, & minister ibidem occidens, videtur non solum præter, sed contra Constitutionem (& præcipuè) attentare, & operari: ergo, &c. 2

#### *Secunda Probatio.*

Secundò probatur; quia in legem committit, non solum qui contra eius verba, sed etiam (& magis) qui contra mentem facit, vt habetur *in l. non dubium, Cod. de legib.* docent ibi Bartol. & alij Iuristæ communiter. Item & vt habetur ex regula iuris, *certum* 88. *lib.* 6. ibi: *Certum est, quod is committit in legem, qui verba legis complectitur, & contra legis nititur voluntatem*, docent ibi Gloss. Dynus, Pechæus, & alij communiter, quos sequitur Thom. Vallascus *tom.* 1. *alleg.* 67. *num.* 41. *Item, & vt habetur ex l. scire, ff. de legit. l. non aliter, ff. de legat.* 3. *l. nominis, & rei, §. verbum ex legibus, ff. de verbor. signific.* & tradunt Surdus *decis.* 35. *num.* 14. Ferrerius *in constit. Cathol. gloss.* 4. *n.* 66. & alij communiter. Quod adeò verum est, vt dixerit Bald. *in dict. l. scire*, Bartol. *in l. cùm mulier, ff. solut. matrim.* Iason *in l. iuris gentium, §. ait Prætor, num.* 15. *de pactis*, Abb. *consil.* 1. *num.* 7. *volum.* 1. & Bartholomæus Humada *in schol. ad gloss.* Lopez *leg.* 57. *tit.* 5. *part.* 1. *glos.* 2. *num.* 7. quod recedere debemus à verbis legis, ad hoc vt mentem seruemus (idque non solum, quando mens, seu ratio legis est expressa, sed etiam quando non est expressa:) ergo cùm mens, & ratio finalis Constitutionis Gregorianæ fuerit (vt patet etiam ex ipso contextu) reuerentia debita sacris Templis, & sic indemnitas confugientium ad illa, dicendum est, ad hoc vt Constitutionis dictæ mens, seu intentio, & ratio seruetur, quod licet verba Constitutionis dirigantur in extrahentes, interpretanda tamen (& à fortiori) sint in occidi iubentes 3 4 5 6 7

iubentes, & occidentes; quia certè maiorem irreuerentiam in sacra Templa, & maiorem offensionem in confugientes ad illa præstat, qui iubet occidi, vel occidit in illis, quam qui extrahit ex illis.

Neque obstat, si dicatur, quod extrahi ex Ecclesia, sit frequentius, quàm occidi iubere, vel occidere in Ecclesia, & sic quod excommunicatio feratur in extrahentem ex Ecclesia, non in iubentem occidi, vel occidentem in Ecclesia; quia in casu nostro, & in 8 omni alio simili, propter rationem dictam lex frequentioris vsus causa aliquid decernens, casum minus frequentem non excludit, sed comprehendit. Gloss. *in l. vnic. C. de raptor. virgin. l. verbo Dei, C. de his, qui ad Eccles. confug. & Clement. 1. verb. Præsidentes, de rescript.* & ibi communiter Doctores. Item Valasc. *tom. 1. consil. 8. n. 2.* Peralta *in l. Lucius 1. n. 22. ff. de legat. 2.* & Sanch. *de* 9 *matrim. lib. 3. disp. 20. n. 3. & lib. 9. disp. 14. n. 16.* Et confirmatur; quia non debet quis admitti per aliam viam (præsertim peiorem, vt esset in casu nostro) quando per vnam prohibetur illud facere, *l. oratio, ff. de sponsal. regul. Nunquid 84. lib. 6.* & ibi Gloss. Dynus, Pechæus, Ioseph. Sesse *decis. Aragon. 28. n. 11.* & alij, quos citat, & sequitur Larrea *in decis. Granatens. p. 2. decis. 67. n. 13.*

## *Tertia Probatio.*

Tertiò probatur, quia licet lex pœnalis extendenda non sit de casu ad casum à paritate, quin neque à maioritate rationis, vt *supra dub. 24. sect. 3.* dicebamus (etsi contrarium non improbabiliter, saltem pro foro externo, doceant alij ex text. *in l. 2. vers. si curatores, ff. ad Tertyl. in cap. si postquam, cum gloss. de elect. in 6.* & 10 ex eo, quia vbicumque, etiam in odiosis, & pœnalibus est eadem ratio, & omnimoda similitudo, debet esse eadem iuris dispositio; quia tunc non dicitur fieri iuris extensio, sed potiùs quædam declaratio. Gloss. *in c. 1. verb. Italia, de tempor. ordinand. lib. 6.* quam pro singulari commendat Abb. *in c. nihil, de elect. & in c. fin. de rescript.* Cynus *in l. 1. C. de interdict.* vbi Bald. allegando illam glossam ait, quòd vbicumque est eadem ratio, ibi licet non simus in eadem materia, sit idem casus formalis ex mente iuris: & *in l. illud, & l. si quis seruo, C. de* 11 *furtis*, dicit quod Constitutio pœnalis non dicitur extendi, vbi extenditur ex mente eiusdem Constitutionis, iuxta Gloss. *in c. si postquam, de elect. in 6.* vbi Gloss. *verb.* 12 *mente, Cod. de sacrosanct. Eccles.* docet, quod licet lex prohibeat extensionem, tamen adhuc fiat extensio de si- 13 milibus ad similia, similia autem subdit Baldus, sunt illa, in quibus est eadem ratio, vel maior, *l. non solum,* 14 *§. quia priuilegium, ff. de excusat. tutor.* & allegat Cynum ibi, & Gloss. *in d. cl. cap. 1.* Quæ omnia latè tradit etiam Alphonsus Moditius *in §. lex est, Instit. de iure gent.* 15 *dub. 54. n. 1.* & Guttier. *in pract. qq. lib. 3. q. 17. n. 83.* probans, quod vbicumque, & in quacumque materia ratio legis locum habet, ibi etiam locum habeat ipsa lex, ex *l. illud, ff. ad leg. Aquiliam,* & ex *l. a Titio, ff. de verb. oblig.* Tiraquel. *de causa cessante, p. 1. n. 151.* Decian. *consil. 76. n. 10. lib. 2.* Mascard. *de probat. concl. 313. num. 9. & concl. 1162. n. 4.* Mantica *de coniect. vlt. volunt. lib. 2. cap. 11. n. 30.* Bec. *consil. 89. n. 90.* & Barb. *consil. 10. n. 11. & seqq.* 16 *lib. 2.* Vnde in his, quæ per rationem legis comprehenduntur, non dicitur fieri interpretatio extensiua, sed incomprehensiua. Tiraquel. *cit. part. 1. de causa cessante, n. 136. & seqq.* Roland. à Valle *consil. 27. n. 6. & seqq. lib. 1.* Bec. *consil. 62. n. 17.* & alij multi, quos citat, & sequitur Molin. *lib. de Hispan. primogen. 5. n. 12.* Et dicitur fieri interpretatio intellectiua, non autem extensiua. Bald. *in l. Quamvis in princip. C. de fideicomm.* Tiraquel. *loco supra cit. n. 155.* Decian. *cit. consil. 76. n. 10. lib. 2.* Et non dicitur lex extendi, sed casus sub eiusdem legis dispositione includi. Parisius *consil. 32. n. 10. lib. 2.* & Craueta 17 *de antiquit. temp. 4. part. in pricip. n. 91. & seqq.*) licet, in-

quam, lex pœnalis extendenda non sit de casu ad casum à paritate, quin neque à maioritate rationis, extendenda tamen est, etiamsi agatur de censuris, quando alioquin, si non extenderetur (vt esset in casu nostro) restaret elusoria, *cap. si sententia, §. fin. & c. si ciuitas, de sent. excommun. in 6.* vbi interdictum ciuitatis, ne restet 18 elusorium, extenditur ad suburbana. Gloss. *in Cle-* 19 *ment. 1. de sepult.* & Gloss. *in cap. quamquam, de usuris in 6.* vbi extendit, ne sit elusoria, constitutionem illam odiosam de testamento, ac codicillo, & omnem vltimam voluntatem. Felin. *in c. translato, de Constit. n. 14.* Tiraq. *in legib. connubialib. gloss. 5. n. 115.* Nauar. *c. 27. n. 51.* Sarmient. *lib. 1. select. interpret. cap. 12. n. 7.* Couar. *var. resol. lib. 3. c. 3. n. 9.* Suar. *lib. 4. c. 2. n. 7.* Mascard. *de probat. concl. 596. n. 2.* & Valasc. *tom. 2. consult. 159. n. 10.*

Item extendenda est, quando est lata (vt in casu nostro) in fauorem animarum. Bartol. *in Auth. Sacramenta puberum, n. 19. C. si aduersus venditionem,* & ibid. Iason *n. 72.* Francus *cap. sciant cuncti, de elect. in 6. n. 6.* addens, *Quantumcunque lex correctoria sit.* Hostiens. *in c. penult. in fin. qui filij sint legitimi,* & ibid. Ioan. Andreas *n. 5.* Anton. *n. 9.* Anchar. *n. 5.* Abb. *n. 5. & 6.* Henric. *n. 10.* Alexander de Neuo *n. 7.* Præpositus. *n. 3.* Castil. *leg. 40. Tauri, n. 14.* Couar. *4. decret. p. 2. cap. 6. n. 12.* Perez *lib. 5. Ordin. tit. 1. fol. 39. col. 1.* Gratian. *regul. 111. n. 6.* Flamin. *de resignat. benef. lib. 11. q. 9. n. 17.* Azeued. *lib. 5. recop. tit. 1. l. 2. n. 4.* & Sanch. *de matrim. lib. 3. disp. 1. n. 8.*

Item extendenda est, quando est lata (vt etiam in casu nostro) in fauorem Ecclesiæ. Gloss. *in cit. cap. sciant cuncti, verb. alias,* & ibid. Dominicus *n. 6.* Francus *n. 6.* & Lessius *de iust. & iur. lib. 2. c. 45. dub. 4. n. 22.* vbi ex Suarez excommunicationem *in c. conquesti, de sent. excommun.* latam contra infringentes, & spoliantes Ecclesiam, ex- 20 tendit contra comburentes (licet comburens non sit propriè infringens, & spolians) quia lata est in fauorem Ecclesiæ.

Item extendenda est, quando (vt etiam in casu no- 21 stro) lex, licet secundariò sit odiosa, & pœnalis, primariò tamen est fauorabilis; quia tunc simpliciter est fauorabilis, & sic extendenda, cùm dispositio ex primario 22 fine attendenda sit. Gloss. *in c. si propter, de rescript. in 6.* 23 *vers. primi anni* (vbi Constitutionem illam fructus vacaturos Episcopo mortuo reseruantem, appellat fauorabilem, quia principaliter edita est in fauorem Episcopi, vt debita persoluat; quamvis redundet in damnum illorum, quibus fructus obuenire debebant) ibid. Dominicus *num. 9.* & Francus *n. 6.* Item Gloss. *in cap. sciant cuncti, de elect. in 6. verb. alios,* ibid. Dominicus, & Francus *in fin.* Item Bartol. *in l. qui exceptionem, n. 2. de condict. indeb.* ibid. Alberic. *n. 1.* & Salicet. *n. 1.* Idem Bartol. *in l. si quis nec causam, n. 6. si certum petat.* & ibid. Paulus *n. 4.* Felin. *in c. 4. de sponsal. n. 14.* & *in cap. non dubium, de sent. ex. comm. n. 2.* adducens textum *in c. 2. §. statuimus, de decimis in 6.* ibi: *Cùm non sit dicendum asperum, sed pium potius, ac benignum.* Item Siluest. *verb. Interpretatio, in fin.* Couar. *var. resol. lib. 1. c. 11. n. 5.* Flamin. *de resignat. beneficior. lib. 12. q. 2. n. 23. & seqq.* Mandosius *regul. 10. de Annali, q. 3. n. 7.* Alphons. Moditius *in §. lex est, Instit. de iur. gentium, dub. 21. n. 4.* docens, quod excommunicatio *in* 24 *c. si quis suadente, 17. q. 4.* licet pœnam contineat, non pœnalis, sed fauorabilis sit, atque adeò extendenda; ex eo, quod principalis intentio disponentis ibi fuerit fauor clericatus. Item Merolla *tom. 3. disp. 6. c. 6. dub. 1. n. 14.* in terminis dicens, quod leges latæ pro defensio- 25 ne immunitatis Ecclesiasticæ (etiamsi pœnas infligant) fauorabiles sint, & inter priuilegia computari debeant. Quapropter Constitutio Gregorij XIV. cùm principalis intentio Pontificis ibi fuerit fauor Ecclesiæ, & reorum ad illam confugientium, dicendum est, quod (licet pœnas in extrahentes inferat) non odiosa, sed fauorabilis sit, atque adeò extendenda.

*Quarta Probatio.*

26 Quartò probatur ; quia reus dum in Ecclesia existit, non potest vinculis alligari, vel alio quocumque modo vexari, *l. præsenti, C. de his, qui ad Eccles. confug.* (vbi indefinitè præcipitur, ne ei requies denegetur) & *cap. id constituimus, 17. q. 4.* (vbi præcipitur, ne ad mortem, vel ad aliquam pœnam corporalem damnetur, sed de morte, debilitate, & omni pœnarum corporalium genere securus sit,) & *c. fœminini, 17. q. 4.* vbi præcipitur, ne ei aliqua vis, nocibilitas, vel damnum inferatur. Ergo multò minus poterit, dum in Ecclesia existit, ibi occidi. Vide quæ dicebantur *supra dub. 27. & seqq. vsque ad 31.*

*Quinta Probatio.*

27 Quintò probatur ; quia quotiescumque est opinio hinc, & inde probabilis, opinio illa amplectenda est, quæ facit pro Ecclesia, cùm in dubio fauendum sit Ecclesiæ (vt omittam, quod in dubio fauendum sit etiam reo) *cap. fin. de sent. & re iudicata, l. sunt personæ, ff. de relig. & sumpt. funer.* & docet Iason *in l. filiusfamilias, §. diui, n. 28. & in repet. n. 110. ff. de legat. 1.* Felin. *in cap. 1. tit. 104. de Constit.* Decian. *lib. 3. cons. 80. n. 12.* Honded. *lib. 1. cons. 3. n. 24.* Bellet. *in disquis. cleric. part. 1. tit. 6. §. 4. n. 13.* Maynard. *de priuilegiis Eccles. part. 2. art. 22. n. 61.* Ricc. *in prax. p. 3. resol. 42. n. 2.* Diana *p. 1. tract. 2. resol. 27.* Ioan. Solorzan. *de Indiarum iure, tom. 1. lib. 2. cap. 24. n. 39.* Farinac. *in append. de immunit. c. 8. n. 123. in fin.* Maranta *p. 2. respons. 36. n. 11. & respons. 51. n. 12.* Giurba *consil. 10. n. 25. in fin.* Guazzin. *defens. 20. n. 20.* & Sperel. *decis. 60. n. 13.* Vide etiam quæ dicentur *infrà dub. 46.*

## SECTIO II.

### Difficultates in oppositum, earumque solutiones.

SVMMARIVM.

1 *In Constitutione Gregoriana quando excipiuntur casus ob quos est licita extractio, apponitur particula taxatiua (tantum) quæ non apponitur quando pœna statuitur.*

2 *Ecclesia violatur si Iudex existens extra illam emisso iaculo occidat reum in ea manentem.*

1 OBiicies primò, si nostra responsio affirmatiua vera esset, sequeretur, quod dum *in cap. inter alia, de immunit. Eccles. & in Constitutione Gregorij XIV.* excipiuntur propter grauitatem suam, ne gaudeant immunitate quidam casus, intelligerentur excepti alij à paritate, vel saltem à maioritate, & identitate rationis : sed hoc est contra id, quod *supra dub. 24. sect. 3.* dicebamus : ergo.

Respondetur, nego sequelam maioris ; quia dum *in cap. inter alia,* & in Constitutione Gregorij XIV. excipiuntur ab immunitate quidam casus, apponitur ibi particula taxatiua *tantum*, quæ non apponitur in casu nostro, vt v. g. dicatur : Excommunicati sint extrahentes tantum. Quapropter retorquetur argumentum.

Respondetur secundò, dato, quod quando in iuribus citatis excipiuntur propter grauitatem suam ab immunitate quidam casus, non excipiantur ibi cum particula taxatiua *tantum*, sed simpliciter ; adhuc nego sequelam maioris, & do disparitatem ex singulis rationibus *supra* adductis, præcipuè ex tertia.

2 Obiicies secundò, non violatur Ecclesia, si Iudex extra Ecclesiam existens, Reipublicæ perturbatorem in Ecclesia existentem, quem capere non potest, emisso iaculo occidit, cùm actum debitum, & iure sibi concessum exerceat, & sic vtatur iure suo, vt dicit Henriquez *in summ. lib. 4. c. 17. n. 4. in fine* : ergo.

Respondetur, nego antecedens, & antecedentis probationem, cùm quoad hoc minus rectè locutus sit Henriquez, teste Fagundez eiusdem Soc. IESV *in Decalog. tom. 2. lib. 6. c. 3. n. 14.* Vide quæ dicebantur *supra dub. 19. sect. 7.*

## DVBITATIO XXXIII.

An à censura tali, casu quo contracta fuerit, possit solum absoluere Pontifex, vel etiam possit Ordinarius, & sic de illius facultate quilibet Confessor.

## SECTIO I.

### Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Ordinarius probabiliter, & de illius facultate quilibet Confessarius potest absoluere a censura incursa propter rei extractionem, quia nullibi reperitur Pontifici reseruata.*

2 *Multò magis, si delictum fuerit occultum.*

REspondetur, quod probabiliter possit etiam Ordinarius, & sic de illius facultate quilibet Confessor, facta restitutione, & satisfactione ab eo, qui censuram contraxerat, modò eam præstare possit iuxta regulas, quas tradunt Doctores in tractatu de censuris in communi. Probatur ; quia nullibi talis censura reperitur Pontifici reseruata : ergo conceditur etiam Ordinario, & sic de illius licentia cuilibet Confessori, ex textu *in cap. nuper, de sent. excom.* & docent Genuensis *in prax. c. 22. n. 3. & seq.* Bonac. *disp. 3. q. 7. de immunit. punct. 6. n. 8.* Barbosa *de potest. Episc. p. 2. alleg. 51. cas. 3. n. 72. in impressione Romana.* Gratian. *in discept. tom. 4. cap. 414. n. 12.* Graff. *tom. 1. lib. 3. consil. vnic. n. 29. in fin. de immunit.* Megal. *in 3. p. lib. 4. c. 2. resol. 333. n. 1.* Bellet. *in disquisit. cler. tit. de fauore cleric. §. 4. n. 39.* Rainer. *in catal. cens. c. 9. excomm. 31.* Macerat. *resol. 15. lib. 3.* Ricc. *in praxi, part. 2. resol. 333.* Cutel. *de immunit. Eccles. lib. 1. q. 41.* Nald. *verb. casus reseruatus, n. 1.* Homobon. *de exam. Eccles. part. 2. tract. 11. c. p. 12. q. 26. suppos. 3.* Marius Anton. *var. resol. lib. 3. resol. 15.* & Zipæus *lib. 3. tit. de immunit. Eccles. n. 13.* contra Farinac. *in append. de immunit. c. 20. n. 515.* Graff. *in consil. vnic. de immunit.* Filliuc. *tom. 1. tract. 15. c. 6. n. 155.* Barbos. *de iure Ecclesiast. lib. 2. cap. 3. n. 167.* Marant. *in controuers. iur. p. 2. respons. 36. n. 14.* Dian. *part. 6. tract. 1. resol. 34.* Scott. *in Bullar. epitom. 152. theorem. 387.* Mar. Ital. *de immunit. Eccles. c. 6. §. 2. n. 3.* Thesaur. *in prax. p. 2. verb. Immunitas, cap. 1.* Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. cons. 15. q. 16. n. 19.* Ciarlin. *in controuers. forens. c. 10. n. 38.* Lezana, & Peregrin. *de immunit. c. 15. n. 16.* Ex his sequitur, quod à fortiori possit Episcopus, aliusve Confessarius ab ipso specialiter deputatus ab hac censura absoluere, si delictum sit occultum, ex decreto Tridentini Concilij 2 *sess. 24. c. 6.* iuxta ea, quæ dicebam *lib. de Parlamentis, dub. 4. sect. 19. subsect. 34. & 35.* & dicam *cap. vlt. dub. 28. 69. 81. & 82.*

## SECTIO II.

### Difficultates in oppositum, earumque solutiones?

### SVMMARIVM.

1 *Offensa Ecclesiasticæ libertati facta, est reseruata per extrauag. Pauli II.*
2 *Nomine libertatis Ecclesiasticæ non venit immunitas, si quidem libertas refertur ad personas, immunitas autem ad locum.*
3 *Censuræ latæ contra violatores libertatis Ecclesiasticæ non extenduntur ad violatores immunitatis.*
4 *In Decreto Clementis VIII. aliquantulum postea moderato à Paulo V. prohibetur quibuscumque Confessariis, ne absoluant in casibus in Bulla Cœnæ, siue claris, siue dubiis, tam iuris, quàm facti.*
5 *Item ab iis, quos sibi specialiter reseruant Episcopi.*
6 *Item a sex aliis, inter quos numeratur violatio immunitatis Ecclesiæ in terminis Constitutionis Gregorianæ; sed ibi est sermo in ordine ad Regulares, non autem in ordine ad ordinarios.*
7 *In Bulla Cœnæ fertur censuræ reseruata contra violatores non quidem immunitatis, sed libertatis Ecclesiasticæ, & non cuiuscumque libertatis, sed specialis.*
8 *In Constitutione Gregoriana solum expressè renouantur censuræ, & non expressè renouatur earum reseruatio, quapropter non manent reseruatæ.*
9 *Reseruatio, vtpotè pœnalis, nunquam adesse censetur, nisi expressè facta fuerit.*
10 *Relatum est in referente cum omnibus suis qualitatibus.*
11 *Relatum non est in referente, quando qualitas relati requirit specialem mentionem, provt est absolutio, quæ debet expressè reseruari Papæ.*
12 *Curiæ Romanæ Stylus, & Cardinalium declarationes, quandonam dari debeat absolutio.*
13 *Et quomodo.*

OBiicies, *in extraug. Pauli II. de pœnit. & remiss. c.3.* inter casus Sedi Apostolicæ reseruatos apponitur offensa Ecclesiasticæ libertati facta ergo.

1 Respondetur, concedo antecedens: at nego consequentiam, & retorqueo argumentum; quia cùm ibi solum reseruetur generaliter violatio libertatis Ecclesiasticæ, sub qua in rigore immunitas non compre-
2 henditur (siquidem libertas refertur ad personas, immunitas autem ad loca) consequens est, quod censu-
3 ræ latæ contra violatores libertatis Ecclesiasticæ (vtpotè pœnæ) non extendantur ad violatores immunitatis. Qua de re Couar. *2.var.c.20.n.1.* Villagut. *de extens. legum, cap. fin. n.3.* & etiam ipse Farinac. *in append. de immunit. c.1.n.4.* & ipse Mar. Ital. *de immunit. Eccles. lib.1.c.6.§.2.n.6. & sequent.*

Instabis, in decreto Clementis VIII. (quod postcà innouatum, sed aliquantulum moderatum fuit à Paulo V.) apud Quarantam in Bullario, *verb. casus reseruati,*
4 & apud Mar. Ital. *cit. c.6.§.2.n.31.* prohibetur quibuscumque Confessariis, ne absoluant à casibus in Bulla Cœnæ, siue claris, siue dubiis, tam iuris, quàm facti. Item à sex aliis, inter quos numeratur violatio immu-
5 nitatis Ecclesiæ in terminis Constitutionis Greg. XIV. percussio clerici contra Canonem *si quis suadente diabolo*, &c. ergo.

Respondetur, quod ibi tantum sermo sit in ordine ad Confessarios, qui virtute suorum priuilegiorum prætendebant, posse absoluere à dictis casibus, non autem in ordine ad ordinarios: Quapropter cum dictum decretum Clementis VIII. limitatè procedat quoad sacerdotes inferiores, extendi non debet ad ordinarios, ex vulgata regula *l. in agris, ff. de acquir. rer. dominio.* Et confirmatur; quia alioquin ex vi dicti decreti Clementis VIII. non posset ordinarius absoluere, neque à casibus dubiis Cœnæ, neque etiam ab excommunicatione ob percussionem clerici, vel leuem, &c. quod falsum est; qua de re vide quæ *lib. de Parlamentis, dub. 4. sect. 19. ff. & sect. 31. 32. & 35.* diffusè dicebamus.

Reinstabis. In Constitutione Gregorij XIV. infli- 6
guntur contra violantes immunitatem Ecclesiasticam omnes censuræ latæ contra libertatis Ecclesiasticæ violatores: sed in Bulla Cœnæ fertur censura reseruata contra istos: ergo etiam fertur contra illos. Ita Peregrinus, & Scortia *in loc. supra cit.*

Respondetur, quod in Bulla Cœnæ feratur censura reseruata contra violatores, non quidem immunitatis, 7
sed libertatis Ecclesiæ, & non cuiuscumque libertatis, sed specialis, vt si quis statuat, seu statuta condat, vel quædam alia ibi expressa operetur contra libertatem Ecclesiasticam: non item, si quomodocumque alio modo operetur contra libertatem, & præsertim immunitatem Ecclesiasticam (de qua non est ibi sermo) vt patet *ex cap. vnic. de his, quæ vi, metusque causa, in 6.* & *ex cap. fin. de immunit. Eccles. in 6.* & docent ex Vgolino, Gratiano, & aliis nouissimè Fontanella *tom. 1. decis. 201. n.38.* & nos dicebamus *c.16. dub.1.* Adde quod (licet in Constitutione Gregorij XIV. infligantur contra violatores immunitatis ibi præscriptæ ipso facto censuræ latæ contra libertatis, iuris, & immunitatis Ecclesiasticæ violatores) illis nominibus, *libertatis, iuris, & immunitatis*, idem exprimitur, & claritatis maioris gratiâ simul apponuntur. Adde secundò, quod esto in Constitutione Gregorij XIV. infligantur contra violantes immunitatem omnes censuræ, quæ in Bulla Cœnæ latæ sunt contra violantes libertatem Ecclesiasticam; hinc tamen non sequitur, quod tales censuræ habeant reseruationis qualitatem, quam habet Bulla Cœnæ, quia in Constitutione Gregorij XIV. solum expressè renouantur censuræ, & non expressè renouatur earum reseruatio, quapropter non manent reseruatæ, cùm reseruatio (vtpotè pœnalis) nunquam adesse 8
censeatur, nisi expressè facta fuerit, *cap. nuper, de sent. excomm.* & ex alio capite relatum in referente non in- 9
cludatur expressè, sed tacitè, *cap. penult. de iureiurando.* Vnde quamvis relatum includatur in referēte cum omnibus suis qualitatibus (vt ait Bart. *in l.1. ff. si familia furtum fec.* & habetur *in l.1. ff. de arbitris,*) tamen quando 10
qualitas relati requirit specialem mentionem, provt est absolutio, quæ debet expressè reseruari Papæ, *cit. cap. nuper, de sent. excommun.* non includitur in dispositione 11
referente, *cit. cap. penult. de iureiurando,* & docet Gambacurt. *de auctoritate legati, in princip. n.35.*

Vrgebis: ita fuit Romæ declaratum, vti testantur Farinacius, Maranta, Diana, Thesaurus, Lezana, & Peregrin. *in loc. supra cit.* ergo.

Respondetur, quod talis declaratio non constet au- 12
thentice, faciat tamen opinionem nostræ contrariam satis probabilem, quin consulendam, vtpote tutiorem in praxi; præsertim, cum eam sequatur stylus Pœnitentiariæ, & Curiæ Romanæ; quapropter Congregatio immunitatis fertur 1632. 16. Iunij, ita ad Vicarium generalem Capuæ respondisse: *Non essendo per- 13
messo all' Ordinarij senza facol. à expressa di questa santa Sede d'assoluere l'excõmunicato per causa di violata immunità, e giurisdittione, & libertà Ecclesiastica, perciò vi douete astenere dal dare in questo assolutione, etiam diù cum reincidentia, ma di quanto in ciò occorresse, ò dal istesso*

*fosse fatta instanza, ne darete auiso distinto à questa Sacra Congregatione, che pigliarà gl'ordini necessary, è che saranno espedienti, è di giustitia.*

Vide quæ *lib. de Parlamentis, dub.4.sect.19. subsect. 35.& suprà c.14.dub.4.sect.2.* dicebantur.

Cæterùm incurrens dictam excommunicationem absoluendus non est, nisi restituerit reum loco sacro. Doctores, quos citat, & sequitur Farinac.*de immunit. Eccles.num.311.*& Thesaur. *loc. suprà cit.* & declarauit S.Congregatio immunitatis Ecclesiæ 11.Augusti 1638.

13 Quæ eadem S. Congregatio declarauit in vna Neapolitana 20.Iunij 1630. & 16. Septembris 1625. quod ex praxi Curiæ Romanæ non absoluitur, saltem in foro exteriori, Iudex laicus, qui reum extrahet ab Ecclesia, & pœna capitis damnauerit. Et Congregatio super controuersiis iurisdictionalibus declarauit 7. Septembris 1638. quod Breuia Pœnitentiariæ non suffragentur in foro exteriori, sed in foro conscientiæ, præuia tamen satisfactione in materia violationis libertatis, ac iurisdictionis Ecclesiasticæ.

## DVBITATIO XXXIX.

An reus laicus ad locum sacrum confugiens, Iudici sæculari puniendus aliquando tradi possit,& debeat,& qua ratione? Vbi etiam quid dicendum de Episcopo, si extrahendi licentiam indebitè concedat?

### SVMMARIVM.

1 *Reus laicus confugiens ad locum sacrum potest etiam in casibus non exceptis tradi à Prælato Iudici sæculari,recepto tamen iuramento, vel fideiussione de securitate pœnæ corporalis, secus reo nolente, non obstante immunitatis cautione.*

2 *Immunitas rei consistit, vt non possit à loco sacro inuitus extrahi, & iudicari.*

3 *Extractio quia in Constitutione Gregoriana explicitè conceditur in casibus exceptis, implicitè negatur in casibus non exceptis.*

4 *Immunitatis Priuilegium primariò est concessum Ecclesiæ, secundario autem videtur concessum etiam reo.*

5 *Debent Ecclesiastici, etiam Regulares, contra Ministros iustitiæ sæcularis reum defendere, ianuas claudendo, eum abscondendo, & etiam extrahendo ex manibus eorum, si opus fuerit, & censuras iuris contra eosdem intimando.*

6 *Non tamen debent defendere armis.*

7 *Quin, si faciant, pœnam irregularitatis incurrent, casu quo mors, vel mutilatio inde alicui sequatur.*

8 *Possunt tamen Ecclesiæ Pastores, si necessitas exposulet, & sine scandalo fieri possit, vti ad id auxilio, & armis laicorum.*

9 *Debent semper reum defendere censuris.*

10 *Quapropter in casu, quo reus gaudet immunitate, si illum Curiæ sæculari tradant, vel extrahendi licentiam concedant, irregularitatem incurrent, si inde extracto mors,vel mutilatio sequatur.*

11 *Etiamsi id faciant cum protestatione impunitatis circa corpus illius.*

12 *Non tamen incurrent irregularitatem, si solum non defendant, sed permittant eum extrahi.*

13 *Quamvis contrarium sentiant alij, si loquamur de Ecclesiasticis, qui defendere, & extrahi, non permittere tenebantur ex officio.*

14 *Episcopus indebitè concedens licentiam, in casibus non exceptis, reum extrahendi ab Ecclesia, probabiliter non incidit in censuras, & pœnas Bullæ Gregorianæ.*

15 *Multò magis non incidit dans licentiam extrahendi nomine proprio pro delictis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus.*

16 *Quomodo sint recipiendi,& detinendi banniti,qui non commiserint delicta excepta.*

17 *Prælatus in casibus exceptis potest sine nota irregularitatis, & censuræ, quin & debet, Iudici sæculari reum puniendum tradere, si fuerit requisitus.*

18 *Non tenetur exigere cautionem, qua Iudex sæcularis promittat, illum non esse puniendum pœna sanguinis.*

19 *Tenetur tamen, non statim ac is captus fuerit,laicæ potestati tradere, sed nominæ proprio in carcerem coniicere, & detinere, donec ipse, vel ipsius deputatus cognouerit, an is crimen exceptum commiserit.*

20 *Et etiam si aliunde crimen exceptum reum commissse notorium sit.*

REspondetur, & dico primò, si simus in casibus 1
non exceptis (quamvis Silu. *verb. Immunitas 3. num.4.* Alexander *const.145.n.3.lib.7.* Correa *in relect.de immunit.part.4.n.10.* Raphaël de la Torre *tom.2.in 2.2. quæst.99.art.3.disp.7.grad.8.* Villalobos *in summ. tom.2. tract.59.d ffic.8.n.3.* Villagut.*de extens.legum,cap.fin.n.8. & seqq.* Azor.*2.p.lib.9.cap.9.q.10.* Peregrin.*de immunit. c.12.n.9.* Cutellius *de immunit.Ecclesiæ, lib.1.q.32.n.24. & seqq.*& *q.40.n.4.* & Suar. *lib.3.cap.13.n.4.* censeant, quod Prælatus possit & debeat eum Iudici sæculari puniendum tradere, quia sic videtur colligi ex *cap.definiuit,16.q.4.* & ibi Glossa, Archidiacono, & Turrecremata, obtenta tamen prius cautione de salute rei, quoad vitam, membra, & omnem pœnam corporalem, iuratoria,si non dubitatur de violatione iuramenti, si verò dubitetur, an Iudex seruaturus sit iuramentum, fideiussoria; sicut in simili colligitur ex *c. transmissa,de restit.spoliat.*)contrarium tamen dicendum esse in casu, quo reus nolit tradi, quamvis Iudex sæcularis quamlibet securitatem præstet de eius impunitate. Ratio est, quia immunitas, qua reus in dictis casibus 2
gaudet, consistit,vt non possit inuitus è loco sacro extrahi, & iudicari: ergo, &c. Quod saltem in terminis Constitutionis Gregor. XIV. dubium esse non debet, 3
cùm in illa solum in casibus exceptis extractio concedatur, & sic implicitè, seu virtualiter in casibus non exceptis denegetur; maximè,quia in dicta Constitutione dicitur esse irritum, & inane, quod contrà actum fuerit: & ibi Pontifex omnes alias facultates abrogat, & cuncta ad vnam tantum formam reducit, & moderatur. Quapropter ne immunitas violetur in casibus non exceptis, concurrere debet consensus rei, & consensus Ecclesiæ; quia licet priuilegium concessum sit 4
Ecclesiæ; primariò tamen concessum est etiam reo, itavt ab Ecclesia inuitus extrahi non possit. Vide Abb. *in c. inter alia, de immunit. Eccles.* Gambacurtam *lib.8. c.11.& 12.n.4.*Bonac.*tom.2.disp.3.q.7.punct.7.n.3.*& Farin. *in append.de immunit.c.vlt.n.344.* Vide quæ dicebantur *supr.dub.26.in fin. dub.32.* Vide etiam Suar.*tom.1.de relig.tract.2.lib.3.c.8.* Sanch.*dub.7.* Thesaur. *in prax. verb. Immunitas,c.1.*Rodrig. *tom.2.qq.reg.q.50.art.3.* Sorb. *in addition.ad compend. priuileg.Mendicant,verb.Eccles.Fratrum,* & Layman *lib.4.tract.9.c.3.*qui subdunt,quod Ec- 5
clesiastici, etiam Regulares, debeant contra Ministros iustitiæ sæcularis extrahere volentes reum defendere ianuas claudendo,eũ abscondendo,& si iam fuerit captus, eum abstrahendo ex eorum manibus, & eisdem censuras, ac pœnas contra violatores immunitatis Ecclesiasticæ in iure & Constitut.Gregor.XIV. impositas intimando, quamvis non debeant etiam eum defendere armis

armis ( cum Ecclesia non sit defendenda more castro-
6 rum : & personis Ecclesiasticis id armis efficere sit prohibitum sine speciali dispensatione , quæ in casu nostro non conceditur , & regulariter necessaria non est,adeo quod si id armis efficiant, & mors , vel mutilatio alicuius sequatur , irregularitatem incurrant.
7 Thesaur.*suprà* : possint tamen ad id interdum Ecclesiæ
8 pastores auxilio & armis laicorum vti, si sine scandalo id fieri potest,& grauis necessitas sic expostulat,quia licitum est vim vi repellere, seruato moderamine inculpatæ tutelæ , & seruatis regulis prudentiæ : Couarru. *2. var. c.20. n.18.* Remig. *de immunit. c.12.* Peregrin. *c.14. n.11.* Farinac. *in append. c.1 n.47.* Suar. *supr. n.5.* & Bonac. *cit. §.5. n.1.* ) sed bene debeant defendere eum censuris,
9 si scilicet adsit Episcopus , vel alius superior qui illas inferre possit in sæculares, *c. miror 11.7. q.4.* Sanch. *cit. dub.7.* & Layman *suprà n.14.* Quapropter si in casibus, in quibus reus gaudet immunitate Ecclesiæ, illum curiæ sæculari tradant, seu extrahendi licentiam concedant , irregularitatem contrahent, casu , quo inde reo
10 tradito mors, vel mutilatio sequatur, quia curiæ sæculari eum tradendo censetur ipsius morti , vel mutilationi cooperari. Rodrig. & Sorbus *in loc. suprà cit.*

Idque ex probabiliori sententia Doctorum , etiamsi
11 tradant , præmissa cautione , & protestatione impunitatis circa corpus ipsius,quia talis protestatio est contraria facto , nec iura in tali casu excusant sic operantes , præmissa protestatione , præsertim cum grauiter peccent. Doctores , quos citat , & sequitur Bonacin. *de irregul. disp. 7. q.4. punct.1. n.19.* & Thesaur. *loc. suprà cit.* irregularitatem tamen non contrahent , si solum non defendant , sed permittant eum extrahi. Thesaur. *ib. d.* quamvis oppositum sentiat Bonacina quoad Prælatos, ex eo quod hi teneantur ex officio, & sic ex iu-
12 stitia Ecclesiasticam immunitatem defendere. Sed quod simpliciter , & indistinctè dixi , est adhuc satis proba-
13 bile , cum in dicto casu, etiam Prælati negatiuè solum se habeant, & positiuè non influant, quod posterius ad contrahendam irregularitatem iuxta Canones necessarium esse, suo loco probaui.

An autem , si in dictis casibus Episcopus indebitè concedat licentiam extrahendi reum,contrahat præter irregularitatem , etiam pœnas , & censuras Constitutionis Gregor XIV.

14 Respondeo , videri dicendum ex iis , quæ dicebantur *dub.26. & 35.* affirmatiuè , & ita tenent Farinacius, Palaus , & alij , quos citat , & sequitur Thesaur. *in praxi , part.2. verb. Immunitas , cap.1.* Lezana *eodem verb. num.28.* & Gambacurta *loc. suprà cit.* ex eo , quia in tali casu Episcopus violat immunitatem in Bulla præscriptam : licet alij satis probabiliter negent, ex eo, quod illæ latæ sint contra violantes immunitatem per extractionem, & consequenter non contra Episcopos concedentes licentiam extrahendi , cùm pœnæ non sint ampliandæ , sed potius restringendæ. Accedit, quod satis probabiliter immunitas Ecclesiarum introducta est in ordine ad potestatem laicam , non item in ordine ad Ecclesiasticam , vti dicebam *dubit.10. sect.12.*

At his non obstantibus est etiam probabile , quod docent Farinac. Palaus, Thesaur. Lezana , & Gambacur. *in loc. suprà cit.* præsertim in opinione nostra,quam contra Sylueſtrum , & alios *suprà* tradidimus , quod scilicet non possit Iudex Ecclesiasticus in casibus non exceptis , quacumque cautione de securitate pœnæ corporalis accepta , tradere reum Curiæ sæculari.
15 Vide , quæ dicebantur *cit. dub.26. & 35.* Aduerte tamen , quod etiam satis , quin magis probabiliter ob rationes suprà dictas Episcopus non incurrat excommunicationem dando facultatem Curiæ sæculari reum ab Ecclesia suo nomine extrahendi pro delictis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus,quamvis Decianus, & alij, quos citat Farinac. *in append. c.2. n.32.* contrà sentire videantur.

Aduerte secundò, quod licet banniti,qui non com- 16
miserint delicta excepta in Constitutione Gregorij XIV. gaudere possint immunitate Ecclesiæ, nihilominus circa eorum receptionem , detentionem , & traditionem seruanda sint, quæ ex præscripto S. Congregationis Concilij in literis ad Episcopos , & Nuncios mitti consuetis dixi *dub.11. sect.6. in fine.*

Dico secundò, si simus in casibus exceptis,Prælatus 17
potest sine nota irregularitatis, & censuræ, quin & debet, reum Iudici sæculari puniendum tradere, si fuerit requisitus , quia cùm tunc immunitas reo non prosit, non est , cur is detineri possit , & non tradi. Atque ita habetur in dicta Constitutione Gregorij XIV. in qua Prælatis , & Superioribus Ecclesiarum districtè præcipitur, quod sic delinquentem Curiæ sæculari, quando à Iudice sæculari requisiti fuerint,consignent ; vbi autem habemus Pontificiam Constitutionem,non est cur vlteriùs inuestigemus rationem. Vide Farinac. Dec. Bonac. *q.7. punct.7. n.1.* Suar. & alios.

Ex his sequitur , quod Episcopus (antequam delin- 18
quentem, qui ob aliquod delictum immunitatis priuilegium amisit, Curiæ sæculari tradat ) non teneatur exigere cautionem , qua Iudex sæcularis promittat delinquentem pœna sanguinis non esse puniendum ; quia Gregorius in sua Constitutione id non requirit , sed absolutè præcepit reum in tali casu tradi. Decian. *lib.6. c.29. n.6.* Peregrin. *cap.16. n.21.* Farinac. *de carcerib. q.28. n.77.* qui rectè subdunt , hanc cautionem fore superfluam , & inanem ; quia Curia sæcularis eam non seruaret propter criminis atrocitatem.

Tenetur tamen Episcopus delinquentem non sta- 19
tim , ac captus fuerit , laicæ potestati tradere , sed nomine proprio in carcerem coniicere , & detinere, donec ipse, vel ipsius deputatus cognouerit , an ille delictum immunitate non gaudens commiserit , vt patet ex Gregoriana , ibi : *Quodque delinquentes laici prædicti postquam vt præfertur , ab Ecclesiis , locisve sacris extracti , & capti fuerint , ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ reponi , & inibi sub tuto , & firmo carcere , ac opportuna custodia, data illis, si opus fuerit , per Curiam sæcularem, detineri, nec tradi possint , nisi cognito prius per Episcopum , seu ab eius deputato , an ipsi verè crimina superiùs expressa commiserint, tuncque demum de mandato Episcopi per iudicem Ecclesiasticum Curiæ sæculari , quacumque appellatione postposita , consignentur.* Vide Farinac. *in append. cap.22. n.367. & seqq.* & Marium Italiam *lib.1. c.5. §.14. n.7.*

Ex quo patet , delinquentem non esse tradendum 20
Curiæ sæculari , donec Episcopo constiterit de perpetrato delicto excepto , etiamsi alioquin tale delictum notorium sit , vti dicam *infrà dub. seq. sect.2. num.3. & seqq.*

## DVBITATIO XL.

### Quonam modo reus in casibus exceptis Curiæ sæculari tradi debeat ?

### SECTIO I.

### Dubitationis Resolutio.

### SVMMARIVM.

1 *Reus ( secluſa Constitutione Gregoriana ) tradi debet à Prælato Ecclesiastico iudici laico , accepta cautione de non puniendo illo corporaliter.*

2 *Iudex secularis vigore tam constitutionis Gregoriana, quam consuetudinis hodie non tenetur praestare iuramentum Prælato Ecclesiastico de non puniendo reum corporaliter pro casibus exceptis.*

3 *Prælatus Ecclesiasticus ex dicta constitutione non debet requirere in consignatione rei dictum iuramentum.*

4 *Traditio rei ex vi dictæ constitutionis fieri debet de mandato Episcopi, aut eius officialis per aliquam Ecclesiasticam personam ab eo deputatam, omni appellatione remota, cognito tamen de crimine prius, an sit de exceptis.*

5 *Iudex secularis non potest in dictis casibus exceptis reum extrahere sine expressa licentia Episcopi, vel eius Officialis, seu Vicarij.*

6 *Ad Iudices inferiores Ecclesiasticos etiam quasi Episcopalem iurisdictionem habentes dare huiusmodi facultatem reos in casibus exceptis extrahendi, non pertine.*

7 *Si casus contigerit in loco exempto, & nullius Diœcesis, tunc ad Episcopum viciniorem deuoluitur cognitio (vtrum scilicet delictum sit exceptum, necne) & non ad alios.*

8 *Episcopus propria auctoritate potest extrahere Clericum sibi subditum ab Ecclesia Vicinioris Prælati nullius Diœcesis, sine licentia Prælati illius Ecclesiæ.*

9 *Iudex laicus, Episcopo vel eius Officiali recusante tradere reum, potest propria auctoritate, in casibus tamen exceptis extrahere ab Ecclesia; quod fieri debet remoto scandalo, & tumultu, & sic extractum in carcere Ecclesiastico custodire.*

10 *Nomine Episcopi hic intelligitur verus Episcopus, vel eius Officialis, seu Vicarius generalis.*

11 *Si duo Episcopi sint vicini, licentia extrahendi reum, qui se recepit in locum exemptum, & nullius Diœcesis, petenda est ab Episcopo viciniori quoad habitationem, modo iste vicinam etiam Diœcesim habeat.*

12 *In casu sedis vacantis licentia petenda est à Vicario capituli.*

13 *Licentia extrahendi reum requiritur expressa, & non sufficit tacita.*

14 *Episcopus, vel Vicarius renuens indebitè concedere licentiam extrahendi reum, non incurrit excommunicationem Constitutionis Gregorianæ.*

1 REspondetur, quod secluſa Constitutione Gregorij XIV. tradi debet, recepto à sæculari Iudice iuramento de non puniendo illo corporaliter. Atque ita habetur *in cap. reum, & in cap. id constituimus*, 17. q. 4. quamvis attenta Constitutione Gregorij XIV. & etiam attenta consuetudine iam recepta, hoc iuramentum hodie non recipiatur, quin neque exigatur, neque Iudex sæcularis illud præstare teneatur, sed liberè (ac si ad Ecclesiam non confugisset) reus pro qualitate criminis puniendus ipsi tradatur; ex eo, quia fuga ad Ecclesiam in casibus exceptis nihil reo prodesse debet. Atque ita docent Dec. & Ambros. *in loc. sup. cit.* Boër. *decis.* 109. *num.* 8. Farinac. *de carc. q.* 28. *n.* 77.

4 Traditio autem hæc ex vi Constitutionis Gregor. XIV. fieri debet de mandato Episcopi, aut eius Officialis (id est Vicarij generalis, vt ex *Clem. 2. de rescript.* & glossa ibi, *verb. Officialis*, benè docet Sanch. *de matrim. lib. 8. disp. 27. n. 29.* per aliquam Ecclesiasticam personam ab eo deputatam, *omni appellatione remota*, cognito tamen prius per Episcopum, vel per personam, ab illo deputatam, an reus verè crimen exceptum 5 commiserit. Quapropter Iudex sæcularis non poterit in dictis casibus exceptis reum extrahere sine expressa licentia Episcopi, vel eius Officialis, seu Vicarij, & sine interuentu personæ Ecclesiasticæ ab eo auctoritatem 6 habentis; ad quos solos (& non ad alios Episcopis inferiores, vt Abbates, locorum Regularium Superiores, cæterosque Ecclesiarium sæcularum Prælatos, etiamsi ordinarij sint, vel nullius Diœcesis, vel Conseruatores à Sede Apostolica specialiter, vel generaliter deputati) talem licentiam dandi facultas pertinet; adeò vt quælibet facultas, quæ Curiæ sæculari olim fuerat concessa extrahendi talem reum propria auctoritate, nunc reuocetur. Et si casus contigerit in loco 7 exempto, & nullius Diœcesis, tunc ad Episcopum viciniorem deuoluatur cognitio (vtrum scilicet delictum sit exceptum, necne) & non ad alios. Et sic ipse, si inuenerit delictum esse exceptum, & non alius, det licentiam extrahendi. Vnde si illuc confugerit Cleri- 8 cus sibi subditus, qui ex probabiliori, si non ex communiori sententia Doctorum, vt *dub. 10. sect. 4.* dicebam Ecclesiarum immunitate non gaudet propria auctoritate, sine licentia Prælati Ecclesiæ illius, poterit inde illum extrahere. Quod si Episcopus, eiusque 9 Officiales requisiti culpabiliter recusauerint reum in casibus exceptis Iudici sæculari tradere, vel eius capturæ, & carcerationi interuenire, tunc Iudex sæcularis poterit reum (minori quo id fieri possit, scandalo, & tumultu pro reuerentia Ecclesiæ) ab Ecclesia extrahere, & sic extractum ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ, non autem sæcularis, deferre, vbi sub tuto, & firmo carcere, ac opportuna custodia adhibita (si placuerit) per Curiam sæcularem detineri debet, donec Episcopus, vel eius officialis, vel deputatus indicauerit, an extractus delictum immunitate priuans commiserit: hæc omnia Gregorius XIV. *in cit. sua constitutione*; quæ etiam ante illam, vsu & consuetudine fuisse seruata, testantur Guido Papæ *dec.* 121. & & Remigius Gonny *de immunit. fallent.* 13. & videri poterunt, quæ dicebam *dubit.* 35. *num.* 12. *& seqq.* Dixi, quod si casus contingat, vt delinquens se reci- 10 piat in locum exemptum, & nullius diœcesis, licentia extrahendi petenda sit ab Episcopo, vel eius officiali, id est Vicario generali viciniori, & non ab alio Prælato, qui sit Episcopo inferior, etiamsi sit Ordinarius, aut nullius diœcesis; quia nomine Episcopi hic intelligitur verus Episcopus, vel eius Officialis, id est Vicarius generalis, & non alius Prælatus Episcopo inferior, etiamsi sit ordinarius, vel nullius diœcesis, vt patet ex præcitata Bulla Gregorij XIV. Circa quod.

Petes primò, quid dicendum, in casu quod duo Episcopi sint vicini, seu proximi, sed vnus proximus quoad diœcesim, non verò quoad habitationem; alter proximus quoad habitationem, non verò quoad diœcesim?

Respondetur, licentiam tunc petendam esse ab Episcopo viciniori quoad habitationem, modò etiam ipse proximam habeat diœcesim; quia Gregorius XIV. principaliter respexit personam Episcopi, secundariò diœcesim: ob id enim Pontifex non dixit, ad Episcopum proximioris diœcesis, sed *ad Episcopum viciniorem*; tum quia sic occurritur incommodis, quæ 11 aliàs sequi possent, si adeundus esset Episcopus existens in remotiori loco. Quod tamen intellige, modò Episcopus, qui aditur, habeat etiam ipse diœcesim proximam; alioquin Iudex posset licentiam extrahendi petere ab Episcopo titulari, vel ab alio in sua domo causâ recreationis existente; quod non videtur conforme menti Pontificis, qui dum voluit licentiam ab Episcopo viciniori obtineri, respexisse videtur personam Episcopalem, & diœcesim Episcopi.

Petes secundò, quid dicendum in casu, quo sedes Episcopalis vacet ob mortem Episcopi, vel ob aliam rationem.

Respondetur, licentiam tunc petendam esse à Vi- 12 cario

cario Capituli ; quia sede vacante hic succedit in iurisdictionem Episcopi. Et dum Gregorius requirit licentiam vicinioris Episcopi, vel eius Officialis, intelligendus videtur solum respectu loci nullius diœcesis, non verò respectu loci alicuius diœcesis, cuius Episcopalis sedes vacet.

Petes tertiò, an licentia requiratur expressa, & non sufficiat tacita?

13 Respondetur affirmatiuè; patet *ex dictis suprà*, ex Bulla Gregorij XIV. ibi: *sine expressa licentia, &c.* quapropter minus rectè dixit Gambacurta *lib. 8. cap. 10. num. 7.* sufficere tacitam.

Petes quartò, an Episcopus, vel eius Officialis renuens concedere facultatem extrahendi in casu, in quo confugiens ad Ecclesiam priuilegio immunitatis gaudere non debet, incurrat excommunicationem præsentis Bullæ Gregorij XIV.

14 Respondetur, quod licet Gambacurta *lib. 8. cap. 11. num. 3.* affirmet, negandum tamen sit; quia quamvis Episcopus, postquam cognouerit confugientem ad Ecclesiam non gaudere priuilegio immunitatis ex eo, quod commiserit delictum exceptum, debeat facultatem reum extrahendi concedere, non tamen facultatem istam denegando, excommunicationem incurrit, cum hæc imponatur ob violationem immunitatis, quam hîc, & nunc Episcopus non violat, sed potius nimis seruare prætendit.

---

## SECTIO II.

### An possit iudex laicus confugientem ad Ecclesiam in casibus exceptis ex illa extrahere sine expressa licentia Episcopi.

### SVMMARIVM.

1 *Iudex laicus non potest sine sacrilegio & censura reseruata sine licentia Episcopi, vel eius officialis extrahere; secus est illis culpabiliter in casibus exceptis consentire nolentibus.*

2 *Iudex secularis, donec non fuerit cognitum, an delictum sit de exceptis, non potest ad proprios carceres reum ita extractum ducere, sed debet interim eum custodire in carcere Ecclesiastico.*

3 & 4. *Iudex laicus etiamsi notoriè constet delictum esse de exceptis, adhuc non potest propria auctoritatis sine Episcopi licentia attenta Constitutione citata reum extrahere, alioquin sacrilegium committit, & excommunicationem ipso facto Papæ reseruatam incurreret, & reus Ecclesia restituendus erit.*

5 *Notorium regulariter releuat ab onere probandi; secus tamen est quando probatio requiritur pro forma.*

6 *Publicatio resignationis Beneficij est facienda, licet notoria sit resignatio.*

7 *Reus extractus ab Ecclesia non seruatis seruandis, etiamsi confessus fuerit se delictum exceptum commisisse, adhuc est restituendus Ecclesiæ, ob non seruatam formam Gregorij.*

8 *Iudex ex recepta consuetudine aliquibus in locis legitimè præscripta potest in casibus tamen exceptis sine licentia Episcopi reum extrahere a loco sacro.*

9 *Ecclesia videtur in tantum posse reum defendere, in quantum gaudet immunitate, qua si non gaudeat, non est cur ipsum defendat.*

10 *Ecclesia non est locus exemptus à iurisdictione laicali in casibus exceptis, qui eius immunitatem non concernunt, sed solum in casibus non exceptis.*

11 *Iudex secularis nec licitè, nec validè potest iudicium exercere, nec sententiam ferre in Ecclesia.*

EX dictis sequitur, quod non possit (absque eo quod sacrilegium committat, & censuram Gregorij XIV. reseruatam contrahat) iudex laicus confugientem ad Ecclesiam in casibus exceptis ab illa extrahere sine expressa licentia Episcopi, vel eius officialis (id est Vicarij generalis, vt ex *Clement. 2. de rescript.* dicebam *sect. præcedentis num. 4.*) quamvis si Episcopus, vel eius officiales in tali casu requisiti, culpabiliter noluerint consentire, possit iudex laicus reum è loco sacro extrahere, & in carcere Ecclesiastico reponere, quousque per Episcopum, vel eius superiorem, vtrum reus gaudere debeat immunitate, cognitum fuerit. Nunquam tamen poterit iudex secularis reum ad proprios carceres interim transferre, ibique condemnare. Vide citat. Constitutionem Gregorij XIV. & Farinacium *in append. de immunit. cap. vlt. num. 359.* Mar. Ital. *lib. 1. cap. 6. num. 8. & seqq.* Genuensem *in praxi, cap. 17.* Bonacinam *disp. 3. q. 7. de immunit. punct. 7. num. 3.* Scort. *Theor. 386.* Ambrosin. *de immunit. cap. 11. num. 1. & cap. 14. per totum*, Dianam *part. 4. tract. 1. resol. 42.* & Lezanam *verb. immunitas Eccles. num. 28.* 1 2

Et hoc, quod modò dixi, quod scilicet non possit Iudex laicus confugientem ad Ecclesiam in casibus exceptis, ab illa extrahere sine expressa licentia Episcopi, vel eius officialis (si loquamur attenta Constitutione Gregorij XIV. quæ vt dicebamus, ex probabiliori sententia Doctorum vbique obligare videtur, etsi nonnulli Doctores (inter quos Cutellius *lib. 1. de immunit. Eccles. quæst. 1. num. 50. & quæst. 14. num. 3. & seqq.*) negent illam obligare in Portugallia, in Hispania & quibusdam aliis locis, ex eo quod ibi non sit vsu recepta) certum & indubitatum videtur, etiamsi notoriè constet, reum confugientem ad Ecclesiam delictum exceptum commisisse; quia adhuc seruanda est forma dictæ Constitutionis Gregorij XIV. quod scilicet Episcopus debeat prius cognoscere, an reus confugiens ad Ecclesiam commiserit delictum exceptum, & posteà Curiæ sæculari illum resignare; alioquin extrahentes sacrilegium committent, excommunicationemque ipso facto Papæ reseruatam incurrent, & reus Ecclesiæ restituendus erit. 3 4

Ratio est, quia licet notorium regulariter releuet ab onere probandi, *cap. manifesta, & cap. seq. 12. q. 1. cap. euidenter, de accusat. cap. vestra, de cohabitat. cler. & mulier. & l. 1. ff. ex quibus causis maiores*, & docent ex communi Farinacius *quæst. 116. num. 66.* & Cutell. *in Cod. Siculo ad leges Martini, nota 50. num. 7.* id tamen non releuat, quando probatio requiritur pro forma. 5

Atque sic docent Sarnensis *in regula de publicandis resignationibus, quæst. 9.* Parisius *de resignat. beneficij, quæst. 6. num. 81.* (qui dicit esse communem, & propterea ait à simili publicationem resignationis beneficij esse faciendam, licet notoria sit resignatio:) Genuensis *in prax. cap. 22. n. 5.* Riccius *part. 5. collect. 1792.* Lazar. *tr. 8. de blasphem. quæst. 5. n. 71.* Filliuc. *tom. 1. tract. 15. cap. 6. num. 154.* Duard. *in Bull. Cœnæ lib. 2. can. 15. quæst. 6. num. 31.* Chartarius *decis. crimin. 46. num. 87.* Ciarlinius *in controuers. forens. lib. 1. cap. 10. num. 33.* Farinac. *in append. de immunit. cap. 22. n. 359.* Megalius *in 3. part. lib. 4. cap. 2. quæst. 1. n. m. 31.* Rayner. *in Catal. censur. cap. 9. excommunic. 31. notab. 3.* Zipæus *lib. 3. de immunit. Eccles. num. 12.* Ambrosin. *de immunit. cap. 11. num. 1.* Simon Rao *in respons. ad dubia super immunit. Eccles. fol. 27.* citans Cynum, Aufrerium, Vulpellum, & Syluestrum: Peregrinus *de immunit. cap. 14. num. 6.* Diana *part. 1. tract. 1. resol. 14.* Remigius *de immunit. Eccles. q. fin.* & Suarez *in* 6

*prax. 1. part. tom. 1. cap. 3. §. 3. num. 16.* ( ita vt subdant hi vltimi Doctores , quod etiamsi reus ipse posteà confessus fuerit se delictum exceptum commisisse, restituendus adhuc Ecclesiæ sit : quia adhuc in extractione forma Constitutionis Gregorij XIV. seruata non fuit , & Ecclesia spoliata ante omnia restitui debet , *cap. conquerente* , & *cap. item cùm quis, de restitutione spoliatorum* ) quamvis contrarium teneant Couarru. *lib. 2. var. cap. 20. n. 18.* Clarus *lib. 5. q. 30. §. fin. num. 20.* Decian. *lib. 6. cap. 29. num. 4.* Farinac. *de carcerib. q. 28. num. 75.* retractans tamen seipsum *in appendice loc. suprà cit.* Boërius *decis. 109. num. 2.* Acuña *in decret. Gratiani , part. 1. dist. 87. cap. 6. num. 7.* Correa *in relect. ad cap. inter alia , de immunit. Eccles. part. 4. num. 10.* Guillelmus de Benedictis *in repet. cap. Raymutius, verb. & vxorem, num. 444.* Gambacurta *lib. 6. cap. 14. & lib. 8. cap. 10.* Villadiego *in Polit. cap. 3. num. 238.* Guido Papæ *decis. 121. num. 1.* Sarpus *de iure Asylorum , cap. 6. fol. 61. 62. & 67.* Iustus Oldesob. *in pract. crimin. tit. 3. caut. 17. num. 3.* Martinus del Rio *disquis. Magicar. lib. 5. sect. 7. vers. Capi sortiarios* , Carrasc. *ad recopilat. cap. 3.* Heuia *part. 3. §. 12. num. 57.* Bellug. *in specul. Princip. rub. 11. §. sed quia, lit. I.* Bobadilla *lib. 2. cap. 14. num. 94.* Cutellius *de immunit. Eccles. lib. 1. quæst. 1. num. 50. & q. 14. num. 3.* & Suarez *de relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 13. num. 1.* quorum tamen aliqui loquuntur ante Constitutionem Gregorij VIV. aliqui autem , licet loquantur etiam post illam , id asserunt, quia prætendunt , dictam Constitutionem Gregorij XIV. quoad hoc, vel non esse vsu receptam ; vel dato, quod à principio fuerit vsu recepta, nunc contra ipsam legitimè esse præscriptum ; quod an sit alicubi verum, viderint ipsi , qui id affirmant ; quia si ita est, non audeo id ibi damnare ; sicuti dicebam etiam *cap. 6. dubit. 24. sect. 5. & 8. & dubit. 26.*

8 At ( si loquamur , Constitutione Gregorij XIV. præcisa, vel alicubi ea à principio non vsu recepta, vel licet à principio fuerit vsu recepta , modò ibi legitimè præscripta ) probabile est etiam oppositum , quod scilicet possit Iudex sæcularis in casibus clarè exceptis reum sine expressa licentia Episcopi , seu inconsulto Episcopo ab Ecclesia extrahere , saltem ex recepta sic quadam consuetudine. Atque ita docent Abb. Ancharan. Bart. & alij , quos refert, & sequitur Boërius *decis. 109. num. 1. & 2.* Couar. Clar. Suar. Cutellius, Sarpus *in locis supra cit.* Guido Papæ *decis. 121.* Fagundez *in Decal. tom. 1. lib. 5. cap. 1. num. 22.* Decian. *tract. crim. lib. 6. cap. 29. num. 4.* Farinac. *de carcerib. q. 28. num. 75.* & Azeued. *lib. 1. tit. 2. leg. 3. num. 29.* idque ex eo , ne Ecclesiastici faciant interim reum aufugere , &
9 quia Ecclesia in tantum videtur , quod possit defendere reum , in quantum ille gaudet immunitate ; ergo si non gaudet , non est cur eum defendat.

Neque obstat , quod Ecclesia sit locus exemptus à iurisdictione laicali ( vti probat Tuschus *verb. Ecclesia, concl. 5. n. 10.* ) quapropter non possit iudex laicus ibi capturam , quæ est actus iurisdictionis , exercere.

10 Respondetur enim , quod Ecclesia non sit locus exemptus à iurisdictione laicali in casibus exceptis , qui eius immunitatem non concernunt , sed solum in casibus non exceptis , vti colligitur *ex cap. 1. de immunit. Eccles. in 6. verb. etiam ipsa Ecclesia* ; vbi habetur , quod Ecclesiæ sint in territorio Principis sæcularis ; quod saltem intelligi debet circa casus eius immunitatem non concernentes ; quamvis non possit
11 ibi Iudex sæcularis , nec licitè , nec validè iudicium exercere , vel sententiam ferre , vti statuitur *in cap. decet , §. ordinary, de immunit. Eccles. in 6.* ibi : *Processus Iudicum secularium , ac specialiter prolata sententia in eisdem locis* ( scilicet Ecclesiis ) *omni careant robore firmitatis.*

## SECTIO III.

### An , & quid dicendum sit de iure communi ?

1 *De iure communi probabilius est quod Iudex secularis non possit in casibus clarè exceptis reum sine licentia Episcopi , seu inconsulto Episcopo ab Ecclesia extrahere.*

2 *Tam in lege ciuili quàm canonica prohibetur Potestatibus sæcularibus inuitum ab Ecclesia extrahere, capta sacerdotis absentia.*

3 *Neque de iure Canonico permittitur in casibus exceptis reum Curiæ seculari tradi , nisi recepto prius iuramento de eius impunitate corporali.*

4 *Item de iure canonico datur facultas iudici sæculari reddendi Ecclesiæ reum extractum , sine consensu sacerdotis , quod etiam procedit in publico latrone.*

5 *De iure Cæsareo si maritus inuenerit in Ecclesia hominem sibi de adulterio suspectum cum vxore sua loquentem , debet ambos defensori Ecclesiæ tradere , vt seruentur , donec sæcularis iudex , qui de hoc cognoscere debet , inquirat Episcopum , vt illos ipsi tradat.*

6 *De iure Cæsareo licet reus per iudicem laicum possit , si cum armis ad Ecclesiam confugerit, inde extrahi , non tamen poterit inconsulto Episcopo.*

7 *Captura reorum est actus iurisdictionis , qui in Ecclesia, vtpotè de alieno Territorio , à iudice laico exerceri non potest.*

8 *Crimina excepta ab Ecclesia non proteguntur , non tamen rei in ipsa possunt capi , ligari , & extrahi sine licentia Prælati Ecclesiastici.*

9 *Licentia licet regulariter peti debeat ab illo , à quo negari potest , tamen debet peti à iudice Ecclesiastico, qui illam negare non potest , ne generetur confusio.*

10 *Episcopus non potest denegare licentiam Regularibus prædicandi in suis Ecclesiis , & tamen illam ab eo petere debent , & ex Tridentino sufficit petita , & non obtenta.*

11 *Prælatus Religionis saltem de iure communi , non potest suis Religiosis negare licentiam transeundi ad religionem strictiorem , & tamen illam ab eo petere debent , & sufficit petita , & non obtenta.*

12 *Damnatur capitulum 75. Alphonsi Regis in Sicilia de indebita extractione reorum contra immunitatem Ecclesiasticam.*

13 *Reus dum non constat an immunitate gaudere debeat, necne , non potest per Iudicem laicum extrahi sine Episcopi licentia.*

REspondetur, quod dixi precisa Constitutione Gregorij XIV. probabile esse, quod possit iudex sæcularis in casibus exceptis, reum sine expressa licentia Episcopi ex Ecclesia extrahere , saltem ex recepta sic quadam consuetudine ; quia spectato iure communi etiam probabilius est , quod non possit iudex sæcularis in casibus clarè exceptis reum sine expressa licentia Episcopi , seu inconsulto Episcopo , ab Ecclesia extrahere : quod & docet Salicetus *in l. si quis ei, n. 6. Cod. de adulter.* Belluga *in specul. Princip. rubr. 11. §. & quia, num. 27.* & probatur , quia *in cap. frater 17. quæst. 4.* prohibetur Potestatibus sæcularibus inuitum ab Ecclesia extrahere , capta Sacerdotis absentia : ergo signum est , quod requiratur sacerdotis præsentia , & consensus ; in idem est sensus *cap. inter alia, de immun. Eccles. & in cap. id constituimus , in cap. reum ,* 1

non

3 non permittitur in casibus exceptis reum Curiæ sæculari tradi, nisi recepto prius iuramento de eius impunitate corporali (qua de re vide etiam Doctores, quos refert, & sequitur Decian. *lib.6. cap.29. num.6.*) Ergo, si Curia sæcularis tenetur hoc iuramentum præstare, priusquam reus sibi tradatur, signum est, quod non possit inconsulto Episcopo (in cuius manibus iuramentum præstare tenetur) reum ab Ecclesia
4 extrahere: & *in cap. definimus 17. quæst.4.* datur facultas Iudici sæculari reddendi Ecclesiæ reum extractum sine consensu sacerdotis: ergo è contrario signum est, quod denegetur facultas extrahendi eum sine consensu illius; vbi Archidiaconus, & alij notant, hoc procedere etiam quoad publicum latronem, & sic quoad casus exceptos; & *in Authent. si quis, Cod. ad leg. Iul. de adulter. in §. fin.* statuitur, quod si
5 maritus inuenerit in Ecclesia hominem sibi de adulterio suspectum cum vxore sua loquentem, debeat ambos defensori Ecclesiæ, vel aliis clericis (vt seruentur) tradere, donec sæcularis Iudex, qui de hoc cognoscere debet, requirat Episcopum, vt illos ipsi tradat. Quod etiam probatur *ex Auth. vt liceat matri, & auiæ, coll.8. tit.18. num.117. cap.15.* ibi: *Donec iudex hoc cognoscens mittat ad Episcopum Ciuitatis, quatenus ei isti tradantur, vt debeant sustinere tormentum secundum leges, quæ interdicunt adulteros à sanctissimis Ecclesiis vindicari*: & *ex Authent. de mandat. Princip. §. sed neque*, ibi: *Auxiliabuntur autem tibi ad hoc etiam Deo amabiles Ecclesiarum defensores, & œconomi.* Et *ex l. pateant, in fin. Cod. de his, qui ad Eccles. confug.*
6 vbi Imperator, licet statuerit, confugientem ad Ecclesiam cum armis, si monitus arma non deposuerit, inde extrahi posse; voluit tamen, id inconsulto Episcopo fieri non licere, & reddit rationem, ne scilicet si multis passim id liceat, confusio generetur. Et licet ibidem Imperator requirat simul cum consensu Episcopi consensum Iudicum suorum, id tamen nihil obstat; quia in materia immunitatis, præsertim contra sacros Canones, statuere nihil potest. Sufficit tamen nobis per dictum textum demonstrare, quod etiam de iure Ciuili Imperatores voluerint, confugientem ad Ecclesiam, inconsulto Episcopo inde ex-
7 trahi non posse. Et ratio est, quod captura reorum est actus iurisdictionis, qui in Ecclesia, vtpote de alieno territorio, à iudice laico exerceri non potest, *ex l. extra territorium, ff. de iurisdict. & ex cap.2. de Constitut. in 6.* Ecclesia enim (vt latè probant Tuschus *loco suprà cit.* Carolus de Grassis *effectt.1.num.617.* Farinacius *consil.214. num.3. lib.3.* & Ciarlinius *controuers. forens. cap.10. num.5.*) licet sit in territorio Principis sæcularis, non tamen est de territorio, seu districtu illius, sed de territorio iudicis Ecclesiastici.

Atque ita, quod scilicet iudex sæcularis in casibus clarè exceptis, non possit etiam præcisa Constitutione Gregorij XIV. de iure communi reum sine expressa licentia Episcopi, seu inconsulto Episcopo, ab Ecclesia extrahere, docent præter Salicetum suprà citatum Anton. Gomez *var. resol. lib.3. cap.10. Rubr. quando reus gaudeat immunitate Ecclesiæ, num.2. ad fin.* Anastas. Germon. *de sacrorum immunit. lib.3. cap.16. n.1.* Bossius *de captura, n.24.* Tusch. *verb. Ecclesia, concl.11. num.47. & seqq.* Farinacius *in append. de immunit. cap. vlt. num.370.* Caballus *in qq. crimin. cap.194. num.12.* Guazinus *tom.1. defens.1. cap.31. num.3.* Rolandus à Valle *lib.1. consil.24. num.15.* Ioan. VVigers *de inst. & iur. tract.8. cap.6. dub.26. num.172.* Diana *part.6. tract.1. resol.28.* & alij suprà.

8 Ad oppositum respondetur, quod licet crimina excepta ab Ecclesia non protegantur, non tamen hinc sequatur, reos in illa posse comprehendi, & ex illa extrahi sine licentia Prælati Ecclesiastici, vt patet ex rationibus iam adductis, ex quibus etiam patet ad confirmationem.

Instabis, facultas, seu licentia peti debet ab illo, à quo negari potest: at iudex Ecclesiasticus in nostro casu talem licentiam (cùm ea tribuatur à iure) negare non potest: ergo, &c.

Respondetur, quod licet talem licentiam in dicto 9
casu Iudex Ecclesiasticus negare non possit, tamen ab illo peti debeat, ob rationem quam adducit ipse Imperator *in cit. leg. pateant*, nempe ne generetur confusio & irreuerentia in Ecclesias à ministris laicis in captura reorum. Et confirmatur à simili, quia Episcopus 10
non potest negare licentiam prædicandi regularibus in suis Ecclesiis, & tamen illam petere debent ab illo; quapropter ex Tridentino Concilio sufficit petita, & non obtenta. Item Prælatus Religionis non potest 11
(saltem de iure communi) suis Religiosis negare licentiam transeundi ad Religionem strictiorem; & tamen etiam petere illam debent ab illo; quapropter *ex cap. licet, de Regularibus*, sufficit similiter petita, & non obtenta, & sic de aliis, &c. Ergo non est semper verum, quod dicunt aduersarij, petendam scilicet esse solum licentiam ab illo, qui eam negare potest.

Ex dictis sequitur, cauendum esse à capitulo 75. 12
Alphonsi Regis in Sicilia, quatenus ibi vult, quod delinquentes extrahi possint ex Ecclesia per Iudices, & officiales suos sæculares in casibus ibidem recensitis.

Dixi secundò, *in casibus clarè exceptis*, quia in du- 13
biis (si scilicet simus in dubio, an casus sit exceptus) absque dubio non poterit iudex sæcularis reum sine expressa licentia Episcopi, seu inconsulto Episcopo, ab Ecclesia extrahere; quia dum non constat, quod is immunitate sit excluſus, immunitate gaudet, cùm immunitas concedatur cuicumque delinquenti extra casus exceptos, & consequenter dum probatum non fuerit, quod delinquens casum exceptum commiserit, immunitate priuari non poterit. Atque ita ex communi sententia Doctorum Decian. *tract. crimin. lib.6. cap.26. num.2.* & Farinac. *in append. de immunit. cap. vlt. n.370.*

## DVBITATIO XLI.

### Ad quemnam iudicem spectet cognoscere, vtrum casus sit exceptus, necne?

### SECTIO I.

#### Dubitationis Resolutio.

#### SVMMARIVM.

1 *Ad iudicem Ecclesiasticum spectat absque dubio cognoscere vtrum casus sit exceptus, necne, non solùm attenta Constitutione Gregoriana, verùm etiam iure communi.*

2 *Causæ Ecclesiasticæ cognitio, qualis est immunitatis, non potest nisi ad Iudicem Ecclesiasticum spectare.*

3 *Causa immunitatis Ecclesiasticæ pertinet ad honorem, & reuerentiam rei.*

REspondetur, quod absque dubio spectet ad iu- 1
dicem Ecclesiasticum; idque non solum attenta Constitutione Gregorij XIV. (in qua expressè dicitur: *Nisi cognitio prius per Episcopum, vel ab eo deputatum, an delinquentes verè crimina excepta commiserint,*)

rint,) sed etiam attento iure communi. Et probatur, quia causæ Ecclesiasticæ (qualis est causa immunitatis Ecclesiarum) cognitio non potest, nisi ad Iudicem Ecclesiasticum spectare, per textum *in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, de constitut.*

3 Confirmatur, quia cum agere de immunitate Ecclesiastica pertineat ad honorem, & reuerentiam Dei, & Ecclesiæ, absque dubio cura hæc ad iudicem Ecclesiasticum spectare debet. Confirmatur secundò *ex cap. fin. de immunit. Eccles. cap. metuentes, cap. ad Episc. 17. q. 4. cap. ex parte, de verb. significat. ex l. pateant, §. hoc verò, & ex l. præsenti, Cod. de his, qui ad Eccles. confugiunt*: ex quibus iuribus etiam ciuilibus clarè colligitur, quod dicebam, & docet Anastas. Germon. *de immunit. sacror. lib. 3. cap. 16. num. 21.* Gutierrez *pract. qq. lib. 3. q. 1. num. 5.* Azeued. *lib. 1. nouæ compilat. tit. 2. leg. 3. n. 20.* Farinacius *de carcerib. q. 28. num. 76. & in append. de immunit. cap. vlt. num. 366. & 367.* Rodriguez *in qq. Regular. tom. 2. q. 51. art. 3.* Peregrinus *cap. 3. num. 1.* Guazzinus *tom. 1. defens. 1. cap. 31. num. 3.* Mar. Ital. *de immunit. lib. 1. cap. 5. §. 14. num. 7. & cap. 6. §. 1. num. 4. & seqq.* Loterius *de Benef. tom. 1. lib. 1. q. 13. num. 96. & seqq.* Diana *part. 4. tract. 1. resol. 46.* Correa *in relect. de immunit. Eccles. part. 4. num. 2.* Barbosa *de iur. Eccles. lib. 2. cap. 3. n. 155. & seqq.* & Bonacina *disp. 3. q. 7. de immunit. punct. 7. num. 2. vers. 3.* contra Vulpellum *cons. 130. num. 6.* & quosdam alios, vt Petrum Bellugam, & Remigium Gonny, quos refert Anastas. Germon. *in loco supra cit.* Item contra Pereir. *de manu Regia, part. 2. cap. 16. num. 12.* Suarez de Paz *in prax. tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 3. num. 8.* Bobadillam *in Polit. tom. 1. & lib. 2. cap. 19. num. 40.* & Sarpum *de iure Asylorum, cap. 6. fol. 62.* Vide etiam Martham *de iurisdict. part. 2. cap. 1. n. 10.* & Fagundez *de præceptis Eccles. præc. 2. lib. 4. cap. 4. n. 57.*

## SECTIO II.

### Difficultates in oppositum, earumque solutiones.

#### SVMMARIVM.

1 *Nemo in causa propria est index competens.*
2 *Immunitatis causa non est propria Episcopis, sed communis cum Ecclesia.*
3 *Inconueniens non est quod causa immunitatis spectet ad Episcopum, & quod ipse in illa dicat ius, sicut & quod in eadem dicat testimonium.*
4 *Rector, Beneficiatus, vel Religiosus potest testificari in causa suæ Ecclesiæ.*
5 *Iudex debet esse medius, ac veluti diremptor inter partes contendentes.*
6 *Limitatur primò in Prælato Ecclesiastico.*
7 *Limitatur secundò in Principe supremo, seu magistratu supremo.*
8 *Princeps supremus à subditis cogi non potest, vt alteri se subiiciat.*
9 *Non præsumitur à supremo Principe tanquam legum, & iustitiæ fonte, atque Consiliariis optimis munito, posse quidquam iniustum promanare.*
10 *Limitatur tertiò regula supradicta ratione iniuriæ acceptæ causa exercendi officium iudicis, dummodo sit notorium de ipsa, quia tunc potest punire etiam sine alio processu.*
11 *Limitatur quartò, si iudex à parte requisitus, dubitetur, an cognoscendi potestatem habeat, quia tunc id ipsum ante omnia poterit discutere.*
12 *Prætoris est æstimare an sua sit iurisdictio.*
13 *Regula quod nemo in propria causa iudex esse debet, intelligenda est in sensu, ne directè quis id faciat in propriam vtilitatem sententiam ferendo.*
14 *Iudex Ordinarius suborto dubio an sit index competens, potest id ipsum cognoscere, & dubio pro affirmatiua resoluto, ad causam principalem determinandam procedere.*
15 *Episcopus non solum potest compellere laicos ad obseruandas consuetudines Ecclesiæ laudabiles, sed etiam potest, exorto dubio, num consuetudo laudabilis sit, idipsum determinare.*
16 *Episcopus potest examinare vires iuramenti à se præstiti de obseruandis capitulis in sua electione, quousque illud extendere se debeat.*
17 *Iudex si à parte contendente allegetur suspectus, iustitiam huius allegationis cognoscere non potest, si notoriè friuola non est, & supersedere debet in principali.*
18 *Dato quod extractio in casibus exceptis spectet ad iudicem secularem, non tamen spectat ad eumdem cognitio, an casus sit exceptus.*
19 *Refellitur argumentum Sarpi ex eo, quod si verum esset, iudex Ecclesiasticus neque posset cognoscere delicta mixti fori.*
20 *Non obstat consuetudo in contrarium, si non sit præscripta legitimè ante Constitutionem Gregorianam; quod non creditur.*
21 *Pontifices, & Episcopi sciunt, & tolerant aliquid fieri contra immunitatem, non consentiendo, & approbando, sed dissimulando ad maiora mala vitanda, & incommoda.*

OBiicies. Causa immunitatis est causa propria Episcopi: ergo non spectat ad Episcopum. Consequentia probatur, quia nemo in causa propria est iudex competens. 1

Respondetur, nego antecedens; quia potius est causa communis, & Ecclesiæ; quapropter inconueniens non est, quod spectet illa ad Episcopum, & quod Episcopus in illa dicat ius, sicut & quod in eadem dicat testimonium; quod testimonium rector etiam, aliusve beneficiatus, vel Religiosus dicere potest in causa suæ Ecclesiæ, sicuti notauit Layman *lib. 3. tract. 3. cap. 2. num. 5.* 2 3 4

Itaque cùm dicitur, quod quis in propria causa iudex competens non sit, seu iudex esse non possit, vt etiam sumitur *ex l. vnic. Cod. ne quis in sua causa iudicet*, & patet ex eo, quia iudex debet esse medius, ac veluti diremptor inter partes contendentes, *cap. 1. iuncta gloss. causa 4. quæst. 4.* 5

Excipitur primò, quod scilicet Prælatus iudex esse possit in causa suæ Ecclesiæ, sicuti modò suprà dicebam, & docet gloss. communiter recepta *in cap. si erga, verb. priuetur, 2. q. 6.* & Abb. *in cap. ad audientiam, de appellat. num. 8.* 6

Excipitur secundò, si sit in ordine ad subditos suos Princeps, seu Iudex supremus, qui nisi aliud constitutionibus Regni receptum sit, cum Consiliariis suis cognoscere, & definire litem potest, sicuti colligitur *ex l. vn. Cod. si quis Imperatori maledixerit*, & *l. proximè, ff. de his, qui in testamento delentur.* Et ratio est; tum propter plenitudinem potestatis, secundùm quam à subdito cogi non potest, vt alteri se subiiciat; tum quia non præsumitur à supremo Principe, tanquam legum, ac iustitiæ fonte, atque Consiliariis optimis munito, posse quidquam iniustum promanare. 7 8 9

Excipitur tertiò, si notorium sit, quod iudex ratione publici officij iniuriam ab aliquo passus fuerit; quia tunc potest sine alio iuris processu in continenti illum punire, ad hoc, vt iurisdictio sua, & potestas publica 10

publica defensa permaneat ; sicuti docet præter alios Andr. Gaill. *lib. 1. observat. 36.* exemplum afferens de eo, qui literas iniuriarum plenas ad Senatum scripsit, ob quod facinus iustè à Senatu ipso punitus fuit.

11 Excipitur quartò ; si iudex à parte requisitus dubitetur, an cognoscendi potestatem habeat ; quia tunc id ipsum ante omnia poterit discutere, *l. si quis ex aliena* 12 *, ff. de iudic.* vbi dicitur, quod *Prætoris sit æstimare, an sua sit iurisdictio* : & *l. 2. ff. si quis in ius vocatus*, vbi dicitur, quod *ex quacumque causa ad Prætorem, vel alios, qui iurisdictioni præsunt, in ius vocatus venire debet, vt hoc ipsum sciatur, an iurisdictionis eius sit.* Quod tamen intellige, si rationabiliter id dubitetur, secus, si notorium sit, quod à iurisdictione citantis exemptus existat ( v. g. clericus à iurisdictione laici ) quia tunc citatus comparere non tenetur, sicut docet Gloss. communiter recepta *in cap. veniens, verb. propter contumaciam, de accus.* Innocent. *in cap. præterea, de delation.* Abb. *in cap. ex parte, de rescript.* & Martha *de iurisdict. part. 2. cap. 4.*

13 Ex quibus sequitur, dictum illud, quod *nemo in propria causa iudex esse debeat*, intelligendum esse in sensu, ne directè quis id faciat in propriam vtilitatem, 14 sententiam ferendo, sicuti rectè notauit gloss. *in cit. l. si quis ex aliena, verb. æstimare* ; interim tamen poterit iudex ordinarius suborto dubio, vtrum causa aliqua, quæ ad ipsum defertur, suæ iurisdictionis sit, necne, id ipsum cognoscere, & dubio in partem affirmatiuam resoluto, ad causam principalem determinandam procedere, *argum. cap. ad Apostolicam, de simon.* vbi *numero* 3. ait Abbas, quod Episcopus 15 non solum possit compellere laicos ad obseruandas consuetudines Ecclesiæ laudabiles, sed etiam possit, exorto dubio, num consuetudo aliqua laudabilis sit, id ipsum determinare ; quia tunc non est, nisi indirectè ( quatenus scilicet id necessarium sit, vt ordinario suo iudicandi officio satisfaciat ) in causa propria iudicare.

16 Quapropter idem dicas de Episcopo, qui in sui electione proposita sibi capitulatione, præter alia Capitulo iurare debuit, quod in tali rerum genere nihil immutare velit, & post confirmationem diœcesani ius sibi ab ipso dici petunt, quod scilicet possit etiam Episcopus in tali casu, cum consilio prudentum, cognoscere de viribus iuramenti sui præstiti, & quousque illud extendere se debeat, vt deinde appareat, vtrum in causa principali ad instantiam partis progrediendi ius habeat, quia alioquin Episcopus ( si scilicet exorto dubio circa fundamentum suæ iurisdictionis, illud determinare non posset ) in consistorio suo ad gubernandam diœcesim sufficiens sibi non esset.

17 Quamvis, si iudex à parte contendente tanquam suspectus recusetur, iustitiam huius recusationis cognoscere non possit, sed in causa supersedere debeat ; quia exceptio suspicionis, sicuti ( si notoriè friuola non sit ) reddit inhabilem iudicem quominus super principali cognoscere possit ; ita, & multò magis reddit inhabilem super incidente, cùm per talem exceptionem ad indignationem prouocetur, sicuti rectè notauit Abb. *in cap. requiris, n. 12. de appellat.* & Gaill. *lib. 1. observat. 34. n. 6.*

Obiicies secundò, extrahere reum in casibus exceptis est causa sæcularis, non Ecclesiastica ( cùm per sæcularem potestatem extractio fiat ) ergo eius cognitio spectat ad iudicem sæcularem, & non ad Ecclesiasticum.

18 Respondetur ; esto extractio in casibus exceptis spectet ad iudicem sæcularem, non tamen hinc sequitur, quod cognitio, an casus sit exceptus ab immunitate, spectet ad eundem ; vt patet ex dictis, præsertim cùm vnum sit quid facti, alterum autem quid iuris, & circa ea quæ sunt extra sphæram potestatis sæcularis.

Instabis, vt iudex Ecclesiasticus id assequatur, & cognoscat, debet certa cognitione cognoscere omnia, quæ acciderunt : item & cognoscere delicti grauitatem, & leuitatem ; at hæc discutere est minus alienum ab Ecclesiastico iudice, cui tantum res spirituales committuntur : ergo, &c. Ita Sarpus *loco supra cit.* & alij.

Respondetur ; nego minorem, cùm ex dictis causa 19 hæc sit Ecclesiastica, & spiritualis. Adde quod si verum esset, quod dicit Sarpus, sequeretur, quod iudex Ecclesiasticus neque posset cognoscere delicta mixti fori, quod est omninò falsum.

Instabis secundò, adest consuetudo in contrarium ; ita vt saltem ratione consuetudinis cognitio de tali re sit mixti fori, & sic spectet ad vtrumque iudicem, tam sæcularem, quam Ecclesiasticum, in ordine ad diuersos effectus. Ita Pereira, & Correa *in locis supra cit.*

Respondetur ; nego consequentiam, quia Constitu- 20 tio Gregorij XIV. reuocat *omnes consuetudines* in contrarium, *vt supra dubit. 7.* dicebamus. Vide etiam Tuschum *verb. immunitas, concl. 59. n. 19. & seqq.* Bonacinam *disp. 3. quæst. 7. punct. 10. num. 2.* & Cenedum *in 99. Canon. quæst. 42. num. 12.* Quod si contendant aduersarij, quod post dictam Constitutionem Gregorij XIV. iterum legitimè consuetudo in contrarium introducta sit, videant ipsi, qui id affirmant, quia si ita est, non audeo ( vt suprà *dubit. 6. & dubit. 24. sect. 5. & 8.* dicebam ) illam damnare.

Vrgebis : Pontifices, & Episcopi sciunt, & tolerant : 21 ergo, &c.

Respondetur cum Farinacio *in append. de immunit. cap. 1. num. 15.* Paciano *de prokationib. lib. 1. cap. 29. num. 87.* & Laudensi *part. 1. decis. Pisan. 36. num. 265.* distinguendo antecedens : sciunt, & tolerant consentiendo, seu approbando, nego : dissimulando, ad maiora scilicet vitanda mala, & incommoda, concedo. Vide *cap. iam dudum, de præbendis*, & quæ dicebantur *cap. 1. dub. 15. sect. 5. & lib. de parlamentis, dub. 4. sect. 19. subsect. 3. & 4. dubit. 15. & dubit. 27. sect. 9. & seqq.*

---

## SECTIO III.

### An cognoscere locum, vtrum sit sacer ad gaudendum immunitate, spectet ad iudicem Ecclesiasticum tantum ?

#### SVMMARIVM.

1 *Cognoscere locum an sit sacer, vel religiosus, & capax immunitatis Ecclesiæ, spectat ad Iudicem Ecclesiasticum priuatiuè quoad laicos.*

2 *Cognitio an territorium Ecclesiæ sit violatum, necne, spectat ad iudicem Ecclesiasticum.*

3 *Vicarius Capituli in probabiliori sententia, sede vacante, potest cognoscere, vtrum delicti casus sit exceptus.*

4 *Limita modo commissum fuerit in sua diœcesi, & non in loco exempto.*

5 *Capitulum, vel is, ad quem Episcopalis iurisdictio tunc temporis pertinere noscitur, potest facere omnia quæ posset Episcopus, si tunc viueret.*

6 *Episcopus electus, & confirmatus, sed nondum consecratus potest cognoscere ea quæ diximus circa immunitatem ; quia potest omnia, quæ sunt iurisdictionis.*

7 *Episcopus electus, & confirmatus tantum, sed nondum consecratus potest absoluere ab omnibus censuris, & dispensare ab omnibus irregularitatibus, à quibus possunt cæteri Episcopi vigore Concilij.*

8 *Ea, quæ sunt actus iurisdictionis tantum, &*

*non ordinis, & sic in absoluente, & dispensante non indigent consecratione, possunt exerceri etiam per Episcopum electum, & tantùm confirmatum.*

1 EX dictis sequitur, quod cognoscere locum, an sit sacer, vel religiosus, ad gaudendum immunitate, necne, spectet etiam ad iudicem Ecclesiasticum tantùm, seu priuatiuè. Atque ita docent Martha *de iurisdict. part.2. cap. 50. numero 4.* Raudensis *vol. 2. consil.17. num.12.* Marius Giurba *consil.10. numero 7.* Peregrinus *de immunit. cap.13. numero 18.* Bonac. *disput. 3. quæst. 7. punct. 3. numero 16.* & Diana *part. 4. tractat.1. resol. 49.* contra Pereiram *in loco suprà citato.* Et patet ex rationibus, & iuribus suprà adductis; item etiam patet *ex cap. ex parte, de verbor. significat.* vbi cùm agatur, an territorium Ecclesiæ sit violatum, necne, dicitur, quod huius rei cognitio spectet ad iudicem Ecclesiasticum. Quinimò Comitissa, cuius interesse ibi tractabatur, appellat ad Archiepiscopum. Vide etiam quæ dicentur *infrà, dubit.46.*

2

3 An autem sede vacante, possit etiam Vicarius Capituli cognoscere, vtrùm delicti casus sit exceptus, necne?

Negat Marius Italia *de immunit. lib.1. cap.6. §.1. num.42.* & mouetur ex Constitutione Gregorij XIV. in illis verbis: *Ad quos solos, & non ad alios Episcopis inferiores, &c.*

4 Affirmat autem probabilius Peregrinus *de immunit. cap.3.num.34.& seqq.* (si scilicet delictum commissum fuerit in sua diœcesi, non autem in loco exempto, vel nullius diœcesis.) Et probatur, quia facultas, de
5 qua loquimur, competit Episcopo iure ordinario, *cap. quisquis, & cap. contumax, 17. quæst.4.* ergo, &c. Consequentia probatur; quia *ex cap. vnic. de maiorit. & obedient. in 6.* Sede vacante potest Capitulum, vel is, ad quem Episcopalis iurisdictio tunc temporis pertinere noscitur, facere omnia, quæ posset Episcopus, si tunc viueret.

6 Cæterum certum esse debet contra Marium Ital. *loco suprà cit. numero* 88. quod id possit Episcopus electus, & confirmatus tantum, etsi nondum consecratus, sicuti ex communi Peregrinus *num.* 3. Et ratio est, quia talis cognitio est actus iurisdictionis, & Episcopus electus, ac confirmatus tantum, etsi nondum consecratus, potest omnia, quæ sunt iurisdictionis, per textum *in cap. transmissa, de elect.* Quapropter rectè dixit Suarez *tom.5. disp.41. sect.2. num.*
7 quod Episcopus electus, & confirmatus tantum, quamvis nondum consecratus, possit absoluere ab omnibus censuris, & dispensare ab omnibus irregularitatibus, à quibus possunt cæteri Episcopi vigore
8 Concilij Trident. *sess.24. cap.6. de reformat.* quia hæc omnia sunt actus iurisdictionis tantum, & non ordinis, & sic in absoluente, & dispensante non indigent consecratione.

## DVBITATIO XLII.

Qualiternam Episcopus cognoscere debeat delictum esse exceptum, vt possit reum tradere, remittere, seu consignare Curiæ sæculari?

### SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Ad probandum id quod in iudicio incidenter & secundariò, & per modum causæ deducitur, quævis probatio, etiam leuis, & præsumptiua dicetur sufficiens.*

2 *Is, cuius iudicio res committitur, non tenetur informationem iuridicam facere, sed potest provt sibi placuerit, informationem sumere & quomodocumque de veritate sibi constet, iudicium ferre.*

3 *Episcopus tamen in casu nostro debet cognoscere concludenti probatione delictum esse exceptum, vel non exceptum.*

4 *Ecclesia ius habet defendendi reum in casibus non exceptis, & reus ius habet ne in talibus casibus à loco sacro extrahatur, & ob id Prælatus non cognoscendo exactè, iniuriam Ecclesiæ, & reo faceret.*

5 *Coniectura non sufficiunt vt vincant præsumptionem ortam ex possessione immunitatis, & iure fundato.*

6 *Ad tollendum ius ab aliquo acquisitum non sufficit coniectura, sed requiritur plena probatio.*

7 *Ex constitutione Gregoriana requiritur, quod Prælatus priusquam reum puniendum iudici sæculari tradat, cognoscat verè, quod is exceptum delictum commiserit.*

8 *Quod per coniecturas tales cognoscitur, non verè, sed probabiliter tantum cognoscitur, neque illud est propriè, & absolutè verum, sed sub dubio verum.*

9 *Vera sunt ea, quæ oculis inspicimus, & indubitanter nouimus, non autem quæ præsumptiuè credere possumus.*

10 *Lex, quotiescumque probationem requirit, de probatione concludenti, & perfecta intelligi debet.*

11 *Probatio coniecturalis, quando sufficit, cauetur ab ipso leg latore.*

12 *Commissum delictum esse exceptum, est conditio necessariò requisita ad hoc vt delinquens immunitate priuetur.*

13 *Probatio conditionis, seu formæ ad actum requisitæ, debet esse plena, & concludens.*

14 *Sententia contumacialis (cum hac non probet delictum) sed requiratur plenior probatio, non sufficit ad extrahendum reum è loco immuni.*

RESpondetur, quod (quamvis videatur sufficere, quod cognoscat ex præsumptionibus, & coniecturis rem probabilem efficientibus, quia ad probandum id, quod in iudicio incidenter, & secundariò, & per modum causæ deducitur, quævis probatio, etiam leuis & præsumptiua dicitur sufficiens, & quia in Constitutione Gregorij XIV. conceditur Episcopo remissio rei, qui sibi videbitur delictum exceptum commisisse; cùm autem alicuius iudicio res committitur, non tenetur is informationem iuridicam facere, sed potest, provt sibi placuerit, in- 2
formationem sumere, & quomodocumque de veritate sibi constet, iudicium ferre, sicuti tradidit Menochius *de arbitr. quæst.13. numero 2. & quæst.19. numero* 10. ergo, &c.) tamen dicendum sit, requi- 3
ri quod cognoscat ex concludenti probatione, seu ita quod probationes sint certæ, quamvis summariè, & quamprimum fieri potest expediendæ, sicut ex declaratione sacræ Congregationis refert Naldus *verb. Ecclesia, num.32.* Atque ita contra Senatum Lusitanum apud Gammam *decis. 171. & 182.* Gratianum *tom.3. cap.596.num.23.* Peregrinum *de immunit. cap.3. num.3. & seqq.* & Giurbam *consil.50. num.10. & consil.100.* docent præter Naldum *suprà*, Farinacius *lib.1. consil. cons.76.num.3. & cons.168. num.8.* & *in append. de immunit. cap. vlt. num.8.* & *seqq.* Ambrosin. *de immunit. cap.11. num.4.* Mar. Ital. *de immunit. Eccles. cap.6. §.1. num.80. & seqq.* Bonac. *disp.3. q.7. de immunit.*

*munit. punct.6. circa fin.* Riccius *collect.1792.* Gambacurta *lib.6. cap.14. & 15.* Castillus *decis.256. num.5.* Gutierrez *pract. qq. lib.3. quæst.1. num.36.* Barbosa *de iure Eccles. lib.2. cap.3. num.168.* Auendañus *de exequend. mand. part.1. cap.12. num.9. & seqq.* Sanchez *in opusc. tom.2. lib 6. cap.1. dub.11. num.2.* Lezana *verb. immunitas Eccles. num.28.* & Diana *part.3. tract.1. resol.38.* & *part.4. tract.1. resol.112.*

### *Prima Probatio.*

4 Probatur primò ; quia Ecclesia ius habet defendendi reum in casibus non exceptis , & reus etiam ius habet , ne in talibus casibus è loco sacro extrahatur, *cap. inter alia , cap. fin. de immunit. Eccles. & cap. sicut antiquitus 17. quæst.4.* Ergo Prælatus , dum concludenter non cognoscit quod reus crimen exceptum commiserit,iniuriam Ecclesiæ & reo facer (Ecclesiam scilicet , & reum suo iure priuando ) si reum Iudici sæculari puniendum traderet.

Dices : Episcopus per præsumptiones , & coniecturas probabiles sufficienter cognoscit : ergo ( ne Ecclesiæ, & reo iniuriam faciat , tradendo reum puniendum Iudici sæculari ) non requiritur cognitio maior , seu certior , & euidentior.

5 Respondetur , nego antecedens , quia dictæ coniecturæ non sufficiunt , vt vincant præsumptionem ortam ex possessione immunitatis , & iure fundato, *l. fin. ff. quod metus causa* , & docent ibi communiter Iuristæ, & Abb. *in cap. quia verisimile, in 2. not. b. de præsumptionib.* tum quia ad tollendum ( præsertim irreparabiliter ) ius ab aliquo acquisitum , non sufficit coniectura , sed requiritur plena probatio. Bald. *in l. indices, num.2. Cod. de iudiciis* , & Speculator *tit. de offic. omnium Iud. §. fin. num.18.*

6

### *Secunda Probatio.*

7 Secundò probatur ; quia in Constitutione Gregorij XIV. exigitur , quod Prælatus , priusquam reum puniendum Iudici sæculari tradat , cognoscat verè, quod is exceptum delictum commiserit: ergo non sufficit , quod cognoscat per præsumptiones , & coniec-
8 turas probabiles. Consequentia probatur ; quia quod per coniecturas tales cognoscitur , non verè, sed probabiliter tantum cognoscitur , seu præsumitur , & putatur ; neque illud est propriè , & absolutè verum , sed sub dubio verum ; sicuti rectè docent Doctores , quos citat , & sequitur Farinacius *cons.168. num.10. & cons.76. num.6.* Et confirmatur ex doctrina Innocentij *in cap. cum causam , col.2. vers. illud autem,*
9 de iuramento calumniæ , vbi ait , quod vera sint ea, quæ oculis inspicimus , & indubitanter notimus , non autem quæ præsumptiuè credere possumus.
10 Quapropter quotiescumque lex probationem requirit , de probatione concludenti , & perfecta intelligi debet , *l. Iudices, Cod. de Iudiciis*, & docent Decius *in rubr.10. de probationibus, num.133.* & Mascard.
11 *de probat.q.4. num.12.* Præsertim quia quando sufficit probatio coniecturalis , id à legislatore ipso cauetur, vt *in l. non omnes , §. à barbaris , ff. de re militari* , ibi : *Argumentis tantùm cognoscendum est , & in cap. pro humani , de homicidio in 6.* ibi : *Et postquam probabilius constiterit argumentis.*

### *Tertia Probatio.*

Tertiò probatur ; quia commissum delictum esse exceptum , est conditio necessariò requisita ad hoc , vt delinquens immunitate priuetur ( vt ex se patet & iubet Gregorius XIV. *in cit.* sua Constitutione , ibi : *Nisi cognito priùs per Episcopum , aut eius deputatum vt ipsi vera crimina superius expressè commiserint :*) ergo debet constare. Consequentia probatur , quia probatio conditionis , seu formæ ad actum requisitæ debet esse plena , & concludens , *l. ius alimentorum , ff. vbi pupillus educari debeat , & l. Lucius, ff. de condit. & demonstr.* & docet ibi Bartol. & Farinac. *in cit. cons. 76.& 168.* Vide Congregationem Episcoporum , quæ in vna Cremonensi die 27. Iulij 1618. decreuit , quod ad delinquentem extrahendum à loco immuni , & consignandum Curiæ sæculari , non sufficiat sententia contumacialis ( cum hæc non probet delictum ) sed requiratur plenior probatio. Vide etiam Guazinum *in defens. reorum , tom.1. defens.1. cap.31. num.9.* Castillum *decis.156. num.9.* Riccium *in prax. tom.2. resol.450. num.3.* Regentem Constantium *in supplic. ad Part.V. num.69.* Cutellium *in Notis politicis ad Leges Siculas Martini Regi , controuers.5. & 7. fol.432. & de immunit. Eccles. lib.1. quæst.38. & lib.2.q.24.* & Gamb. *decis.179.* qui tamen tenere videntur , quod probatio illa , quæ sufficit ad torturam super delicto , sufficiat etiam , vt quis declaretur non gaudere immunitate fori , & Ecclesiæ.

---

## SECTIO II.

### Responsum ad fundamentum oppositum.

### SVMMARIVM.

1 *Iudicio Episcopi remittitur quænam delicti probatio sufficiens sit , non tamen remittitur iudicio eiusdem derogare iuri , & perfectæ probationi delicti.*

2 *Episcopus in tali cognitione tenetur seruare ordinem iudiciarium, & omnes regulas iuris.*

3 *Soluuntur opposita.*

4 *Episcopus si erranerit in iudicando delictum esse exceptum , cum reuerà non sit, tenetur repetere reum, & iudex sæcularis restituere.*

5 *Error vnius non debet alteri præiudicare , præsertim reo, & Ecclesiæ, pro quorum fauore clamant omnia iura.*

6 *Idem dic si Episcopus iudicauerit contra Curiam sæcularem , sed per errorem , quia tunc etiam tenetur tradere reum.*

7 *Iudex sæcularis , vel reus lata sententia per Episcopum an gudere debeat , necne , potest appellare , si habeat sufficiens, & rationabile fundamentum, contra Peregrinum, & alios.*

1 REspondetur ex dictis , quod licet in dicta Constitutione Gregorij XIV. remittatur iudicio Episcopi , quænam delicti probatio sufficiens sit , non tamen remittitur iudicio eiusdem , derogare veræ , & perfectæ probationi delicti. Quinimò Menoch. *quæst. 8. de arbitr. iudic. lib.1.* ait , quod cùm remittatur iudicio Episcopi , verba hæc denotent arbitrium boni viri , *l. fideicommissaria , §. caterum , ff. de fideicommiss. & l. fideicommissa , §. si fideicommissum , ff. de legat.3.* quod & docet etiam Bart. *in extrauag. ad reprimendum , verb. videlicet , in princip. & num.4.* & sic quod teneatur Episcopus seruare ordinem iudiciarium , & omnes regulas iuris : idem Bartol. *in d.ll. verb. Videbitur , num. 8.* Alexand. *consil.33. lib.1. num.3.* Ias. *in l. si sic legatum , ff. de legat.1. num.26.*
2 Idque etiam in criminalibus , vbi quoque liberum arbitrium est legibus subiectum. Ias. *ibid. num. 24.* Farinacius *in fragment. part.1. litera A , num.244.* & idem Menoch. *de arbitr. iudic. lib.1. quæst.9. num.3.*

& 4. *quæst.*13. 20. & 77. & *consil.*69. *num.*63. & 69. & *consil.*1131. *num.*8. *lib.*11. Instabis ex Giurba *loc. cit.* in Constitutione Gregorij XIV. non præscribitur forma seruanda in huiusmodi cognitione, sed generaliter, & absolutè dicitur, nisi cognito prius per Episcopum, an ipse verè crimina superius expressa commiserit: ergo cum huiusmodi verba generalia
3 sint, generaliter intelligenda sunt, & consequenter in quavis cognitione verificantur, *l. cognitionem, ff. de ord. & extraord. cognit.* Præterea, sicut Iudex, cui imponitur, vt cognitionem reiiciat, potest cognitionem reiicere per informationem sine processu, & extraiudicialiter, ex gloss. *in l. ius alimentor.* §.1. *verb. Cognitio, ff. vbi pupillus educ. deb.* ita & in casu nostro. Denique in quæstionibus emergentibus sufficit cognitio extraiudicialis, & non requiritur cognitio causæ plenaria, ex Bartolo, & Baldo *in cit. l. ius alimentorum*: ergo, &c.

Respondetur, quod ad hæc pateat ex dictis.

Cæterùm dicendum, quod si Episcopus in iudicando errauerit, v. g. iudicauerit reum commisisse cri-
4 men exceptum (& sic dederit licentiam iudici sæculari illum extrahendi) posteà verò nouerit oppositum, v. g. reum commisisse crimen non exceptum, teneatur illum repetere, & iudex sæcularis teneatur illum restituere, vti rectè notarunt Regens Constantius in
5 supplicatione ad Paulum V. pro moderanda Bulla Gregorij XIV. *num.*70. Anton. de Marinis *resol. quotid. cap.*175. *num.*4. *& seqq.* Diana *part.*4. *tract.*1. *resol.*34. Et ratio est, quia non debet error vnius alteri præiudicare, præsertim reo, & Ecclesiæ, pro quorum fauore clamant omnia iura.

6 Idemque propter eandem rationem dicas, si Episcopus in iudicando errauerit in præiudicium Curiæ sæcularis, quod debeat similiter postea reum Curiæ sæculari tradere. Vnde non improbatur mihi, quod Farinac. *in append. de immunit. cap.*22. *num.*372. Gambacurta *lib.*6. *cap.*17. *num.*3. & Ciarlinius *in controuers. forens. cap.*116. *num.*68. docent, nempe, quod si lata
7 fuerit sententia iudicis Ecclesiastici, quod reus gaudeat, vel non gaudeat immunitate Ecclesiæ, possit iudex sæcularis, vel reus (si habeat satis sufficiens, & rationabile fundamentum appellandi) de tali sententia appellare; quidquid in contrarium sentiant Peregrinus *de immunit. cap.*16. *num.*33. & Diana *part.*3. *tract.*1. *resol.*38. & videri etiam poterit Guazzinus *de modo defend. reos, tom.*1. *defens.*1. *cap.*31. *num.*11. & Bonacina *de legibus, disp.*3. *quæst.*7. *punct.*7. *num.*11.

## SECTIO III.

### Altera difficultas, eiusque solutio.

### SVMMARIVM.

1 *Constitutio Gregoriana, quod non detur appellatio, non habet locum quando est satis sufficiens, & rationabile fundamentum appellandi, & sic non tollit, siue reo, siue fisco appellationem, quando notoriè, vel satis fundatè de latæ sententiæ iniustitia constat.*

OBiicies, in Constitutione Gregorij XIV. explicitè reo prohibetur appellatio, quapropter etiam prohibita implicitè censetur fisco, & actori, vt seruetur in iudicio æqualitas; quæ, si seruanda non esset, potius ad rei (cuius partes sunt fauorabiles) quàm ad fisci fauorem seruari non deberet; vt contra Gambacurtam, & Bonacinam *in locis supra cit.* docent Peregrinus, Ciarlinius, & Sperellus *in decision. for. Ecclesiast. decis.*65. *num.*2. *& seqq.* qui *num.*7. subdit, quod in dicto casu non solum denegari debeat fisco appellatio, sed etiam recursus, & affert pro se sacræ Congregationis immunitatis declarationem, die 6. Iunij 1619. & alteram die 15. Decembris 1634. & præterea responsionem Vrbani VIII. priuatim sibi datam (cuius iussu, inquit ipse, de Codice Gambacurtæ deleta fuit sententia contraria) & sic quod licet prohibita appellatione, non censeatur de iure communi prohibitus recursus (vti docet Minadous *decis.*27. & alij, quos citat & sequitur Martha *de iurisdict. part.*4. *centur.*1. *cas.*56. *num.*7.) id tamen non procedat in terminis Constitutionis Gregorij XIV.

Respondetur ex dictis, quod Constitutio Gregoriana non procedit, quando est satis sufficiens, & rationabile fundamentum appellandi, & sic non tollit, siue reo, siue fisco appellationem, quando notoriè, vel satis fundatè de latæ sententiæ iniustitia constat; quia clausula illa, *appellatione remota*, non prohibet appellationem à sententia notoriè iniusta, vt præter Doctores, quos citat, & sequitur Ciarlinius *loco supra citato*, *num.*69. docet Scaccia *de appellat. lib.*3. *capite* 2. *quæst.*16. *limitat.*1. *num.*84. & Gloritius *in cap. super literis, de rescript. num.*333. Vide etiam Franciscum Zipæum *lib.*3. *titul. de immunit. Ecclesiast. consil.*3. Vbi rectè etiam docet, quod quando iudex Ecclesiasticus ex præparatoriis informationibus, inaudito reo, declarauit immunitate eum non gaudere, possit reus appellare, idque probat ex ipsa Constitutione Gregorij XIV. 1

## DVBITATIO XLIII.

### An Iudex Ecclesiasticus obligatus sit in hac cognitione stare processui facto à iudice laico, vt possit reum remittere Curiæ sæculari?

## SECTIO I.

### Dubitationis Resolutio.

### SVMMARIVM.

1 *Iudex Ecclesiasticus non tenetur stare processui fabricato à iudice laico, vt possit reum remittere Curiæ sæculari.*

2 *Acta instructoria vnius iudicij non probant in alio; nisi fiant inter easdem personas, in iisdem causis, & ad eundem effectum.*

3 *Cui delegatur alicuius causa cognitio, prout in causa immunitatis delegatur Ordinario, ei delegatur facultas sumendi probationes pro tali cognitione.*

4 *Probationes, quæ fiunt sine citatione partis vim non habent.*

5 *Iudex sæcularis cum probationes facit de delinquentis delicto, Ecclesiam, vtpotè ei non subiectam, non citat, neque ipsum delinquentem.*

6 *Ampliatur nostra opinio negatiua, si vrgeat aliqua suspicio contra testes examinatos à iudice sæculari.*

7 *Episcopus si processus delinquentis factus fuerit antequam de immunitate ageretur, potest stare processui iudicis laici, non tamen tenetur.*

REspondetur negatiuè. Atque ita contra Giurbam *consil.*50. *n.*3. *& consil.*100. qui contrariũ tenet ex 1

Breui

Breui Clementis VIII. mox *infrà* adducendo) docent Farinacius *in append. de immunit. Eccles. cap.22. num.373. & in cit. consil.76. num.1. & 2. & cit. conf.168. num.26. & seqq.* Clar. §. *fin. q.30. vers. vltimo quæro*, Ambrosin. *de immunit. cap.11. num.3.* Scortia *Theor.* 386. Diana *part.4. tract.1. resol.112.* Peregrin. *de immunit. cap.3. num.2.* Mar. Italia *lib.1. cap.6. §.1. numero 79.* Ciarlinius *in controuers. forens. tom.1. cap.10. num.92.* Ægidius Trullench. *in Decalog. tom.1. lib.1. cap.11. dubit.6. num.4. & 5.* Guazzinus *com.1. defens.1. cap. 30. num.7. & 8.* Riccius *in praxi tom.2. resolut.285. num.3. & collect. 1792.* Bellettus *in disquis. Cler. part.1. tit. de fauore Cler. reali, §.4. num.50.* Vulpius *in prax. cap.3. num.22.* Naldus *verb. Ecclesia, numero 32.* Lezana *num.28.* & Bonacina *disp.23. quæst.7. punct.7. num.3.* Et probatur, quia acta instructoria vnius iudicij non probant in altero, nisi fiant inter easdem personas, in iisdem causis & ad eundem effectum, *cap. inter delictos, §. in omnibus, de fide instrument.* & docet gloss. *in cap.2. de ordine cognit.* & alij Doctores, quos citat, & sequitur Farinacius *in cit. conf.168. num.26. & seqq.* Sed forum sæculare respicit reum, vt sæculari iurisdictioni subiectum, & vt taliter pro delicto puniendum; forum verò Ecclesiasticum respicit Ecclesiæ immunitatem, quam defendat; quæ sunt causæ, & personæ diuersæ: ergo acta instructoria, seu probationes vnius iudicij non probant in altero. Vide Farinacium *cit. consil.76. in princip.* Clarum *in pract. crim. §. fin. quæst.36. numero 49.* & Grammaticum *conf.42. num.1.* qui propterea generaliter docent, quod regulariter Iudex Ecclesiasticus non teneatur stare processui facto per iudicem sæcularem; quamvis (vti notant Naldus & Lezana *locis suprà cit.*) possit ei stare, si prudenter credat legitimè esse factum, & se posse vti eo ad suam conscientiam informandam.

2 Secundò probatur, quia in Constitutione Gregorij XIV. conceditur Episcopo facultas cognoscendi, an delictum sit exceptum: ergo non tenetur stare probationibus iudicis sæcularis. Antecedens patet ex Gregoriana, ibi: *Cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi crimina superius expressa commi-*
3 *serint.* Consequentia probatur, quia cui delegatur alicuius causæ cognitio, eidem delegatur facultas sumendi probationes pro tali cognitione, sicuti probat Farinacius *dict. consil.76.* & Ambrosin. *dict. num.3.* & patet *ex cap. præterea, de offic. delegat.* & ibi gloss. *verb. delegatus*, & *l. vbi fabit*, & ibi gloss. *verb. Relationes*, *Cod. de falsis.* Quapropter poterit Episcopus sumere suas probationes, & non stare probationibus iudicis sæcularis, præcipuè cùm agatur de proprio interesse.

4 Tertiò probatur, quia probationes, quæ fiunt sine citatione partis, vim non habent, *cap. de testibus*;
5 sed iudex sæcularis, cùm probationes facit de delinquentis delicto, Ecclesiam (vtpotè sibi non subiectam non citat, quinimò sæpè neque citat ipsum delinquentem:) ergo contra immunitatem Ecclesiæ vim non habent.

6 Et hæc nostra negatiua responsio multò magis locum habet, si vrgeret (quod & concedit Giurba *in loco suprà cit.*) aliqua suspicio contra testes examinatos à iudice sæculari, vel dubius aliquo alio modo esset Episcopus (quod ferè semper contingit; cùm iudex laicus aduersarium agat, & nimio affectu vtplurimum protrahatur) quia tunc certum est, quod ille non teneatur stare processui facto à iudice sæculari, sed poterit, quin & debebit, maiorem diligentiam adhibere; curando scilicet examinari testes priores diligentiùs, vel alios de nouo pro informatione suæ conscientiæ examinari, sicuti rectè tradit, & testatur de praxi Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ Anton. Nouarius *in summa Bullarum, tit. de immunit. Eccles. num.81.*

7 Quapropter aduertat Episcopus, an formatus processus à iudice sæculari, formatus ille sit, antequam delinquens ad Ecclesiam confugerit, & sic antequam de immunitate tractaretur, vel postquam delinquens ad Ecclesiam confugerit, & sic causa immunitatis tractari cœperit: nam si formatus sit ante, quamvis Episcopus tunc non sit obligatus illi stare, ob rationes iam dictas; debet tamen quamprimum poterit, testes illos apud se examinare (si examinare velit, ac processui à iudice sæculari facto non stare; quod regulariter esse debet, & delinquentem iudici sæculari remittere, quia tunc non apparet suspicio falsi in processu; at si formatus sit, post suspicionem non leuem falsitatis, tunc processus valebit, eo quod formatus fuerit in causa propria, seu in defensionem proprij iuris, & diminutionem iurisdictionis Ecclesiasticæ. Vide quæ dicebantur *cap.10. dubit.1. sect.1. in fin.* & *dubit.9. per tot.* Vide etiam Farinacium *in append. de immunit. cap. vlt. num.375. & consil.76. & 79. lib.1. num.1. & 2. & conf.168. lib.2. num.16. & seqq.* Bonacina, Naldum, & Lezanam *in locis suprà cit.*

## SECTIO II.

### Difficultates in oppositum, earumque solutiones.

#### SVMMARIVM.

1 *Examinantur clausulæ Breuis Clementis VIII. ad Archiepiscopum Panormitanum directi.*

2 *Clausulæ (sit tibi summariè, simpliciter, extraiudicialiter, & quantum pro tuæ conscientiæ informatione sufficere tibi videbitur) videtur importare non plenam probationem.*

3 *Quod alicuius conscientiæ committitur, non dicitur commissio iudicialis, sed conscientialis.*

4 *Commissio est exequenda secundum veritatem, & satis est si iure gentium sustineatur.*

5 *Ex dicta commissione sufficit qualitercumque inquirere, ac probationem ipsi soli, cui est demandata, concludere.*

6 *Talis Commissarius habet iure ordinario solum Deum cognitorem, & iudicem.*

7 *Item sequi potest animi sui proprium motum sola naturali æquitate moderatum.*

8 *Item potest Episcopus vti Iudicis laici processu, qui in foro Ecclesiastico facit probationem extraiudicialem.*

9 *Ecclesiastica, & ciuilis iurisdictio adinuicem iuuare se debent, cum sint adinuicem confœderatæ.*

10 *Bannitus à iudice sæculari, pro Bannito etiam habetur ab Ecclesiastico.*

11 *Ex Breui Clementis VIII. citato non sequitur quod Episcopus teneatur stare processui facto à iudice sæculari, sed tantum quod tollatur longinquitas temporis.*

12 *Clausulæ dicti Breuis (summariè, simpliciter, & extraiudicialiter, seu de plano) non excludunt concludentem probationem, sed excludunt solum modum probandi.*

13 *In casu dicti Breuis constabit de delicto, & tantum difficultas erat, an illi gauderent Ecclesia immunitate, & ideo Clemens VIII. ne videretur approbare processum iudicis sæcularis, dispensauit in illo casu particulari.*

14 *Quod statuitur à Principe per epistolam, ad consultationem priuatorum, publici iuris vim obtinet, secus quando fuit pro vno casu laicali tantum.*

15 *Tale Breue, tanquam lex localis, & particularis, non ligat extra illum locum, & illum casum.*

16 *Regula (quod Principi placuit, legis habet vigorem) procedit quando Princeps habuit animum legem condendi, & facit publicare.*

17 *Tale Breue Clementis VIII. licet esset generale, & generaliter obligaret, non tollit tamen constitutionem Gregorianam, quæ requirit concludentem probationem.*

18 *Clausulæ (summariè, & extraiudicialiter, & quantum pro sua conscientia informatione sufficere videbitur) tollunt solum iuris solennitates, & apices, non item veras, plenas, & concludentes probationes.*

19 *Clausulæ recensitæ non efficiunt, quod ius gentium, vel naturæ seruandum non sit.*

20 *Episcopus pro informatione suæ conscientiæ non potest quid sufficienter habere, nisi habeat probationem veram, plenam, & concludentem.*

1 OBiicies Breue Clementis VIII. ad Archiepiscopum Panormitanum die 6. Febr. 1597. directum in illis verbis: *Sit tibi summariè, simpliciter, extraiudicialiter, & quantum pro tuæ conscientiæ informatione sufficere tibi videbitur*, (quod Breue ad literam refert Genuensis *in prax. Archiepiscop. cap.*94. & Farinac. *consil.*168. *lib.*2. *addit.*1.) Ergo cùm summus Pontifex ex dictis verbis contentus sit extraiudiciali probatione (quod insinuat non solum dictio illa *extraiudicialiter*, sed etiam clausula: *Quantum pro tuæ conscientiæ informatione*, &c. quia cùm quid alicuius conscientiæ committitur, non dicitur commissio iudicialis, sed conscientialis. Baldus *in l. certum, Cod. vnde leg. num.*7. *in fin.* Roman. *num.*25. Franch. *in cap. statutum, §. assessorem, de rescript. in* 6. *num.*6. Et propterea non requiritur cognitio. Lapus *alleg.*60.*n.*4.

2

3

4 Est enim commissio exequenda secundum veritatem, & satis est, si iure gentium sustineatur. Baldus *in l.*2. *Cod. de fideicommiss. num.*2. Franch. *loco suprà cit.* Et

5 sufficit qualitercumque inquirere, ac probationem ipsi soli, cui est demandata, concludere. Franch. *ibid.*

6 & Felin. *in cap.*1. *de constitut. num.*51. *propè fin.* Et habet is iure ordinario solum Deum cognitorem, & iudicem: gloss. *in cit. §. assessorem, verb. relinquitur*, Franch. *num.*6. & Abb. *in cap. super his, de accusat.*

7 *num.* 16. Et tandem sequi potest animi sui proprium motum sola naturali æquitate moderatum: Mandosius *addit. vlt. ad allegat.* 15. *Lapi.*) poterit Episco-

8 pus Iudicis laici processui (qui in foro Ecclesiastico facit probationem extraiudicialem, Dec. *in cap. at si clerici, num.*90. *de iudiciis*, & meritò; quia Ecclesiastica, & ciuilis iurisdictio adinuicem iuuare se debent, cùm sint adinuicem confœderatæ: quapropter Bannitus à iudice sæculari, pro Bannito etiam

9 habetur ab Ecclesiastico, vt bene per Alciatum *in*

10 *cap.*1.*n.*121. *de offic. ordin.*) stare, & acquiescere, maximè cùm ex personarum grauitate fides videatur testibus adhibenda; vel si ex tempore exceptarum probationum videatur suspicio tolli; vel si exhibeatur processus, immunitatis controuersia nondum orta, formatus; quamvis secus, si formatus fuerit posteà, vti suprà cum Farinacio dicebamus.

11 Respondetur, ex dictis verbis Breuis Clementis VIII. non sequi, quod Episcopus teneatur stare processui facto à iudice sæculari; neque sequi (vt rectè ex multis notauit Nouarius *in loco suprà cit.*) quod tollatur substantia probationis, sed tantum quod tollatur longinquitas temporis, cùm ly *summariè, simpliciter, & extraiudicialiter, seu de plano*, non excludant con- 12
cludentem probationem, sed excludant solùm modum probandi.

Adde quod in tali casu Breuis Clementis VIII. 13
planè constabat de delicto, & tantum difficultas erat, an illi gauderent Ecclesiæ immunitate, & ideò Clemens VIII. ne videretur approbare processum Iudicis sæcularis, dispensauit in illo casu particulari, vt Archiepiscopus Panormitanus traderet aliquos ex illis reos Curiæ sæculari cum summaria, simplici, & extraiudiciali informatione tantum; quod ad alios casus, vt faciat regulam generalem, trahendum non est: satis enim ex ipso contextu dignoscitur, dictum Breue datum fuisse in illa causa Panormitana ex rationabilibus causis animum Papæ mouentibus, & cum clausulis derogatoriis ad Constitutionem Gregorianam, & alias iuris Constitutiones; præsertim quia tractabatur de crimine assassinij, quod propter grauitatem, & enormitatem suam habet multa specialia, iuxta textum *in cap.*1.*de homicid. in* 6. & ex communi tradit Mascardus *concl.*137.

Instabis, ita declarauit sacra Congregatio; ergo, sic Giurba *loco suprà cit.*

Respondetur dupliciter etiam, *vt suprà*; præsertim quia talis ordo emanauit à Pontifice, media Congregatione ipsum repræsentante.

Vrgebis; quod statuit Princeps per epistolam ad 14
consultationem priuatorum, publici iuris vim obtinet, *l.*1. *ff. de constitut. Princip. &* §. *sed & quod Principi placuit, Institut. de iur. natur. gent. & ciuil.* & docet gloss. *in cap. ex tua, de fil. presbyt.* Abb. *in cap. Pastoralis, de except. num.*1. *not.*1. & Felin. *in cap.* 1. *de constit. num.*17 ergo dictum Breue, seu Epistola Pontificis dicenda est, quod sit edita, tanquam lex ad declarationem Bullæ Gregorij XIV.

Respondetur cum Ciarlinio *in cit. cap.*10. *num.*92. *& seqq.* nego consequentiam; quia dictum Breue fuit locale pro ciuitate Panormi; & pro illo casu tantum; nec voluit Pontifex in illo Breui concedere legem generalem; quod apparet, quia dirigitur ad Archiepiscopum illius Ciuitatis, vt videre est ex inscriptione, quæ ait: *Venerabili fratri Archiepiscopo Panormi Clemens VIII.* Et sic solum deservit pro illo casu, pro quo Papa fuit requisitus, vti colligitur ex illis verbis: *Supplicando, vt quid in huiusmodi causa faciendum sit, tibi præscribere dignaremur.* Quapro- 15
pter tale Breue, tanquam lex localis, & particularis non ligat extra illum locum, & illum casum, vt rectè dixit Farinacius *in append. de immunit. cap.*22. *num.*351. & Peregrin. *cap.*11. *num.*10. *& seqq.* quia si voluisset Pontifex per illud facere legem generalem, fecisset illud Romæ publicari, sicuti fieri solet, cùm publicatio sit de essentia legis. Et quamvis quod 16
placet Principi, etiam per epistolam, vim legis habeat (vt dixit etiam Mar. Ital. *de immunit. lib.* 1. *cap.*5. §.4. *num.*6.) id tamen procedit, quando Princeps habuit animum legem condendi, & fecit publicari, vt modo suprà dicebam, & docent Farinac. & Peregrin. *in locis suprà cit.* Adde, quod licet tale Breue Clementis VIII. sit generale, & generaliter 17
obliget, non tamen (vt suprà etiam dicebam) tollit Constitutionem Gregorij XIV. quæ requirit veram, & concludentem probationem, & sic non efficit, quin necessaria sit plena probatio: licet enim in dicto Breui dicatur, posse Episcopum se informare summariè, & extraiudicialiter, & quantum 18
pro suæ conscientiæ informatione sufficere videbitur, hæc tamen verba tollunt solum iuris solennitates, & 19
apices, non item veras, plenas, & concludentes probationes; ita vt ius gentium, vel naturæ (iuxta quod in ore duorum vel trium stat omne verbum, *l. vbi*

*numerus*

*numerus, ff. de testibus, & cap. si quis testes, §. vbi* 1. *quæst.* 3. & tradunt Cephal. *consil.* 651. Mascard. *de probat. in præfat. quæst.* 5. *num.* 117. & Farinac. *quæst.* 63. *num.* 232.) seruandum non sit, sicuti rectè docent etiam Ozascus *decis.* 1. *num.* 1. & 15. Farinac. *quæst.* 25. *num.* 68. & *cit. q.* 63. *num.* 13. & Martha *claus.* 160. *numero* 10. *part.* 1. Quapropter non poterit Episcopus pro informatione suæ conscientiæ quid sufficienter habere, nisi habeat probationem veram, plenam, & concludentem, quam omnia iura requirunt; præsertim, si tractetur de præiudicio rei, & Ecclesiæ, quorum partes sunt valdè fauorabiles.

## DVBITATIO XLIV.

An iudex Ecclesiasticus obligatus sit in hac cognitione citare reum, vt possit illum remittere Curiæ sæculari.

### SECTIO I.

### Dubitationis Resolutio.

#### SVMMARIVM.

1 *Iudex Ecclesiasticus cum hac cognitione tenetur citare Ecclesiam, seu nomine Ecclesiæ defendere, cum directè de eius præiudicio agatur.*
2 *Item tenetur citare reum, cum non possit inuitus ab Ecclesia à Prælato Ecclesiastico extrahi.*
3 *Reus potest extrahenti resistere, & extractus iam agere vt Ecclesiæ restituatur.*
4 *Iudex Ecclesiasticus sine citatione delinquentis non potest illum remittere Curiæ sæculari.*
5 *Quotiescumque directè agitur de præiudicio alicuius, agitur de præiudicio eiusdem ad ipsum condemnandum.*

1 DIxi, *an obligatus sit citare reum*; quia quod obligatus sit citare Ecclesiam, seu nomine Ecclesiæ promotorem fiscalem, ad quem spectat iura Ecclesiæ defendere, indubitatum videtur: cùm directè de eius præiudicio agatur, *l. de vnoquoque, ff. de re iudicata, l. nam ita Diuus, ff. de adoption. & cap.* 2. *de testibus*, & docet Farinac. *in cons.* 168. *num.* 42. *& in append. de immunit. cap. vlt. in fin.* Hoc posito.

2 Respondetur affirmatiuè. Atque ita contra Remigium Gonny *de immunit. Eccles. q.* 2. *num.* 3. & 11. Gratianum *disp.* 596. *num.* 26. Giurbam *cons.* 100. *de immunit. num.* 28. & Antonium Nouarium *in summa Bullarum, tit. de immunitat. Eccles. num.* 96. (vbi pro sua sententia testatur de praxi Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ, & citat Merlinum in controuersiis forensibus) docent Doctores, quos citat, & sequitur Farinacius *in appendice, cap.* 22. *num.* 376. *& consil.* 168. *num.* 48. Peregrin. *de immunit. Eccles. cap.* 3. *num.* 9. *& seqq.* Bonac. *tom.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 7. *punct.* 7. *numero* 10. & Diana *part.* 4. *tract.* 1. *resol.* 112. & probatur; quia priuilegium immunitatis, quamvis competat primo, & per se Ecclesiæ, competit tamen immediatè, directè, & per se etiam delinquenti; cùm ipse non possit inuitus ex Ecclesia à Prælato Ecclesiastico extrahi (vt tradit etiam Gambacurta *lib.* 4. *cap.* 22. *numero* 16.) quin & possit (*vt suprà dubit.* 25. *sect.* 1. *dubitat.* 26. *&* 32. dicebam) extrahenti resi-
3 stere, & extractus iam agere, vt Ecclesiæ restituatur;
4 ergo sine citatione delinquentis non potest Iudex Ecclesiasticus illum remittere Curiæ sæculari. Consequentia probatur; quia quotiescumque directè agitur de præiudicio alicuius, requiritur citatio eiusdem ad ipsum condemnandum. 5

### SECTIO II.

### Difficultates in oppositum, earumque solutiones.

#### SVMMARIVM.

1 *Priuilegium immunitatis competit primò & per se Ecclesia, necnon competit immediatè, directè, & per se etiam reo.*
2 *Priuilegium immunitatis potius dicendum est competere reo, quàm Ecclesiæ, cum Ecclesiæ intuitu ei concedatur, & homo capax sit beneficij.*
3 *Citatio delinquentis non videtur necessaria quotiescumque probatio fit ad iudicis instructionem, si simus in causis Tertio non præiudicantibus, alias secus.*
4 *In crimine assassinij ad excommunicationem, depositionem, vel aliam censuram ferendam requiritur etiam partis citatio.*
5 *In crimine assassinij ad ferendam sententiam sufficiunt probabilia argumenta; quæ tamen in casu immunitatis non sufficiunt.*
6 *Ferre sententiam sine Partis citatione est contra ius naturale, nec potest consuetudine aliqua firmari.*
7 *Reus si sponte compareat non citatus, petatque audiri pro sui iuris defensione, audire debet, & quoties que audiatur, opponere potest sententiæ Ordinarij declaranti immunitatem ipsi non competere.*

OBiicies, priuilegium immunitatis competit primò, & per se Ecclesiæ; reo autem competit tantùm in consequentiam (vti docent Couar. 2. *var. capite* 20. *num.* 11. & Decian. *tract. crimin. lib.* 6. *cap.* 29. *num.* 1. *in fine.*) Ergo non est, cur citetur reus. Consequentia probatur, quia quotiescumque priuilegium alicui competit in consequentiam, & non immediatè, seu directè, & per se, non debet is citari, sed sufficit, si citetur principalis. 1

Respondetur, concedo priorem partem antecedentis, quod scilicet priuilegium immunitatis competat primò, & per se Ecclesiæ; at nego posteriorem partem illius, quod scilicet competat tantum delinquenti in consequentiam, & non immediatè, directè, & per se etiam, vti suprà dicebam. Quinimò dicendum est, quod potius competat delinquenti, intuitu tamen Ecclesiæ; cùm non Ecclesia, quæ est res inanimata, capax beneficij sit, sed potius homo, in honorem tamen, & reuerentiam Ecclesiæ. 2

Obiicies secundò, probatio, an delictum sit exceptum, fit ad instructionem Iudicis (cùm ipsi tantum id constare debeat, vt possit delinquentem remittere Curiæ sæculari, & patet ex Constitutione Gregorij XIV. ibi: *Cognito prius per Episcopum, an vere supradicta crimina commiserint*: & quia nullibi ab illa requiritur, vt parti etiam constet.) Ergo non est, cur delinquens citetur. Consequentia probatur, quia quotiescumque probatio fit ad iudicis instructionem, non videtur necessaria citatio delinquentis: ita Innocent. Bart. & Bald. quos citat Farinacius *in cit. cons.* 168. *num.* 48.

Respondetur, concedo antecedens; at nego consequentiam: & ad probationem respondeo distin- 3

guendo : non videtur necessaria citatio delinquentis, quotiescumque probatio fit ad iudicis instructionem, si simus in causis tertio non præiudicantibus concedo : si simus in causis tertio præiudicantibus, ( vt in casu nostro ) nego. Neque obstat, quod soli iudici dicatur debere de veritate constare ; quia id dicitur, quia probatio ( quamvis citetur pars, *cap. statuimus, §. cùm verò, de rescriptis in 6.* ) fit iudici, & non parti, etsi constando Iudici, ex consequentia etiam constet & parti.

Obiicies tertiò, in crimine assassinij ad excommunicationem, depositionem vel aliam censuram ferendam, non videtur necessaria citatio partis. Hostiens. *in cap. vnic. de homicid. in 6. num.37. verb. Constiterit*, & *ibi* Ioan. Andr. & Geminian. Ergo neque necessaria est in casu nostro ; cùm hic de minori præiudicio delinquentis agatur.

4 Respondetur, nego antecedens, quia licet ad condemnationem ibi argumenta probabilia sufficiant, hæc tamen plenè, & in forma iudicij probari debent, & consequenter cum citatione partis.

5 Respondetur secundò, transeat antecedens : at nego consequentiam, & disparitas est, quia in crimine assassinij ( cum propter grauitatem suam habeat multa specialia, *cap.1. de homicid. in 6.* & ex communi tradit Mascard. *concl.137.* ) ad ferendam sententiam sufficiunt probabilia argumenta, quæ tamen in casu immunitatis non sufficiunt, cùm verè, plenè, & perfectè de delicto excepto constare debeat, vt suprà dicebamus.

6 Obiicies quartò, videtur receptum, vt informationes fiant secretè, sine citatione partis: ergo.

Respondetur, nego antecedens. Et esto, ita alicubi receptum sit, abrogari id deberet, vtpotè contra-
7 rium iuri naturali. Quinimò addo,quod si reus sponte compareat non citatus, petatque audiri pro sui iuris defensione, audiri debeat, & quousque audiatur, opponere possit sententiæ Ordinarij declarantis immunitatem ipsi non competere ; quia agitur de eius præiudicio, & ex alio capite de iure naturæ ipsi competit, se posse defendere, & iudici defensiones ipsius admittere. Vide Farinac. *cit. conf.168. num.61. & 62.* & Peregrinum *cit. cap.3.*

## SECTIO III.

### An testes examinati in processu informatiuo sint postea repetendi, & quomodo ?

#### SVMMARIVM.

1 *Testes examinati in processu informatiuo sunt postea repetendi citato, & audito fisco Ecclesiastico, & ipso reo, nisi forsan habeantur pro repetitis.*
2 *Repetitio testium multùm Ecclesiæ, & reo, cum rei veritate potest prodesse.*
3 *Solus processus informatiuus non facit fidem, cum testes examinati, parte non citata, non probent, nec faciant indicium etiam in criminalibus.*
4 *Testes non obstat, quod deponant super crimine, licet non sint repetiti.*
5 *Ratio Guazzini, quod scilicet in criminalibus exceptis, parte non citata, patitur difficultatem.*

1 EX dictis sequitur, quod testes examinati in processu informatiuo, sint posteà repetendi, citato, & audito fisco Ecclesiastico, & ipso reo, nisi forsan habeantur pro repetitis. Atque ita in terminis contra Guazzinum *tom.1. defens. cap.31. num.* 19. docet Ciarlinius *in controuers. forens. cap.10. num.* 150. & meritò ; quia repetitio testium multum Ecclesiæ, & 2
reo cum rei veritate prodesse potest ; cùm testes repetiti sæpè dictis suis quid addant, vel minuant, vel alio modo se declarent, ita vt quod prius Ecclesiæ, & reo noxium erat, incipiat esse vtile, & profi-
cuum ; tum quia solus processus informatiuus non fa- 3
cit fidem, cùm testes examinati, parte non citata, non probent, nec faciant indicium, etiam in criminalibus, vt docent Farinac. *quæst.72. num.87.* & ipse etiam Guazzinus *defens.24. cap.9.*

Neque obstat, quod dicunt idem Guazzinus *cit. de-* 4
*fens.1. cap.30.* & Giurba *consil.50.* sufficere in nostro casu, quod testes deponant super crimine, licet non sint repetiti ; quia ratio Guazzini, quod scilicet in cri- 5
minibus exceptis probent testes parte non citata (præterquam quod Doctores per eum allegati loquuntur solum in crimine assassinij, & læsæ Maiestatis, quæ propter grauitatem suam habent multa specialia, vt supra dicebam ) patitur difficultatem ; cùm multi alij teneant, etiam in dictis criminibus requiri citationem, vt per Farinacium *q. 72. num.87.* Mascardum *concl.137.* & etiam eundem Guazzinum *cit. defens.24. cap.9.* videre est.

## DVBITATIO XLV.

### Qualiternam Iudex Ecclesiasticus obligatus sit in hac cognitione procedere ?

#### SVMMARIVM.

1 *Obligatio libelli, & litis contestatio non videtur necessaria in hac cognitione.*
2 *Obligatio libelli, & litis contestatio non est necessaria quando agitur ad cognitionem qualitatis delicti, & non ad pœnam illius.*
3 *Idem procedit quando agitur ex officio, & nullo accusatore interueniente, maximè quando decisio committitur arbitrio, & cum clausula ( summariè. )*
4 *Iudex Ecclesiasticus in casu supradicto tenetur reo, & Ecclesiæ concedere dilationes, quæ vt iura sua defendat, necessariæ sibi visæ fuerint.*
5 *Iudex Ecclesiasticus in tali cognitione facienda, non potest denegare dilationes ad probandum, cum id sit de iure naturæ, & alias delictum non esset plenè probatum.*
6 *Item tenetur fabricatum processum publicare, ne reo, & Ecclesiæ defensio, & allegandi si quid habeat in sui iuris fauorem, potestas tollatur.*

RESpondetur, non videri necessarium, quod 1
procedat libellum exhibendo, & litem con- 2
testando, quia agitur ad cognitionem qualitatis 3
delicti, & non ad pœnam illius ; tum quia agitur ex officio, & nullo accusatore interueniente ; tum quia committitur arbitrio Episcopi huius causæ decisio ; tum quia potest summariè, & extra ordinem iuris hæc causa tractari : ergo, &c. Consequentia probatur, quia in his omnibus non requiritur libellus, & litis contestatio, vt ex communi tradunt Menoch. *de arbitr. quæst.18.* & Farinacius *cit. consil. 168. numero 63.* Tenetur tamen iudex Eccle- 4
siasticus reo, & Ecclesiæ concedere dilationes, quæ vt iura sua defendant, necessariæ sibi visæ fuerint, quia etsi eius iudicio & arbitrio delicti probatio commissa

5 commissa sit, non tamen propterea tollitur, quin teneatur dictas dilationes concedere, cùm id sit de iure naturæ, & aliàs delictum non esset plenè probatum. Atque ita docent Farinac. *loco supràcit. num.*64. Speculat. *in titul. de offic. omn. iudic. §. fin. num.*18. & Ciarli-
6 nius *in controu. forens. cap.*10. *num.*151. contra Giurbam *consil.*50. *num.*5. Tenetur etiam Iudex Ecclesiasticus, cùm processum fecerit, illum publicare, ne reo, & Ecclesiæ defensio, & allegandi, si quid habeat in sui iuris fauorem, potestas tollatur. Vide Doctores, quos citat, & sequitur Farinac. *loc. supràcit.*

## DVBITATIO XLVI.

An in dubio, quod delictum sit exceptum possit iudex Ecclesiasticus iudicare, quod reus non gaudeat, sed priuetur immunitate?

### SVMMARIVM.

1 *In dubio amplectenda est ea opinio, quæ magis fauet Ecclesiæ, & reo etiam in casu priuilegij immunitatis.*

2 *Episcopus in omni casu dubio consulere debet Pontificem.*

3 *Episcopus tradens indebitè reum Curiæ sæculari præter peccatum mortale sacrilegij, & iniustitiæ, & sic damnorum obligationem, si reus morte puniatur, incidit etiam in irregularitatem.*

1 REspondetur negatiuè; quia (vt per se patet, & supra dicebam *dub.*37. *sect.*1. *num.*27.) in dubio ea opinio tenenda est, quæ magis fauet Ecclesiæ, & reo. Atque ita in terminis casus dubij de immunitate Ecclesiæ docent Farinac. *in append. cap.*8. *n.*123. *in fin.* Maranta *part.*2. *respons.*36. *n.*11. & *respons.*51. *num.*12. Giurba *consil.*10. *n.*25. *in fin.* & Sperellus *decis.*60. *n.*13.
2 Vide etiam Guazzinum *defens.*10. *n.*20. vbi rectè ait, quod Episcopus in omni casu dubio consulere debeat Pontificem.
3 Cæterùm Episcopus, si reum Curiæ sæculari tradit in casu, quo debet ille gaudere, præter peccatum mortale, sacrilegij, ac iniustitiæ, & sic damnorum obligationem, & irregularitatem (si reus ad mortem damnatur) incurret; quia in casibus non exceptis nullam potestatem in reum habet, & consequenter, si tunc Curiæ sæculari eum tradit, reo, & Ecclesiæ iniuriam maximam infert contra virtutem iustitiæ, & religionis. Vide Nouarium *in summ. Bullar. tit. de immunit. num.*31.

## DVBITATIO XLVII.

Ad quemnam iudicem spectet cognitio, si captus à satellitibus, affirmet, se captum fuisse in loco sacro, illi autem negent?

### SVMMARIVM.

1 *Cognitio controuersiæ rei capti, & satellitum capientium asserentium contra rei depositionem se non executos capturam in loco sacro, spectat ad iudicem Ecclesiasticum.*

2 *Accessorium sequitur naturam sui principalis.*

3 *Reus si captus à iudice laico alleget clericatum, de hoc cognoscere spectat ad iudicem Ecclesiasticum.*

4 *Melior est conditio possidentis quando sumus in dubio, & cætera sunt paria.*

5 *In casu posito iudex Ecclesiasticus non debet facile credere satellitibus, quia agitur de graui præiudicio tertij, & ideo est cauendum hac de re diligenter.*

6 *Per iudicem Ecclesiasticum hic intelligitur Episcopus, & non Prælatus regularis.*

REspondetur, quod spectet ad iudicem Ecclesiasticum. Atque ita docent Farinacius *in append. cap.*2. *num.*54. Gambacurta *lib.*4. *cap.*22. *num.*25. Peregrinus *in tract. de immunit. Eccles. cap.*13. *num.*18. Antonius Nouarius *in summa Bullarum, titul. de immunit. num.*95. & Marius Italia *lib.*1. *cap.*6. §.2. *n.*100. *& seqq.* Et probatur, quia ad iudicem Ecclesiasticum spectat cognoscere causas immunitatis principales, vtpotè Ecclesiasticas, & spirituales: ergo ad eumdem spectabit cognoscere alia ad illas concernentia; quia accessorium sequitur naturam sui principalis, *cap.* 2
*accessorium, de regul. iuris in* 6. Quapropter *in cap. si iudex, de sententia excommunic. in* 6. deciditur, quod 3
si reus captus à iudice laico, dicit se esse clericum, huius rei cognitio spectet ad iudicem Ecclesiasticum: qua de re tamen nos dicebamus *cap.*4. *dub.*25. *vsque ad* 30.

Dices, reus est in possessione iudicis laici: ergo cognitio spectat ad iudicem laicum, consequentia probatur, quia melior est conditio possidentis.

Respondetur, concedo antecedens; at nego conse- 4
quentiam, & ad probationem eius respondeo, quod melior est conditio possidentis, si sumus in dubio, & cætera sint paria, (quod non est in casu nostro, vt dicebamus.) Vnde *in cit. cap. si iudex*, licet reus sit in manibus iudicis sæcularis, deciditur tamen, quod cognitio de clericatu spectet ad iudicem Ecclesiasticum.

Aduerte tamen hic cum Doctoribus (quos citat, 5
& sequitur Tuschus *verb. Ecclesia, conclus.*10. *num.*17. Farinac. *in append. cap.*2. *num.*44. Mar. Italia *de immunit. lib.*1. *cap.*6. §.2. *num.*98. Decianus *in tract. crim. tom.*2. *lib.*6. *cap.*29. *num.*10.) quod in casu posito non debeat iudex Ecclesiasticus de facili credere satellitibus, seu birruariis affirmantibus; quia agitur de graui præiudicio tertij, & de graui præiudicio loci sacri, quorum partes sunt valde fauorabiles, quamvis debeat prudenter attendere verba illorum, & considerare omnes circumstantias, & secundùm illas se regulare, & rem exequi; siquidem in obscuris, quod verisimile est, ex coniecturis inspici solet, *l. in obscuris, ff. de regul. iur.* huiusmodi verò coniecturæ desumuntur primò, si omnes sallites id affirment, præsertim ipsorum dux, seu vulgò dictus Capitaneus. Secundò, si satellites reum acceperint, non accepto pretio, vel mercede. Tertiò, si alij etiam affirment reum captum fuisse in loco non sacro.

Aduerte secundò, quod etiam in dubio, an reus in loco sacro, vel prophano captus sit, spectet ad Episcopum, & non ad alios Prælatos regulares id de- 6
cidere, provt ex Peregrino, Correa, & aliis tradit Barbosa *de iure Eccles. lib.*2. *cap.*3. *numero* 15. *& sequentibus.*

## DVBITATIO XLVIII.

An reus ad locum sacrum confugiens, in casibus non exceptis, expelli inde possit, & debeat?

### SVMMARIVM.

1 *Reus confugiens ad locum sacrum in casibus non exceptis non potest inde expelli.*

2 & 3. *Qui dat immunitatem alicui loco dat etiam cuilibet ius confugiendi ad illum locum, quapropter qui eum expellit, priuat eum iure suo, & grauiter peccat contra iustitiam: idem dic de impedientibus ne recipiatur.*

4 *Reus non est expellendus à loco immuni prætextu, quod alibi possit se recipere, quia habet ius ad quem maluerit locum sacrum.*

5 *Clerici, & Regulares non possunt expellere confugientes ad suos Conuentus, & domos, etiam reiiciendo illos ad Ecclesiam, quia in Ecclesia naturæ necessaria ministrare non licet.*

6 *Reus non seruans debitam reuerentiam Ecclesiæ, vt in ea cibum sumens, & quid simile, potest cum violentia ad loca circumiacentia immunia impelli, si renuat obedire.*

7 *Reus turbans quietem, inficiens disciplinam Regularem, vel indecenter se gerens, potest expelli etiam à domibus, & Conuentibus ipsorum.*

8 *Quod conceditur in fauorem, non debet in dispendium retorqueri.*

1 REspondetur negatiuè, quin debet eius defensio suscipi, *cap.miror, cap.reum, cap.id constituimus, cap. definit, cap.sicuti antiquitus, 17.quæst.4.cap.de raptorib.36. quæst.1.cap.inter alia, de immunit.Eccles. & l.præsenti, C.* 2 *de his, qui ad Eccles. confug.* Et ratio est, quia qui dat immunitatem alicui loco, dat etiam cuilibet ius confugiendi ad illum locum: quapropter qui eum expellit, priuat eum iure suo, atque adeò grauiter peccat con- 3 tra iustitiam: quod extendendum etiam est ad omnes, qui quomodocumque impediunt, ne reus recipiatur in loco immuni, quia impediunt ius confugientis in re graui.

4 Neque obstat, quod reus possit confugere ad alium locum immunem (qua ratione nonnulli reum expellunt, vel non recipiunt) quia cum omnis locus sacer sit immunis, reus ius habet confugiendi ad omnem talem locum, itavt è nullo possit expelli, vel impediri, quod ibi recipiatur, sed sit in potestate ipsius eligere quemcunque locum voluerit, cùm quilibet sit ipsi concessus, ad quem possit confugere.

5 Hinc sequitur, quod clerici, & Regulares non possint expellere reum à domibus, vel conuentibus immunitate gaudentibus, etiam reiiciendo illum ad Ecclesiam; quia cùm dictæ domus, vel conuentus immunitate gaudeant, habet ius confugiendi non solum ad Ecclesiam, sed etiam ad dictas domus, & conuentus, quo iure non potest priuati, cùm quod est concessum à superiori non possit auferri ab inferiori, præsertim quia ob reuerentiam Ecclesiæ non potest in illa exercere quædam, quæ sunt ad vitæ conseruationem necessaria, vt cibum capere, dormire, & similia: quapropter ad hæc exercenda concedi debet ipsi alius locus: ob quam causam Imperatores concesserunt certum spatium extra Ecclesiam, in quo reus hæc exercere possit, sicuti constat *ex l.pateant, C.de his, qui ad Eccles. confug.* & notat Rittherusius *de iure asyl. cap.7.num.7.*

6 Quod si reus non seruet debitam reuerentiam Ecclesiæ, vt si in illa cibum sumat, dormiat, aut quid simile gerat, moneri debet à clericis, quod ad hæc præstanda extra Ecclesiam, v. g. ad circumiacentia loca immunia se conferat, itavt si renuat obedire, etiam cum violentia ad id cogi possit, *cit.l.pateant, §.proinde*; quia vt ibi dicitur, *præferenda humanitati religio est*: & cùm spectet ad clericos cura Ecclesiarum, ad ipsos etiam spectabit impedire, ne Ecclesiæ indecenter tractentur. Nouarius *in summ.Bullar. tit. de immunit.n.40.* asserens ita declarasse S. Congregationem, & Farinac. *de immunit. c.2.n.40.*

7 Quin, si reus indecenter in domibus, conuentibus, vel aliis locis immunibus se gerat, v.g.turbat quietem, vel inficit disciplinam regularem, expelli licitè ex illis potest; quia cùm immunitas sit priuilegium loci, non debet redundare in detrimentum loci, & eorum qui 8 sunt in loco, siquidem quod conceditur in fauorem, non debet in dispendium retorqueri, *cap. quod ob gratiam, de regul. iur. in 6.* quapropter tunc prævalet ius illorum conseruandi propria loca cum debita quiete, præsertim cùm tale ius sit naturale, & primæuum: & cùm reus confugiat ad illa vt protegendus, & sic vt supplex, & protectionem implorans: quapropter si taliter se non gerat, indignum se reddit protectione.

## DVBITATIO XLIX.

An si laicus delinquat in loco sacro, possit iudex Ecclesiasticus cognoscere de delicto, & delinquentem sæcularem punire.

### SVMMARIVM.

1 *Iudex Ecclesiasticus cognoscere, & punire potest simpliciter, etiamsi delictum in loco sacro commissum non sit Ecclesiasticum, sed saculare, & à seculari commissum.*

2 *Delictum in loco sacro commissum ratione loci sacri, in quo est commissum, sortitur naturam mixti fori, & datur locus præuentioni.*

REspondetur, quod (quamvis Olibanus *de iure fisci, cap.11.n.7. & seqq.* & Anton. Ripol. *de iurisdict.omn.iud.c.1.n.170.* asserant, quod iudex Ecclesiasti- 1 cus, si habet iurisdictionem, & territorium in rebus sæcularibus, possit cognoscere per sæculares de delicto intra locum sacrum à sæculari commisso, & delinquentem illum punire ex eo, quia ad dominum habentem omnem iurisdictionem, & imperium in ciuitate pertinet cognitio, & punitio sæcularis delinquentis intra Ecclesiam; secus si talem iurisdictionem non habeat) tamen dicendum sit, quod cognoscere, & punire possit simpliciter, etiamsi delictum in loco sacro commissum, non sit Ecclesiasticum, sed sæculare, & à sæculari commissum. Et probatur (vnde patet respõsio ad fundamentum aduersariorum) quia (vt supra dicebam) delictum in loco sacro commissum, ratione loci sacri, in quo est cõmissum, sortitur naturam mixti fori, cùm propterea induat naturam sacrilegij, quapropter in tali casu vterque iudex, tam sæcularis, quàm Ecclesiasticus, cognos- 2 cere, & punire poterit: itavt detur locus præuentioni, & sic punire possit is iudex, qui in captura præuenit: atque ita docent Doctores, quos refert, & sequitur Farinac. *in append. de immunit. Eccles. cap.16.num.236.* Vide etiam, quæ dicebantur *c.10. dub.6. sect.1. & seqq.*

CAPVT

# CAPVT XVII.

## *De bonis Ecclesiasticis non alienandis.*

## DVBITATIO I.

An, & quomodo violetur immunitas Ecclesiastica per alienationem bonorum Ecclesiasticorum?

### SVMMARIVM.

1 *Laicus, siue Ecclesiasticus habens administrationem bonorum Ecclesiæ, si scienter in quantitate notabili alienet, destruat, vel demoliatur in effectu bona, quæ sunt immobilia, vel mobilia pretiosa eiusdem Ecclesiæ, quæ seruando seruari possunt, violat Ecclesiasticam immunitatem.*

2 *Bona Ecclesiastica alienationis immunitate gaudent, & propterea inalienabilia dicuntur.*

3 *Alienans bona Ecclesiastica sine iusta causa, & solemnitate, & denique Romano Pontifice inconsulto, incurrit ipso facto excommunicationem, aliasque pœnas, vt beneficij priuationem.*

4 *Adducuntur ad id probandum multa iura, præcipuè extrauag. Ambitiosæ, Pauli II.*

5 *Enumerantur pœnæ contra alienare præsumentem, & contra eum, qui rem alienatam receperit.*

6 *Alienatio declaratur esse nullius valoris.*

7 *Vrbanus VIII. derogat omnia priuilegia Regularium in contrarium.*

8 *Infert in Regulares contrauenientes censuras, & alias nouas pœnas.*

9 *Declarat omnem actum esse nullum.*

10 *Accipiens non potest in conscientia rem acceptam retinere, neque etiam fructus rei acceptæ.*

11 *Monasterium non potest cedere iuri suo.*

12 *Ex vi dicti decreti Vrbani VIII. Regulares super bonis Monasterij neque possunt accipere pecuniam ad cambium, vel mutuò cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis.*

13 *Neque possunt bona iurisdictionalia in feudum, vel emphyteusim concedere, vel vltra triennium locare.*

14 *Alienationis prohibitio extenditur etiam ad bona locipij, v.g. Confraternitatis, Collegij, Congregationis, Capellæ, vel Hospitalis, si auctoritate Episcopi sint erecta.*

15 *Loca pia, & Ecclesiæ hac in re æquiparantur.*

16 *Confraternitatis Collegium, Congregatio, vel Hospitale sine auctoritate Episcopi erecta, non censentur loca pia propriè, & quælibet horum bona possunt sine solennitate iuris alienari.*

17 *Capella, quæ non fuit auctoritate Episcopi erecta, non censetur Ecclesiasticum beneficium.*

18 *Extrauagans ambitiosæ, & Clementina 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis loquitur de Prælatis, beneficiariis, & aliis administrationem habentibus.*

19 *Religiosus subditus, vel quicumque alius, nullo iure administrationem habens, alienans aliquid Ecclesiæ, destruens, vel demoliens, excommunicationem, & pœnas dicta extrauagantis non incurrit.*

20 *Præsumptio supponit dolum, & scientiam.*

21 *Alienans, destruens, vel demoliens ex ignorantia iuris, vel facti, excommunicationem, & pœnas dictæ extrauagantis non incurrit, secus forsitan si ignorantia coniuncta sit cum ingenti temeritate.*

22 *Ignorantia coniuncta cum ingenti temeritate scientiæ æquiparatur.*

23 *In alienatione quantitatis parui momenti, putà 25. aureorum, non requiritur iuris solennitas, nec Romani Pontificis consultatio, & consensus.*

24 *Quantitas parui momenti æstimatur etiam ea, quæ centum aureos non attingit.*

25 *In parui momenti quantitate possunt etiam alienari sine solennitatibus, & consensu Summi Pontificis res immobiles Ecclesiæ.*

26 *Amplia id eo magis procedere, si res non patiatur moras.*

27 *Amplia, si alienetur summa pecuniaria ad pium vsum, quantumuis ea magna sit, dummodo ad mensam Prælati pertineat, quia dicta pecunia non est res Ecclesiæ, sed Prælati.*

28 *Prælatus etiam Regularis licet non habeat dominium bonorum suæ Ecclesiæ, quia tamen habet administrationem, potest ad causas pias liberè disponere de redditibus Ecclesiasticis.*

29 *Verbum (alienare) latè sumpto vocabulo, amplectitur omnes contractus, quibus directè res traditæ dominium transfertur, vel dominium vtile, per feudum, emphyteusium, locationem in long: m tempus, & multò magis per contractum censualem, per quem dominium, seu directum, seu vtile in alterum transfertur, constituta pensione annua.*

30 *Nomine alienationis in materia Ecclesiæ, & priuilegiatis personis fauorabili comprehenditur etiam quævis constitutio pignoris, & hypothecæ specialis, non tamen generalis.*

31 *Per generalem hypothecam non tantum iuris in rem, cum periculo eam alienandi, transfertur, quantum per specialem.*

32 *Nomine alienationis in materia odiosa non comprehenditur hypotheca, vel pignus, nisi sit constitutum pro tanta quantitate, vt non sit spes facilis redemptionis.*

33 *Prohibito actu, censetur prohibitum omne illud per quod peruenitur ad actum.*

34 *Si res prohibetur alienari, non solum prohibetur dominij directi translatio, sed pignoris etiam obligatio, vsusfructus, & seruitutis constitutio.*

35 *Si res aliqua ab antiquo tempore in feudum, vel emphyteusim concedi solita erat, poterit à Prælato, dummodo non fuerit Ecclesiæ incorporata, sine alia solennitate concedi, si Ecclesiæ expedire videatur.*

36 *Vt res dicatur solita concedi, sufficit si semel concessa fuerit.*

37 *Decimæ, quæ ante Lateranense Concilium laicis dabantur, si postea ad Ecclesiam reuertantur, possunt ante ipsarum incorporationem iterum eisdem concedi.*

38 *Consuetudo obtinet in multis locis, vt fundi Ecclesiastici sine iuris solennitatibus in emphyteusim licitè, & validè tradantur.*

39 *Pœna imposita facienti non incurritur ob criminis attentationem.*

40 *Attentans, tractans, vel promittens alienare, dummodo in effectu non alienet, licet tradat rei pacificam possessionem, incurrit excommunicationem, & pœnas dictæ extrauagantis.*

41 *Clericus subscribens alienationem bonorum Ecclesiæ, excommunicatur, nisi alienans, & recipiens rem Ecclesiæ, celeri restitutione sibi prospiciant.*

42 Clerí

42 *Celeri restitutione sibi prospicit, qui restituit antequam Ecclesia ex tali alienatione ladatur.*

43 *Reuocans alienationem rei Ecclesiæ, antequam alter pacificam possessionem rei venditæ recipiat, non incurrit excommunicationem dictæ extrauagantis.*

44 *Excommunicatio, & pœnæ dictæ extrauagantis non incurruntur, nisi etiam rei pacifica possessio habita sit, in quo casu tamen dictæ pœnæ incurrentur, etiamsi contractus sit factus saluo assensu Sedis Apostolicæ, & non aliter.*

45 *Assensus superioris debet præcedere contractum, quia quando aliquid pertinet ad formam actus, debet præcedere ipsum actum.*

46 *Factum tempore inhabili, sed relatum in tempus habile validum est, saltem pro tempore habili, si iure illud non irritetur.*

47 *Consensus superioris requiritur tanquam forma ad valorem alienationis, secus est de tractatu alienationis faciendæ, si Papa, seu Sedes Apostolica consenserit.*

48 *Consentiens in alienationem bonorum Ecclesiasticorum, non incurrit excommunicationem, & pœnas dictæ extrauagantis, quia consentire in alienationem, non est alienare.*

49 *Censura lata contra facientem, non ligat consentientem, nisi exprimatur.*

50 *Nomine bonorum immobilium, vel mobilium in hac materia alienationis veniunt vasa aurea, argentea, gemmæ, casulæ pretiosæ, tapetes: item quæcumque triennio non corrumpuntur, & simul fructificant, vt integer grex ouium, caprarum, &c.*

51 *Item veniunt mobilia omnia quæ seruando seruari non possunt, item quæ triennio vsu corrumpuntur, vel breui tempore inueterascunt, quales sunt pleraque vestes, vinum, oleum, frumentum, & alij fructus, pecudes, & cætera animalia, &c.*

52 *Reliquiæ sanctorum non veniunt sub dispositione dictæ extrauagantis.*

53 *Reliquias vendere (nisi vendantur ratione capsæ, vel vasis pretiosi) est simonia, quæ consummata infert excommunicationem in opinione aliquorum, licet minus probabili.*

54 *Si reliquiæ alicubi traditæ sint perpetuæ sepulturæ, vt inde nunquam extrahantur, vsus & stylus Curiæ Romanæ habet, vt non possint absque consensu Apostolico extrahi, & aliis tradi.*

55 *Etsi fiat, actus, tanquam irritus, erit impugnandus.*

56 *Reliquia modica poterit licitè alicui Ecclesiæ, vel oratorio donari sine assensu Apostolico.*

57 *Regulares possunt alienare sine assensu Apostolico mobilia non pretiosa, vt vinum, frumentum, vestes, præsertim attritas, & similia.*

58 *Item possunt similiter alienare bona mobilia pretiosa, quæ seruando seruari non possunt, vt quæ non durant triennio, vel vsu consumuntur, & non fructificant.*

59 *Regularium superiores possunt sine assensu Apostolico ex bonorum Monasterij fructibus facere pingues eleemosynas.*

60 *Item possunt Regulares sine assensu Apostolico accommodare, præsertim ad tempus breue, bona quæcumque, & quantumcunque pretiosa.*

1 RESPONDETVR, violari, si quis (siue laicus, siue etiam Ecclesiasticus, vt *infrà dub. 22. & 23.* dicetur) Ecclesiæ bonorum administrationem habens scienter in quantitate notabili alienet, destruat, vel demoliatur in effectu bona, quæ sunt immobilia, vel mobilia pretiosa, & seruando seruari possunt. Ratio est, quia talia bona alienationis immunitate 2 gaudent, propterea inalienabilia dicuntur: & sub pœna excommunicationis, aliisque pœnis, vt beneficij 3 priuationis, ipso facto incurrendis, alienari prohibentur, præterquam ob iustam causam, & interueniente certa solennitate; ac denique Romano Pontifice consulto, *cap. nulli, de rebus Eccles. non alienandis, l. iubemus 2. Cod. de sacrosanct. Ecclesiis, Authent. de non alienandis, coll. 2. Clement. 1. & extrauag. Ambitiosæ, Pauli II. eodem tit.* ibi: *Omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum, per* 4 *quod ipsorum dominium, concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem vltra triennium, necnon infeudationem, vel contractum emphyteuticum, præterquam in casibus iure permissis, ac de rebus, & bonis in emphyteusim de antiquo concedi solitis, & tunc cum Ecclesiarum euidenti vtilitate, ac de fructibus, & bonis, quæ seruando seruari non possunt, pro instantis temporis exigentia, hac perpetuò valitura Constitutione fieri prohibemus, Prædecessorum nostrorum Constitutionibus, prohibitionibus, & decretis aliis super hoc editis, quæ tenore præsentium innouamus, in suo nihilominus robore permansuris.* Quapropter postea Pontifex excommunicationis sententiam contra eum, qui alienat, & qui alienatas res receperit, fulminat: Prælatum verò alienantem, si Pontificali, vel Abbatiali præfulgeat di- 5 gnitate, ab ingressu Ecclesiæ interdicit, alios verò Prælatos inferiores suis officiis, & dignitatibus ipso facto, absque vlla declaratione, priuatos esse denunciat. Contractusque huiusmodi nullius valoris esse declarat, quod & facit Paulus IV. in Bulla, quæ incipit: *Iniunctum nobis*, vbi similiter ipse alienationem, & locationem quorumcunque bonorum Ecclesiasticorum in damnum Ecclesiarum, vel non seruatis iuris solennitatibus, aut aliàs nulliter factas rescindit, & annullat. Quia tamen post hæc iura sunt varia priui- 6 legia Religionibus concessa, de quibus Rodrig. *tom. 1. qq. regul. quæst. 27.* quale est illud, quod possint Religiosi, & Moniales quædam vendere, & alienare quæcunque bona, etiam stabilia, dummodo hoc fiat in commodum, & vtilitatem ipsarum Religionum, vel Monasteriorum, & ex consensu duarum ex tribus partibus Religiosorum, vel Monialium Monasterij, accedente etiam consensu, vel ratihabitione Generalis: ideo S. Congregatio Tridentini Concilij in decreto iussu Vrbani VIII. edito 1624. abrogatis omnibus indultis, & priuilegiis quomodolibet Religionibus concessis, sic statuit in his verbis: *Sacra Congregatio Cardinal. Concilij Tridentini interpretum rerum experimento edocta, quantum Religiones accipiant detrimenti ex bonorum immobilium, & pretiosorum mobilium distractionibus, quas crebrò faciunt Regulares Apostolicis priuilegiis innixi, operæpretium putat, illorum facultatem aliqua ratione compescere. Quapropter speciali S. D. N. iussu Gene-* 7 *ralibus, & Prouincialibus Capitulis, vel Congregationibus, Abbatibus Generalibus, & quibuscumque aliis superioribus Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis, vel instituti intra fines Europæ existentibus, omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretiosorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem, & conductionem vltra triennium, concessionem in feudum, vel emphyteusim, præterquam in casibus a iure permissis, fieri perpetuò prohibet, atque interdicit, absque ipsius Congregationis Concilij expressa licentia, in scriptis, & gratis concedenda, sub pœna priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisque activæ, & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, quam ipso facto absque alia declaratione incurrant; sublata etiam Generali, & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate; pœnis nihilominus Apostolicarum Constitut. & præsertim*

fel.

8 fel. record. Pauli I I. quæ incipit : *Ambitiosæ*, in suo robore permansuris. *Alienationes verò, & pacta, census, hypothecas, locationes, conductiones, & concessiones quascumque contra huiusmodi prohibitionem faciendas, Sanctitatis suæ auctoritate ipso iure nullas; atque*
9 *irritas decernit.* Ex quibus vltimis verbis colligitur, contractus factos alienationis sine prædictis conditionibus, & solennitatibus, esse irritos absque vlla sententia, & declaratione, cum irritatio hæc non sit pœna, sed natura, ipsorum posita lege. Vnde qui
10 accepit hoc modo bona alienata à Monasterio, non potest illa in conscientia retinere, nec etiam fructus illorum, sed si sit in mora restituendi, tenetur ad damna Monasterij. Molina *tom.2.de Iustit. à disp.466.*Suar.
11 *4.tom. de Relig.tract.8.lib.2.c.27.n.20. & 21.* addens, & rectè, neque Monasterium posse cedere iuri suo, quia hoc est intentum Ecclesiæ, propter indemnitatem bonorum Ecclesiasticorum.

Post quæ (cum compertum esset, Regulares, qui tali decreto prohibebantur census imponere super bonis ad ipsorum Monasteria pertinentibus, loco censuum huiusmodi pecunias ad cambium, vel mutuò accipere cum solutione lucri cessantis, & damni emer-
12 gentis) eodem Vrbano VIII. approbante decreuit, ac declarauit S. Congregatio : *Huiusmodi contractum etiam esse contra mentem decreti, vt suprà editi; ideoque non licere Regularibus pecunias, vt proponitur, accipere, ac si acceperint, in ipsius decreti pœnas ipso facto incidere.* Laurent.de Peirinis *tom.2.priuil.Minim.in Const.8. Vrb. VIII.* Vrbanus VIII. etiam in Const. *humanæ salutis*,
13 anno 1625. prohibet bona iurisdictionalia in feudum, vel emphyteusim concedere, aut vltra triennium locare. Vide *4.tom.*Bullar. inter Bullas Vrbani *n.51.*& quæ dicentur *dub.8.*

Ex his itaque habetur sub pœnis enumeratis bonorum Ecclesiasticorum alienationis prohibitio, quæ
14 alienationis prohibitio extenditur etiam ad bona loci pij, v. g. Confraternitatis, Collegij, Congregationis, Capellæ, vel Hospitalis, si auctoritate Episcopi sint erecta; quia tunc in omnium opinione sunt loca pia, & *in cit. extrauag. Ambitiosæ*, fit sermo etiam de locis piis; tum quia sic expressè habetur *in cap. hoc ius porrectum*, 10.*q.2.* & docent Abb. *in cit.cap.nulli,num.*
15 *vlt.* Riccius *in praxi, part... resol.37.num.1. & 2.* & alij communiter: tum quia loca pia, & Ecclesiæ in eiusmodi æquiparantur, *argum. cap. requisisti*, §. *secus autem,de testam.* secus videtur dicendum de confraterni-
16 tate, Collegio, Congregatione, vel Hospitali, si sine auctoritate Episcopi sint erecta, quia tunc non censentur propriè loca pia, & sic quod istorum locorum bona immobilia, & mobilia pretiosa possint sine solennitate iuris alienari. Ita Parisius *cons.35. tom.3.* Quaranta *num.28. &* 41. Riccius *decis.48.* Redoanus
17 *quæst.28.* Sopranus *cap.4. num.19.* Idemque dicas cum Riccio de bonis Capellæ, quæ non fuit auctoritate Episcopi erecta; quia huiusmodi Capella non censetur Ecclesiasticum beneficium. Sed de hac re vide quæ dicebantur *cap.2.dub.2. sect.7. num.15. & seqq.* & *cap.4.dub.20.*

An autem in dubio Hospitale, vel Capella, vel quicumque alius locus pius auctoritate Episcopi erectus præsumi debeat, vide quæ dicebantur *cit. cap.2. dubit.2. sect.7. numero* 38. *& sequentib. & cit. cap.4. dub.20.*

18 Dixi *in principio num.1. si quis Ecclesiæ bonorum administrationem habens*; quia *in cit. extrauag. Ambitiosæ, & cit.Clement.1. de rebus Ecclesiæ non alienandis*, sermo est de Prælatis beneficiariis, & aliis administrationem habentibus (qui etiam administratione priuantur ali-
19 quando.) Quapropter si Religiosus subditus, vel quicumque alter nullo iure administrationem habens, aliquid Ecclesiæ alienet, destruat, vel demoliatur, v.g. arbores fructiferas incidat, domum destruat, fundum in quid peius immutet, &c. excommunicationem, & pœnas dictæ extrauagantis non incurrit, quamvis grauiter peccet. Zabarella *in cit. Clement.1. quæst.21. n.28.* Felinus, Sopranus, & alij, quos citat Filliucius *part.3. tract.44. cap.6. quæst.4. num.4.* An autem ex alio capite talis excommunicationem incurrat, dicam alibi.

Dixi secundò, *scienter*; quia *in cit. extrauag.* dici- 20
tur : *Quidquam alienare præsumpserit.* Sed præsumptio supponit dolum, & scientiam. Ergo, &c. Quapro- 21
pter si quis alienet, destruat, vel demoliatur ex ignorantia iuris, vel facti, excommunicationem, & pœnas dictæ extrauagantis neque incurrit, nisi forsan ignorantia coniuncta sit cum ingenti temeritate; quia tunc ex non improbabili sententia Doctorum, Nauar. 22
*cons.19.de rebus Eccles. non alien.*Quarantæ *verb. Alienatio, num.9. &* 10. Soprani apud Filliuccium *tract.44. cap.6. quæst.4. num.5.* & aliorum ignorantia scientiæ æquiparatur. Vide quæ *lib. de Parlamentis, dub.4. sect.19. subsect.31. corollar.2. & 3. & suprà cap.16. dubit.36. num.3.* dicebantur, *& infra cap.19. dub.59.* dicentur.

Dixi tertiò, *in quantitate notabili*, quia in quantitate 23
parui momenti, v.g. 25. scutorum aureorum (sicuti dicam *dub.2. sect.2.* & declarauit S. Congregatio teste Naldo *verb.Prælatus, num.7.* Gauanto *in man.Episcop. verb.Alienatio,num.24.* Diana *part.4. tract.4. resol.223.* Homobono *in const. consult. cas.conscient.vol.2.part.6. respons.98.* & Peregrino *in compend. priuileg. verb. alienatio bonorum, in folio.* Quamvis Palaus *tom.2. disp.* 24
*vnic. punct.15. §.1.num.2.* dixerit, esse etiam quantitatem parui momenti, si centum aureos non attingat) non requiritur iuris solennitas, nec Pontificis Romani consultatio, & consensus. Molina *disp.468.§.licet prædicta.* Sà *verb.alienatio, num.7.* aliique communiter, qui 25
id intelligunt, & rectè, de quibuscumque rebus Eccle- 26
siæ modicis, tametsi immobiles sint, *argum.cap.terrulas, 21. quæst.2.* Idem dicas, si res non patiatur moram. Abbas *in cap.1.t super, de rebus Eccles. non alien. num.15. & in cap.fin.de Ecclesiis ædif.num.8.* & meritò, 27
ne id, quod in beneficium Ecclesiæ concessum est, in detrimentum eiusdem conuertatur. Idemque dicas, si alienetur summa pecuniaria ad pium vsum, quantumvis ea magna sit, dummodo ad mensam Prælati per 28
tineat; quia dicta pecunia non est res Ecclesiæ, sed Prælati, de qua ad causas pias liberè disponere potest Prælatus, etiamsi sit Regularis; quia talis, etsi non habeat dominium, habet tamen ad causas pias administrationem. Silu. *verb. alienatio, num.7.* & alij passim.

Dixi quartò, *alienet*, non solum per venditionem, 29
permutationem, donationem, precarium (vt rectè Riccius *decis.64.* Quaranta *verb. alienatio, num.15.* & Bonacina *de alien.bonor.Eccles.punct.2.num.9.* & similes contractus, quibus directè rei traditæ dominium transfertur, iuxta *l.1. Cod.de fundo dotali*; & *l.alienatum, ff. de verbor.signif.* & iuxta Glossam *in cap.cum nulli liceat, de reb. Eccles. non alien.* Sed etiam (cùm simus in materia Ecclesiæ, & priuilegiatis personis fauorabili) per feudum, emphyteusim, & locationem in longum tempus (scilicet vltra triennium, si res singulis annis fructificet, vel vltra sexennium, si binis, vel vltra nouennium, si ternis annis fructificet) quibus rei vsufructus, siue dominium vtile transfertur, & multò magis per contractum censualem, per quem dominium, seu directum, seu vtile in alterum transfertur, constituta pensione annua. Redoanus *de rebus Eccles. non alien.cap.27.*Andr.Gail.*lib.2.observ.10.*Mol.*de iustit. tract.2.disp.494 & seqq.*Azor.*tom.1.lib.9.c.1.q.2.*Couar. *2.var.cap.2.* §.2. & alij passim ex *extraug. ambitiosæ*, & S.Congregationis decreto *suprà cit.*

Quod

30 Quod adeò verum est, vt nomine alienationis in materia hac Ecclesiæ, & priuilegiatis personis fauorabili, comprehendatur etiam ex dictis iuribus quævis constitutio pignoris, & hypothecæ, specialis tamen, non item generalis, vti contra Rodriguez *qq. regul. quæst.7.art.1.* Vasquez *dub.8.num.7.* Quaranta *num.16. & 17.* Sopranum apud Filliucium *tract.44. cap.4.* & Bonacinam *punct.2.num.13.*dicam diffusius *infra dub.3.* & colligitur ex *cit. c.nulli*, & docent ibi Abbas *num.3.* Couarr. 2. *var.cap.16. num.7.* Redoanus *cap.6.*& Mol.
31 *disp.446.* & suadet ratio; quia per generalem hypothecam non tantum iuris in rem, cum periculo eam
32 alienandi, transfertur, quantum per specialem. Quamvis si loquamur de alienatione prohibita in materia odiosa, nomine alienationis non comprehendatur hypotheca, vel pignus, nisi sit constitutum pro tanta quantitate, vt non sit spes facilis redemptionis, ideoque probabili periculo alienationis exponatur; quia prohibito actu, censetur prohibitum omne illud, per
33 quod peruenitur ad actum, sicuti rectè dixit Redoan. *num.2. & 11.* & in hoc sensu procedit rubrica Saliceti *in l. vlt. Cod. de rebus alienis non alien. Si res prohibetur*
34 *alienari, non solum prohibetur dominij directi translatio, sed pignoris etiam obligatio, vsusfructus, & seruitutis constitutio.*

35 At si res aliqua ab antiquo tempore in feudum, vel
36 emphyteusim concedi solita erat (ad quod sufficit, vt scilicet dicatur solita, si semel concessa fuerit, teste Claro §.*feudum,q.13.num.14.* & Mol.*disp.648.concl.8.*) poterit etiam deinceps (dummodo post traditionem exspirante contractu non fuerit, quoad fructus, Ecclesiæ incorporata) sine alia solennitate à Prælato concedi, si Ecclesiæ expedire videatur, sicuti expressè habetur *in cit. extrauag. Ambitiosæ*, Pauli II. Et probatur; quia hæc non est noua alienatio, quæ iure prohibetur, sed potius continuatio alienationis prius factæ, seu executio alienationis antiquæ. Sic Abb. *in cap.vt super,de reb.Eccles.non alien. num.11.* & Doctores communiter, vt refert Clarus *de emphyteus.q.6. & de feudo, quæst.13.* Couarr. *lib.2. var.cap.17. numero 2.* Quaranta *num.39* & Barbosa *de potest.Episcop.alleg.19. num.22.*Quapropter infert Glossa communiter recepta
37 *in cap.prohibemus, de decimis*, & Couar. *n.5.* quod decimæ, quæ ante Lateranense Concilium laicis dabantur, si postea ad Ecclesiam reuertantur, possint ante ipsarum incorporationem iterum eisdem concedi, *argum.cap.2. de feudis*, & docent contra Andream Fachineum *lib.7.controuersiuris, cap.7.*Glossa & Doctores *in cit. cap.2. de feudis*, & Iulius Clarus §. *emphyteusis,*
38 *q.28.num.7.* §. *& si dicas*, vbi testatur, quod in multis locis consuetudo sit, vt feuda Ecclesiastica sine iuris solennitatibus in emphyteusim licitè,ac validè tradantur. Vide quæ dicentur *infrà sect.15.*

39 Dixi quintò,*in effectu*; quia pœna imposita facienti (vt est in casu nostro, sicuti patet ex cit. iuribus)
40 non incurritur ob criminis attentationem. Quapropter si quis cogitet, tractet, attentet, vel promittat alienare, dummodo in effectu non alienet, itavt tradendo etiam rei pacificam possessionem, consummet actum, neque excommunicationem, & pœnas dictæ extrauagantis incurrit, quia odia sunt restringenda: tum quia *in cap.si presbyterorum,de rebus Eccles. non alien.*
41 *decernitur*, quod clericus subscribens alienationem bonorum Ecclesiæ excommunicetur, nisi alienans, & recipiens rem Ecclesiæ celeri restitutione sibi prospi-
42 ciat, & iuxta Gloss. ibid. *verb. celeri*, celeri restitutione sibi prospicit, qui restituit antequam Ecclesia ex tali
43 alienatione lædatur. Ergo à fortiori excommunicationem euadet, qui Ecclesiæ rei alienationem reuocat, antequam alter pacificam illius rei venditæ possessionem recipiat. Sic Iason *in lib. fin. Cod. de iure emphyt.* Nauar. *consil.18. de rebus Eccles.non alien.* Couar. *var. resol. cap.16. num.7.* Riccius *decis.65.* Quaranta *verb. Alienatio,num.50.* Filliuc.*tract.14.num.119.*& Sopranus apud Filliucium *tract.34. cap.7. quæst.5.* Etsi quidam 44
alij quoad eum, qui alienat, sed pacificam possessionem nondum tradidit, contrarium senserint, ex eo quod licet non sit tradita pacifica possessio, consummatus sit tamen alienationis actus: sed quod dixi (tum ob rationem dictam, tum quia tunc possessio manet apud Ecclesiam, & alter non habet ad rem, nisi ius conditionatum, nempe supposito assensu Sedis Apostolicæ, non autem absolutum, & sic non habet semper ius in rem) videtur probabilius, nempè excommunicationem, & pœnas cit. extrauagantis non incurri, nisi etiam rei pacifica possessio tradita sit, in quo casu tamen dictæ pœnæ incurrentur, etiamsi contractus sit factus saluo assensu Sedis Apostolicæ, & non aliter. Ratio est, quia licet adsit talis protestatio, est tamen protestatio contraria facto: tum quia assensus superioris debet præcedere contractum,quia quando aliquid pertinet ad formam actus, debet præcedere ipsum actum. Atque ita declarauit (Clemens VIII. apud Genuensem in praxi Archiepisc. *cap.50.* & *c.44.* & docent ex communiori sententia Doctorum Abbas *in cap. nulli, de rebus Eccles. non alien.* Genuensis *loc. cit.* (quamvis *in cap.88. n.4.* videatur sibi contrarius) 45
Peirinus *tom.1. privileg. Minim. in constit.9. Iulij II. num.14.* Bonacina *de alien. bonor. Eccles. disp.2. q.vnic. punct.4.n.5.* Lezana *part.2. cap.19. num.61.* & alij apud Riccium *decis.24. contra ipsum Riccium decis.56.* & apud Sopranum *num.5. quæst.9. n.9.* & apud Quarant. *n.8.& 9.*

Neque obstat, si dicas, quod factum tempore in- 46
habili, sed relatum in tempus habile, validum sit saltem pro tempore habili, *l. in tempus, ff. de hæred. instit.* Ergo contractus alienationis rei Ecclesiasticæ factus sub forma, *saluo assensu Sedis Apostolicæ*, dicendus est, quod sit validus, quia refertur ad tempus habile, in quo scilicet obtentus fuerit assensus Sedis Apostolicæ.

Respondetur enim, quod factum tempore inhabili, sed relatum in tempus habile, validum sit saltem pro tempore habili, si iure illud non irritetur, vti contingit in casu nostro, cùm consensus superioris requiratur tanquam forma ad valorem alienationis, vti dicebam. Secus dicendum de tractatu alienationis facien- 47
dæ, si Papa, seu Sedes Apostolica consenserit, quia hic actus non est alienatio. Vide Quarant. *n.10.* vbi ostendit, rationem, & modum, quo possit contractus alienationis celebrari sub forma, saluo assensu Summi Pontificis, seu Sedis Apostolicæ.

Et quod dictum est de tractante, attentante, promittente alienare, quin & de ipso alienante, quod scilicet non contrahat censuras, & pœnas extrauagantis 48
*Ambitiosæ*, nisi tradiderit pacificam possessionem, 49
idem dico de consentiente in alienationem, quia consentire in alienationem non est alienare, & censura lata contra facientem, non ligat, vt potè odiosa, & sic stricti iuris, consentientem, nisi exprimatur, vt communiter Doctores in tractatu de censuris. Vide Riccium *in cit.decis.65.*

Dixi sextò, *bona immobilia,vel mobilia, quæ seruando* 50
*seruari possunt*,qualia sunt vasa aurea,argentea,gemmæ, casulæ pretiosæ,tapetes,copiosa bibliotheca librorum, item quæcumque triennio non corrumpuntut,vel fructificant,vt integer grex ouium,caprarum, &c. ex quo Ecclesia reditus annuos accipere consueuit: mobilia enim, pretiosa, quæ seruando seruari non possunt, vt
quæ triennio vsu corrumpuntur, vel breui tempore 51
inueterascunt (quales sunt pleræque vestes, præsertim tritæ,vinum, oleum, frumentum, & alij fructus, pecudes, & cætera animalia: item pecunia vsui quotidiano deseruiens, etiam ex venditione rei immobilis redacta,
vel

vel etiam ad emptionem rei immobilis destinata, destinatione saltem reuocabili, si non etiam irreuocabili, vt per votum, iuramentum, vel superioris præceptum; quia tunc forsan inter immobilia, vel mobilia pretiosa numeratur, sicut & forsan etiam inter pretiosa numeratur, si sit fructifera, scilicet in montibus, banchis, vel in censibus collocata, sicuti dicetur *infra dub. 2. sect. 3.*) sine iuris solennitate licitè, & validè alienantur, qua de re dicetur *cit. dub. 2. sect. 1. & seqq.* & docent Couar. *2. var. cap. 17. num. 2.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat. 19. num. 39.* Lezana *part. 2. cap. 19. num. 55.* Sylu. *verb. Alienatio, quæst. 7.* Less. *de iust. & iure, lib. 2. cap. 24. dub. 11. num. 62.* Mol. *disputat. 468.* Quaranta *verb. Alienatio, num. 24.* Riccius *decis. 61.* Bonacina *disp. de alien. bonorum Eccles. quæst. vnic. punct. 2. num. 2.* Genuensis *in prax. cap. 44. 60. & 88.* & alij passim.

52 Dixi septimò, *pretiosa*; quia cit. extrauag. Pauli II. loquitur de bonis temporalibus pretio æstimabilibus, & sic reliquiæ Sanctorum etiam insignes, vt caput, pes, manus, & similia, quin & pars crucis, vel spina Coronæ Domini IESV CHRISTI, cùm non sint res pretiosæ, seu pretio æstimabiles, non prohibentur sub pœna excommunicationis ipso iure latæ alienari ex hoc capite, seu non comprehenduntur sub prohibitione dictæ extrauag. Pauli II. Vide Bordonum *in consil. Regular. resolut. 27. num. 62.* Dianam *part. 4. tract. 4. resol. 223.* Riccium *decis. 53. num. 6.* Peregrinum *in compend. priuilegiorum, verb. Alienatio bonorum, dub. 4.* Lezanam *num. 57.* Bonacinam *tract. de alienat. disp. 2. quæst. vnic. punct. 2. num. 31.* Quamvis ipsi oppositam sententiam putent probabiliorem, quam Pasqualigus *tom. 2. decis. 181.* putat esse certam, sed minus recte, vt patet ex dictis.

53 Reliquias tamen vendere (nisi vendantur ratione capsæ, vel vasis pretiosi) est simonia, quæ si consummetur, infert excommunicationem ex isto capite in opinione aliquorum, quamvis minus probabili, quia ex probabiliori non inducit pœnas iuris ipso facto simonia, nisi solum in Ordine, beneficiis, vel Religione, sicuti docent Nauar. *cap. 23. num. 111.* Sylu. *verb. Simonia, quæst. 19.* Less. *de iust. & iur. lib. 2. cap. 35. dub. 23.* & alij passim, præsertim Recentiores.

54 Cæterùm, si reliquiæ alicubi traditæ sint perpetuæ sepulturæ, vt inde nunquam extrahantur, vsus & stylus Curiæ Romanæ habet, vt non possint absque consensu Apostolico extrahi, & aliis tradi: itavt si id fiat, actus tanquam irritus, impugnandus sit. Cherubin. *in Compend. Bullar. in constitut. 8. Pij V.*

55 Quod intellige de dictis Reliquiis perpetuæ sepulturæ traditis, & de insignibus; exiguarum enim reliquiarum alienatio non videtur exigere consensum Apostolicum: quapropter sacra Congregatio, teste Barbosa *in col-*

56 *lectan. Bullar. verb. Reliquiæ*, declarauit, reliquiam modicam iam factam alienabilem posse dari alicui Ecclesiæ, vel Oratorio. Vide Armillam *verb. Religio, n. 4.* Syluestrum *verb. Reliquiæ*, & Riccium *decisione 65. num. 1. & 6.*

Ex dictis sequitur, quod alienari possint etiam à Regularibus sine licentia S. Congregationis mobilia

57 non pretiosa, vt dictum est *supra, n. 41.* v. g. vinum, frumentum, vestes præsertim tritæ, & similia; quia in dicto S. Congregationis decreto solum prohibetur sine licentia eiusdem S. Congregationis alienatio bonorum mobilium pretiosorum.

Item alienari possunt sine prædicta S. Congregationis licentia bona mobilia pretiosa, quæ seruando seruari non possunt, vt dictum est ibidem, v. g. quæ non durant triennio, vel vsu consumuntur, & non fructificant; quia licet non exprimatur in dicto decreto sacræ Congregationis, colligitur tamen satis *ex cit. extrauag. Ambitiosæ* (quam roborare intendit dictum decretum) cum in ea expressè concedatur alienatio talium bonorum, quæ seruando seruari possunt. DD. 58
quos sequitur Mol. *de contractib. disp. 465. num. 1.* Vnde
declarauit S. Congregatio superiores Monasteriorum, 59
non obstante decreto de rebus Regularium non alienandis, posse ex fructibus bonorum pingues eleemosynas facere, v. g. decem modiorum tritici, & similium; quia fructus non comprehenduntur in dicto decreto. Vide Barbosam *in collectan. Bullar. verb. Superior Regularis.*

Item possunt commodari, præsertim ad breue 60
tempus, bona Monasteriorum quæcumque, ita vt talium bonorum transferatur solum vsus, non autem dominium directum, vel indirectum; quia per dictam Extrauag. *Ambitiosæ*, & dictum decretum S. Congregationis solum prohibentur alienationes. At quod commodatur, non alienatur: ergo, &c. Ricc. *decis. 68. & 74.* & Bonac. *n. 32.*

Sed vt quæ dixi, distinctius intelligantur, sit

## DVBITATIO II.

Quænam bona dicantur immobilia, & mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, vt proinde sine solennitate iuris alienari non possint.

### SECTIO I.

#### Dubitationis Resolutio.

#### SVMMARIVM.

1 *Nomine bonorum immobilium veniunt fundi, prædia, domus, & similia, quæ fixam radicem habent.*

2 *Immobilia reputantur annui redditus, census, iura ad ipsos, & ad quaslibet alias seruitutes, Cathedræ, Commendæ, beneficia Ecclesiastica, iurapatronatus, vsusfructus longi temporis, & similia.*

3 *Tale iudicatur ius, seu actio, qualis est res, ad quam est ius, seu actio.*

4 *Ius, & actio non comprehenduntur sub bonis mobilibus, neque sub immobilibus, vbi expressè verba intelliguntur; secus autem est in hac materia prohibitionis de non alienando in fauorem Ecclesiæ.*

5 *Ius Ecclesiæ percipiendi fructus aliquos per decennium, connumeratur inter bona immobilia.*

6 *Tempus decennij longum tempus, & quasi perpetuum à iure repetatur.*

*Hinc annui redditus, si sint citra decennium, & credita montium, vulgò dicta loca montium, reputantur bona mobilia, quamvis oppositum sit etiam probabile.*

7 *Mancipium, & iumenta rustica etiam inter bona immobilia connumerari debent, si tamen ista affixa sint prædiis, tanquam illorum pars, alias secus.*

8 *Mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, quæque inter immobilia ad hunc effectum computantur, sunt vasa aurea, argentea, gemmæ, casula pretiosæ, calices, tapetes, & vestes, quæ difficilè consumuntur, & generaliter sunt omnia illa, quæ fructificant, & triennio non corrumpuntur.*

9 *Quæ diximus non posse alienari sine iuris solennitate, locum habent etiam in relictis Ecclesiæ*

*factis sine expressa conditione, vt in perpetuum seruentur.*

10 *Conditio expressa vt in perpetuum seruentur, seu nunquam alienentur, necessaria non est ad legalem inalienationem.*

11 *Nec possunt alienari bona hæreditaria accepta de manu laici, & ex necessitate soluendi eris alieni alienanda.*

12 *Pretiosa res dicitur, quæ valet pluris, quam 25. scutis aureis, & sic tunc solum alienari non potest sine iuris solennitate.*

13 *Requiritur tamen ad hoc vt sine iuris solennitate possit alienari res modica, quæ scilicet valet minoris, quam 25. scutis aureis, quod sit etiam minus vtilis, & adsit alienandi necessitas, & fit, si sit stabilis, disiuncta ab aliis terrulis Ecclesiæ.*

14 *Serui fugitiui, qui reuocati retineri non possunt, possunt sine consensu Pontificis alienari, etiam in casu, quo sint affixi prædiis rusticis, vel vrbanis.*

15 *Idem dicendum de seruis ebriosis, latronibus, vel inhonestis.*

16 *Si seruus sit relictus Ecclesiæ ea conditione, quod non vendatur, alioquin pertineat ad hæredem testatoris, venditus pertinebit ad hæredem testatoris.*

17 *Oblationes imagini Regularium factæ sine solennitate iuris alienari possunt, nisi sint vota aurea, vel argentea magni valoris.*

1 REspondetur, & dico primò, immobilia propriè sunt fundi, prædia, domus & similia, quæ fixam radicem habent: item immobilia reputantur annui redditus, census, iura ad ipsos, & ad quaslibet 2 alias seruitutes, cathedræ commoda, beneficia Ecclesiastica, iurapatronatus, vsusfructus longi temporis, & similia, quia huius generis iura de se sunt perpetua, & præterea tale iudicatur ius, seu actio, qualis est res, ad quam est ius, seu actio, ita vt si 3 sit ius, seu actio rerum immobilium, vel mobilium pretiosarum, sine solennitate iuris alienari non possit, possit autem, si sit aliarum rerum mobilium, verbi gratia debitum pecuniarium. Sic Abb. *in cap. nulli, de rebus Eccles. non alien.* Silu. *verb. Alienatio, q.9.* Mol. *disp.*468. Gomez 2. *var. c.*14. *n.*14. (vbi id probat, tum auctoritate Bartoli, & Baldi, tum *ex l. si ad resoluendum, Cod. de prædiis Minorum.*) Vasquez *in opusc. de redditib. cap.*2. §. 2. *n.*44. Suar. *tom.*4. *de relig. tract.*8. *lib.*2. *c.*27. *n.*16. & 17. Quaranta *verb. Alienatio, n.*26. & 39. Riccius *decis.*44. Barbosa *alleg.*95. & 96. & expresè traditur *in Clement. exiui de paradiso*, §. *cumque annui redditus*, & tradit Gloss. *verb. Iura*, ex textu *in cap.*2. *de rebus Eccles. non alien. in* 6.

4 Obiicies, ius, & actio non comprehenditur sub bonis mobilibus, neque sub immobilibus, *l. à Diuo Pio*, §. *in venditione, ff. de sent. & re iudic.* ergo.

Respondetur, distinguo antecedens: non comprehenditur in testamentis, & aliis dispositionibus, in quibus verba expresè intelliguntur, concedo: in hac præsenti materia prohibitionis de non alienando in fauorem Ecclesiæ, nego. Sic communiter Doctores, teste Azor. 2. *p. lib.*9. *cap.*1. *q.*6. & Barbosa 2. *p. alleg.*95. *num.*46.

5 Obiicies secundò, saltem id dici solum debebit de iure perpetuo, non item de iure ad decennium, vel vltra: ergo.

6 Respondetur, nego antecedens; ita vt si Ecclesia habet ius percipiendi fructus aliquos per decennium, tale ius etiam inter bona immobilia connumerabitur. Ratio est, quia tempus decennij longum tempus, & quasi perpetuum à iure reputatur. Vide Molinam *de iust. tract.*2. *disput.*46. & Naldum *verb. annus, num.*7. & *verb. bona, num.*16. qui tamen ait, annuos redditus, si sint citrà decennium, & credita montium, vulgò dicta loca montium, esse bona mobilia, atque adeò posse alienari sine assensu Apostolico, quamvis contrarium doceat Lezana ex Curiæ vsu, qui est naturæ ipsorum conformis, cum possit illa perpetuò durare. Accedit, quod licet non sint bona immobilia, sunt saltem mobilia pretiosa, quin & fructifera; quapropter de ipsis, quoad alienationem, iudicandum est, ac si essent bona immobilia.

Idemque tradunt alij de mancipio, & iumento ru- 7
stico, quod scilicet hoc etiam inter bona immobilia connumerari debeat, & sic quod hoc etiam sine solennitate debita iuris alienari non possit. Vide *cap. nulli, de rebus Eccles. non alien.* Vide etiam Glossam *ibi*, & Molinam *disput.*465. Quod tamen intellige, si mancipium, iumentum, & similia affixa sint prædiis, tanquam illorum pars; quia tunc censentur pars prædij, & consequenter inter bona immobilia computantur. Secus si non sint affixa prædiis, tanquam illorum pars, sed liberè ibi ponantur; quia tunc non censentur bona immobilia, neque mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, cùm ob morbum, mortem, & alios casus multos seruari non possint. Sic Abb. *in cit. cap. nulli*, Mol. *loco suprà cit.* & Sopranus apud Filliucium *tract.*44. *cap.*4. *q.*21. *n.*27. & Lezana *p.*2. *c.*19. *n.*57.

Dico secundò: Mobilia pretiosa, quæ seruando 8
seruari possunt, quæque inter immobilia ad hunc effectum computantur, sunt vasa aurea, argentea, gemmæ, casulæ pretiosæ, calices, tapetes, vestes, quæ difficilè consumuntur, & generaliter sunt omnia illa, quæ fructificant, & triennio non corrumpuntur. Sic dicebam *suprà dub.*1. *num.*40. *& seqq.* & tradit Gloss. *in l.*1. *Cod. si aduersus vsuras*, Azor. *lib.*9. *cap.*1. *q.*5. & 7. Barbosa *de potest. Episc.* 3. *part. allegat.*95. *n.*38. & alij passim.

Quapropter omnia hæc, quæ dixi in primo, & 9
secundo dicto, sine solennitate iuris alienari non possunt, etiamsi sine expressa conditione, vt in perpe- 10
tuum seruentur, Ecclesiæ relicta sint. Ratio est, quia talis expressa conditio, vt in perpetuum seruentur, seu nunquam alienentur, necessaria non est ad legalem inalienationem, de qua loquimur, vt communiter Doctores. Quid autem operetur dicta conditio, si quando fuerit appositа, dicam *infrà dub.*11.

Item, etiamsi sint bona hæreditaria, accepta de 11
manu laici, & ex necessitate soluendi æris alieni alienanda; quia per aditionem hæreditatis iam sunt facta bona Ecclesiastica, ac proinde ad ipsorum alienationem Sedis Apostolicæ licentia requiritur. Rota, quam citat Naldus *verb. Bona, n.*7.

Petes, quantinam valere res debeat, vt pretiosa dicatur, & sic alienari sine iuris solennitate non possit.

Respondetur, vt *in cit. dub.*1. *n.*13. dicebam, valere debere eam pluris, quàm vigintiquinque scutis aureis, vti S. Cardinalium Congregatio determinauit, 12
quamvis Filliucius *tom.*3. *tract.*44. *cap.*4. *n.*4. Quaranta *verb. Alienatio, num.*41. Peirinus *tom.*1. *priuileg. Minim. in Constit.*9. *Iuly II. num.*15. & Barbosa *de offic. & potest. Episc. allegat.*95. *n.*51. satis probabiliter putent, id relinquendum esse arbitrio iudicis, vel prudentis viri.

Ratio autem, cur è contra res, quæ non excedit summam vigintiquinque scutorum aureorum possit sine licentia Sedis Apostolicæ vendi (& sic, teste Riccio *in prax. decis.*113. *num.*5. *edit.*1. *& resol.*98. *n.*5. *edit.*2. & Barbosa *loc. suprà cit.* multò magis vltra triennium

triennium locari, vel alio modo alienari) est, quia res talis (etiamsi sit immobilis) modica, seu modici valoris esse censetur, & sic vendi, & alienari sine dicta licentia permittitur, *cap. terrulas, 12. quæst. 2.* cui textui neque constitutionem Pauli II. neque decretum Concilij Tridentini *sess. 22. de reformat. cap. 11. & sess. 25. etiam de reformat. cap. 11.* (vbi similiter prohibetur alienatio bonorum Ecclesiasticorum) derogasse, declarauit S. Congregatio, teste Quaranta *cit. num. 41.* & Gauanto *in Man. Episc. verb. Alienatio, num. 22.* Idemque (scilicet prædicto textui neque derogasse) dicendum est de decreto S. Congregationis, quod referebam *dub. 1. num. 4.* cum tale decretum sit conforme Constitutioni Pauli, illius explicatio, & confirmatio pro Regularibus, sublatis eorum priuilegiis, vt citato loco dicebam.

Cæterùm *in dict. cap. terrulas*, vt res prædicta, tanquam res modici valoris, alienari, vel quocumque 13 alio modo distrahi possit, requiritur præterea quod sit minus vtilis, & adsit alienandi necessitas, & sit disiuncta ab aliis prædiis, vel terris Ecclesiæ: si enim fuerit coniuncta cum illis, itavt illorum sit pars, sapiet naturam illorum quorum est pars, quapropter alienari non poterit sine dicta licentia, sicuti non possunt illa, alioquin enim daretur occasio, vt totum ipsum prædium magnum paulatim, & diuisum per partes modicas possit alienari.

Quia tamen in eodem *cap. terrulas*, & *c. fugitiui, 12.* 14 *quæst. 2.* conceditur Episcopis posse alienare seruos fugitiuos, qui reuocati retineri non possunt, sequitur, quod mancipia fugitiua, quæ reuocata retineri non possunt, vendi possint sine licentia Pontificis, vel S. Congregationis, etiam in casu, quo aliàs illa alienari non possunt, iuxta dicta *suprà num. 7.* ex eo scilicet, quod sint annexa, vel affixa prædiis rusticis, vel vrbanis, tanquam illorum pars. Doctores, quos sequitur Portell. *in dubio regul. verb. Alienatio, in addit. num. 3.* qui subdit, idem ob eandem rationem dicendum esse, si seruus sit ebriosus, latro, vel inhone-15 stus: subdit secundò, quòd si tamen seruus relictus sit ea conditione, ne vendatur, & si venditur, pertineat v. g. ad hæredes testatoris, in tali casu vendi 16 non possit, itavt si in dicto casu vendatur, pertineat ad hæredes illius. Ratio est, quia lex canonica derogare non debet legi naturali, quæ hic, & nunc præscribit obseruantiam illius conditionis aliàs rationabilis. Quod tamen intellige, nisi obtenta sit dispensatio in dicta conditione.

Petes secundò, an oblationes imagini regularium factæ, sine solennitate iuris alienari possint?

17 Respondetur ex dictis, posse, nisi sint vota aurea, vel argentea magni valoris, excedentia scilicet summam vigintiquinque scutorum aureorum. Sic Bonac. *de alien. bon. Eccles. punct. 2. n. 6.* Riccius *decis. 10. & 102.* Nouarius *in summa Bullar. tit. de alienat. n. 22.* & Diana *part. 4. tract. 4. resol. 223.*

## SECTIO II.

An, & quid dicendum de re, quæ valorem 25. aureorum non attingit, vel quæ non durat triennio, nec fructificat?

### SVMMARIVM.

1 *Res, quæ non attingit valorem vigintiquinque aureorum, non est pretiosa, & sine iuris solennitate alienari potest.*

2 *Item res, quæ non durat triennio, sed vsu consumitur, & non fructificat, quale est vinum, frumentum, oleum, hordeum, lana, vestes ordinariæ, & similia.*

EX dictis sequitur primò, quod pretiosa non sit, 1 & sic sine iuris solennitate alienari possit res illa, quæ valorem 25. aureorum non attingit, quæque non durat triennio, sed vsu consumitur, & non fructificat, quale est vinum, frumentum, oleum, hor- 2 deum, lana, vestes ordinariæ, vel tritæ, & similia. Sic colligitur *ex l. quæ lex, §. vlt. Cod. de administrat. tutor. cap. vestra, de locato*, & docent Gloss. *in l. 1. Cod. si aduersus vsucap.* Silu. *verb. Alienatio, num. 7.* Azor *tom. 2. lib. 9. cap. 1. quæst. 5.* Less. *lib. 2. cap. 24. dub. 11. n. 62.* Nauarr. *de alienat. rerum Ecclesiast. num. 4.* Mol. *disp. 465.* Genuensis *in prax. cap. 60. num. 7.* Quaranta *verb. Alienatio, num. 28.* & Barbosa *de potest. Episc. 3. part. allegat. 95. num. 38. & seqq.* & nos dicebamus *suprà cit. dub. 1. n. 13.*

## SECTIO III.

An, & quid dicendum de pecunia, quæ in capsa, & domo testatoris reperitur? Vbi etiam, quid dicendum, si ad immobilia, vel pretiosa mobilia emenda destinata fuerit, vel in banchis, montibus, aut censibus reperta?

### SVMMARIVM.

1 *Pecunia, quæ in capsa etiam, & in domo testatoris reperitur, non est res pretiosa; quia hæc vsu quotidiano deseruit, & seruata fructum non parit.*

2 *Limita nisi pecunia (auctoritate Prælati Ecclesiam, vel Monasterium administrantis) ad emptionem immobilium, vel pretiosorum mobilium destinata sit ex relicto, & dispositione alicuius, secus si dispositio sit reuocabilis, & non confirmata iuramento, & superioris præcepto.*

3 *Qualibet destinatio pecuniarum præter supradictas, præsertim reuocabilis, accidentaria censetur, vt sic pecuniæ conditionem mutare non possit.*

4 *Pecunia si ad supradictum effectum a testatore fuerit relicta, vel redacta ex redemptione census Ecclesiæ, vel ex aliqua re Ecclesiæ immobili, vel mobili pretiosa vendita, vt renouentur in aliqua alia re, non potest sine solennitatibus iuris alienari.*

5 *Pecunia pupilli destinata ad emenda prædia non potest alienari, nisi interueniente solennitate, quæ requiritur ad alienationem immobilium.*

6 *Quod succedit in loco alterius, seu subrogatur in locum alterius, induit conditiones illius.*

7 *Si fundus legatus post mortem testatoris euincatur dato pretio, hoc pretium tanquam subrogatum in locum fundi, debetur legatario.*

8 *Res & actus iudicatur ex suo principio, & in omnibus attendi debet principium & finis.*

9 *Finis tanquam mensura, & forma, ostendit quales sint censendæ res.*

10 *Via sicut non facit statum, ita nec sufficit vt secundum ipsam de re iudicemus.*

11 *Pecunia vt suprà relicta, & destinata non dicitur de fructibus Ecclesiæ, sed de proprietate illius.*

12 *Prælatus non potest disponere de rebus, quæ sunt de proprietate Ecclesiæ, sed solum de fructibus.*

13 *Pecunia est illius, cuius est res, ex qua desumitur.*

14 *Prælatus, quod possit disponere de pecunia a testatore ad res immobiles, vel mobiles pretiosas emendas relicta, est valde absurdum.*

15 *Limitatur secundò ab aliis, nisi pecunia in banchis, montibus, vel censibus posita sit; quia tunc vtpotè negotiationi exposita, est fructifera. Secus in sententia auctoris, si nondum sit posita in dictis montibus.*

16 *Limitatur tertiò ab aliis, nisi pecunia destinata sit pro futura aliqua necessitate Ecclesiæ, vel eius patrimonij conseruandi; quia tunc in rei immobilis, vel mobilis pretiosæ, vel in patrimonij locum succedit. Secus in sententia auctoris, si non actu iam fuerit applicata.*

17 *Pecunia vt supra relicta, destinata non potest conuerti in extinctionem debitorum eiusdem Ecclesiæ.*

18 *Causa extinctionis debitorum Ecclesiæ non est causa sufficiens alienandi res Ecclesiæ, nisi debitum sit vrgens, itavt illud extingui, sit necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ.*

19 *Res Ecclesiæ debitæ necessitate interueniente, alienari possunt, seruatis tamen debitis iuris solennitatibus, quæ remittuntur, si necessitas sit adeo vrgens, vt non patiatur eas seruari.*

20 *Ad alienandum res Ecclesiæ non adhibitis debitis solennitatibus, non sufficit vtilitas, & necessitas qualiscumque, sed requiritur euidens.*

21 *Vtilitas, vel necessitas examinari debet an sit sufficiens, & debet authorizari, & declarari quod sit ex illis quæ iura requirunt, & tunc obtenta à Papa facultate alienandi, poterit res Ecclesiæ legitimè alienari.*

22 *Necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ debita extinguendi non potest esse talis, quæ cogat debita extingui, siquidem potest continuari solutio debiti interesse, vel alio modo prouideri.*

23 *Semper recipiendum est ad vtilitatem Ecclesiæ, & ideo præmittenda sunt solennitates, quæ institutæ sunt pro seruanda Ecclesia indemni, & procuranda eius vtilitate.*

24 *Necessitas facit licitum quod aliàs non erat licitum, & necessitas non habet legem, debet intelligi de necessitate sic vrgenti, quæ non permittat legem seruari.*

25 *Necessitas quando compatitur conseruationem legis non præualet contra legem.*

26 *Pecunia vt suprà relicta, & dispositа non potest conuerti ad emenda mobilia vsualia pro Monasterio, vel Ecclesia.*

27 *Pecunia supradicta non potest conuerti in censum vitalitium; quia census vitalitius non computatur inter bona immobilia.*

28 *Res, quæ sunt in continuo periculo, cum consistant in hominis vita, censentur bona mobilia.*

29 *Census breui duraturus computatur inter bona mobilia.*

30 *Census redimibilis etiam computatur inter bona mobilia.*

31 *Fundatio census vitalitij tendit ad alienationem, siquidem respicit alienationem, quæ fit posita mortis conditione, & licet de præsenti sit emptio, de futuro tamen est alienatio.*

32 *Qualitas adueniens qualificat diuersum ens, & reponit in nouæ specie, vnde res qualibet considerari debet cum sua qualitate.*

33 *Prohibitio alienandi res Ecclesiasticas est ad effectum, vt res conseruentur suæ Ecclesiæ, vt illis ipsa Ecclesia, Monasteria, & pia loca sustententur.*

34 *Quando aliquid est prohibitum, censentur etiam prohibita omnia, quæ ad ipsum conducunt.*

35 *Fundatio census vitalitij eò tendit, vt Ecclesia remaneat priuata & pecunia, & censu.*

36 *Pecunia non habet alium finem, nisi vt consumatur, secus si loquamur de pecunia in montibus, & censibus perpetuis collocata.*

37 *Prohibitio dicta extrauagantis licet sit solum de alienandis quæ possidentur, complectitur etiam pecuniam, quæ habetur pro re immobili, vel mobili pretiosa, quia possidetur.*

38 *Fundatio census vitalitij licet sit quædam emptio, est tamen emptio qualificata, quæ continet etiam alienationem per pactum, quod ius acquisitum per emptionem transferatur post mortem.*

39 *Census vitalitius dicitur vtilis ex vno capite, & ex alio damnosus Ecclesiæ, quia tendit ad priuationem intra certum tempus necessariò futurum, & Ecclesia de præsenti exponitur periculo perdendi capitale.*

40 *Vtilitas, vel necessitas non sufficit, vt res Ecclesiæ possit alienari, sed sufficit solum vt possit obtineri à Sede Apostolica licentia de alienando.*

SEquitur secundò, quod neque res pretiosa sit, & sic alienari possit pecunia, quæ in capsa, & domo testatoris reperitur; quia hæc vsui quotidiano deseruit, & seruata fructum non parit. Sic Molin. *citat. disput.*465. *ad fin.* Azor 2. *part. lib.*9. *cap.*1. *quæstione* 5. Mantica *de coniecturis, lib.*9. *titul.*3. Riccius *in praxi, resol.*56. *num.*1. & Barbosa *loco suprà cit. numero* 49. & colligitur ex *cap. eiiciens dominus*, 88. *distinct.* & ex Gloss. *in l. cùm plures, ff. de administrat. tutor.* & *in cap. nulli, de rebus Eccles. non alien. num.*11. 1

Limitatur ab aliquibus, nisi pecunia (auctoritate Prælati Ecclesiam, vel Monasterium administrantis) ad emptionem immobilium, vel pretiosorum mobilium destinata sit; quia tunc ratione talis destinationis loco rei immobilis, vel mobilis pretiosæ succedit; sic Azor. *quæst.*5. Barbosa *num.*41. & Bonacina *disputat.* 3. *de contractu locati, quæst.* 8. *punct.* 4. *num.*2. 2

Quam tamen limitationem admitto, si pecunia sic, seu ad talem effectum destinata sit, ex eo quod sic, seu ad dictum effectum ab aliquo relicta fuit (sicuti contingit in pecunia, quæ Moniali traditur in dotem, cùm ex voluntate dantis Monasterio detur, vt pro Monialis sustentatione perseueret: quæ ipsa pecunia, an postea sine assensu Apostolico alienari possit ad immobilia emenda, dicam *infrà dub.* 23. *num.*14.) vel si redacta sit ex redemptione census Ecclesiæ, vel ex aliqua alia re Ecclesiæ immobili, vel mobili pretiosa vendita ad hoc, vt in alia re immobili, vel mobili pretiosa renouaretur, vel melioraretur, sicuti docent Silu. *verb. Alienatio, quæstione* 6. Redoan. *quæst.* 16. Boër. *decis.*299. Quaranta *verb. Alienatio, num.*3. & 25. Vasquez *in loco infrà citat. num.*45. Genuensis *in prax. cap.*60. *num.*8. & 9. Bonac. *de alienat. bonor. Eccles. disput.*2. *quæst. vnic. punct.*2. *n.*6. Peyrin. *de priuileg. Minimor. ad Constit.*9. *Iulij II. num.*11. Riccius *in prax. part.*1. *resol.*58. *numero* 2. Tamburin. *de iure Abbat. tom.*3. *disput.*13. *quæst.*1. *num.*4. Lezana *part.*2. *cap.*19. *num.*59. & colligitur ex decisionibus Rotæ apud Genuensem *loc. suprà cit. num.*14. & apud Riccium *in prax.* §. *alienatio, decis.*50. 61. 70. 74. & 96. (quidquid in contrarium nonnulli apud Manticam *de coniecturis vlt. voluntat. lib.*9. *titul.*3. *num.*2. Pasqualigum *tom.*2. *decis.*173. Bordonum *resol.* 27. *num.* 57. & Genuensem *citat. cap.*60. sentire videantur etiam de pecunia sic redacta, & ad emenda immobilia, vel mobilia pretiosa destinata) quia tunc concedo, quod pecunia in locum rei immobilis, vel mobilis pretiosæ succedat. At secus, si aliter, seu alio modo destinata fuerit, etiam ad prædictos effectus, præsertim destinatione

3 reuocabili, vt sine voto, iuramento, & Superioris præcepto: cùm omnis alia destinatio præter supra dictas, præsertim reuocabilis, accidentaria censeatur, & sic pecuniæ conditionem mutare non possit. Ita Vasquez *in opusc. tul. de redditibus, cap. 2. §. 2. numero* 44.

4 Quod autem pecunia, si ad supradictum effectum à testatore fuerit relicta, vel redacta ex redemptione census Ecclesiæ, vel ex aliqua alia re Ecclesiæ immobili, vel mobili pretiosa vendita, ad hoc vt in alia re immobili, vel mobili pretiosa renouaretur, vel melioraretur, computetur inter bona immobilia, vel mobilia pretiosa, & sic non possit sine solennitatibus iuris alienari, tradunt præter Doctores *supra citatos*, Raphaël Cuman. *in l. a Diuo Pio*, §. *fin. ff. de re iudic. & in l. cætera*, §. *sed si separauit*, *ff. de legat. 1.* Roman. *in l. quid ergo*, §. *sciuras*, *verb. quid ergo*, *ff. de contr. & vt. act. tutelæ*, *& in singular. 103. & consil. 188. d. b. lt. & in l. si ex legati causa*, *ff. de verb. obligat.* Aretin. ibid. *verb. addit etiam*, Barbat. *verb. adde etiam in quantum*, Baldus *in l. etiam*, *Cod. de fidei ommiss. & conf. 14. lib. 2.* Fulgosius *in l. eadem*, *Cod. de collat.* Alexand. Aretin. *& alij ibid.* Firmian. *tract. de gabel. part. 2.* Ioan. Lupus *in repet. rub. de donat. inter vir. & vxor. §. 38. verb. & pecunia*, Franc. Ripa *in l. 1. num. 9. ff. ad S. naus. conf. Trebel.* Tiraquel. *de retract. lignag. §. 1. gl. ff. 7. num. 106.* Vivius *tom. 2. commun. opin. lit. 7. tit. 1. n. 278.* Ceuallos *commun. contra commun. quæst. 315.* Pereir. *de empt. & vendit. cap. 13. num. 32.* Ioseph. Ludouic. *tom. 3. titul. de verb. signific. conclus. vnic. ampliat. 3.* Gomez *§. item Seruiana, num. 21. Instit. de actionib.* Menoch. *consil. 114. num. 32.* Redoan. *de rebus Eccles. non alien. quæst. 16. num. 13.* Boër. *decis. 209.* Gaill. *lib. 1. pract. obseruat. cap. 11.* Thesaur. *decis. 160. num. 6.* Riccius *in prax. part. 1. resol. 67. num. 5.* & Foller. *in praxi*, *verb. annotentur bona.* Quod præsertim verum est, si debeat conuerti in res immobiles, vt notat Silu. *verb. Alienatio*, *quæst. 6.* Mol. *de iustit. & iur. tract. 2. disput. 465. num. 4.* Vasquez *opusc. de reddit. ib. Ecclesiast. cap. 2. §. 2. dub. 13. num. 45.* Quaranta *verb. Alienatio*, *num. 3. & 25.* Bonac. *de alien. bonor. Eccles. disput. 2. punct. 2. num. 6.* & Rota in vna Veneta nullitatis contractus, in fine 13. Nouembris 1602. coram Pamphilio. Et desumitur ex *cit. l. a Diuo Pio*, *in fin. §. fin. ff. de re iudic.* & *ex cit. l.*

5 *quid ergo*, *§. si de re*, *ff. de contr. tut. & vt. act.* vbi supponitur, quod pecunia pupilli destinata ad emenda prædia non possit alienari, nisi interueniente solennitate, quæ requiritur ad alienationnem immobilium. Et ratio est, quia tunc res repræsentatur in illa pecunia, *l. quia qui pretio*, *ff. de vsufruct.* siquidem tunc substituitur pecunia pro re, cum qua fieri debet commutatio: quapropter quamvis de se pecunia mobilis sit, inducit tamen conditiones rei immobilis, quia succedit loco illius, *argum. ex l. si ita constante*, *ff. de iure dotium*, & per ea, quæ tradunt Doctores *in l. fin. ff. eod. titul.*

6 & *in cap. 1. causa 12. quæst. 3.* Quod autem succedit loco alterius, seu subrogatur in locum alterius, inducit conditiones illius, vt habetur etiam *in l. si eum*,

7 *§. qui iniuriarum*, *ff. si quis caut. & cap. Ecclesia 1. vt lite pendente*, & ibi Doctores. Vnde si fundus legatus post mortem testatoris euincatur dato pretio, hoc pretium tanquam subrogatum in locum fundi, debetur legatario, *l. qui fundum*, §. 1. *ff. de legat. 3.*

8 Accedit, quod in omnibus attendi debet principium, & finis; quia res, & actus iudicatur ex suo principio, *l. Pomponius*, *ff. de negot. gest. l. procuratorem*, *ff. mandati*, *& l. nam origo*, *ff. quod vi*, *aut clam.* est enim principium de substantia principiati, & fundamentum illius, vt notant Oldrad. *cons. 200.* &

9 Tusch. *litera P. concl. 702. num. 1.* Finis verò, tanquam mensura, & forma determinans ostendit, quales sint censendæ res, *l. sed & si quid*, §. 1 *ff. de vsufruct. & cap. fraternitatis*, §. *fin. de frigid. & malefic.* Quare cùm dicta pecunia habeat pro sui principio rem immobilem, vel saltem rem absque iuris solennitatibus inalienabilem, & sit conuertenda in rem immobilem, vel mobilem pretiosam, debet censeri inalienabilis absque dictis solennitatibus iuris, vtpote iudicanda secundum principium, & finem: & quia in illa pecunia consistunt bona Ecclesiæ, non tanquam in statu permanenti, sed tanquam in via ordinata ad terminum, non debemus de ipsa iudicare, vt est in via; quia via, sicut 10
non facit statum, ita nec sufficit, vt secundùm ipsam de re iudicemus; siquidem via computatur inter ea, quæ se habent per accidens, & sunt extra terminum: ergo, &c.

Accedit etiam, quod dicta pecunia à testatore ad 11
res immobiles, vel mobiles pretiosas emendas relicta, vel ex redemptione census, vel ex alia re immobili, vel mobili pretiosa desumpta, non est de fructibus Ecclesiæ, sed de proprietate illius: quapropter est destinata ad fructificandum in vtilitatem Ecclesiæ, & debet conseruari in ordine ad finem, ad quem est destinata, vel in se, vel in aliis bonis fructiferis: sed Prælatus non potest disponere de rebus, quæ sunt de proprietate Ecclesiæ, sed solum de fructibus, vt ex 12
*Clement. 1. in fin. de rer. Eccles. non alien.* notat Gloss. *in cap. fin. 5. quæst. 3. & in cap. generali, de elect. in 6.* pecunia enim est illius, cuius est res, ex qua desumitur, 13
*l. mater*, §. 1. *C. de rei vendic. l. fin. Cod. de negot. gest.* & *l. si eum seruum*, *ff. si cert. pet.* Et esset valde absurdum, 14
quod Prælatus posset disponere de pecunia à testatore ad res immobiles, vel mobiles pretiosas emendas relicta, vel ex redemptione census, vel ex aliqua alia re immobili, vel mobili pretiosa desumpta, cùm non potuerit disponere de his, ad quæ est relicta, vel ex quibus est desumpta ipsa talis pecunia.

Limitatur secundò ab aliis, nisi pecunia in ban- 15
chis, montibus, vel censibus posita sit; quia tunc, vtpote negotiationi exposita, est fructifera. Sic Tiraq. *de retract. lignag. §. 1. gloss. 7. num. 214.* Faiard. ad Clarum *§. fin. quæst. 38. num. 151.* Bonacina *de alienat. bonor. Eccles. punct. 2. num. 5.* & alij, quos citat, & sequitur Barbosa *cit. alleg. 95. n. 44.*

Quam limitationem etiam admitto, si iam in banchis, montibus, vel censibus posita sit. At secus si nondum sit posita, quandoquidem licet pecunia fuerit collecta ex rebus Ecclesiæ, & multò magis si ab aliquo fuerit Ecclesiæ ad sumptus quotidianos relicta, non est, cur inter immobilia, vel mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, numerari debeat, cum illam in banchis, montibus, vel censibus conseruari, non sit obligatio. Sic Leo *in Thesaur. fori Eccles. decis. 160.* & Riccius *decis. 70. in 1. edit.*

Limitatur tertiò ab aliis, nisi pecunia destinata sit 16
pro futura aliqua necessitate Ecclesiæ, vel eius patrimonij conseruandi; quia tunc in rei immobilis, vel mobilis pretiosæ, vel in patrimonij locum succedit. Sic colligitur ex *l. si laicus*, §. 1 *ff. de legat. 3.* & docent Boer. *decis. 209.* Redoan. *quæst. 16.* Sopran. apud Filliucium *tract. 44. cap. 4. quæst. 16. num. 25. & 26.* & Barbosa *cit. allegat. 95. numero* 45. Quam limitationem etiam admitto solum modis, quibus explicabam suprà limitationem primam, & non aliter.

An autem pecunia ab aliquo ad res immobiles, vel 17
mobiles pretiosas emendas relicta, vel ex redemptione census, aut ex aliqua alia re immobili, vel pretiosa mobili Ecclesiæ desumpta ad hoc, vt in alia re immobili, vel mobili pretiosa reuocaretur, possit sine solennitatibus iuris conuerti in extinctionem debitorum eiusdem Ecclesiæ?

Respondetur negatiuè : & ita tenet Turrecrem. *in summ. lib. 2. quæst. 2.* (qui rectè id extendit etiam in casu necessitatis ( Redoan. *de rebus Eccles. non alien. q. 16. num 15.* Boerius *in cap. nulli, num. 83. de reb. Eccles. non alien.* Riccius *in prax. part. 1. resol. 70. numero 3.* Genuens. *in prax. Archiepisc. cap. 60. num. 14.* & Rota in vna Veneta Nullitatis contractus, 13. Nouembr. 1620. coram Pamphilio. Et ratio ex dictis est, quia cùm talis pecunia successerit loco talis rei, scilicet immobilis, vel mobilis pretiosæ, sequitur, quod sicut sine solennitatibus iuris non poterat pro extinctione debitorum alienari talis res, ita nec possit sine iisdem solennitatibus iuris alienari talis pecunia.

18 Quin quando agitur de extinctione debitorum Ecclesiæ, non est causa huiusmodi causa sufficiens alienandi res Ecclesiæ, nisi debitum sit vrgens, ita vt illud extingui sit necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ, sicuti dicemus *infrà dub. 9.* & docet Bellamera *in cap. non liceat, vers. tertiò probatur, 12. q. 2.* per Authent. hoc, *Cod.*

19 *de sacrosanct. Eccles.* & hac necessitate, vel vtilitate Ecclesiæ interueniente, licet iura concedant, alienari res Ecclesiæ, id tamen non concedunt fieri non seruatis debitis solennitatibus, nisi solum quando necessitas est adeò vrgens, vt non patiatur eas seruari, sicuti dicam *infrà dub. 23.* & habetur *ex cap. placuit, 12. quæst. 2.* & tradunt Cardinal. *in Clement. 1. num. 29. de reb. Eccles. non alien.* Abb. *in cap. fin. de Eccles. ædif. vel reparand.* Villadiego *de legib. q. 11. in fin.* Turrecrem. *cit. q. 2.* & Redoanus *de reb. Eccles. non alien. q. 16. num. 34.* Et

20 non sufficit vtilitas, vel necessitas qualiscumque, sed requiritur euidens, vt dicam citata *dub. 9.* & habetur expressè *in cap. 1. de reb. Eccles. non alien. in 6.* & notant

21 ex communi Couar. *lib. 2. var. resol. cap. 16. num. 8.* Quapropter debet vtilitas, vel necessitas examinari, vt constet, an sit sufficiens, & debet authorizari, & declarari, quod sit ex illis, quas iura requirunt, & tunc obtenta à Papa facultate alienandi res Ecclesiæ, poterit res Ecclesiæ legitimè alienari, iuxta ea, quæ dicentur infrà *cit. dub. 9.*

22 Quod à fortiori militat in casu nostro, quia non adest necessitas, nec vtilitas, quæ cogat, debitum Ecclesiæ extingui; siquidem potest continuari solutio interesse consueti, vel alio modo debitum extingui: & aliàs potest cedere in maiorem vtilitatem Ecclesiæ, quod illa pecunia in aliud conuertatur, vt in simili dixit Marian. Socin. *tract. de oblat. lib. 3. num. 15.* Qua-

23 propter cùm semper respiciendum sit ad vtilitatem Ecclesiæ, præmittendæ sunt solennitates, quæ institutæ sunt pro seruanda Ecclesia indemni, & procuranda

24 eius vilitate. Et hinc quando dicitur, quod necessitas facit licitum, quod alias non erat licitum, *cap. quod non est licitum, de reg. iur.* & quod necessitas non habet legem, *l. si quis propter, Cod. de patrib. qui fil. suos distrax.* id intelligi debet de necessitate sic vrgenti, quæ non permittat legem seruari, sicuti dicebam suprà, & dicam infrà *cit. dub. 23.* & tradit Archidiac. *in*

25 *cap. ea enim, §. hortus, verb. constat, 10. q. 2.* quandoquidem si necessitas compatitur conseruationem legis, necessitas non prævalet contra legem.

26 Ex dictis sequitur contra Bordonum *in Consil. regul. resol. 27. num. 21.* quod pecunia, de qua supra loquebamur, non possit conuerti ad emenda mobilia visuaria pro Monasterio vel Ecclesia; quia dicta pecunia computatur inter bona immobilia, vel mobilia pretiosa.

27 Sequitur secundò contra eundem Bordonum *loc. cit. num. 56.* quod neque possit conuerti in censum vitalitium, idque propter eandem rationem, saltem si pecunia sit relicta ad emendas res immobiles, vel desumpta ex re immobili ad hoc, vt renouaretur in alia re immobili, siquidem census vitalitius non computa-

28 tur inter bona immobilia; quia quæ sunt in continuo periculo, vt amittantur (qualis est census vitalitius, cùm consistat in hominis vita) censentur bona mobilia. Angel. *in l. non solet, ff. de pet. hæredit.* Bald. *in cap. contingit, de dolo, & contumac.* & Corneus *consil. 173. volum. 3.* tum quia census breui duraturus computa- 29
tur inter bona mobilia. Barbat. *consil. 22. lib. 3.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. centur. 3. casu 233. num. 2.* Federic. de Senis *consil. 12. num. 5.* Feder. Martin. *de iure cens. cap. 1. num. 101.* & Duardus *de censib. in proœm. Constit. Pij V. quæst. 10. num. 40.* Ergo & census vitalitius qui etiam est breui duraturus, vtpotè de sui natura non perpetuus, sed sequens vitam hominis, & sic non stabilis, vel immobilis, sed temporalis, & mobilis, qualis est vita hominis, super qua fundatur ipse census: tum quia 30
census redimibilis etiam computatur inter bona mobilia. Anton. Gomez *de censib. cap. 3. n. 4.* Mattienzus *l. 2. gloss. 1. n. 83. tit. 9. lib. 5. nouæ Recopil.* Garcia *de benefic. part. 2. cap. 5 num. 95. in fin.* & Molin. *de primogenit. lib. 2. cap. 10. n. 3.* ex eo, quia non habet statum stabilem, sed est temporaneus: ergo & census vitalitius, cùm fundetur in hominis vita, quæ nec habet statum stabilem, sed est etiam temporanea.

Confirmatur, quia fundatio census vitalitij tendit 31
ad alienationem, siquidem respicit alienationem, quæ fit posita mortis conditione, quapropter licet de præsenti sit emptio iuris percipiendi fructus ex re fructifera, est tamen etiam alienatio pro tempore futuro: cùm ergo res iudicanda sit ex euentu, & fine, ad quem ordinatur, *l. sed & si quid, §. 1. ff. de vsufruct. & cap. fraternitatis, §. fin. de frigid. & malefic.* sequitur, quod fundatio census vitalitij non tam sit dicenda emptio, quàm alienatio pecuniæ, atque adeo fieri prohibita per extrauag. *Ambitiosæ.*

Confirmatur secundò, quia ( cùm qualitas adue- 32
niens qualificet diuersum ens, & reponat in noua specie, *§. præterea, Instit. de inutil. stipulatione, cap. cum Martha, §. quæsiuisti, de celebrat. Missar. & cap. statutum, de elect. in 6.* & tradunt Hippolyt. *singul. 20.* Menoch. *de recuper. possess. remed. 6. num. 8.* Surdus *consil. 321. num. 12.* & Gomez *§. personam, Instit. de actionib.* ( fit quod res quælibet considerari debeat cum sua qualitate; atque adeò, quod census considerari debeat, non præcisè vt emptio quædam, neque vt emptio cuiuscumque census, sed vt talis census, scilicet vitalitij; quod est esse emptionem iuris extinguibilis ad tempus in fauorem venditoris, & continet reuersionem iuris acquisiti per emptionem ad ipsum venditorem; quod sanè est alienatio, quia dicit translationem iuris ipsius Ecclesiæ finita hominis vita, super qua fundatur census: & de hac translatione fit pactum de præsenti, quando instituitur census.

Confirmatur tertiò, quia prohibitio alienandi res 33
Ecclesiasticas eò tendit, quod res conseruentur suæ Ecclesiæ, vt illis ipsæ Ecclesiæ, Monasteria, & pia loca sustententur, extrauag. *Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alien.* At per fundationem census vitalitij res non conseruantur suæ Ecclesiæ, vt illis ipsæ Ecclesiæ, Monasteria, & pia loca sustententur, sed constituuntur in statu, vt infrà certum tempus debeat Ecclesia necessariò remanere iis priuata: ergo fundatio census vitalitij ex pecunia saltem, quæ succedit loco rei immobilis, est prohibita alienari per dict. extrauag. *Ambi-* 34
*tiosæ*: quia quando aliquid est prohibitum, censentur etiam prohibita omnia, quæ ad ipsum conducunt, *l. ratio, ff. de sponsalib. l. pupillus, §. si per interpositum, ff. de auctor. tutor. l. fin. Cod. de reb. alien. non alien. cap. præterea, de offic. deleg.* & *cap. cùm quid prohibetur, de regul. iur. in 6.* fundatio namque census vitalitij eò tendit, vt Ecclesia remaneat priuata & pecunia, & census.

Obiicies: pecunia non est de iis, quæ prohibentur 35
alienari, cùm non sit res immobilis, nec res pretiosa mobilis;

mobilis; siquidem non potest ita inseruire, vt seruando seruetur; quia non habet alium vsum, nisi vt consumatur: ergo, &c.

Respondetur, si loquamur de omni alia pecunia, concedo, si loquamur de pecunia, de qua suprà dicebatur, nego; quia cum talis pecunia, vt patet ex dictis, succedat loco rei immobilis, vel mobilis pretiosæ, prohibetur distrahi tanquam res immobilis,
36 vel mobilis pretiosa: quo stante alienatio ipsius æqualenter esset alienatio rei immobilis, vel mobilis pretiosæ. Neque obstat, quod res immobilis, vel mobilis pretiosa emenda non possideatur, & prohibitio sit solum de alienandis, quæ possidentur. Respondeo enim, quod possidetur ipsa pecunia, quæ habetur pro re immobili, vel pretiosa. Armilla *verb. Alienatio, num.4.* Conrad. *part.2.resp.cas.conscient.quæst.25.* Barbosa *de potest.Episcop.part.3.allegat.95.num.40.* Homobon. *part.4.resp.44.* & Bonacina *de alien. bonor. Eccles. disp.2.quæst.vnic.punct.2.n.5.* qui testatur de communi.

Obiicies secundò, fundatio census vitalitij non est alienatio, sed emptio iuris exigendi fructus super re fructifera: ergo non est de prohibitis. Consequentia probatur, quia non prohibetur pro Ecclesia emptio, sed tantum alienatio bonorum Ecclesiæ.

37 Respondetur, quod licet fundatio census vitalitij sit quædam emptio, est tamen emptio qualificata, quæ continet etiam alienationem, siquidem continet pactum, quod ius acquisitum per emptionem transferatur post mortem illius, super cuius vita fundatur, ad venditionem. Aut saltem ordinatur ad alienationem, quod sufficit, vt prohiberi comprehendatur in dicta extrauag. *Ambitiosæ.*

38 Obiicies tertiò, census vitalitius, licet extinguatur morte contrahentis, est tamen vtilis Ecclesiæ, siquidem vtilitas attenditur tempore contractus. Gloss. *in cap. ad aures, verb. Tunc, de reb. Eccles. non alien.* Genuens. *in prax. Archiepisc. c.89.n.3.* & Bonac. *de alien. bonor. Eccles. disp.2. quæst. vnic. punct.3. n.2.* quinimò adest etiam vtilitas pro tempore futuro, quia durante censu percipiuntur fructus.

Respondetur, quod fundatio census vitalitij, licet de præsenti sit ex vno capite Ecclesiæ vtilis, est tamen ex alio capite etiam de præsenti ei damnosa; tum quia absolutè tendit ad priuationem intra certum tempus necessariò futurum; tum quia de præsenti Ecclesia exponitur periculo amittendi capitale, & fructus ad breue tempus, cùm vita hominis sit in continuo, & quotidiano periculo. Vnde bona certa Ecclesiæ commutantur in spem incertam fructuum percipiendorum ex tali censu.

39 Accedit, quod vtilitas, vel etiam necessitas non sufficit, vt res Ecclesiæ possit alienari, sed sufficit solum, vt possit obtineri à Sede Apostolica licentia de alienando, sicut patebit ex iis, quæ dicam *infrà diffusè dub.9.*

## SECTIO IV.

### An, & quid dicendum de grege ouium, vel de armento boum, & similibus?

#### SVMMARIVM.

1 *Inter mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, numerari debet grex ouium, & caprarum, armentum boum, præsepium equorum, & similia.*

2 *Secus dic de fructibus gregis, & armenti, & similium, quia hæc non computantur inter bona pretiosa, quæ seruando seruari possunt.*

3 *Fructus gregis, armenti, & similium alienari possunt sine iuris solennitate, sicut alienari possunt fructus agrorum.*

SEquitur tertiò, quod è contrà inter mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, numerari debeat grex ouium, & caprarum, armentum boum, præsepium equorum, & similia; quia est quid magni valoris, & per continuam fœtuum multiplicationem conseruari potest. Secus dicas de fructibus gregis, armenti, & similium; quia hæc non computantur inter bona pretiosa, quæ seruando seruari possunt; sicut nec computaretur fructus agrorum: quapropter hæc alienari poterunt sine solennitate iuris, sicut sine solennitate iuris alienari possunt fructus agrorum. Sic Doctores communiter. Mol. *tract.2. disput.456. in fin.* Rebdoanus *de alien. q.2.* Quaranta *n.25.* Sopranus *c.4. q.19. n.24.* & alij passim. Vide quæ dicebantur *suprà dub.1.*

## SECTIO V.

### An, & quid dicendum de arboribus.

#### SVMMARIVM.

1 *Inter bona immobilia numerari debent arbores, si prædio sint necessariæ: itavt illis sublatis prædium notabiliter deterioretur.*

2 *Secus dic si non sunt necessariæ; vel prædio damnum aliquod inferant, vel loco illarum reponantur aliæ fructiferæ, vel magis fructiferæ.*

3 *Conseruari posse non debet dici id, cuius conseruatio Ecclesiæ potius damnosa est.*

4 *Prælatus scindens arbores, easque vendens in vtilitatem Ecclesiæ, non peccat in casu, quo talis scissio damnum prædio non inferat.*

5 *Damnum in scissione arborum non consideratur, si in prædio relictæ sint arbores sufficientes.*

6 *Idem dicas si scindat arbores cæduas, quales sunt, quæ tantum vtiles sunt ad lignandum.*

7 & 8. *Silua cædua, nemus, arundinetum, & similia censentur potius fructus prædij, quàm prædium: & ideo nullam exigunt solennitatem in eorum alienatione. Secus de silua, arboretus vel luco consito in prædio ad amœnitatem prædij, & non consito ad lignandum, nisi fieret transmutatio in quid aliud magis fructiferum.*

9 *Quod dixi de incisione arborum, idem dic de incisione vineæ, vel alterius rei similis.*

SEquitur quartò, quod etiam inter bona immobilia numerari debeant arbores, si scilicet prædio sint necessariæ, itavt illis sublatis prædium notabiliter deterioretur. Secus, si non sint necessariæ, v. g. sint vel ferè mortuæ, vel ita detonsæ, vt potius prædio damnum inferant, vel loco illarum reponantur aliæ fructiferæ, vel magis fructiferæ, quia hæc omnia vtilia sunt, & secundum regulas agriculturæ. Et dici non debet, conseruandum esse id, cuius conseruatio Ecclesiæ potius damnosa est. Quapropter neque peccabit Prælatus, si scindat arbores, easque vendat in vtilitatem Ecclesiæ, in casu, quo talis scissio prosit, vel saltem damnum prædio non inferat: sicuti de facto non infert, si in prædio sufficientes arbores relinquat. Idemque dic, si scindat arbores cæduas, quales sunt, quæ tantum vtiles sunt ad lignandum, vt est silua cædua, nemus, arundinetum, & similia, quia hæc censentur potius fructus prædij, quàm prædium: quapropter poterunt sine solennitate iuris scindi, &

8 alienari. Secus dicendum de silua,arboribus, luco consito in prædio ad amœnitatem prædij , & non consito ad lignandum, seu cædendum, nisi talis silua , arbores , vel lucus transmutentur in vineam , vel quid aliud magis fructiferum , & Ecclesiæ vtilius , iuxta ea , quæ dicentur *infra dub.*2. Sic Nauar. *lib.*1.*consil.*6. *&* 7. *de rebus Eccles. non alien.* Suar. *tom.*4. *de relig. tract.*8.*lib.*2.*cap.*27. *num.*18. Rodriguez *lib.*1. *qq. regul. quæst.*27.*art.*4. Quaranta *verb. Alienatio , num.*37. *lit.F.* Bonacina *disp.*3. *de contract.quæst.*8. *punct.*4.*n.*18. Peirinus *tom.*1.*priuileg.Minim.in const.*9.*Iulij II.n.*18.*& seqq.* Farinacius *part.*2.*decis.*553. Tamburinus *de iure Abbat. tom.*3.*disp.*13.*quæst.*3.Bordonus *resol.*27.*num.*14.Lezana *verb.Alienatio, n.*19.

9 Et quæ dixi de incisione arborum , eadem dico de incisione vineæ, vel alterius rei similis.

## DVBITATIO III.

### Quænam alienatio prohibeatur ?

#### SVMMARIVM.

1 *In extrauag.Ambitiosæ, non solum prohibetur alienatio strictè sumpta , per quam fit translatio dominij directi rei alienatæ,sed etiam alienatio latè sumpta, per quam fit translatio cuiuscumque iuris , & dominij.*

2 *Item in citata extrauaganti prohibentur venditio , donatio , consumptio , permutatio , precarium , census , feudum , emphyteusis , & locatio ad longum tempus.*

3 *Census impositio fieri potest à capitulo pro sustinendis litis expensis.*

4 *Per feudum , & emphyteusim , seu locationem transfertur dominium vtile in feudatarium , emphyteutam, & conductorem.*

5 *Item prohibetur actio pignoratitia , & hypotheca ratione periculi translationis dominij , casu quo deficiat, vnde principali obligationi satisfiat.*

6 *Alienationis prohibitio fauore Ecclesiæ comprehendit omnem actum , per quem in extraneum ius aliquod vtile transfertur , & per quem in rebus Ecclesiæ seruitus aliqua constituitur , licet probabiliter comprehendat tantum hypothecam specialem.*

7 *Per generalem hypothecam non tantum res quàm persona remanet obnoxia obligationi.*

8 *Qui sua bona tantum hypothecæ generali obligauit,non impeditur ea alienare, cum eadem sic alienata creditori non submittantur.*

9 *Seruus si per generalem tantum hypothecam obligatus fuerit, manumitti potest , licet alij probabiliter sentiant oppositum.*

10 *Res sterilis , & domus , ex qua nihil vtilitatis percipitur, non potest alienari.*

11 *Regulares non possunt vendere stabilia , vel mobilia pretiosa , quæ seruando seruari possunt, nec etiam pro fabrica Monasterij , vel ad effectum emendi census.*

12 *Nec possunt dicta bona vnius Monasterij transferre in aliud.*

13 *Possunt tamen , si sint bona non pretiosa , vel quæ seruando seruari non possunt.*

14 *Quod dictum est de translatione , idem dicendum de permutatione.*

1 REspondetur , prohiberi non solum alienationem strictè sumptam, nempe per quam fit translatio dominij directi rei alienatæ , *l.*1. *Cod.de fundo dotali*,& ibi Gloss.& colligitur ex *l.*1.*Cod.de iure emphyt.* sed etiam alienationem latè sumptam , per quam fit translatio cuiuscumque iuris , & dominij , etiam vtilis , vel indirecti ( retento directo ) vsufructus , vel possessionis , &c. iuxta *cap. nulli , de rebus Eccles. non alien. & l.sancimus , eod.tit.* Et sic prohiberi in rebus 2
Ecclesiæ non solum venditionem , donationem , consumptionem , permutationem , precarium ( vt rectè dixit Riccius *decis.*64. Quaranta *verb. Alienatio , n.*15. & Bonacina *de alien. bonorum Eccles. punct.*2. *num.*9. ) sed etiam prohiberi censum , siue perpetuum , siue vitalitium ( quamvis census impositio fiat à Capitulo pro sustinendis litis expensis , vt ex Baldo , & aliis probat Riccius *decis.*49. *&* 71. ) feudum, emphyteu- 3
sim , locationem per longum tempus , contractum superficiarium, libellarium , & similem ; quia per hæc transfertur dominium vtile in feudatarium , emphy- 4
teutam , conductorem , &c. Sic dicebam *suprà dub.*1. *num.*19. *& seqq.* & constat ex *cit. cap. nulli , ex toto titulo de rebus Eccles. non alien. extrauag.Ambitiosæ* , cum decreto S. Congregationis , *& Clement.*1. *eodem tit.* & docent præter Sylvestrum *verb. Alienatio , num.*6. & Molinam *de contract. tract.*2. *disp.*464. *num.*1. *& seqq.* communiter Doctores , quos citat , & sequitur Quaranta *cit.num.*15.*&* 16. Bonacina *cit. punct.*2. *num.*1.& Rodriguez *tom.*1.*qq.regul.q.*27.*art.*1. Quin addo prohi- 5
beri etiam pignoratitiam actionem , & hypothecam, ratione periculi translationis dominij , casu scilicet, quo deficiat , vnde principali obligationi satisfiat : tum quia hypotheca expressè ponitur inter cotractus prohibitos , tam *in cit. extrauag. Ambitiosæ* , quàm in cit. decreto S. Congregationis , quæ referebam *cit. dub.*1. *num.*4. tum quia , qui non potest alienare , nec etiam potest hypothecare : DD. apud Barbos. *de offic. & potest. Episc. allegat.*19. *num.*85. Sic Couar. 2. *var. cap.*16. *num.*7. Vasquez *de redditib. cap.*2. §.2. *num.*35. Mol.*de iust.tract.*2. *disp.*464. *& seqq.* & Azorius *tom.*2. *lib.*9.*cap.*1. *quæst.*2. Et ratio horum omnium est , quia 6
fauore Ecclesiæ , alienationis prohibitio comprehendit omnem actum , per quem in extraneum ius aliquod vtile transfertur , & per quem in rebus Ecclesiæ seruitus aliqua constituitur ; quamvis probabiliter comprehendat tantum hypothecam specialem , non item generalem , ex eo , quia per generalem non tam 7
manet obligata res , quàm persona. Vnde qui sua 8
bona tantum hypothecæ generali obligauit , non impeditur ea alienare , & eadem sic alienata creditori 9
non submittuntur. Similiter seruus , si per generalem tantum hypothecam obligatus fuerit , manumitti potest. Vide Abbatem *cit. cap.nulli , num.*3. Redoanum *cap.*6. Couar.2.*var. cap.*16. *num.*7. & Molinam *de iust. tract.*2. *disp.*466. Vide etiam quæ dicebam *suprà dub.*1. *num.* 19. quamvis alij , quos ibi citabam , sentiant , & etiam probabiliter , oppositum , ex eo , quia sumus in materia fauorabili Ecclesiæ , & extrauagans *Ambitiosæ*, absolutè loquitur : sed quod dixi , ob rationes dictas ( ex quibus patet ad oppositum ) est etiam satis probabile.

His adde , prohiberi etiam alienationem rei ste- 10
rilis , seu domus , ex qua nihil vtilitatis percipitur ; quia adhuc res hæc est immobilis. Doctores quos citat , & sequitur Quaranta* *num.* 37. & Bonacina *num.*9.

Adde secundò , non posse Regulares stabilia , vel 11
mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt,vendere , nec etiam pro fabrica Monasterij , vel ad effectum emendi census. Doctores apud Barbos.*in Collect.Bullar. verb. Stabilia.*

Adde tertiò , nec posse Regulares bona vnius Mo- 12
nasterij transferre in aliud , quia huiusmodi translatio est quædam alienationis species. Doctores , quos sequitur Bonac.*cit.num.*9. quapropter priuilegia , quibus

id

id Regularibus permitti videtur ( vt legere est apud Rodrig. *tom.2. quæst.125. art.9.* & Peirinum *tom.1. priuileg. Minim, in Constit.11. Iulij 11. num.76.* ) quoad huiusmodi bona transferenda, modò cessant propter dictum decretum S.Congregationis, cum in eo reuocentur omnia priuilegia Regularium in ordine ad alienationes prædictorum bonorum faciendas; quamvis non cessent quoad bonorum mobilium non pre-
13 tiosorum, quæ seruando seruari non possunt: horum enim alienatio non est prohibita, vt patet ex dicta extrauag. *Ambitiosæ*, & dicto decreto S.Congregationis. Et quod dixi de translatione, idem dico de per-
14 mutatione, seu commutatione; quia permutatio etiam est alienatio, & expresè prohibetur in dictis iuribus, vnde nec ista fieri potest à Regularibus sine licentia S.Congregationis, nisi similiter de rebus mobilibus non pretiosis, vel quæ seruando seruari non possunt.

## DVBITATIO VI.

An, & quid dicendum sit, si Prælatus in ordinatione sui Summo Pontifici iurauerit, se bona Ecclesiæ non alienaturum?

### SECTIO I.

#### Suppositum.

#### SVMMARIVM.

1 *Iure antiquo in alienatione bonorum Ecclesiæ Cathedralis requirebatur consensus Sedis Apostolicæ, non quidem vt alienatio esset valida, sed solum vt esset licita; etiamsi Episcopus in sui consecratione iurauisset, se bona Ecclesiæ inconsulto Summo Pontifice, non alienaturum.*

2 *Episcopus, & Abbas à Summo Pontifice creatus periuri sunt alienando bona Episcopatus, & Monasterij respectiuè, ad quæ non alienanda iuramento stringantur, inconsulto Summo Pontifice.*

3 *Alienatio prædicta, non tamen de iure antiquo, de consensu Summi Pontificis obtento est inualida, si solum conditio hæc desit; quia nullo iure antiquo illa irritatur.*

4 *Aliud est aliquid esse illicitum, ac esse inualidum.*

5 *Iurans se rem suam non venditurum, si postea vendat, illicitè facit, non tamen inualidè.*

6 *Iure nouo per extrauagantem Ambitiosæ Pauli II. requiritur consensus apostolicus non solum in rebus Ecclesiæ Cathedralis, sed etiam cuiuscumque alterius Ecclesiæ, & loci pij, vbi tamen dicta extrauagans est recepta.*

7 *Consensus apostolicus sufficit sine alia solennitate, si sic vellet Pontifex, quia cum talis solennitas sit de iure Canonico, Papa potest dispensare.*

8 *Consensus Apostolicus, licet suppleat solennitates positiuas, non tamen supplet alienandi causam, nisi Pontifex exprimat.*

9 *Pontifex semper consensum præstat sub conditione, si alienatio sit in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, quod forsan etiam non expressum tacitè intelligitur.*

10 *Alienatio, etiam cum dicto consensu Apostolico supplente facta impugnari poterit, nisi euidenter constet illam in vtilitatem Ecclesiæ celebratam fuisse.*

11 *Consensus Apostolicus, sicut & omnis alia iuris solennitas, præsumitur ex lapsu triginta vel quadraginta annorum in alienatione rei Ecclesiæ, vel loci pij, si contrarium aliunde non constet.*

12 *Consensus Apostolicus in dubio non præsumitur, nisi demonstretur, secus est si de iure aliunde non requirebatur.*

13 *Delictum, & defectus non præsumitur, nisi demonstretur.*

14 *Homo, quando constat Deo vouisse, iurasse, vel contractum fecisse, præsumitur deliberationem sufficientem, & conditiones, & solennitates requisitas, seu necessarias adhibuisse.*

SVppono, in alienatione bonorum Ecclesiæ Cathe- 1
dralis iure antiquo requiri consensum Sedis Apostolicæ, non quidem, vt alienatio sit valida, sed solum, vt sit licita, etiamsi Episcopus in sui consecratione iurauerit, se bona Ecclesiæ, inconsulto Summo Pontifice, non alienaturum, neque oppignoraturum, neque in feudum vel emphyteusim de nouo daturum; quapropter Episcopus ( idemque dico de Abbate, qui à Papa creatur, quia & hic etiam similiter, sicut & 2
Episcopus, iuramentum emittit de non alienando bona sui Monasterij ) periurus quidem est, alienando bona suæ Ecclesiæ, inconsulto Summo Pontifice, non tamen alienatio iure dicto antiquo attento est inualida, si solum conditio hæc de consensu Summi Pontificis obtento desit, quia nullo iure antiquo illa 3
irritatur, & ex alio capite aliud est, aliquid esse illici- 4
tum, ac esse inualidum, vt patet si quis iuret rem 5
suam non vendere, & postea tamen vendat, in quo casu illicitè quidem vendit, non tamen inualidè. Abb. *in cit. cap. 1. de his, quæ fiunt à Prelat.* Mol. *de iust. disp.467. num.8.* & 16. Riccius *decis.11.* & 46. Sopran. *cap.1. quæst.10.* & alij passim. Vide quæ dicentur *infrà dub.29.*

Dixi, *iure antiquo*, quia iure nouo extrauag. *Am-* 6
*bitiosæ*, Pauli II. requiritur consensus Apostolicus, non solum in rebus Ecclesiæ Cathedralis ( sicut etiam iure antiquo requirebatur ad licitam solum alienationem talium bonorum ) sed etiam in rebus cuiuscumque alterius Ecclesiæ, & loci pij ( in locis tamen, in quibus dicta extrauagans quoad hanc partem recepta est) ad hoc vt talium rerum alienatio sit licita, & valida simul. Sic communiter Doctores, Leo *in thesaur. fori, cap 15. num.7.* & Quaranta *verb. Alienatio, num.5.* contra Redoanum *quæst.42.* & 46. Sufficeret tamen 7
consensus Apostolicus sine alia iuris solennitate, si sic vellet Pontifex: quia talis solennitas requiritur de iure Canonico, in quo Pontifex potest dispensare. Accedit, quod bona Ecclesiæ subsunt arbitrio ipsius Pontificis: ergo, &c. Sic Ruinus *cons.157.* Riccius *cons.242.* & Soprarus *cap.5. q.4.* Qui tamen consensus 8
Apostolicus supplens, licet suppleat solennitates positiuas, non tamen supplet alienandi causam, nisi Pontifex exprimat; quia Pontifex semper consensum 9
præstat sub conditione, *si alienatio sit in euidentem vtilitatem Ecclesiæ*, adeò quod, si quando fortè non exprimit, tacitè subintelligat. Rota *2.p. diuers. decis.178. n.2.* Quaranta *n.7.* Redoanus *q.22. n.75.* & Sopranus apud Filliucium *tract.44. cap.5. q.11.* Quapropter alienatio 10
etiam cum dicto consensu Apostolico supplente celebrata impugnari poterit, nisi euidenter constet, illam in vtilitatem Ecclesiæ celebratam fuisse. Menochius, Quaranta, & alij *in locis supra cit.*

Cæterum, an consensus Apostolicus, sicut & om- 11
nis alia iuris solennitas, præsumatur ex lapsu 30. vel 40. annorum in alienatione rei Ecclesiæ, vel loci pij interessisse, si contrarium aliunde non euidenter constet.

Respon

Respondetur affirmatiuè: Sic Felinus, & alij, quos citat, & sequitur Genuensis *in praxi, cap.*88. Riccius *decis.*34. & 35. Mascardus *de probation. concl.*416. *numero* 2.& videtur esse vsu receptum in Rota Romana, quamvis contrarium teneant Baldus *in l.*2. *Cod. de legit. hæred.* Menoch. *lib.*3. *præsumpt.*132. *num.*70.& 71. Quaranta *num.*46. & Redoanus *quæst.*38. *num.*16. Sed quod dixi, est multò probabilius, iuxta regulam apud Mascardum *vol.*2. *de probation. concl.*734. &
12 *gloss. l. in contrahenda, ff. de regul. iuris*: factum (licet in dubio non præsumatur, nisi demonstretur, vt colligitur *ex l. in bello, §. factæ, ff. de captiuis, & postlimio reuersis, & l.*2. *ff. de probat.*) tamen præsumitur, si illud de iure faciendum erat; quia magis est, vt existimemus, aliquem munus suum rectè obiisse, atque in eo, quod egit, nihil necessarium omisisse, quàm
13 non, quia delictum, & defectus non præsumitur, nisi demonstretur.

14 Vnde similiter si constet, hominem quidpiam egisse, v. g. Deo vouisse, iurasse, vel contractum fecisse, &c. præsumitur deliberationem sufficientem, & conditiones, ac solennitates requisitas, seu necessarias adhibuisse. His suppositis sit.

## SECTIO II.

### Dubitationis Resolutio.

### SVMMARIVM.

1 *Episcopus si iurauit simpliciter non alienare bona suæ Ecclesiæ, dicitur quod intellexit solum de illicita alienatione.*

2 *Episcopus si iurauit se non alienaturum bona suæ Ecclesiæ, inconsulto summo Pontifice, censetur intellexisse de alienatione licita, & iure concessa.*

3 *Iuramentum debet aliquid operari.*

4 *Solus defectus consultationis Papæ sufficit ad incurrendas pœnas à iure statutas, licet seruaretur tenor præscribi solitus.*

5 *Ad disiunctionem sufficit alterutram partem verificari.*

6 *Episcopus, vel Abbas alienantes in casu posito res suæ Ecclesiæ, etiam in causis, quas iura concedunt, fiunt periuri, cum tale iuramentum sit de re licita.*

7 *Excipitur primò casus magnæ necessitatis, quæ dilationem non patiatur, vt Pontifex, aliusve superior prius consuli possit.*

8 *Excipitur secundò casus in rebus modicis, vel Ecclesiæ parum vtilibus, quas Prælatus potest alienare non obstante iuramento.*

9 *Excipitur tertiò casus locationis ad longum tempus, & concessionis in pignus, seu hypothecam vel in feudum, & emphyteusim; in quo potest Prælatus non obstante iuramento, inconsulto summo Pontifice, ad actum deuenire sine periurij periculo, & sic non validè, nec licitè ex alio capite.*

10 *Iuramentum est stricti iuris, & strictæ interpretationis, & ideo in tali casu alienationis appellatione non venit, nisi alienatio strictè sumpta, per quam directum dominium transfertur.*

11 *Nomine alienationis strictè sumptæ, non venit locatio etiam ad longum tempus, vel pignus, vel hypotheca, vel in feudum, vel emphyteusim concessio, contra Abbatem, & alios.*

12 *Iuramentum simpliciter prolatum, intelligi debet secundum subiectam materiam, & secundum iuris dispositionem.*

13 *Nomine alienationis ex iuris dispositione venit etiam locatio ad longum tempus, & in pignus, seu hypothecam, vel in feudum, & emphyteusim concessio.*

14 *Nomine alienationis per extrauagantem Pauli II. venit etiam locatio ad longum tempus, & in pignus, seu hypothecam, vel in feudum, & emphyteusim concessio.*

15 *Extrauagans Pauli II. pluribus in locis, quoad dictum rigorem non fuit recepta, saltem quoad pœnas, & censuras, & etiam quoad locationem vltra triennium, & quoad concessionem in pignus, seu hypothecam, vel in feudum, & emphyteusim.*

16 *Extrauagans ambitiosæ Pauli II. in quibusdam locis recepta non est quoad assensum Apostolicum in alienatione quorumdam bonorum Ecclesiasticorum.*

17 *Iuramentum Prælati de non alienando bona suæ Ecclesiæ inconsulto summo Pontifice, non est improbabile, quod intelligatur de alienatione tantum illicita, & contra formam iuris.*

18 *Iurans non infeudare bona Ecclesiæ, inconsulto summo Pontifice, non intelligitur de feudo dato, & ad Ecclesiam deuoluto, quod est licitum, sed tantùm de noua feudi concessione, quæ est illicita.*

19 *Iurans non alienare res Ecclesiæ, inconsulto summo Pontifice, non intelligitur, quod non possit alienare in casu necessitatis, vel quod non possit alienare res modicas, aut parum vtiles.*

20 *Prælatus iurans perpetuò in Ecclesia se permansurum, non intelligitur, quod non possit abesse ex causa necessitatis, seu vtilitatis Ecclesiæ.*

21 *Iuramentum factum in materia iuris, ad iuris terminos restringi debet.*

22 *Consensus summi Pontificis iuxta extrauagantem ambitiosæ, requiritur in illis casibus, in quibus Prælati consensus, & tractatus à iure expostulatur. Secus vbi consensus Prælati non requiritur.*

23 *Iuramentum Prælati in dictis casibus non est eluso rium, operatur enim vt Prælatus sit firmior in obseruandis iuris statutis.*

24 *Iuramentum extendi potest ad quamlibet alienationem, etiam licitam, & iure concessam, de facto tamen non extenditur.*

25 *Defectus consultationis summi Pontificis, sufficit ad incurrendas pœnas in illis casibus, in quibus consultatio illius expostulatur; non tamen requiritur in omnibus casibus.*

26 *Legatus à latere non potest reuelare iuramentum factum à Prælato de non alienandis bonis Ecclesiæ inconsulto summo Pontifice, quia id esset in præiudicium summi Pontificis.*

REspondetur ad difficultatem positam distinguendo: vel Episcopus iurauit simpliciter, se bona Ecclesiæ non alienaturum, vel non alienaturum inconsulto summo Pontifice. Si primo modo iurauit, iuramentum intelligitur de alienatione solum illicita, vt perinde sit, ac si Prælatus iurasset, se bona Ecclesiæ non alienaturum sine iusta causa, & præter iuris formam; in quo non est difficultas, & conueniunt Doctores. Si secundo modo iurauit, ex probabiliori sententia Doctorum intelligitur de alienatione etiam licita, & iure concessa. Sic Abb. *in cap. vt super, de rebus Eccles. non alien.* Silu. *verb. alienatio, quæst.*16. Molina *de iust. tract.*2. *disp.*468. Azor. 2. *part. lib.*9. *cap.*1. *quæst.*9. Scortia *Theorem.*118. & Nauarr. *comment. de alienat. rerum Eccles. num.*13. *& in Man. cap.*27. *numero* 149. & colligitur ex verbis, quæ Prælatus, scilicet Episcopus, & Abbas, qui vigore literarum Apostolicarum consecratur, in ordinatione sui profert, ibi: *Possessiones ad mensam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de nouo infeudabo,*

*dabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto Romano Pontifice.* Et
3 probatur etiam ratione; quia iuramentum debet aliquid operari: at si ad solas alienationes prohibitas extenderetur, nihil operaretur; tum quia si dicatur extendi ad omnes alienationes etiam licitas, & non prohibitas, cautius, & consultius in fauorem Ecclesiæ proceditur; tum quia *in Extrauag. Ambitiosæ*, statuuntur pœnæ aduersus eos, qui inconsulto Papa, vel contra illius constitutionis præscriptum tenorem
4 res Ecclesiæ alienare præsumpserint. Ergo solus defectus consultationis Papæ, tametsi seruetur ibi præscriptus tenor, sufficiet ad incurrendas prædictas
5 pœnas. Consequentia probatur, quia in cit. Constitutione disiunctiuè sit sermo, & ex alio capite ad disiunctionem sufficit, alterutram partem verificari, *l. plerumque, ff. de iure dotium, & cap. in alternatiuis, de regul. iuris in 6.*

6 Itaque si Episcopus, vel Abbas in casu posito res suæ Ecclesiæ, etiam in causis, quas iura concedunt, alienent inconsulto Pontifice, fiunt periuri; cum tale iuramentum sit de re licita (nempe vt alienatio cautiùs fiat,) & possit seruari; ideoque sit complendum, iuxta *cap. si verò, de iureiur. & cap. quamvis, de pactis in 6.* nisi velint esse periuri.

7 Excipitur primò casus magnæ necessitatis, quæ dilationem non patiatur, vt Pontifex, aliúsve superior prius consuli possit, vt suprà *dubit.* 1. dicebatur. Et hoc nota (inquit Silu. *loco suprà cit. quæst.* 17.) quia facit pro exemptis habentibus superiorem in locis valde remotis.

8 Excipitur secundò casus in rebus modicis, vel Ecclesiæ parum vtilibus: has enim Prælatus, qui iurauit se non alienaturum inconsulto summo Pontifice, potest nihilominus alienare; quia tales in tali materia non censentur comprehensæ nomine alienationis solennitatem aliquam, & summi Pontificis consensum postulantis, vt *cit. dubit.* 1. dicebam ex textu *in cap. terrulas* 12. *quæst.* 11. & docet glossa *ex cap. vt super, de rebus Eccles. non alien.* Calderin. *consil.* 7. *eod. tit.* Federicus de Senis *consil.* 210. & Abb. *in cap. vlt. de Eccles. ædificandis, num.* 9. & *in cit. cap. vt super, numero* 15.

9 Excipitur tertiò casus locationis ad longum tempus, & concessionis in pignus, seu hypothecam, vel in feudum, & emphyteusim; adeo vt licet Prælatus iurauerit, se non alienaturum res Ecclesiæ inconsulto Pontifice, possit adhuc tamen sine periurij periculo, etsi non validè, nec licitè ex alio capite, illas ad longum tempus, inconsulto Pontifice, locare, vel in pignus, seu hypothecam, vel in feudum, & emphyteusim concedere; quia cùm iuramentum sit stricti iuris, & strictæ interpretationis, *arg. cap. penult. de*
10 *iureiurando*, alienationis appellatione non venit, nisi alienatio strictè sumpta, per quam directum dominium transfertur (vt venditio, donatio, & permu-
11 tatio) non item locatio (etiamsi illa sit ad longum tempus) vel in pignus, seu hypothecam, vel in feudum, & emphyteusim concessio. Sic Couar. 2. *resol. cap.* 16. *num.* 2.

Quamvis contrarium quoad hoc satis probabiliter sentiant Abb. *in cap. intellecto, de iureiur. num.* 9. Silu. *verb. alienatio, quæst.* 17. Mol. *disp.* 466. §. *ex dictis*, &
12 Vasquez *de redditibus, cap.* 2. §. 2. *dubit.* 3. *num.* 24. ex eo quod iuramentum simpliciter prolatum intelligi debeat secundùm subiectam materiam, & secundum
13 iuris dispositionem, & ex alio capite in nostro casu alienationis nomine veniat ex dispositione iuris, etiam locatio ad longum tempus, & in pignus, seu hypothecam, vel in feudum, & emphyteusim concessio, vt patet *ex cap. ad audientiam, de rebus Ecclesiast. non alien.* & ex iis quæ suprà dicebantur, iuxta Constitutionem Extrauagantis *Ambitiosæ*, Pauli II. in qua certum est, quod alienationis appellatione veniat etiam locatio ad longum tempus, & in pignus, seu hypothecam, vel in feudum, & emphyteusim concessio, 14
sicuti rectè adnotarunt Redoanus *de rebus Eccles. non alien. rubr.* 8. *num.* 50. Less. *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 60. Rodrig. *in Compend. qq. Regul. resol.* 7. *num.* 23. Castrus Palaus *tom.* 2. *tract.* 12. *disput. vn. punct.* 15. §. 1. *num.* 2. Barbosa *de potest. Episc. part.* 3. *allegat.* 95. *num.* 38. Bonacina *de alienat. disp.* 2. *q. vn. punct.* 3. *num.* 30. Diana *part.* 5. *tract.* 13. *resol.* 6. & alij quos *supra dubit.* 1. referebam.

Cæterùm Silu. *verb. Excommunicatio* 3. *num.* 83. Nauar. *lib.* 3. *consil.* 10. *eod. tit. edit.* 2. & *in Summa capit.* 27. *num.* 149. Couar. 2. *resol. cap.* 16. *num.* 6. Azor. 2. *part. Instit. Moral. lib.* 2. *cap.* 2. *vers. quod attinet*, Vasquez *in opusc. de redditib. cap.* 2. §. 2. *num.* 32. & alij, quos *infra, sect.* 22. citabo, testantur Extrauag. istam plu- 15
ribus locis secundùm hunc rigorem receptam non esse, saltem quoad pœnas, & censuras, & etiam quoad locationem vltra triennium, & quoad concessionem in pignus, seu hypothecam, vel in feudum, & emphyteusim. Vide quæ dicentur *infrà cit. dubit.* 22. 23. & *cap. sequenti, dubit.* 1. Vide etiam Bonacinam *punct.* 5. *num.* 4. vbi subdit, quod neque dicta Extrauagans *Ambitiosæ*, Pauli II. recepta sit quoad assensum 16
Apostolicum in alienatione quorumdam bonorum Ecclesiasticorum; quia bona aliqua Ecclesiastica vendi consueuerunt de licentia solius Episcopi, non petito assensu Apostolico.

Dixi suprà in Responsione ad difficultatem, *ex probabiliori sententia Doctorum, iuramentum Prælati intelligi de alienatione etiam licita, & iure concessa*; quia improbabile non est, quod intelligatur de alie- 17
natione tantum illicita, & contra formam iuris. Sic defendit Abb. *in cap. vlt. de Eccles. ædificand. n.* 3. & Azor. *cit. lib.* 9. *cap.* 2. *quæst.* 17. & probari potest à si- 18
mili; quia iurans non infeudare bona Ecclesiæ, inconsulto Summo Pontifice, non intelligitur de feudo dato, & ad Ecclesiam deuoluto, quod est licitum, sed solùm de noua feudi concessione, quæ est illicita. Item iurans non alienare res Ecclesiæ inconsulto 19
summo Pontifice, non intelligitur, quod non possit alienare in casu necessitatis, vel quod non possit alienare res modicas, aut parum vtiles, quod etiam est licitum, vti suprà dicebam. Item iurans Prælatus per- 20
petuò in Ecclesia se permansurum, non intelligitur, quod non possit abesse ex causa necessitatis, vel vtilitatis Ecclesiæ, quia iuramentum factum in materia 21
iuris, ad iuris terminos restringi debet. Ergo similiter iuramentum factum de non alienando bona Ecclesiæ, nisi consulto summo Pontifice, non intelligitur, nisi de non alienando illa in iis casibus, in quibus summi Pontificis consensus à iure requiritur.

Quod si petas, in quibus casibus iuxta Extrauagantem *Ambitiosæ*, summi Pontificis consensus requiratur.

Respondetur, requiri in illis casibus, in quibus 22
Prælati consensus, & tractatus à iure expostulatur: tunc enim Pontifex *in cit. Extrauag.* consensum suum secundum requiri addidit: at non in aliis casibus, in quibus, si res Ecclesiæ alienetur, nullus tractatus, nullus consensus superioris, nullaque iuris solennitas expostulatur.

Vnde ad opposita facilè respondetur. Ad primum 23
nego iuramentum nihil operari: operatur enim, vt Prælatus sit firmior in obseruandis iuris statutis. Ad secundum, concedo iuramentum extendi posse ad 24
quamlibet alienationem, etiam licitam, & iure concessam; at nego de facto extendi. Ad tertium, conce- 25
do, defectum consultationis summi Pontificis sufficere ad incurrendas pœnas in illis casibus, in quibus

consultatio

consultatio illius expostulatur ; at nego , in omnibus casibus illam expostulari , sed solùm in iis , in quibus requiritur tractatus , & Episcopi consensus.

26 Si petas secundò , an Legatus à latere possit dare licentiam operandi contra iuramentum prædictum ?

Respondetur negatiuè , quia id esset in præiudicium Romani Pontificis , cui tale iuramentum Prælatos obstringit. Atque ita docent Speculator & Abbas , quos citat & sequitur Silu. *verb. Alienatio, n.16. in fin.*

## DVBITATIO V.

### An possit Prælatus suæ Ecclesiæ præiudicare ? Vbi etiam de Prælato Religionis & de Religioso.

### SVMMARIVM.

1 & 2 *Prælatus sine Capituli consensu , aliisque solennitatibus iure requisitis non potest Ecclesiæ suæ præiudicare in bonis , vel iuribus acquisitis. Secus est in acquirendis , quibus etiam sine Capituli consensu potest renunciare.*

3 *Prælatus validè repudiat donationem Ecclesiæ suæ oblatam , & validè repudiat legatum , & donationem , si non adimpleat conditionem legati, vel donationis.*

4 *Res relicta sub conditione non acquiritur legatario , vel donatario , ante conditionis euentum.*

5 *Res relicta sub modo acquiritur legatario , vel donatario etiam non adimpleto modo , quamvis legatario , vel donatario remaneat grauamen & obligatio aliquid faciendi.*

6 *Donatio , vel legatum sub modo habet esse suum substantiale absolutum , independenter quodammodo à modo , seu grauamine accessorio.*

7 *Promissum , seu legatum sub modo , statim etiam non impleto modo peti potest , quamvis promissarius , vel legatarius satisdare debeat de illo implendo.*

8 *Promissarius , vel legatarius , licet modum nondum impleuerit , tamen ius omne suum transmittit ad hæredem , qui etiam modum implere potest , & debet, & tam actiuè, quàm passiuè transmittit.*

9 *Modus , seu grauamen , vt promissioni accessorium censeatur , ideoque à promissario implendum sit , requiritur 1. fieri in continenti : 2. modum adiectum esse possibilem ; secus non tenet.*

10 *Modus promissioni , donationi , vel alteri dispositioni adiectus , est veluti accessoria pactio , seu obligatio: quapropter ipsa corruente propter sui impotentiam, non etiam corruit pactio , seu obligatio principalis , cum principale non pendeat à suo accessorio.*

11 *Modus adiectus tanquam causa finalis , ac principalis resoluitur in conditionem sine qua non , quia tunc corruit donatio , vel legatum.*

12 *Modus adiectus non tanquam causa finalis , ac principalis, sicut non resoluitur in conditionem sine qua non , ita etiam non efficit promissionem , vel donationem reuocabilem. Obligat tamen ad præstandam eius æstimationem.*

13 *Donatio Ecclesiæ facta sub modo , eo non seruato, neque reuocari potest , nisi id ipsum in donatione fuerit expressum , quia in dubio præsumitur facta propter Deum , & in remedium peccatorum.*

14 *Amplia etiamsi idipsum in donatione fuerit expressum , quod propter modum non seruatum esset reuocata.*

15 *Prælatus Ecclesiæ nocere non potest, si solus sine Capituli consensu modum donationis transgrediatur.*

16 *Prælatus nocere potest Ecclesiæ in casu , quo donati facta fuerit sub conditione , & conditionem Prælatus , qui res Ecclesiæ administrat , non adimpleat.*

17 *Promittens Ecclesiæ se donaturum centum , si pro eius Patre anniuersarium celebretur , si Ecclesiæ Prælatus nolit implere conditionem , promissor liberatur obligatione.*

18 *Si quis leget , vel donet centum cum modo , seu obligatione, vt anniuersarium celebretur , relictum reuocari non potest ob non adimpletum postea modum, sed agi potest ad implementum.*

19 *Res semel Ecclesiæ acquisita , est quasi sacra facta , & in speciali dominio Christi constituta , ideoque reuocari non potest.*

20 *Donans , vel legans Ecclesiæ , licet conditionem apposuerit , vt res ab ipso relicta alienari non possit , adhuc non censetur alienari prohibita in casu necessitatis.*

21 *Superior Religionis , cum Nouitium in Religionem suscipit , validè repudiat hæreditatem , qua post eius professionem , & Patris obitum Religioni obuentura esset.*

22 *Tenetur tamen in dictis casibus de mala administratione sui muneris.*

23 *Prælatus habet se ad Ecclesiam , tanquam tutor , seu curator.*

24 *Monachus , seu religiosus acceptans rem sibi testamento legatam sine licentia Prælati, licet validè acceptet , peccat tamen.*

25 *Si verò legatum sine consensu repudiat , non validè repudiat , quia ius est acquisitum Religioni.*

26 *Monachus , vel Religiosus in iure quærendo non solum prodesse, sed etiam obesse potest Religioni, scilicet si donationem sibi faciendam respuat, validè renunciat , & sic sine violatione voti paupertatis rogare potest offerentem , vt alteri dare velit.*

27 *Prælatus , licet absque Capituli consensu , cæterisque iuris solennitatibus non possit obesse alienando res Ecclesiasticas , potest tamen obesse in iudicialibus , permittendo aduersus suam Ecclesiam sententiam ferri.*

28 *Item potest obesse in vsucapionibus , permittendo res Ecclesiæ ab alio temporis diuturnitate præscribi.*

29 *Ecclesia læsa restituitur in integrum intra quadriennium.*

30 *Quæ alienari iure prohibentur , præscribi non possunt , si alienari simpliciter prohibeantur ratione ipsius rei.*

31 *Fundus dotalis , cum sit sub administratione mariti, & vxor agere prohibeatur , non præscribitur contra mulierem.*

32 *Præscriptio incipere non potest contra filium , dum bona ipsius aduentitia sunt penes Patrem , & filius pro his agere impeditur.*

33 *Præscriptio aliquando suspenditur , ac quodammodo dormit.*

34 *Quæ alienari non prohibentur simpliciter , sed solum limitatè , tunc præscribi interdum non impediuntur.*

REspondetur , quod licet Prælatus sine Capituli consensu , aliisque solennitatibus iure requisitis, non possit Ecclesiæ suæ præiudicare in bonis , vel iuribus acquisitis, possit tamen sine Capituli consensu, & omni alia iuris solennitate præiudicare in bonis , ac iuribus acquirendis , & sic illis validè renunciare. Ita glossa communiter recepta *in cap. vlt.16. q.6.* Iuristæ *in l. iubemus , Cod. de sacrosanctis Eccles.* Abbas , & Canonistæ *in cap. tua , de his quæ fiunt à Prælatis* : Silu. *verb. Alienatio , num.18.* Et probatur , quia ( sicuti colligitur

colligitur *ex l. si sponsus*, §. *si maritus hæres*, *ff. de donation. inter virum, & vxorem*) aliud est nocere, aliud verò est non prodesse.

3 Ex dictis sequitur primò, quod Prælatus validè repudiet donationem Ecclesiæ suæ oblatam, & validè repudiet legatum, vel donationem, si non adimplet
4 conditionem legati, vel donationis, quia res relicta sub conditione non acquiritur legatario, vel donatario ante conditionis euentum.

5 Non sic, si non adimplet modum, quia res relicta sub modo acquiritur legatario, vel donatario etiam nondum adimpleto modo; quamvis legatario, vel donatario restet grauamen, seu obligatio aliquid faciendi ac præstandi, sicuti colligitur *ex tit. Cod. de donationibus*, quæ sub modo, & docet glossa communiter recepta *in cap. verùm, verb. Conditione, de condition. appositis.* Abb. *ibid. n.* 2. Mol. *de iust. tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 208.
6 & Rebell. *part.* 2. *lib.* 18. *q.* 13. Et ratio est, quia donatio, vel legatum sub modo habet suum substantiale absolutum, independenter quodammodo à modo, seu grauamine accessorio.

7 Vnde subsequitur primò, quod promissum, seu legatum sub modo, statim, etiam non impleto modo, peti possit, quamvis promissarius, vel legatarius satisdare debeat de illo implendo, *l. quibus diebus*, §. *Tormilius*, *ff. de condition. & demonstrat.*

8 Subsequitur secundò, quod licet promissarius, vel legatarius modum nondum impleuerit, tamen ius omne suum transmittat ad hæredem, qui etiam modum implere potest, & debet, *l. à testatore, iunct. gloss. verb. Conditio*, *ff. eodem.* Quia si promissarius, vel legatarius ante cautionem, quam dare debuisset, moriatur, hæres ipsius, si cautionem det, in possessionem mittendus erit.

9 Subsequitur tertiò, quod tamen vt modus, seu grauamen promissioni accessorium censeatur, ideóque à promissario implendum sit, requiratur primò, modum incontinenti, veluti vnica pactione promissioni, donationi, alterive dispositioni adiectum fuisse, quia si prorsus perfecta, seu simpliciter facta fuerat donatio, modum, vel conditionem illam amplius non recipit, donatario inuito, *l. perfecta*, *Cod. de donation. quæ sub modo.* Secundò requiratur, modum adiectum esse possibilem: nam si impossibilis sit iure
10 vel facto, v. g. *dono tibi centum, vt blasphemes, vel vt cœlum digito tangas*, valet promissio, donatio, vel legatum, perinde ac si modus adiectus non esset, quia modus promissioni, donationi, vel alteri dispositioni adiectus, est veluti accessoria pactio, seu obligatio: quapropter ipsa corruente propter sui impotentiam, non etiam corruit pactio, seu obligatio principalis, cum principale non debeat pendere à suo accessorio. Vide Molinam *disp.* 208.

11 Dubium autem est, an si modus possibilis, ac honestus à donatario, vel legatario non seruetur, donatio, vel legatum corruat, vel solùm reuocari possit?

Respondetur inuestigandam esse mentem donantis, vel legantis, partim ex verbis, partim ex circumstantiis, vtrum modus ab illo adiectus fuerit tanquam causa finalis, ac principalis, quæ in euentu resolui debeat in conditionem sine qua non: *nempe dono, vel lego tibi centum ea lege, vt hoc, vel illud præstes, alioquin donatum, vel legatum retinere non possis*; quia tunc cor-
12 ruit donatio, vel legatum. An verò non fuerit causa finalis, ac principalis donandi, vel legandi, etsi interim donator, vel legator aliquam obligationem imponere intenderit, quia tunc reuocari non potest donatio, vel legatum, sed solùm compelli donatarius, vel legatarius ad modum seruandum, vel ad præstandam æstimationem eius, quod interest, modum non seruari. Sic Abb. *in cit. cap. verùm, de condition. appositis, num.* 3. & Molina *cit. disp.* 208.

Quamvis id peculiariter fauore causæ piæ statutum 13
sit *in cap. verùm, de condition. appositis*, vt scilicet donatio Ecclesiæ facta sub modo, eo non seruato neque reuocari possit, nisi idipsum in donatione fuerit expressum; ex eo, quia in dubio præsumitur donatio facta principaliter propter Deum, & in remedium peccatorum. Abb. *loco suprà cit.* Quin etsi idipsum in 14
donatione fuerit expressum, vt scilicet, si non seruetur modus, reuocetur Ecclesiæ facta donatio, & de facto non seruetur modus (v. g. fundus Ecclesiæ do- 15
natus, & alienari prohibitus de facto alienetur) neque poterit Prælatus Ecclesiæ nocere, si solus sine Capituli consensu modum donationis transgrediatur; sicuti nocere potest in casu, quo donatio facta fuerit 16
sub conditione, & conditionem Prælatus, qui res Ecclesiæ administrat, non adimpleat, quo casu corruit donatio, quia (sicuti dicebam) res donata sub conditione non acquiritur donatario ante eius euentum, sed donata sub modo statim acquiritur, etiam nondum impleto modo: & ex alio capite (sicuti etiam dicebam) Prælatus Ecclesiæ nocere potest in iure acquirendo, non item in iure acquisito. Sic Abbas *in cit. cap. verùm, de foro compet. num.* 26. Quapropter si 17
quis promisit Ecclesiæ, se donaturum centum, si pro suo patre anniuersarium celebretur, sed Ecclesiæ Prælatus nolit adimplere conditionem, promissor liberatur obligatione. Sin verò leget, vel donet centum 18
cum modo, seu obligatione, vt anniuersarium celebretur, relictum reuocari non potest, ob non adimpletum posteà modum, sed agi potest, & debet ad eius impletionem; idque non solùm, quia (sicuti dicebam) Prælatus non potest obesse Ecclesiæ in iure 19
acquisito, sed etiam quia res semel Ecclesiæ acquisita, est quasi sacra facta, & in speciali dominio Christi constituta, ideoque reuocari non potest. Innocent. *in cit. cap. verùm, de foro compet.*

Illud etiam hic obiter nota cum Abbate *in cap.* 20
*verùm, de condit. appositis, num.* 4. quod licet donans, vel legans conditionem apposuerit, vt res ab ipso Ecclesiæ relicta alienari non possit, adhuc non censeatur alienari prohibita in casu necessitatis, si scilicet ius naturale, charitatis, &c. talem alienationem postulet fieri, verbi gratia ad captiuorum redemptionem, vel ad quid aliud similis rationis, saltem in casu, quo alia bona non suppetunt. De qua re distinctius dicetur *infrà dubi.* 11.

Sequitur secundò, quod Superior Religionis, cùm 21
Nouitium in Religionem suscipit, validè repudiet hæreditatem, quæ post eius professionem, & patris obitum Religioni obuentura esset. Sic Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 6. *num.* 4. Quamvis in dictis casibus (quod & de Epi- 22
scopo, & omni alio Prælato dicendum est) obligatus maneat, quòd munere suo administrationis malè functus sit, iuxta *cap.* 2. *causa* 12. *quæst.* 4. & docet Abb. *in cap.* 1. *de in integr. restit. num.* 9. Silu. *loco suprà cit.* Sanchez *de matrim. lib.* 6. *disp.* 4. *num.* 15. & Less. *lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 10. *num.* 65. & meritò, quia 23
Prælatus habet se ad Ecclesiam tanquam tutor, seu curatur, vti rectè adnotauit Gl. *cap. auditis, verb. Iure minoris, de in integr. restitut.*

Sequitur tertiò, quod monachus, seu Religiosus 24
(qui quidem ex communi sententia Doctorum Religioni suæ prodesse potest, non tamen obesse in iure quæsito, v. g. si rem sibi testamento legatam sine licentia Prælati acceptat, quamvis peccet, validè acceptat, ita vt legatum acquiratur Religioni, sin verò legatum sine consensu Prælati repudiat, non validè re- 25
pudiat) in iure quærendo non solùm potest prodesse, 26
sed etiam obesse, scilicet si donationem sibi faciendam respuit, validè renunciat, & sic sine violatione voti paupertatis rogare potest offerentem, vt alteri dare velit.

Abb. *in cap. cùm ad monasterium, de Statu Monach.* Nauar. *consil. 2. de Regularib. num.32.* & Sanchez *de matrim. lib.6. disp.4.*

27 Cæterùm licet Prælatus absque Capituli consensu, cæterisque iuris solennitatibus non possit obesse alienando res Ecclesiasticas, potest tamen obesse in iudicialibus, permittendo aduersus suam Ecclesiam sen-
28 tentiam ferri. Item potest obesse in vsucapionibus, permittendo res Ecclesiæ ab alio temporis diuturnitate præscribi; quamvis in vtroque casu apparentis
29 læsionis restitutio in integrum intra quadriennium Ecclesiæ concedatur. Abbas *in cap.1. num.9. de præscript.* & alij passim.

30 Obiicies, quæ alienari iure prohibentur, præscribi non possunt.

Respondetur cum Abbate *in cap. cùm non liceat, de præscription. num.7.* distinguo antecedens, si alienari simpliciter prohibentur, fauore ipsius rei, concedo quod tunc præscribi etiam impediantur. ( Qua ratione, dum fundus dotalis est sub administratione mariti,
31 & vxor agere prohibetur, præscriptio inchoari non potest, *l. si fundum, ff. de fundo dotali*, & *l. in rebus,*
32 *Cod. de iure dotium.* Item dum bona filij aduentitia sunt penes patrem, & filius pro iis agere impeditur, præscriptio incipere non potest, *l.2. Cod. de annali except.* & docet Abb. *in cap.2. de præscript. numero* 11. Dixi, *incipere non potest*; quia si antè cœpta præscriptio rei, posteà perueniat in statum, quo præscribi non potest, v. g. marito in dotem detur, præscriptio interim suspenditur, ac veluti dormit, vt inquiunt Doctores.) Sin verò alienari non prohibentur simpli-
33 citer, sed solùm limitatè, vt scilicet certa forma, &
34 solennitate alienentur ( provt contingit in rebus Ecclesiæ,& minorum ) tunc præscribi interdum non impediuntur, vti rectè adnotauit Gl. *in l. vlt. C. in quibus causis restitutio non est necessaria.*

## DVBITATIO VI.

### An possit Prælatus legatum, vel hæreditatem Ecclesiæ suæ delatam non acceptare?

### SVMMARIVM.

1 *Prælatus non potest sine Capituli consensu, aliisque iuris solennitatibus rei immobilis, vel mobilis pretiosæ legatum, vel hæreditatem Ecclesiæ suæ delatam non acceptare, seu repudiare.*

2 *Repudiatio, seu non acceptatio est quædam alienatio, quandoquidem ipsa res repudiata transit ad hæredem.*

3 *Ecclesia, cui legatum, vel hæreditas est delata, habet ius, & actionem ad illam ex dispositione testatoris.*

4 *Fauore Ecclesiæ talia relicta ipso iure transeunt in Ecclesiam, etiam absque traditione.*

5 *Legatum quodlibet generaliter in specie relictum transit à morte testatoris in dominium legatarij, neque requiritur expectare hæreditatis additionem.*

6 *Pupillus non potest sine Prætoris auctoritate repudiare fundum sibi legatum, nam rem suam alienare non potest.*

7 *Repudiatio, seu iuris abdicatio, species alienationis censeri debet in causa Ecclesiæ fauorabili.*

8 *Nomine alienationis in aliis prohibitionibus, non venit repudiatio legati, vel hæreditatis.*

9 *Marito permittitur repudiatio legati, vel hæreditatis, vt vxori obueniat.*

10 *Alienatio legati, vel hæreditatis non censetur facta in fraudem creditorum.*

11 *Opinio multorum Doctorum, quod Prælatus possit recusare hereditatem, vel legatum Ecclesiæ suæ delatum, non est improbanda.*

12 *Legatum, vel hæreditas delata, & Ecclesiæ non incorporata, non est Ecclesiæ acquisitum, sed acquirendum.*

13 *Repudiatio non est alienatio, sed solùm non acquisitio.*

14 *Paria non sunt lucrum non capere, & acquisita perdere.*

15 *Repudiatio simpliciter non est alienatio, quia ius legati, vel hæreditatis adeundæ non est absolutum, sed conditionatum, pendens à voluntate acceptantis.*

16 *Facta rei repudiatione, conuincitur nunquam res Ecclesiæ fuisse.*

17 *Hæreditas non transit ipso iure ad hæredes, sed transit præuia acceptatione, propter pericula, quæ incurrit hæres adeundo hæreditatem.*

18 *Repudiatione facta res transit ad hæredes non ex repudiatione, sed ex successione, quæ impediebatur legatione facta.*

19 *Ecclesia, cui legatum, vel hæreditas est delata, non habet ius absolutum ad illa, sed sub tacita conditione, scilicet si legatario placuerit.*

20 *Fauore Ecclesiæ relicta ipso iure, etiam absque traditione transeunt in Ecclesiam, non absolutè, sed reuocabiliter.*

21 *Pupillo, seu minori prohibita est non solùm alienatio bonorum, sed etiam omissio lucri: at Prælato solùm prohibita est acquisiti lucri alienatio.*

22 *Prælatus, quin & capitulum, peccat grauiter, non admittendo legatum, vel hæreditatem, nisi forsan ex causa rationabili non admittat.*

23 *Ecclesia læsa negligentia, vel facilitate Prælati, non solùm damno accepto, sed etiam lucro amisso, potest petere beneficium restitutionis in integrum, quia ei competit tale priuilegium.*

24 *Limitatur modò res non fuerit acquisita alteri Ecclesiæ, quia tunc melior est conditio Ecclesiæ possidentis.*

25 *Ecclesia potest etiam agere contra Prælatum, quia ex officio tenebatur rem Ecclesiæ agere, eiusque vtilitati consulere.*

26 *Repudiatio hæreditatis, vel legati, facta à Prælato non est valida sine iuris solennitatibus, si facta sit in fauorem illius, ad quem hæreditas non perueniret, sed peruenit solùm ex eo, quia Prælatus in eius fauorem repudiauit.*

27 *Prælatus non potest validè hæreditatem iam aditam repudiare, quia hæc est alienatio, cum sit iuris iam acquisiti in alterum translatio.*

28 & 29. *Si maritus, qui iure prohibetur donare vxori, & econtrà, repudiet hæreditatem, seu legatum sibi delatum, & nondum acceptatum, vt perueniat ad vxorem, repudiatio valet, si scilicet vxor aliàs erat successura. Secus si nullum ius habebat, & maritus repudiet in fauorem vxoris.*

30 *Eo ipso, quod quis cedit alteri, censetur tacitè, & natura priùs adiisse, seu acceptasse.*

31 *Repudiatio, quæ fit à marito de re sibi delata, quam rogat dari vxori, valet, secus si iubeat donari vxori, quia ex mandato supponitur acceptatio tacita.*

32 *Idem operatur tacitum, ac expressum.*

33 *Legatarius rei certæ statim per mortem legantis acquirit dominium.*

34 *Ea, quæ legantur, recta via ab eo, qui legauit, ad eum, cui legata sunt, transeunt.*

35 *Dominium prædictum transit fictè à die mortis, verè à die aditæ hæreditatis.*

36 *Dominium prædictum non est, omninò perfectum, & absolutum ante acceptationem, sed habet hanc imperfectionem, esse repudiabile.*

37 Quamvis

37 *Quamvis legatum retrò noſtrum ſit, niſi repudietur, attamen cum repudiatur, retro noſtrum non fuiſſe palam eſt.*

38 *Hæres ſuus accipit dominium hæreditatis abſque aditione, unde & ad ſuos hæredes eam tranſmittit; ſed reuocabiliter, ita vt poſſit repudiare.*

39 *Repudiatio valet in dictis caſibus, licet bona omnia repudiantis ſint hypothecata, vel fiſco iure addicta ob crimen, aut quamvis faciat in fraudem creditorum.*

40 *Religioſus, cum per profeſſionem ceſſerit bonis, quæ ſolum erant obligata pro debito, non tenetur, vt ſoluat ſi quid debiti ſuperfuerit, artem exercere, in ſententia tamen auctoris peccat contra iuſtitiam repudiando hæreditatem.*

1 REſpondetur, quod Prælatus non poſſit ſine Capituli conſenſu, aliiſque iuris ſolennitatibus, rei immobilis, vel mobilis pretioſæ legatum, vel hæreditatem Eccleſiæ ſuæ delatam non acceptare, ſeu repudiare, abſque eo, quod incurrat pœnas Extrauag. *Ambitioſæ*, & Decreti S. Congregationis Tridentini, de quo dicebam *dubit.* 1. *num.* 4. quia talis 2 non acceptatio, ſeu repudiatio eſt quædam alienatio; quando quidem ipſa facta, res tranſit ad hæ- 3 redem; ſecundò, quia Eccleſia, cui legatum, vel hæreditas eſt delata, habet ius, & actionem ad illa ex diſpoſitione teſtatoris: ergo non poteſt hoc ius, & hanc actionem alienare. Conſequentia probatur; quia ex dictis inter bona immobilia, & mobilia pretioſa computantur iura, & actiones, quæ ſunt ad 4 ipſamet immobilia, vel mobilia pretioſa. Tertiò, quia fauore Eccleſiæ talia relicta ipſo iure tranſeunt in Eccleſiam, etiam abſque traditione, *l. fin. Cod. de* 5 *ſacroſanct. Eccleſ.* Accedit, quod generaliter quodlibet legatum in ſpecie relictum tranſit à morte teſtatoris in dominium legatarij (neque requiritur hæreditatis aditionem expectari, *l. huiuſmodi*, §. *ſtrictum*, *ff. de legat.* 1. *l. à Titio*, *ff. de furtis*, & *l.* 1. §. *ſed vtrum*, *ff. ſi quid in fraudem patroni:* & probat fusè Guillel. de Benedictis *in cap. Raynaldus*, §. *ſi abſque liberis*, *n.* 150. 6 Quartò, quia pupillus non poteſt ſine Prætoris auctoritate repudiare fundum ſibi legatum: nam rem ſuam alienare non poteſt, *l. magis puto*, §. *ſi pupillus*, *ff. de* 7 *rebus eorum.* Ergo ſic etiam in caſu noſtro, præſertim, cùm meritò huiuſmodi repudiatio, ſeu iuris abdicatio ſpecies alienationis cenſeri debeat in cauſa 8 Eccleſiæ fauorabili, ſicuti *ex cit. l. magis puto*, §. *ſi pupillus*, dicebatur de pupillo, etſi in aliis prohibitionibus nomine alienationis non veniat repudiatio legati, vel hæreditatis, vti conſtat *ex l. ſi ſuſpenſus*, *ff.* 9 *de donation. inter virum & vxorem*, vbi permittitur meritò repudiatio legati, vel hæreditatis, vt vxori 10 obueniat: & *ex l. qui autem*, *ff. quæ in fraudem creditorum*, vbi repudiatio legati, vel hæreditatis non cenſetur alienatio facta in fraudem creditorum. Sic docent Geminianus *in cap.* 1. *de rebus Eccleſ. non alien. num.* 19. Molin. *de iuſt. tract.* 2. *diſput.* 468. *numero* 10. Quaranta *verb. Alienatio*, *num.* 23. Lambertin. *de iure patronat. lib.* 3. *queſt.* 9. *art.* 1. *numero* 31. Corneus *lib.* 3. *conſil.* 11. *numero* 2. Sopranus *capit.* 4. *numero* 34. Barboſa *de poteſtat. Epiſcop. allegat.* 95. *numero* 54. & Menchaca *de ſucceſſ. progreſſu lib.* 3. §. 27. *numero* 23.

11 Contrarium tamen non improbabiliter docent Abb. *in cap. tua*, *de his quæ fiunt à Prælatis*, *num.* 8. Menoch. *de arbitr. iudicum*, *q.* 9. *lib.* 2. *caſu* 171. *num.* 52. Anton. Gomez 2. *var. cap.* 14. *num.* 13. Silu. *verb. Alienatio*, *queſt.* 19. Armilla *eodem verb. num.* 17. Rebell. *lib.* 18. *quæſt.* 14. *num.* 5. Scortia *in ſelectis Conſtitut. Epit.* 1. *theorem.* 2. Sanchez *de matrim. lib.* 7. *diſp.* 4. *num.* 12. & *l. b.* 7. *moral. cap.* 6. *num.* 4. Azor. 2. *part.* *lib.* 9. *cap.* 1. *queſt.* 12. Riccius *in praxi*, *deciſ.* 96. 1. *edit.* & Bonacina *de contractu feudi*, *diſp.* 3. *queſt.* 8. *punct.* 4. *num.* 38. ex eo, quia legatum, vel hæreditas delata, 12 & Eccleſiæ non incorporata, non eſt ius Eccleſiæ acquiſitum, ſed acquirendum; tum ex eo, quia re- 13 pudiatio non eſt alienatio, ſed ſolùm non acquiſitio, *l. alienationis*, *ff. de verbor. ſignificat.* Vnde paria non ſunt, lucrum non capere, & acquiſita perdere, *l. ſi* 14 *ſponſus*, §. *ſi maritus*, *ff. de donat. inter vir. & vxor.* Et confirmatur, quia alioquin debitor repudians legatum, cenſeretur alienare in fraudem creditorum, contra textum *in l. qui autem*, *ff. de his quæ in fraudem credit.* Quod ſi dicatur, ex his tantùm ſequi, dictam repudiationem non eſſe alienationem legati, vel hæreditatis; non item, non eſſe alienationem iuris ſeu actionis ad ipſa, quod ius, & actio ex dictis inter immobilia, vel mobilia pretioſa computatur. Reſponderi poteſt, dictam repudiationem ſimpliciter 15 alienationem non eſſe, quia ius legati, vel hæredita- 16 tis adeundæ non eſt abſolutum, ſed conditionatum, pendens à voluntate acceptantis; quapropter facta repudiatione, conuincitur nunquam Eccleſiæ fuiſſe, *argum. l.* 1. *verſ. mirum autem*, *ff. ſi quid in fraudem patroni*, vbi dicitur: *Quamvis legatum retro noſtrum ſit, niſi repudietur, attamen cùm repudiatur, retro noſtrum non fuiſſe palam eſt*; quod à fortiori 17 dicendum eſt in repudiatione hæreditatis, quia hanc perſpicuum eſt, non tranſire ipſo iure ad hæredem, ſed ſolùm tranſire præuia acceptatione, propter pericula, quæ incurrit hæres adeundo hæreditatem.

Hinc ad oppoſita dici poteſt. Ad primum nego 18 antecedens, & ad probationem reſpondeo, quod repudiatione facta, res tranſeat ad hæredem, diſtinguo: ita vt tranſeat ex repudiatione, nego: ita vt tranſeat ex ſucceſſione, quæ impediebatur legatione facta, concedo. Ad ſecundum reſpondetur, diſtinguo ante- 19 cedens: Eccleſia, cui legatum vel hæreditas eſt delata, habet ius, & actionem ad illa ex diſpoſitione teſtatoris: habet ius abſolutum, nego: habet ius ſub tacita conditione, ſi ſcilicet legatario placuerit (vt proinde ſit ius reuocabile, & imperfectum) concedo. Quapropter non dicitur eſſe inter bona legatarij, *l. pretia rerum*, *ff. ad leg. Falcidiam.* Ad tertium reſpon- 20 detur, diſtinguo ſimiliter antecedens: fauore Eccleſiæ relicta ipſo iure, etiam abſque traditione, tranſeunt in Eccleſiam, abſolutè, nego: reuocabiliter, concedo. Ad quartum, omiſſis aliis ſolutionibus, reſpondetur cum Sanchez *cit. diſput.* 4. *num.* 12. & Gomeſio *numero* 14. concedo antecedens: at nego conſequentiam, & diſparitas eſt, quia pupillo, ſeu minori prohibita 21 eſt non ſolùm alienatio bonorum, ſed etiam omiſſio lucri: at Prælato ſolum prohibita eſt acquiſiti lucri alienatio, non item lucri omiſſio.

Cæterùm quidquid ſit de hac quæſtione, in eo ta- 22 men conueniunt primò Doctores, quod poſſit Prælatus, quin & ipſum Monaſterium, grauiter peccare, tum non admittendo tale legatum, vel hæreditatem; 23 niſi ex cauſa valdè rationabili id efficerent, Prælatus quidem contra iuſtitiam, quia ex iuſtitia tenetur conſulere vtilitati Monaſterij: Monaſterium autem ſaltem contra charitatem, vel aliam virtutem, prodigè ſcilicet renunciando dictum legatum, vel hæreditatem, in damnum aliorum Religioſorum ſuccedentium. DD. quos citat, & ſequitur Bonacina *de contractib. diſp.* 3. *quæſt.* 8. *punct.* 4. *num.* 8.

Conueniunt ſecundò Doctores, quod poſſit Monaſterium, vel Eccleſia in caſu poſito, vel petere beneficium reſtitutionis in integrum, quia tale priuilegium ei competit, quotieſcumque negligentia, vel facilitate Prælati, non ſolùm damno accepto, ſed etiam lucro amiſſo, læſa eſt (ſicuti docet Gl. *in cap. auditis*, *verb.*

*restituimus, de in integrum restitut.* Couar. *lib.1. var. cap.3. n.10. & 11.* Bonacina *de contractib. disp.3. q.8. punct.4.num.38.* Lezana *part.2.cap.14.num.60.* & Lessius
24 *de iust.& iure, lib.2. cap.17. dub.9. n.66.* modò res non fuerit acquisita alteri Ecclesiæ, quia tunc melior est conditio Ecclesiæ possidentis. Angel. *verb. Donatio, n.m.48.* Mol. *loco cit. num. 14.* Vasquez *de redditib. cap.2. §.2. dub.4. num.39.* Quaranta *verb. Alienatio, num. 43.* Riccius *decis. 22.* Sanchez *loco cit. num.15.* Tabiena, & alij, quos citat, & sequitur Beia *1. p. cas.41. vers. respondemus.* & Sopranus *cap.5. quæst.9. num.15.* vel agere contra Prælatum, quia is ex officio
25 tenebatur rem Ecclesiæ agere, eiusque vtilitati prospicere, *cap. quicumque 12. q.4.* & docet ex communi Sanchez *loco supra cit. n.15.*

26 Conueniunt tertiò Doctores, quod valida non sit sine solennitatibus iuris repudiatio hæreditatis, vel legati facta à Prælato, si facta sit in fauorem illius, ad quem hæreditas non perueniret, sed peruenit solùm ex eo, quia Prælatus in fauorem talis repudiauit. Ratio est, quia huiusmodi repudiatio non est pura repudiatio, cùm fieri non possit sine aditione hæredita-
27 tis: Prælatus autem non potest validè sine solennitatibus iuris hæreditatem iam aditam repudiare, quia hæc est alienatio, cùm sit iuris iam acquisiti in alterum translatio. Ergo, &c. Sic Rota apud Puteum *decis.519.lib.2.* apud Quarant. *verb. Alienatio, num.23. & 43.* apud Caputaquens. *dec.359. part.9.* & apud Sopranum *q.29.num.35.*

28 Hinc quamvis si maritus (qui iure prohibetur donare vxori, & econtrà, vt communiter Doctores *ex l. cùm hic status, ff. de donat. inter virum, & vxorem,* & *ex capit. fin. eodem titul.* ex eo, ne coniuges mutuo amore se bonis suis spoliarent) repudiet hæreditatem, legatum, vel fideicommissum sibi delatum, & nondum acceptatum, vt perueniat ad vxorem, repudiatio valeat, *l. si sponsus, §. si marius, ff. de donat. inter virum & vxorem,* (si scilicet vxor aliàs erat successura, vt quia v.g. marito erat substituta, vel quia abintestato debebat succedere, sicuti notauit Gomezius *tom.2. cap.4.num.23. & seqq.* quia tunc non immediatè accepit à marito, sed iure proprio, quod habebat ma-
29 rito non acceptante) tamen non valet repudiatio, si ipsa nullum ius habebat, & maritus repudiet in fauorem vxoris, quia tunc potius erit cessio quàm repudiatio; siquidem ipsa tunc immediatè accipit à marito, & consequenter talis cessio in fauorem vxoris non valet, quia continet tacitam acceptationem naturâ priorem: nam hoc ipso, quod cedit alteri, censetur
30 tacitè, & natura priùs adiisse, seu acceptasse, sicuti colligitur *ex l. si auia, Cod. de iure deliberandi.* Similiter, quamvis valeat repudiatio, si maritus quid sibi oblatum non acceptet, sed roget dari vxori, quia tunc non acquirit, non tamen valet repudiatio,
31 si maritus quid sibi donatum iubeat dari vxori: quia hoc ipso, quod id mandat, supponitur is tacitè acceptasse, & ex alio capite idem operatur tacitum, ac
32 expressum, vt colligitur *ex l.1. ff. de rebus eorum, qui sub tutela,* vbi dicitur: *Si minor emat prædium obligans illud pignori, donec soluat integrè pretium, obligatio non valet, quia hoc ipso, quod dominium acquisitum est minori, incipit non posse obligari*: censetur autem acquisitum tacitè, & prius natura, quam possit oppignorari.

33 Neque obstat, si dicas, quod legatarius rei certæ statim per mortem legantis acquirat dominium lega-
34 ti, quia vt habetur *in cit. l. à Titio, ff. de furtis, ea quæ legantur, recta via ab eo, qui legauit, ad eum, cui legata*
35 *sunt, transeunt.* Vbi Bartolus dicit, hoc dominium transire fictè à die mortis, verè die aditæ hæreditatis. Ergo repudiatio talis legati est alienatio, & donatio, ac proinde non valet.

Respondetur enim, nego consequentiam, quia vti 36
dicebam, hoc dominium non est omnino perfectum, & absolutum ante acceptationem, sed habet hanc imperfectionem, quod sit repudiabile, adeò vt si repudietur, retrotrahatur repudiatio, & fingatur nunquam acquisitum, vt suprà etiam dicebam *ex cit. l. ff. si quid* 37
*in fraudem patroni,* ibi: *Quamvis legatum retro nostrum sit, nisi repudietur; attamen cum repudiatur, retro nostrum* 38
*non fuisse palam est.* Idem cernitur in hæreditate respectu hæredis sui: hic enim statim accipit dominium hæreditatis absque aditione, vnde & ad suos hæredes eam transmittit, sed reuocabiliter; ita vt possit repudiare, sicuti constat *ex l. apud hostes, Cod. de suis, & legitimis hæredibus,* & *ex l. si fratris, Cod. de iure deliber.* & docet ex communi Gomezius *tom.1. cap.9. num.17.* & 20. Quapropter valet ex dictis casibus repudiatio, 39
quamvis bona omnia repudiantis sint hypothecata, vel fisco iure addicta ob crimen; aut quamvis faciat in fraudem creditorum, quibus potuisset soluere, si non repudiasset, in quo postremo casu (etsi Gomez *tom.2. cap.4.n.22.* putet illum etiam licitè id posse facere, forsan quia, vt ex S. Thoma notat Sanchez *de matrim. lib.6. disp.4.* creditoribus sint tantum obligata bona, non item persona debitoris, quæ libera est pro ære alieno soluendo: vnde complures Doctores docent, 40
quod Religiosus, cum per professionem cesserit bonis, quæ solum erant obligata pro debito, non teneatur, vt soluat, si quid debiti superfuerit, artem exercere) puto peccare contra iustitiam, quia eadem virtute quis obligatur ad finem, ac ad media necessaria: sed debitor obligatur ex iustitia ad finem, nempe ad debiti solutionem: ergo ex iustitia etiam obligatur ad acceptationem hæreditatis, quæ hic, & nunc est medium necessarium ad talem finem, nempe ad dictam debiti solutionem, repudiatio tamen erit valida ob dictam rationem.

## DVBITATIO VII.

An si relictum sit legatum rei immobilis monasterio incapaci retinendi rem immobilem, possit Prælatus monasterij in proprios, & quotidianos vsus monasterij sine solennitate iuris talem rem legatam alienare.

### SVMMARIVM.

1 *Prælatus monasterij incapacis legatorum potest sine solennitatibus in proprios, & quotidianos vsus monasterij rem legatam alienare.*
2 *Extrauagans ambitiosæ loquitur de bonis Ecclesiæ incorporatis.*
3 *Legata res immobilis, non est monasterio ob eius incapacitatem incorporata.*
4 *Relinquens legatum rei immobilis monasterio incapaci, tacitè videtur illud voluisse relinquere ad vsum monasterij eo modo, quo potest, secus dicendum est si fuerit legatum rei mobilis pretiosæ.*
5 *Monasterium licet legatorum incapax non dicatur, tamen incapax est retinendi rem mobilem pretiosam, & propterea est monasterio per acceptationem incorporata.*

Respondetur, affirmatiuè, quia prohibito alienationis ex Extrauag. *Ambitiosæ,* est solùm pro bonis Ecclesiæ incorporatis; at dicta legata res immobilis non est monasterio, ob eius incapacitatem, incorporata, ex Clement. *Exiui, de verbor. significat.* Ergo, &c. 1 2 3

Confirmatur, quia qui relinquit legatum rei immobilis monasterio incapaci, tacitè videtur illud voluisse relinquere, vt illo monasterium vtatur modo, 4
quo

quo potest, quia præsumitur voluisse legatum suum eo modo, quo potest, esse firmum, & ratum. Sic Riccius *in praxi, decis.56. in edit.1.* Quaranta *verb. Alienatio, num.41.* & Barbosa *de potestat. Episcopi, part.3. allegat.95. num.59.*

5 An autem idem dicendum sit, si fuerit legatum rei mobilis pretiosæ?

Respondetur (quamvis nonnulli affirment ex eo, quia tota ratio prohibitionis alienandi res mobiles pretiosas, quæ seruando seruari possunt, est quia computantur inter bona immobilia, quorum alienatio, non seruatis iuris solennitatibus, omnino prohibita est) negandum tamen esse, quia econtrà rei mobilis pretiosæ retinendæ capax est monasterium, & propterea ob dictam rationem, ea Monasterio per acceptationem incorporata. Ergo, &c. Vide quæ dicentur *infrà dub.22.* Vide etiam Riccium & Barbosam *in locis suprà citatis.*

## DVBITATIO VIII.

### An possint Regulares, inconsulto summo Pontifice, accipere pecuniam ad cambium, vel ad mutuum, cum solutione lucri cessantis, & damni emergentis, vel fundare censum?

### SVMMARIVM.

1 *Non possunt regulares inconsulo summo Pontifice fundare censum, & accipere pecunias ad cambium, vel ad mutuum, cum solutione lucri cessantis, aut damni emergentis.*

2 *Afferuntur multa resolutiones, & præsertim Declaratio S. Congregat. Concilij de mandato Vrbani VIII. quæ ad literam rescribitur.*

*Excipe, nisi excuset vrgens necessitas, & interim non possit adiri S. Pontifex, quia in tali casu possunt impignorari lampades, candelabra argentea, & similia.*

3 *Excipe secundò, nisi excusset consuetudo legitimè præscripta.*

4 *Ratio editionis talis decreti fuit, ne quod per vnam viam prohibetur, per alteram concederetur in fraudem legis.*

5 *Sine assensu Apostolico licet alienari possit prædiolum, vel vineola, tamen non potest alienari pars prædij magni, & pretiosi, quia sic successiuè posset alienari totum in fraudem legis.*

6 *Probatur quod regulares non possint fundare censum, neque perpetuum, neque vitalitium.*

7 *Neque possint vendere censum pro solutione æris alieni.*

8 *Possunt tamen emere, v.g. fundum, vel domũ mille aureis ad censum super ipsum fundum, vel domũ impositis.*

9 *Dummodò dictus census non imponatur cum hypotheca, etiam super alia bona Ecclesiæ, speciali.*

10 *Et si non obstat dictorum bonorum Ecclesiæ hypotheca generalis.*

1 Respondetur negatiuè. Sic habetur expressè
2 in decreto sub die 21. Maij 1624. & declaratione S. Congregationis Concilij, de quibus dicebam *dub.1. num.4.* & tradunt Homobonus *in cons. cas. conscient. vol.2. part.6. respons.97.* Pasqualig. *tom.2. decis.172.* Peyrinus *in Priuil. Minim. tom.2. Constitut.8. Vrbani VIII.* & Nouarius *in summa Bullar. tit. de alienat. num.3.* ita vt si id faciant, incurrant pœnas Extrauag. *Ambitiosæ*, & dicti decreti S. Congregationis *de rebus Regular. non alien.*

3 Excipe, nisi excusset vrgens necessitas, & interim adiri non possit S. Pontifex, aut S. Congregatio, quia tunc *Thom. Delbene de Immunit. Eccl.* Pars II. fieri potest etiam impignoratio lampadum, candelabrorum argenteorum, & similium. Peyrinus *in formulario, lit. A. cap.11. n.3.* & Diana *part.5. tract.13. resol.6.*

Excipe secundò, nisi excusset (vt adnotauit Lezana 4
*in summa qq. regul. cap.13. n.3.*) aduersus dictum decretum, & dictam sacræ Congregationis declarationem consuetudo legitimè præscripta.

Cæterùm, ratio editionis talis decreti, & talis de- 5
clarationis S. Congregationis fuit, ne quod per vnam viam prohibetur, per alteram concederetur in fraudem legis. Ob quam similem rationem rectè dixit Genuensis, quod licet sine assensu Apostolico possit alienari Ecclesiæ prædiolum, vel vineola, *argum. cap. terrulas, 12. q.2.* & docent Molin. *disp.468. §. licet prædicta*, Sà *verb. Alienatio*, & alij passim; tamen non possit alienari pars prædij magni, & pretiosi, quia sic successiuè posset alienari totum prædium magnum, & pretiosum in fraudem legis.

Quod autem regulares non possint fundare censum, 6
neque perpetuum, neque vitalitium, patet expressè, si non ex Extrauaganti, saltem ex decreto prædicto, & probatur, quia impositio census est quædam alienatio, *l. fin. Cod. de reb. Eccles. non alien.* & ex decisione Rotæ docet Naldus *verb. census, n.3.* impositio namque census est veluti quædam bonorum libertatis venditio; quapropter pecuniam ad cambium, vel mutuò accipere cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis (quod est multò minus, quàm impositio census) prohibuit Regularibus S. Congregatio Sanctissimo approbante, sicuti *suprà* dicebam, & refert Gauantus *in Man. Episcop. verb. Alienatio, num.35.*

Hinc etiam declarauit S. Congregatio, non posse regulares facere alienationem, seu venditionem census pro solutione æris alieni. Gauantus *loc. cit. n.40.* & Ioan. Maria Nauarrus *in lucerna regular. verb. Alienatio, num.3.*

An autem possint regulares, aut alij Ecclesiastici 7
emere v. g. fundum, vel domum mille aureis ad censum super ipsum fundum, vel domum impositis?

Respondetur affirmatiue, quia in tali casu Ecclesia 8
non tam alienat, quàm acquirit bonum illud stabile, tali onere affectum; secus dicendum, si ille census im- 9
poneretur cum hypotheca speciali, etiam super alia bona Ecclesiæ, quia hoc esset alienatio quædam libertatis bonorum Ecclesiæ, quod est iure prohibitum.

Dixi, *hypotheca speciali*, quia si id fieret per hypo- 10
thecam generalem, licitè fieret, quia iuxta dicta *dub.1. n.20. & dub.3. n.7. & seqq.* probabile est hypothecam generalem bonorum Ecclesiæ non esse prohibitam Ecclesiasticis, & regularibus.

## DVBITATIO IX.

### An, & quomodo sit licita Ecclesiæ rerum alienatio?

### Suppositum primum.

### SVMMARIVM.

1 *Ad licitam rerum Ecclesiæ alienationem requiritur semper causa legitima, hoc est euidens Ecclesiæ necessitas, aut vtilitas.*

2 *Necessitas est, vt si Ecclesia grauetur ære alieno, & non possit soluere, nisi alienet, vel si reparanda sit Ecclesia, fundus instaurandus, vel domus suffulcienda, quæ alioquin corrueret.*

3 *Vtilitas, vt si vendatur aliquid, vt melius aliud habeatur, vel si alienetur res inutilis, aut in qua plures sumptus insumuntur, quàm sint redditus.*

4 *Ecclesiæ necessitate, aut vtilitate cessante requiritur*

*ad alienandum quod saltem id exigat pietas, scilicet ad propagandam fidem, ad redimendos captiuos, & huiusmodi alia.*

5 *Pro alendis pauperibus, ne frigore vel fame pereant, licet vasa sacra infringere, & pretium erogare, si alia non suppetant. Refertur mos S. Ambrosij, & laudatur.*

6 *Absurdum non est animas hominum quibuscumque vasibus, vel vestimentis praferri.*

7 *Rerum alienatio vt Ecclesiæ sit licita tempore, quo fit, necesse est vt interueniat altera ex duabus dictis causis, quia ex illis alienatio honestatur.*

8 *Item necesse est quod alienanti constet causam alienationis verè existere, quia ex dubia causa alienare non debet, cum tunc non constet de euidenti vtilitate.*

9 *Item secundum probabiliorem sententiam id ipsi debet per informationem testium constare, quia alioquin non potest reddere rationem de sua recta administratione.*

10 *Episcopus non debet præstare assensum alienationi, nisi præmissa prius huiusmodi informatione, & citatis his, quorum interest.*

11 *Is cui à Papa committitur vt rebus Ecclesiæ alienandis, &c. si ei legitimè constiterit alienationem cedere in euidentem vtilitatem Ecclesiæ, debet de iis informationem sumere, alioquin non dicetur eidem legitimè constare.*

12 *Alienatio, si fiat ob Ecclesiæ vtilitatem, vtilitas ob quam alienatur res Ecclesiæ, debet esse quam maxima haberi possit.*

13 *Res Ecclesiæ, quæ alienatur dari semper debet plus offerenti, qua tamen non sic data, alienatio adhuc sustinetur.*

14 *Alienatio facta à Prælato decepto in eo, quod ipsum putauerit faciendum ex causa legitima, adhuc non existente legitima causa sustinetur.*

15 *Ecclesia non præsumitur velle alienationem inualidam esse ob causam non legitimam, si legitima putabatur bona fide.*

16 *Ecclesia etiam ex se decepta ob bonam fidem in sententia nonnullorum gaudet beneficio restitutionis in integrum, sed contrarium est multò probabilius.*

17 *Alienatio an facta fuerit ex legitima causa, necne, in dubio semper præsumendum est pro parte affirmatiua, præsertim si Commissarius consensum præstiterit.*

18 *In dubio standum est pro valore actus, quia in dubio nemo præsumitur malus, & non præsumitur delictum, nisi demonstretur.*

19 *Ecclesia volens gaudere beneficio restitutionis in integrum, debet probare inualiditatem actus.*

20 *Alienatio quando fit pro soluendis debitis Ecclesiæ, cogitur venditor probare pretium versum esse in talem effectum.*

21 *Emptor eximitur ab onere probationis si præmisso tractatu, aliisque solennitatibus à iure requisitis, pretium soluerit.*

22 *Redditibus Ecclesiæ sufficientibus debitorum extinctioni, vel pauperum necessitati, &c. etiam applicatis in ministrorum sustentationem, non dicitur adesse causa necessaria alienandi.*

23 *Fructus beneficij in sustentationem ministrorum applicati, si eorum congruæ sustentationi supersint, conuerti debent in pauperum vtilitatem.*

24 *Alienatio bonorum Ecclesiæ pro pauperibus alendis fieri non debet pro quacumque necessitate, sed pro extrema, vel saltem valdè graui.*

25 *Alienatio bonorum Ecclesiæ facienda etiam est pro extrema necessitate, vel valdè graui illorum pauperum, qui culpabiles sunt in eorum paupertate.*

26 *Culpa antecedens non impedit obligationem charitatis, quæ est de subueniendo proximo in extrema, vel etiam valdè graui necessitate.*

27 *Limita nisi contrarium exigat iustitia, vt scilicet delicta non maneant impunita, & satisfiat Reipublicæ læsæ, & scandalizatæ.*

28 *Necessitas Reipublicæ læsæ, & scandalizatæ præferri debet necessitati particularis personæ iustè condemnatæ.*

SVppono ad hoc, vt Ecclesiæ rerum alienatio sit licita, requiri semper causam legitimam ad alienandum, nempe quod sic exigat euidens Ecclesiæ necessitas, aut vtilitas *necessaria*, vt si Ecclesia grauetur ære alieno, & non possit soluere, nisi alienet, *authent. hoc ius, & authent. Sancimus, Cod. de sacrosanct. Eccles.* 1

Vel si reparanda sit Ecclesia, fundus instaurandus, vel domus suffulcienda, quæ alioquin corrueret; quinimò dari potest talis necessitas, vt licita sit alienatio, etiam sine solennitate, & assensu Apostolico, *vt infrà* suo loco dicetur, & docent ex Rebuffo, & aliis Redoanus *q.*13. Quaranta *verb. Alienatio, num.*42. Mol. *disp.*648. Sopranus *tract.*44. *cap.*5. *quæst.*11. *num.*11. 2

Vtilitas, vt si vendatur aliquid, vt melius aliud habeatur, v. g. vendatur ager, vt vtilior ematur, aut vendatur calix, vt pretiosior obtineatur, *cap. sine exceptione* 12. *q.*2. Vel si alienetur res inutilis, aut res, in qua plures sumptus insumuntur, quàm sit eius vtilitas, vt quia v. g. multùm distat, *argum. cap. terrulas* 12. *quæst.*2. *cit. cap. sine exceptione*, *Clement.* 1. *de rebus Eccles. non alien. & l. iubemus, Cod. de sacrosanct. Eccles.* 3

At si sic non exigit euidens Ecclesiæ necessitas, aut vtilitas, requiritur, quod saltem sic exigat pietas, v. g. necessaria sit Ecclesiæ rerum alienatio pro fide propaganda, pro redimendis captiuis, §. *sacræ, Institut. de rerum diuisione*, vel pro alendis pauperibus, ne frigore, aut fame pereant, ob quam causam etiam vasa sacra infringere, & pretium erogare (si alia non suppetant) quandoque concessum est, exemplo S. Ambrosij sub tyranno Maximo, quod factum laudauit S. Augustinus apud Possidonium in vita illius, *cap.*24. Vide *cap. aurum, cap. currum habet Ecclesia, & cap. sanctorum* 12. *q.*2. ipsumque Ambrosium *lib.*2. *offic. cap.*28. quia (vt dicitur *in l. sancimus*, *C. de sacros. Ecclesiis*,) absurdum non est, animas hominum quibuscumque vasibus vel vestimentis præferri. Vide etiam glossam *in Sum. causa* 12. *q.*2. Abb. *in cap. nulli, de rebus Eccles. non alien.* Silu. *verb. Alienatio, q.*2. Nauar. *de alien. rer. comment. n.*3. Azor. 2. *p. lib.*9. *cap.*1. *q.*3. Couar. 2. *var. cap.*17. *n.*2. Mol. *de iust. disp.*468. Lessium *de iust. & iur. lib.*2. *cap.*24. *dub.*11. *n.*63. *& seqq.* Layman. *lib.*3. *tract.*4. *cap.*10. *n.*4. *& seqq.* Vasquez *de reddit. ib. cap.*2. §. 2. *dub.*9. Quaranta *n.*12. Genuensem *cap.*89. Bonacinam *punct.*3. *num.*1. & Barbosam *de potest. Episc.*3. *p. alleg.*95. *n.*23. 4 5 6

Aduerte tamen hîc, quod vt dicta Ecclesiæ rerum alienatio sit licita, necesse sit, vt tempore, quo fit, causa aliqua, vna saltem ex dictis existat; siquidem ex illa causa alienatio honestatur, cùm quod non existit, non possit honestare, & cùm alioquin non diceretur alienatio cum euidenti vtilitate fieri, sed potius cum spe vtilitatis. Surdus *de aliment. tit.*8. *privileg.*58. *n.*78. Rebuff. *in compend. alienat. n.*73. Genuens. *in praxi, cap.*89. *num.*3. & Barbosa *alleg.*95. *num.*27. Necesse est etiam, quod alienanti constet, causam alienationis verè existere, quia ex dubia causa alienare non debet, cum tunc alienatio non cedat in euidentem vtilitatem Ecclesiæ, *cit. cap. sine exceptione* 12. *quæst.*2. & docent Menoch. *de arbitrar. lib.*2. *cas.*172. Caluacan. 1. *part. dec.*45. *num.*53. *& decis.*46. *num.*26. & Bonac. *punct.*3. *num.*2. constare præterea, saltem secundùm probabiliorem sententiam, id ipsi debebit per informationem testium, quia alioquin non poterit reddere rationem de sua recta administratione, & Episcopus non præstabit assensum, nisi præmissa prius huiusmodi informatione, & citatis his, quorum interest. Riccius *in praxi decis.*94. *edit.*1. 7 8 9 10

Vnde

11 Vnde cùm alicui à Papa committitur, vt rebus Ecclesiæ alienandis (si ei legitimè constiterit, alienationem cedere in euidentem vtilitatem Ecclesiæ, vel eam necessariam esse pauperibus alendis, vel captiuis redimendis) assensum præstet, debet de iis informationem sumere, alioquin non dicetur ei legitime constare. Genuensis *in praxi, cap.*60. *n.*21. Quaranta, & Riccius *in loc. suprà cit.* Pasqualigus *tom.*2. *decis.*174. & Bonacina *de contractu feudi, disput.*3. *quæst.*8. *punct.*4. *num.*5.

12 Aduerte secundò, quod si alienatio fiat ob Ecclesiæ vtilitatem, vtilitas, ob quam alienatur res Ecclesiæ, debeat esse, quàm maxima haberi potest, vt scilicet
13 detur plus offerenti, quia semper, quoad fieri potest, prospiciendum est Ecclesiæ, præsertim ab eo, qui operatur ex officio: quamvis si non alienetur cum maxima vtilitate, quæ haberi potest, si scilicet non detur plus offerenti, valida sit alienatio, quia adhuc adest causa alienationis, scilicet vtilitas, etsi non maxima, quæ haberi potest, & Prælatus non præuideat Ecclesiæ in acquisitis, sed solum in acquirendis, in quibus, vt infra dicetur, præiudicare potest. Sic Quaranta *n.*12. & Sopranus apud Filliucium *tract.*44. *cap.*5 §.4. *num.*4.

14 Aduerte tertiò, quod non omninò improbabiliter valida sit etiam alienatio, si eam fecerit Prælatus credens, causam esse legitimam, quamvis postea comperiatur non fuisse legitima. Sic Gloss. *in cap. ad nostram, de rebus Eccles. non alien.* Vasquez *de restitut. cap.*2.§.2.*dub.*4.*num.*39. & alij apud Couar.2.*var. c.*17. *num.*20. apud Molinam *disp.*468.*num.*14. & apud Riccium *loco suprà cit. decis.*15. Et ratio esse potest, quia
15 Ecclesia non præsumitur velle alienationem inualidam esse ob causam non legitimam, si legitima putabatur
16 bona fide: quamvis detur Ecclesiæ, etiam in istorum sententia, in tali casu beneficium restitutionis in integrum. Sed de hac re vide *infrà dub.*20. vbi contrarium
17 multò probabilius esse ostendam: illud tamen interim admitto, quod in dubio, an alienatio facta sit ex legitima causa, & in euidentem vtilitatem Ecclesiæ,
18 præsumendum sit in partem affirmatiuam, præsertim si commissarius, seu deputatus consensum præstitit:
19 quia in dubio standum est pro valore actus, & quia in dubio nemo præsumitur malus, & non præsumitur delictum, nisi demonstretur: quapropter in tali casu Ecclesiæ incumbet onus probandi contrarium, si velit vti beneficio restitutionis in integrum. Mascardus *de probat. concl.*488. & 1112. Redoanus *quæst.*79. Sopranus *cap.* 5. *quæst.* 9. Menochius *lib.* 2. *præsumpt.* 75. *num.*15. & determinauit Rota Romana 1. *part. diuers. decis.*716. Vide etiam Layman *lib.*1. *tract.*1. *cap.*5. §. 4.

20 Aduerte quartò, quod cùm alienatio fit pro soluendis debitis Ecclesiæ, cogatur venditor probare pretium versum esse in talem effectum, *cap.*2. §. *hoc ius porrectum*, 10. *quæst.*2. & tradunt Baldus, Innocent. Imola, & alij, quos citat, & sequitur Couar. *lib.*2. *var.*
21 *cap.*17. *num.*3. Quamvis ab hoc onere probationis eximatur emptor, si præmisso tractatu, aliisque solennitatibus à iure requisitis, pretium soluerit, & rem Ecclesiæ receperit; quia tunc pro ipso præsumitur in Ecclesiæ vtilitatem pretium versum esse. Sic Couar. *loc. suprà cit.*

22 Aduerte quintò, quod si satisfactioni debitorum Ecclesiæ, vel necessitati pauperum, aut redemptioni Captiuorum, &c. prouideri possit redditibus beneficij (tametsi hi in sustentationem ministrorum sint applicati) cesset tunc causa necessaria, vel vtilis alienandi res Ecclesiæ; quia supereſt tunc alia via minus damnosa Ecclesiæ prouidendi dictis necessitatibus.
23 Neque obstat, quod fructus beneficij in sustentationem ministrorum applicati sint; quia applicati sunt ad talem effectum sub onere, vt dicti ministri (si sine suo magno incommodo possunt) Ecclesiæ, pauperibus, aliisque grauiter oppressis de dictis fructibus prouidere teneantur. Sic sæpius definiuit Rota Romana, & tradunt Genuensis *cap.*79. *n.*4. Tabiena *verb. Alienatio, n.*4. Riccius *eodem verb.* §. *causa, n.*3. *& dec.*103. & Bonac. *n.*5.

Aduerte sextò, quod vt dicta alienatio rerum Ec- 24
clesiæ licita sit, non sufficiat quælibet pauperum, aliorumve oppressorum necessitas, sed requiratur eorum necessitas extrema, vel saltem valdè grauis, præsertim si ex dicta rerum Ecclesiæ alienatione diminutio cultus diuini facienda sequatur. Sic Couar. *cap.*16. *num.*8. & Mol. *disput.*468. quod tamen arbitrio Prælati relinquitur.

Aduerte septimò, non obstare, quod tales culpâ 25
propriâ, v. g. ludis, conuiuiis, vel luxuriis, &c. in dictam necessitatem deuenerint; quia si reuerà eorum necessitas hic, & nunc sit extrema, vel valde grauis, vt scilicet nuditatem, famem, carcerem, vel carceris periculum patiantur, tenetur adhuc hic, & nunc Ecclesia illis alienatione suorum bonorum prouidere; 26
quia culpa antecedens non impedit obligationem charitatis, quæ est de subueniendo proximo in extrema, vel etiam in valde graui necessitate; præsertim si præsumi potest, illius culpæ tales pœnituisse. Sic Couar. *loc. suprà cit.* Mol. *disp.*468. *conclus.*2. & Vasquez *cap.*2.§.2.*dub.*10. *num.*37. *& seq.* Et fauet textus *in cap. pastoralis*, 88. *dist.*

Excipe nisi contrarium exigat iustitia, vt scilicet 27
delicta non maneant impunita, & satisfiat Reipublicæ læsæ, & scandalizatæ, vti contingit, si quis ob delicta sua damnatus sit ad carcerem perpetuum, triremes, vel etiam ad mortem subeundam, quia tunc iis Ecclesia non solum non tenetur alienatione suorum bonorum prouidere, sed etiam non potest; quia necessitas Reipublicæ læsæ, & scandalizatæ præferri 28
debet necessitati particularis personæ iustè condemnatæ. Sic Couar. Molina, & Vasquez *in loc. supra cit.* Redoanus *quæst.*11. *& seq.* & Bonacina *punct.*3. *n.*1.

---

## Suppositum secundum.

### SVMMARIVM.

1 *Rerum Ecclesiæ alienatio, vt licita sit, præter legitimam causam ad illas alienandas, requiruntur aliæ iuris solennitates; sed non pro alienatione rerum mobilium, quæ seruando seruari non possunt.*

2 *Rerum Ecclesiæ administrator potest mobilia, quæ seruando seruari non possunt, sine solennitatibus iuris alienare, si sic Ecclesiæ, vel piis operibus expedire iudicauerit.*

3 *Item dic de rebus immobilibus, si sint modicæ quantitatis, hoc est infrà 23. aureorum valorem.*

4 *Res non vilis, vel modicæ alienatio pro nihilo reputatur.*

5 *Episcopus sine consensu Capituli potest alienare res modicas, vel parum vtiles Ecclesiæ, licet de non alienandis rebus Ecclesiæ iuramentum præstiterit.*

6 *Iuramentum Prælati de non alienandis bonis Ecclesiæ non extenditur ad casus iure non prohibitos, sed permissos.*

7 *Pro alienatione rerum immobilium, & mobilium pretiosarum statuuntur à iure quædam particulares conditiones.*

SVppono secundò, ad hoc, vt dicta rerum Ecclesiæ 1
alienatio sit licita, præter legitimam causam ad illas alienandum, requiri alias iuris solennitates, non pro alienatione rerum mobilium, quæ seruando seruari

non possunt ( vt patet *ex cap. nulli, de rebus Eccles. non alien. Clement.*1. & Extrauag. *Ambitiosæ, & authent. eod. tit.* vbi de his nulla fit prohibitio, sed po-
2 tius concessio. Quapropter rerum Ecclesiæ administrator poterit mobilia, quæ seruando seruari non possunt, sine solennitate iuris alienare, si sic Ecclesiæ, vel piis operibus expedire iudicauerit. Gloss. *in cit. cap. nulli, verb. immobilium.* Abb. *ibid. num.*8.& Gloss. *in cap. tua*, de his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli, *verb. Tractatu*, Abb. ibidem, *num.*7. Mol. *de iust. tract.*2. *disp.*468. *concl.*1. Vasquez *opusc. de redditib. cap.*2. §.2. *dub.*13. *num.*44. & Barbosa *de potest. Episc.* 3. *part. alleg.*95. *num.*37. Et quod dixi de mobilibus, quæ seruando seruari non possunt, idem dico de rebus immobilibus, si sint modicæ, scilicet infrà 25. au-
3 reorum valorem, vt *suprà dub.*1.& *dub.*2. *sect.*2. dicebã, vel parum vtiles Ecclesiæ; quia harum alienatio pro nihilo reputatur, neque vult Ecclesia cum suorum bonorum administratore ita rigidè tractare, sicuti dicebam *loc. cit.* & habetur *in cap. terrulas*, 12. *quæst.*5. &
4 tradunt communiter Doctores, inter quos Mol. *cit. disp.*568. Mascardus *de probat. concl.*277. *num.*12. Riccius *in prax. decis.*39. *edit.*1. Quaranta *verb. Alienatio, num.*41. Barbosa *alleg.*95. *num.*50. & Bonacina *quæst.*8. *punct.*4.
5 *num.*7. Quapropter Episcopus absque consensu Capituli potest alienare res modicas, vel parum vtiles Ecclesiæ, tametsi de non alienandis rebus Ecclesiæ iura-
6 mentum præstiterit; quia huiusmodi iuramentum non extenditur ad casus iure non prohibitos, sicuti dicebam *suprà, dub.*4. & docent Molina, Riccius, Quaranta, Barbosa, Redoanus, Sopranus, & Bonacina
7 *in loc. suprà cit.*) Sed pro alienatione rerum immobilium, & mobilium pretiosarum, quæ seruando seruari possunt: pro his enim tantum statuuntur à iure quædam aliæ conditiones, vti constat ex *cap. sine exceptione*, 12. *q.*2. *cap. tua*, de his, quæ fiunt à Prælato, *c. nulli, de rebus Eccles. non alien. Clement.*1. & Extrauag. *Ambitiosa, eod. tit.* His suppositis sit

## Difficultatis Resolutio.

### SVMMARIVM.

1 *Alienatio rerum immobilium, vel mobilium pretiosarum, quæ seruando seruari possunt, est licita, si præter legitimam alienandi causam, adsint quinque sequentes conditiones.*

2 *Primò si adsit tractatus, seu communis examinatio de necessitate, vel vtilitate alienationis inter eos, ad quos rem Ecclesiæ alienare spectat, propositis & discussis hinc inde, ex vtraque parte rationibus, exceptis tamen rebus parui momenti, & necessitate alienandi.*

3 *Secundò si adsit consensus Collegij, vel Capituli, seu Canonicorum, si res alienanda sit Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ; Religiosorum, si sit Conuentus, & sic de singulis.*

4 *Ecclesia Parochialis si plures beneficiarios non habeat, solùm Doctor de consensu Episcopi potest alienare.*

5 *Consensus Capitularium esse debet expressus, vocatur enim talis consensus collaudatio, quæ approbationem, & consensum expressum importat.*

6 *Item debet esse à maiori parte Capituli, seu Capitularium, qui scilicet tunc præsentes sunt, absentium enim consensus non requiritur.*

7 *Capitulum tunc consentire censetur, cum meritò maior pars trahere debeat minorem.*

8 *Consensus Capituli debet esse à Canonicis in Capitulo congregatis, & non sufficit, si sit à singulis seorsim sumptis.*

9 *Canonici vt singuli seorsim sumpti, non faciunt Capitulum, nec talis consensus singulorum est consensus Capituli.*

10 *Tractatus, & consensus à iure requisiti debent esse inter Congregatos.*

11 *Capitulum si ob bellum, vel aliam causam vrgentem absit, Prælatus debet loco Capituli substituere alios Clericos, quibuscum tractet, & consulat de re Ecclesiæ alienanda, & quorum consensu obtento, rem Ecclesiæ alienet.*

12 *Alienatio facta à Prælato sine consensu Capituli est irrita, nisi Capitulum postea ratificauerit, & tunc vires sumet ab ipsa ratificatione, & non aliàs.*

13 *Capitulum potest interim contrahentem ad contractus obseruationem compellere, quia fauore Ecclesiæ contractus interim claudicat.*

14 *Tertiò ad validam alienationem requiritur consensus superioris, id est eius, qui ex munere publico Ecclesiæ præest.*

15 *Superior pro alienatione rei Ecclesiæ sibi subiectæ, est Episcopus, siue Archiepiscopus in sua Diœcesi.*

16 *Pro alienatione rei Religionis est Prælatus exemptus, vt Abbas in Monasteriis Monachorum, Prouincialis in ordinibus mendicantium, & in Theatinorum Religione solus Generalis.*

17 *Prælatus Religionis, seu Abbas, si Episcopo subiectus sit, etiam Episcopi consensus requiritur: idem dic de quouis inferiore Ecclesia Rectore.*

18 *Consensus inferiorum præter Capitulares, non requiritur quod sit expressus, sed sufficit si sit tacitus ad differentiam consensus Capituli.*

19 *Superior v.g. Episcopus nunquam potest alienare bona Ecclesiæ inferioris, sine illius Ecclesiæ Rectoris consensu, saltem tacito.*

20 *Deficiente Rectore Ecclesiæ, si Prælatus bona illius Ecclesiæ alienare duxerit, debet illius Ecclesiæ defensorem constituere, qui partes Rectoris gerat, & cum eius consensu, saltem tacito alienare.*

21 *Prælatus, Rector, vel defensor, si procul absint, & res non patiatur moram, vt si adsit periculum ab hæreticis confiscari, sufficit consensus præsumptus.*

22 *Quod in priuilegium, & beneficium concessum est, non debet in odium, & detrimentum conuerti.*

23 *Consensus Capituli Ecclesiæ Cathedralis requiritur etiam quando Episcopus est principalis auctor alienationis bonorum alicuius Ecclesiæ sæcularis, non Cathedralis.*

24 *Quartò ad dictam alienationem requiritur etiam in casibus expressis subscriptio Clericorum.*

25 & 26. *Casus expressi tres sunt tantum, scilicet venditio, permutatio, & donatio: hi tantum contractus sunt alienatio propriè dicta, per quam rei dominium transfertur.*

27 *Subscriptio prædicta nihil relenat, an fiat manu propria Clericorum, & Religiosorum, vel manu Notarij.*

28 *In multis locis dicta subscriptio neque est in vsu, quare standum locorum consuetudini, quæ potest legem inducere, & abrogare.*

29 *Quintò demùm requiritur consensus Apostolicus, vbi est acceptata extrauag. Ambitiosa, Pauli II.*

30 *In omnibus casibus alienationis rerum, quæ veniunt in citata extrauaganti, præter casus à iure expressos, requiritur Pontificis consensus.*

31 *Consensus Pontificis concedi non solet, nisi præuia delegatione aliquorum in dignitate existentium, quibus committitur, vt si ipsis de vtilitate alienationis constiterit, assensum nomine Pontificis præstent, sin minus denegent.*

32 Consen

32 *Consensus Pontificis, & aliæ extrinsecæ requisitæ solennitates, intercessisse præsumuntur per lapsum triginta, vel quadraginta annorum, licet de ipsis solennitatibus nulla mentio in instrumento facta fuerit.*

33 *Ex temporis diuturnitate præsumuntur omnia legitimè gesta, nisi ex instrumento facto, vel aliunde contrarium conuincatur.*

34 *Etiamsi alienatio sit euidenter vtilis, & necessaria Ecclesiæ, adhuc licitè fieri non potest sine consensu Pontificis, sed ad ipsum spectat iudicare de vtilitate, & necessitate alienationis.*

35 *Obtento consensu Pontificis, possunt Regulares alienare, non seruatis aliis requisitis iuris communis, iuxta formam priuilegiorum, quæ post extrauag. Ambitiosæ, à Sede Apostolica obtinent.*

36 *Nam hæc a Decreto Vrbani VIII. sunt solum reuocata quoad alienationes sine consensu Pontificis faciendas, non verò quoad alias iuris communis solennitates.*

37 *Solus consensus summi Pontificis sufficit ad validè, & licitè alienandum.*

38 *In solennitatibus requisitis de iure canonico summus Pontifex potest dispensare.*

39 *Bona Ecclesiæ subsunt arbitrio ipsius summi Pontificis.*

40 & 41. *Consensus summi Pontificis, seu Sedis Apostolicæ, licet suppleat cæteras iuris solennitates, non tamen supplet causam legitimam alienandi; quia consensus prædictus est conditionatus, & conditio, si sit ineuidens, etiam non expressa intelligitur.*

42 *Alienatio facta etiam cum tali consensu summi Pontificis, constito de subreptione gratiæ, potest impugnari.*

43 *Alienatio sine consensu summi Pontificis fieri potest, si res alienanda sit modici valoris.*

44 *Item, si sit consuetudo legitimè præscripta, contra extrauag. Ambitiosæ, & Decretum Vrb. VIII.*

45 *Item, si sit necessitas vrgens, & non possit expectari consensus summi Pontificis.*

46 *Item, si res alienanda sit relicta Religioni, quæ non potest possidere, neque etiam in communi.*

47 *Item, si sit relicta cum tali onere, vt debeat certo tempore, vel casu alienari.*

48 *Item, si sit solita in feudum, vel emphyteusim concedi.*

49 *Item, si fiat vnio Ecclesiæ loco Regulari.*

1 REspondetur ad difficultatem positam, quod alienatio rerum immobilium, & pretiosarum, quæ seruando seruari possunt, sit licita, si præter legitimam alienandi causam, quam *suprà* dicebam, adsint quinque sequentes conditiones, de quibus vide Doctores *infrà* citandos, præcipuè Tamburin. *de iure Abbat. tom. 3. disp. 13. q. 8.*

2 Prima, si adsit tractatus, seu communis examinatio de necessitate, vel vtilitate alienationis inter eos, ad quos rem Ecclesiæ alienare spectat propositis, & discussis hinc inde ex vtraque parte rationibus, *cap. sine exceptione, 12. q. 2. Clem. 1. de rebus Eccles. non alien. cap. 1. & 2. eod. tit. in 6. cap. 1. & 2. de his, quæ fiunt à Prælato*, &c. Quod tamen intellige, sicuti *suprà* dicebam, non in rebus, quæ seruando seruari non possunt, neque in rebus parui momenti, neque si alienationem constet esse necessariam, vt si res non patiatur moram, vt docent Abb. *in cap. at super, de rebus Eccles. non alien. num. 15.* & *in cap. fin. de Ecclesiis ædificandis, num. 8.* sed solùm in rebus maioris momenti, in quibus possit esse aliqua ambiguitas: in his enim solummodo locum habet consultatio, seu tractatus: quamvis sufficiat vnius tractatus; quia in cit. iuribus fit mentio de tractatu solum in singulari: Abb. & Silu. *verb. Alienatio, num. 10.* Couar. *cap. 17. n. 1.* Mol. *de iust. tract. 2. disp. 468.* Vasquez *de reddit. lib. cap. 2. §. 2. dub. 12. n. 41.* Azor. *2. p. lib. 9. cap. 1. q. 4.* Less. *lib. 2. cap. 24. dub. 11. num. 63.* Riccius *decis. 51.* & Bonacina *quæst. 8. punct. 4. n. 7.*

3 Secunda, si adsit consensus Collegij; vel Capituli, scilicet Canonicorum, si res alienanda sit Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ; Religiosorum, si sit Conuentus, Clericorum Beneficiatorum, si sit Ecclesiæ parochialis plures beneficiatos habentis, *cap. sine exceptione, cap. tua, de his, quæ fiunt à Prælato*, & *cap. vt super, de rebus Eccles. non alienand.* & docent Silu. *verb. Alienatio, q. 4.* Gamma *decis. 49. num. 2.* Vasquez *num. 42.* & Mol. *disp. 468.* Quamvis si plures beneficiatos non habeat, 4
solus Rector de consensu Episcopi possit alienare, 5
*cap. 1. de rebus Eccles. non alien. in 6.* & docent Molin. *loco supra cit. concl. 5.* & alij passim. Consensus tamen 6
Capitularium esse debet expressus, vti colligitur ex *c. 1. de his, quæ fiunt à Prælato*, vocatur enim talis consensus collaudatio, quæ approbationem, & consensum expressum importat, vti notant Abb. Mol. Vasquez, Lessius, & Bonacina *in locis cit.* Item debet esse 8
à maiori parte Capituli, seu Capitularium, qui scilicet tunc præsentes sunt (absentium enim consensus non 7
requiritur, *cap. 1. de his, quæ fiunt à Prælato*, & *cap. sine exceptione 12. quæst. 2.*) & talis consensus sufficit, 7
vti ex communi docent Abb. *in cap. 1. de iis, quæ fiunt à Prælato, num. 5.* Mol. *d. sp. 468. §. tertiò dictum est*, & 8
Lessius *loco suprà cit.* quia tunc Capitulum consentire censetur, cùm meritò maior pars trahere debeat minorem. Item debet esse à Clericis in capitulo congregatis, & non sufficit si sit à singulis seorsim sumptis; quia singuli seorsim sumpti non faciunt Ca- 9
pitulum, nec talis consensus singulorum est consensus Capituli: in iuribus autem requiritur consensus Capituli, quia *in cap. sine exceptione*, dicitur: *Et cum totius cleri tractatu, atque consensu.* Et *in cap. continebatur, de his, quæ fiunt à Prælato*, dicitur: *Si Conuentu sciente, & non contradicente.* Et *in cap. cùm nos iam pridem, eod. tit.* dicitur: *Reclamante Capitulo*, &c. Accedit, quod tractatus debet esse inter Congregatos: 10
ergo & consensus; quia eodem modo vterque a citatis iuribus requiritur. Sic Hostiens. & alij, quos citat Silu. *loco supra cit. quæst. 5. ad fin.* quas vis ipse Silu. sentiat oppositum, quem sequuntur Vasquez *dub. 12. num. 42.* & Bonacina *punct. 4. num. 7.* Vide etiam Abb. *in cap. irrita, de his quæ fiunt à Prælato, n. 7.* & Molin. qui rectè aduertunt, quod si Capitulum ob bellum, vel 11
aliam causam vrgentem absit, Prælatus debeat loco Capituli substituere alios clericos, quibuscum tractet, & consultet de re Ecclesiæ alienanda, & quorum consensum petat, & illo obtento rem Ecclesiæ alienet, & non aliter.

Quod si Capitulo non consentiente, Prælatus rem 12
Ecclesiæ alienauerit, alienatio erit irrita, *cap. continebatur, & cap. irrita, de his, quæ fiunt a Prælato.* Excipe, nisi Capitulum, siue prius non consenserit, siue etiam contradixerit, postea ratam illam habeat, *cap. cùm nos quidem, eod. tit.* quin tunc rata erit, à tempore tamen, quo ratam illam habuit Capitulum, quia à tunc tantum adsunt requisita ad alienandum. Sic Abb. *in cit. cap. irrita, n. 5.* & Molin. *disp. 468.* Quin potest Capitu- 13
lum contrahentem ad contractus obseruationem compellere; quia fauore Ecclesiæ contractus interim claudicat, vt inquit Abb. *in c. 1. de rebus Eccles. non alien. in 6.* & colligitur *ex cap. cùm nos, de his quæ fiunt à Prælatis.*

Tertia, si adsit consensus Superioris, id est, eius qui 14
ex munere publico Ecclesiæ præest, *cap. sine exceptione, 12. quæst. 2. cap. 1. 2. & 3. de his, quæ fiunt à Prælato*, & *cap. nulli, de rebus Eccles. non alien.* Qualis superior pro 15
alienatione

15 alienatione rei Ecclesiæ sibi subiectæ est Episcopus, seu Archiepiscopus in sua Diœcesi, pro alienatione rei
16 Religionis est Prælatus exemptus, vt Abbas in Monasteriis Monachorum; Prouincialis in Ordinibus Mendicantium, & in nostra Religione Theatinorum solus Generalis. Vide Nauarrum *consil.*8. *de alienat.* Quarant. *num.*5. Sopranum apud Filliucium *tract.*44. *c.*5.*q.*6.*n.*12.*&* 13. Molinam *disp.*468. Vasquez *c.*2.§.2. *dub.*12. Azorium *lib.*9.*cap.*1.*q.*4. & Bonac. *q.*8. *punct.*4. *num.*7.

17 Quod si Prælatus Religionis, seu Abbas Episcopo subiectus sit, etiam Episcopi consensus requiritur: idemque dicendum de quouis inferioris Ecclesiæ Rectore, cuius consensus, si Collegium, siue Capitulum clericorum is non habeat, sufficit ad alienationem cum
18 Episcopi consensu, teste Abbate *in cit. c.*1.*de rebus Eccles.non alien.in* 6. qui consensus, ad differentiam consensus Capituli, non requiritur, quod sit expressus, sed sufficit, si sit tacitus, id est, cum scientia, & patientia eius, quod agitur. Sic ex communi Layman. *lib.*3. *tr.*4. *c.*10.*n.*4.

19 Nunquam tamen superior, v.g. Episcopus, alienare potest bona Ecclesiæ inferioris sine illius Ecclesiæ Rectoris consensu, saltem tacito, *cap. placuit*, 12. *q.*2. *cap.si quis Episcopus*, 10. *q.*2. & *cap.*1. *de rebus Eccles. non alien. in* 6. Quod adeò verum est, vt si contingat,
20 Ecclesiam inferiorem Rectore carere, & Prælatus bona illius alienare necessarium iudicet, constituere debeat Ecclesiæ illius defensorem, qui partes Rectoris gerat, & cum consensu defensoris, saltem tacito, alienet, alioquin alienare non poterit, *cap.*1. *de rebus Eccles. non alien. in* 6. & docent Abb. *in cap.*1. *ne Sede vacante*, *num.*7. Mol. *cit. disput.* 468. *concluf.*5. Riccius *decis.*6. & Bonacina *quæst.*8. *punct.*4.
21 *num.*7.

Quin, & si Prælatus, Rector, vel defensor procul absit, & res non patiatur moram, & si sit periculum, ne ab hæreticis confiscetur, sufficit consensus præsumptus. Sic Abb. *in cap.fin. de rebus Eccles.non*
22 *alien.* Sylvest. *verb. Alienatio*, *num.*16. Armilla *eod. verb. n.*18. & Less. *n.*63. & probatur, quia alioquin quod in priuilegium, & beneficium Ecclesiæ concessum est, in odium, & detrimentum eiusdem verteretur, quod est
23 maximum absurdum.

An autem præter consensum Episcopi requiratur etiam tractatus, & consensus Capituli Ecclesiæ Cathedralis, quando Episcopus est principalis auctor alienationis bonorum alicuius Ecclesiæ sæcularis, non Cathedralis.

Respondetur affirmatiuè. Atque sic habetur expresse *in cap.*1. *de rebus Eccles. non alien.* & meritò sic ibi sancitur, ne scilicet Episcopus, quando est auctor alienationis, possit facilè bona Ecclesiæ alienare. Vide Abbatem *in c.*1. *de his, quæ fiunt à Prælatis, num.*5. & *in cap. placuit*, 12. *q.*2. Molin. *disp.*468. *num.*13. & Riccium
24 *decis.*6.
25 Quarta, si adsit subscriptio clericorum, in casibus tamen à iure expressis, qui tres tantum sunt, venditio, permutatio, & donatio, *cit. cap.*1. *& cap. tua, de his, quæ fiunt à Prælatis*, & tradunt Abbas, Mol. Lessius, &
26 Bonacina *in locis suprà cit.* & Azor. *lib.*9. *cap.*1. *quæst.*4.
27 quia hi tantum contractus sunt alienatio propriè dicta, per quam rei dominium transfertur. Quæ tamen subscriptio non est necesse, quod fiat manu propria Clericorum, vel Religiosorum, sed sufficit, si fiat
28 manu Notarij; quia sic habet consuetudo, quin in multis locis neque vlla subscriptio requiritur: quare standum erit consuetudini locorum, hæc enim potest legem inducere, & abrogare. Vide Abbatem *in cit. cap.*1. *de rebus Eccles. non alien. in* 6. Molinam, Lessium, Quarant. Bonac. *suprà*, & Armillam *verb. Alienatio*, §.6.

Quinta, si adsit consensus Apostolicus (vbi ex- 29
trauag. *Ambitiosæ*, fuerit recepta quoad hanc partem) 30
quia sic in ipsa extrauag. cauetur. Quapropter in omnibus casibus, in quibus requiritur tractatus, consensus Clericorum, & Prælati, id est, quotiescumque est res aliqua cuiuscumque Ecclesiæ (etiam non Cathedralis) immobilis, vel mobilis pretiosa alienanda, hypothecanda, impignoranda, vel in feudum, & emphyteusim tradenda, præter casus à iure permissos, consensus Pontificis etiam debet expostulari. Sic Leo *in thesaur. for. cap.*15. *num.*9. Quarant. *num.*5. Barbosa *de potest. Episc. part.*3. *alleg.*95. *num.*66. Bonacina *in loco suprà cit.* & alij passim contra Redoanum *q.*42. *&* 46.
Qui consensus Pontificis concedi non solet, nisi præuia 31
delegatione aliquorum in dignitate existentium, quibus committitur, vt si ipsis de vtilitate alienationis constiterit, assensum nomine Pontificis præstent, sin minus denegent. Riccius *in praxi*, *decis.*94. *edit.*1. & 32
Barbosa *suprà*, vbi aduerte, quod consensum Pontificis, & alias extrinsecè requisitas solennitates interfuisse præsumitur, si post alienationem triginta, vel
quadraginta anni lapsi fuerint; quamvis earum in in- 33
strumento nulla mentio reperiatur; quia ex diuturnitate temporis præsumuntur omnia legitimè gesta, nisi ex instrumento facto, vel aliunde contrarium conuincatur. Sic Ancharanus *consil.*139. Felin. *in cap. sicut*, *n.*30. *&* 33. §. *contrarium, de re iudicata.* Riccius *decis.*34. *&* 35. Barbosa *cit. alleg.*95. *num.*72. Bonac. *punct.*4. *n.*7. *ad fin.* Genuens. *cap.*88. Mascardus *de probat. concl.*416. *num.*1. *volum.*1. Sicque videtur vsu receptum in Rota Romana contra Bald. *in l.*2. *C. de legit. hæredib.* Menoch. *lib.*3. *præsumpt.*132. *n.*70. *&* 71. Quarant. *n.*7. & Redoan. *q.*38. *n.*16.

Ex dictis sequitur, quod etiamsi alienatio sit euidenter vtilis & necessaria Ecclesiæ, adhuc licitè fieri non possit sine consensu summi Pontificis, sed ad eum spectet iudicare de vtilitate, & necessitate alienationis;
quia finis, propter quem iure prohibetur dicta aliena- 34
tio sine consensu summi Pontificis, est quia ipse Pontifex ad obuiandum detrimento Ecclesiarum (cum sub prætextu vtilitatis plures alienationes inutiles fieri soleant) vult iudicare de vtilitate, vel inutilitate ipsarum. Quapropter alienationem esse euidenter vtilem, aut necessariam Ecclesiæ, solum est causa iusta, & sufficiens ad impetrandam licentiam à summo Pontifice, non autem vt fiat ipsa alienatio independenter à dicto consensu summi Pontificis, vel etiam sine prædicta iuris solennitate.

Aduerte tamen hic, quod licet iure communi ad alienationem rerum Ecclesiasticarum faciendam requiratur prædicta iuris solennitas (quæ præter assensum Apostolicum) continet quatuor, scilicet tracta- 35
tum circa alienationem faciendam, consensum Capituli, auctoritatem Prælati, & Capitularium subscriptionem, de quibus *suprà* dicebam) nihilominus quia plures Religiones habent priuilegia faciendi alienationes sine prædicta iuris solennitate, qualiter nonnullæ Religiones habent à Gregorio XIII. in Bulla, *Ex incumbenti*, facultatem illas faciendi, dummodo sint in vtilitatem Monasteriorum, & ex consensu duarum ex tribus partibus Capitularium Religiosorum, vel Monialium, accedente etiam consensu, vel ratihabitione Generalis: & Patres à Societate Iesv habent alium modum solennitatis ab eodem Gregorio XIII. ipsis præscriptum (de quo Mol. *de contract. disput.*468. §. *quarta conclusio*) ideo quælibet Religio potest iuxta formam priuilegiorum, quæ post extrauag. *Ambitiosæ*, à Sede Apostolica habet, prædictas alienationes, obtenta tamen licentia Sedis Apostolicæ, vel S. Congregationis facere; quia quoad hoc reuocata non sunt ipsarum priuilegia, si illa habent; siquidem decretum
S. Congregationis Concilij, de quo dicebam *dub.*1. 36
*num.*4.)

*num.*4.) solum reuocat priuilegia Regularium quoad alienationes sine consensu Sedis Apostolicæ, vel eiusdem S. Congregationis faciendas, non autem quoad alia, quæ pertinent ad solennitatem illarum. Pro Regularibus tamen non habentibus priuilegium alienandi cum sola licentia Sedis Apostolicæ requiruntur ad alienandum præter Sedis Apostolicæ licentiam prædictæ conditiones quatuor, de quibus dicebam *supra*.

37 An autem solus consensus summi Pontificis ad validè, & licite alienandum sufficiat?

38 Respondetur affirmatiuè: tum quia solennitates requiruntur de iure Canonico, in quo summus Pon-
39 tifex potest dispensare; tum quia bona Ecclesiæ subsunt arbitrio eiusdem summi Pontificis. Sic Ruinus *consil.*157. Riccius *consil.*242. Sopranus *cap.*5. *quæst.*4. Tamburinus *de iure Abbat. tom.*3. *disput.*13. *quæst.*1. *num.*9. Bordonus *resol.*27. *num.*11. *& seqq.* Lezana
40 *part.*2. *c.p.*19. *num.*62. & alij passim. Vbi tamen aduerte, quod licet consensus summi Pontificis, seu Sedis Apostolicæ suppleat cæteras iuris solennitates, non tamen supplet causam legitimam alienandi, quia semper summus Pontifex præstat consensum sub conditione, si sit alienatio in euidentem vtilitatem Ecclesiæ, adeò, quod si dictam conditionem non ex-
41 primat, tacitè semper subintelligat. Rota 2. *part. diuers. decis.*178. *num.*2. Quaranta *num.*7. Redoanus *quæst.*22. *n.*75. & Sopranus apud Filliucium *tract.*44.
42 *cap.*5. *q.*11. Quapropter alienatio cum tali consensu summi Pontificis, seu Sedis Apostolicæ celebrata poterit adhuc impugnari, nisi probetur fuisse in euidentem vtilitatem Ecclesiæ celebrata. Menoch. Quaranta, & alij *in locis supra citatis.*

43 Cæterum casus à iure permissi, in quibus licita est alienatio sine vlla summi Pontificis, vel sacræ Con-
44 gregationis licentia, sunt: Primus si alienanda sit res modici valoris, iuxta *cap. terrulas*, 12. *quæst.*2. & quæ dicebam *dub.*1. *num.*13. *& dubit.*2. *sect.*2. & docent DD. quos citat, & sequitur Bonacina *tract. de restit. disput.*3. *quæst.*8. *punct.*4. *num.*7. Lucianus *in man.*
45 *Epis. verb. Alienatio.* Secundus est consuetudo legitimè præscripta, contra Extrauag. *Ambitiosæ*, (idemque dico de decreto sacræ Congregationis, quod referebam *dubit.*1. *num.*4.) iuxta ea quæ dicebam *dub t.*8. & docent DD. quos citat, & sequitur Azor. *lib.*2. *cap.*9. *quæst.*1. *num.*1. Tertius est necessitas tam vrgens, vt non possit expectari licentia Sedis Apostolicæ, vel summi Pontificis, vt si essent citò redimendi captiui à piratis detenti, vel alendi pauperes in graui, & repentina necessitate, iuxta ea quæ dicebam *cit. dubit.*1. *numero* 13. & dicam *dubit.*23. *num.*2. *& seqq.*
46 & docent Mol. *disp.*468. & alij. Quartus, si bona sint relicta Religioni incapaci bonorum in communi, iuxta ea, quæ dicam *dubit.*22. & docent DD. quos citat, & sequitur Sanch. *lib.*7. *moral. cap.*26. *num.*30.
47 *& cap.*27. *num.*17. Quintus si sint relicta cum tali onere, vt debeant certo tempore, vel casu alienari, vel ex obligatione iustitiæ restitui, iuxta ea, quæ dicam *dubit.*10. Sextus si bona solita sint infeudari, vel in emphyteusim concedi, iuxta ea quæ dicam *dub.*15. & docent Mol. *disp.*468. & Rodrig. *tom.*1. *quæst.*27. *art.*13. Septimus si fiat vnio Ecclesiæ loco Regulari, iuxta *Clement. si vna, de rebus Eccles. non alien.* iuxta ea, quæ dicam *dubit.*13. Vide etiam quæ dicentur *cit. dubit.*23.

## DVBITATIO X.

An in alienatione rei relictæ loco pio capaci, vel Ecclesiæ capaci, cum ea clausula, vt quotiescumque Ecclesia voluerit, eam alienare, vel in proprios vsus conuertere possit, etiam non seruatis iuris solennitatibus, seruandæ sint conditiones, seu solennitates iuris?

### SVMMARIVM.

1 *Alienatio fieri potest si in dispositione relicti expressa fuerit licentia per disponentem, posse nempe alienari sine solennitatibus, & in proprios vsus conuerti, non seruatis solennitatibus.*

2 *Testator potest res suas in testamento relictas alienare sine solennitatibus; & ita dicendum est de Ecclesia iure transmissis.*

3 *Testator potest hæreditatem suam Ecclesiæ relinquere ad certum tempus, quo elapso teneatur illam transferre in aliquem ex consanguineis ab ipsa Ecclesia eligendum.*

4 *Ad recensitam translationem, licet sit quoddam fideicommissum, nullus consensus summi Pontificis, nullusque tractatus requiritur.*

5 *Clausula recensita non est iuri contraria, quia ius prohibet alienari quando bona sunt Ecclesiæ absolute.*

6 *Ecclesia, quæ sit incapax possidendi, reiecta conditione retinendi per disponentem apposita, tanquam turpi, potest rem relictam alienare.*

7 *Qui relinquit Ecclesiæ incapaci retinendi, ea conditione, vt retineat, manifestè contradicit iuris dispositioni, & ad id talis conditio tanquam turpis est reiicienda.*

8 *Is, qui relinquit Ecclesiæ ea conditione, vt alienare possit quandocumque voluerit, non contradicit iuri Ecclesiæ, quia Ecclesia non impeditur in omni casu rem suam alienare.*

REspondetur negatiuè contra Armillam *verb.* 1
*Alienatio, num.*19. Couar. *in cap. tua, de testam. n.*6. Riccium *in praxi, decis.*67. Quarantam *verb. Alienatio, num.*31. *&* 32. & Bonacinam *disp.*3. *de contract. quæst.*8. *punct.*4. *num.*8. itavt dicta Ecclesia possit rem sibi sub hac conditione relictam, non seruatis iuris solennitatibus, alienare. Probatur, quia testator poterat sine 2
huiusmodi solennitatibus rem suam alienare: ergo in tali casu potest etiam Ecclesia. Antecedens patet: consequentia probatur, quia in tali casu Ecclesia alienat ex potestate accepta à testatore, qui transferens rem suam Ecclesiæ, potuit cum ea potestate transferre. Confirmatur, quia testator potuit hæreditatem suam 3
Ecclesiæ relinquere ea clausula, vt post aliquod tempus teneatur illam transferre in aliquem ex consanguineis, quem Ecclesia elegerit, ad quam translationem 4
etiamsi sit quoddam fideicommissum, nullus consensus summi Pontificis, nullusque tractatus requiritur, *argum. l.*1. *& 3. Cod. quando decreto opus non est*, & tradunt Vgolin. *de potest. Episcop. cap.*14. §.7. *n.*5. Quaranta *n.*45. *limit.*17. & Barbosa *alleg.*95. *n.*61. Ergo neque in casu nostro requiritur.

Obiicies fundamentum Aduersariorum. Talis clau- 5
sula, seu conditio est iuri contraria: ergo reiicienda tanquam turpis, & habenda pro non apposita.

Respondetur, nego antecedens; quia ius prohibet solum Ecclesiæ rem alienari, quando illa est Ecclesiæ absolutè,

absolutè, & in perpetuum : secus, si sit Ecclesiæ non absolutè, & in perpetuum, sed quamdiu Ecclesiæ placuerit illam retinere.

6 Obiicies secundò, rem relictam Ecclesiæ incapaci retinendi, ea clausula, vel conditione, vt retineat, & non alienet, Ecclesia non tenetur retinere, sed reiecta tali conditione, tanquam turpi, potest alienare. Rebuffus *compend. de alien. num.* 23. Franchus *de rebus Eccles. non alien. in* 6. *vers.* 12. Quaranta *num.* 41. & Sopranus *num.* 32. Ergo è contra rem relictam ea clausa, vel conditione, vt possit alienare, non seruata iuris solennitate, tenetur illam retinere, & non alienare, nisi in alienatione seruet iuris solennitatem.

7 Respondetur concedo antecedens, at nego consequentiam : & disparitas est, quia qui relinquit Ecclesiæ incapaci retinendi ea conditione vt retineat, manifestè contradicit iuris dispositioni : & consequenter
8 talis conditio, tanquam turpis, est reiicienda. Non sic contradicit qui relinquit Ecclesiæ ea conditione, vt alienare possit quandocumque voluerit ; quia Ecclesia iure non impeditur sine solennitate alienare rem suam in omni casu, sed solum quando illa est Ecclesiæ absolutè, & non pro tempore limitato, sicuti est in casu nostro, quandoquidem relinquitur pro tempore, quo ipsa Ecclesia illud retinere voluerit.

## DVBITATIO XI.

An si è contra res relicta sit Ecclesiæ cum ea clausula, seu conditione, vt nunquam alienetur, possit adhuc, existente tamen iusta causa, & seruatis iuris solennitatibus, alienari ? Vbi etiam, quandonam incurratur pœna caducitatis.

### SVMMARIVM.

1 *Ecclesia prohibita per disponentem alienare bona sibi relicta, adhuc potest alienare, si non habeat quomodo possit vtilitati, necessitati, vel pietati prouidere.*

2 *Ecclesia prohibita per disponentem alienare, si habet quomodo possit prædictis prouidere, debet conditionem seruare.*

3 *Conditio recensita non aduersatur in tali casu iuri concedenti alienationem rerum Ecclesiæ in casu vtilitatis, necessitatis vel pietatis.*

4 *Opinio in oppositum Hostiensis, Innocentij, & Abbatis est satis probabilis, & vide eorum fundamenta.*

5 *Res relicta sub conditione, quod non possit alienari, operatur tamen vt non possit alienari pro quacumque necessitate, sed pro graui.*

6 *In opinione prædictorum quando requiritur consensus summi Pontificis in alienatione rei vt suprà relicta non est necesse narrare conditionem testatoris, nisi impetrandus sit consensus per modum dispensationis.*

7 & 8 *Conditio apposita à disponente, quod bona relicta Ecclesia non possint alienari, debet exprimi in impetratione consensus summi Pontificis, alias rescriptum vitiaret ; secus si impetrandus sit per modum approbationis causarum ad alienationem requisitarum.*

9 *Pœna caducitatis adiecta rei, quæ donata fuit Ecclesiæ capaci, cum clausula, seu conditione, vt non alienetur, non incurritur semper, sed solum quando sine iusta causa alienatur, vel etiam sine debita solennitate, & consensu Pontificis.*

10 *Quilibet est rei suæ moderator, & arbiter.*

11 *Qui potuit liberè non donare, sic etiam potuit cum tali onere donare.*

RESpondetur (quamvis possit, si Ecclesia non habeat alia bona, quibus possit vtilitati, necessitati, vel pietati prouidere, in quo casu conueniunt Doctores, non posse tamen si habeat ; quia in tali casu conditio seruari potest, & non aduersatur iuri concedenti alienationem rerum Ecclesiæ in casu vtilitatis, necessitatis, vel pietatis. Et fauet textus *in Authent. de alienat. & emphyteusi, collat.* 9. §. *sanctissimus*, vbi dicitur, res Ecclesiæ alienari posse pro captiuis redimendis, nisi eo pacto relictæ sint, ne alienari possint. 1 2 3

Contrarium tamen, & satis probabiliter, sentiunt Hostiensis, Innocentius, & Abbas, quos sequitur Silu. *verb. Alienatio, quæst.* 28. Sopranus apud Filliucium *tract.* 44. *cap.* 4. *quæst.* 25. *num.* 31. & Azor. 2. *p. lib.* 9. *cap.* 2. *quæst.* 9. ex eo, quia habere Ecclesiam alia bona quæ alienare possit, non impedit, quominus rei sit relictæ alienatio ex causa pietatis, vtilitatis, vel necessitatis, & seruatis iuris solennitatibus fiat : ergo. Consequentia probatur, quia quotiescumque alienatio fit ex causa pietatis, vtilitatis, vel necessitatis, & seruatis iuris solennitatibus, permittitur à iure : ergo non potest testator conditionem contrariam apponere, quia si apponeret, apponeret contra ius, & consequenter ea, tanquam turpis, reiicienda erit. Vnde videtur quodammodo ad nostrum fundamentum responderi posse : & ad textum *in Authent. de alienat.* respondent, non posse rem relictam alienari pro captiuis redimendis, si relicta fuerit ea clausula, seu conditione, vt non alienetur, nisi captiui extremam, vel valde grauem necessitatem patiantur : id enim operatur conditio, vt scilicet res sic relicta non possit alienari pro quacumque necessitate. 4 5

Hæc opinio est, inquam, ob dicta satis probabilis, & iuxta eam, cùm à superiore impetrandus est consensus, vt res sic relicta possit alienari, non est manifestanda talis clausula, seu conditio ; nisi impetrandus sit à superiore consensus per modum dispensationis, qualiter solet impetrari à Pontifice, quia tunc Pontifex, vel non concederet rescriptum, vel si concederet, non concederet eodem modo, si scilicet talis clausula, seu conditio ipsi manifestaretur : quapropter est exprimenda, alioquin eius taciturnitas vitiaret rescriptum, iuxta *cap. super literis, extra de rescriptis* ; & docent communiter Doctores, quos citat, & sequitur Riccius *decis.* 45. & Bonacina *punct.* 4. *n.* 12. Secus si impetrandus sit per modum approbationis causarum ad alienationem requisitarum, quia tunc non est necesse quod dicta clausula, seu conditio manifestetur : quandoquidem illa apposita in istorum Doctorum opinione non immutat potestatem alienandi ex iusta causa, & seruatis iuris conditionibus, magis quàm si apposita non esset, ac proinde quoad hanc partem pro non adiecta. 6 7 8

Ex dictis sequitur, quod non semper incurratur pœna caducitatis adiecta rei, quæ donata fuit Ecclesiæ capaci cum clausula, seu conditione, vt non alienetur, alioquin ad aliam transeat : sed solum quando alienatur sine iusta causa, vel etiam sine debita solennitate, & consensu Pontificis, quando hæc requiruntur, iuxta ea quæ *suprà* dicebantur. Prior pars patet ex dictis : posterior pars probatur, quia quilibet est rei suæ moderator, & arbiter, *l. in re mandata, Cod. mandati* ; & consequenter sicuti potuit liberè non donare, sic etiam potuit cum tali onere donare. Vide Sylvest. *verb. Alienatio, q.* 28. Nauar. *consil.* 8. *de vendit.* Azor. *lib.* 9. *cap.* 2. *q.* 9. & Sopranum *cit. c.* 4. *q.* 25. *n.* 31. 9 10 11

## DVBITATIO XII.

An seruandæ sint iuris solennitates in cessione iuris, vel actionis? Vbi etiam, quid dicendum in transactione rerum, quæ possidentur ab Ecclesia, & in remissione pœnæ caducitatis?

### SVMMARIVM.

1 *In cessione iuris acquirendi non sunt seruandæ iuris solennitates, secus autem est in cessione iuris acquisiti.*

2 *Prælatus in iure acquirendo potest præiudicare Ecclesiæ.*

3 *Transactio, remissio, vel concordia de rebus ab Ecclesia possessis, fieri non potest sine iuris solennitate.*

4 *Transactio, remissio, vel concordia probabiliter fieri possunt de rebus, in quarum possessione nondum existit Ecclesia, & consequenter de religiosa, præsertim si sit magni dispendij Monasterij.*

5 *Transactio, remissio, vel concordia probabiliter fieri potest, etiam de rebus, in quarum possessione iam existit Ecclesia, si iniustè possideat.*

6 *Transactio, remissio, vel concordia de decimis futuris fieri non potest, licet fieri possit de præteritis; non sic cessio iuris acquisiti circa res futuras.*

7 *Cessio litis, vel causæ fieri non potest sine solennitate iuris, quia & talis cessio est quædam alienatio, cum & ipsa sit cessio iuris iam acquisiti.*

8 *Cessio legati, vel hæreditatis relictæ fieri non potest sine iuris solennitate; quia talis cessio est etiam alienatio, cum sit iuris acquisiti, & non acquirendi.*

9 *Prælatus, vel Beneficiatus, qui est Dominus directus emphyteusis facere potest sine solennitate iuris remissionem caducitatis emphyteutæ, qui incidit in commissum ob non solutum canonem.*

10 *Limita dummodo Prælatus, vel Beneficiatus non declarauerit se velle incursam esse caducitatem, quia in tali casu non videtur posse illum remittere.*

11 *Emphyteuta incidit in caducitatem à die, qua proprietarius declarat se velle caducitatem incursam esse.*

12 *Caducitas censetur remissa, si Prælatus, vel Beneficiarius recipiat pensionem, & canonem pro tempore elapso.*

REspondetur distinguendo, seruandas non esse in cessione iuris acquirendi, seruandas autem esse in 2 cessione iuris acquisiti. Prior pars probatur, quia in priori casu non est alienatio, & Prælatus potest præiudicare Ecclesiæ in iure acquirendo. Sic communiter Doctores. Vide *suprà sect.5.* Posterior pars probatur, quia in posteriori casu est alienatio, & ius acquisitum computatur inter immobilia, vel mobilia pretiosa. Vide *suprà dub.1.& 2.*

3 Ex dictis sequitur primò, quod fieri non possit sine solennitate iuris transactio, remissio, vel concordia de 4 rebus ab Ecclesia possessis: & in hoc conueniunt Doctores, quia tunc alienatur ius acquisitum, quamvis probabiliter fieri possit de rebus in quarum possessione nondum existit Ecclesia, quia tunc non alienatur quod habet Ecclesia, sed quod speratur sub dubio haberi, remittitur pro alicuius rei certæ acquisitione; sicuti ex probabili dicebam *suprà dub.6.* & docent *Thom. Delbene de Immunit. Eccl.* Pars II. Rebuff. *in compend. alienat. num.21.* Quaranta *verb. Alienatio, num.20.& 43.* Barbosa *de potest. Episcop. alleg.95. n.63.* Bonac. *disp.3. quæst.8. punct.4. n.20.* & alij, quos ibi citabam. Quapropter rectè ait Bordonus *resol.27. n.59.* 5 *& seqq.* posse Regulares transigere super re litigiosa, præsertim si sit magni dispendij Monasterio, quia res litigiosa non dicitur Religioni incorporata, & consequenter non est, cur non possit fieri super illa transactio, præsertim ad euitandum damnum, quod Monasterio ex lite immineret. Quin & fieri potest transactio etiam de rebus in quarum possessione iam existit Ecclesia, si iniustè possideat; quia tunc non est alienare rem Ecclesiæ, cùm Ecclesia in illam nullum ius habeat, vti suppono.

Sequitur secundò, quod fieri neque possit sine so- 6 lennitate iuris transactio, remissio, vel concordia de decimis futuris (quamvis fieri possit de præteritis) quia & talis actio etiam est quædam alienatio, cùm sit cessio iuris acquisiti circa res futuras. Sic Abbas, Rebuffus, & alij, quos citat, & sequitur Quaranta *n.20.* Riccius *decis.41.& 46.* & Genuensis *in praxi, c.60. n.19.* vbi refert sic esse à Rota decisum.

Sequitur tertiò, quod fieri neque possit sine solen- 7 nitate iuris cessio litis, vel causæ; quia & talis cessio est etiam quædam alienatio, cùm & ipsa sit etiam cessio iuris iam acquisiti, vt ait Armilla *verb. Alienatio, n.16.* & alij quos citat Quaranta *n.22.* Idemque dicas de concessione seruitutis. Quaranta, Redoanus, Sopran. *in locis suprà cit.* & alij communiter.

Sequitur quartò, quod fieri neque possit sine solen- 8 nitate iuris cessio legati, vel hæreditatis relictæ; quia talis cessio etiam est alienatio, cùm sit cessio etiam iuris acquisiti, non acquirendi: quamvis oppositum sit etiam probabile, idque ex opposita ratione; quia scilicet dicta cessio non est alienatio, cùm ex probabili etiam sit cessio iuris acquirendi, non acquisiti. Vide *cit. dub.6.*

Sequitur quintò, quod è contra à Prælato, vel be- 9 neficiato, qui est Dominus directus emphyteusis, fieri possit sine solennitate iuris remissio caducitatis emphyteutæ, qui incidit in commissum ob non solutam pensionem; quia talis remissio non est cessio iuris acquisiti absolutè, sed acquirendi, si scilicet ipse Prælatus, vel beneficiatus voluerit. Sic Clarus §. *emphyteusis, q.10.* Vgolin. *de potest. Episcop. cap.14.§.7. n.5.* Quaranta *n.44.* vbi refert Ruinum, Cæpollam, & alios. Rebellus *de obligat. iust. lib.13. q.11. n.7.* Sanchez *de matrim. lib.6. disp.4. n.13.* Barbosa *de potest. Episc. alleg.95. n.64.* Ricc. *decis.135.* (vbi refert Mastrillum, Valascum, & Afflict.) *& decis.136.* & Bonac. *q.8. punct.4.* quidquid dubitare videatur Lezana *p.2. c.19. n.58.*

Hoc tamen, quod modò dixi, intellige, dummodo 10 Prælatus, vel Beneficiarius non declarauerit, se velle incursam esse caducitatem; quia in tali casu non videtur posse illam remittere, cùm censeatur tunc acquisitum esse ius Ecclesiæ, siquidem emphyteuta incidit in 11 caducitatem à die, qua proprietarius declarat, se velle caducitatem incursam esse, vt communiter Doctores *in tract. de emphyteusi.* Vide Lessium *de iust.& iure, lib.2, cap.24. dub.9. n.46.*

An verò præsumatur caducitas remissa, quando 12 Prælatus, vel Beneficiarius recipit pensionem, & Canonem pro tempore elapso? Affirmant, si nulla facta fuerit protestatio, Ruinus, Curtius, Socinus, Parisius, & aiij, quos citat, & sequitur Menoch. *lib.3. præs.112. n.1.* Clarus §. *emphyteusis, q.10.* & Bonacina *de emphyteusi, punct.2. n.15.*

## DVBITATIO XIII.

An seruandæ sint iuris solennitates in permutatione rerum Ecclesiasticarum, quæ fit inter ipsas Ecclesias? Vbi etiam, quid dicendum in vnione Ecclesiarum, & in dismembratione fructuum?

### SVMMARIVM.

1 *Iuris solennitates in permutatione rerum Ecclesiasticarum seruandæ sunt spectata consuetudine, etiamsi fiat inter ipsas Ecclesias.*

2 *Permutatio est rei alienatio, cum rei dominium transferat in alium.*

3 *Permutatio prohibetur eodem modo, quo prohibetur venditio, & donatio.*

4 *Venditio, & donatio etiam inter Ecclesias fieri non potest sine solennitate iuris.*

5 *Hæreditas vnius Ecclesiæ non potest sine tractatu Capituli, Prælati, & summi Pontificis consensu permutari cum ornamento, vel hæreditate alterius Ecclesiæ.*

6 *In praxi eadem iuris solennitas, idemque assensus Apostolicus adhibetur in permutatione inter Ecclesias, ac adhibetur in venditione, & donatione inter easdem.*

7 *Vnio Ecclesiarum fieri non potest sine iuris solennitatibus, quia hæc est quædam alienatio, exceptis tamen casibus Tridentini Concily, inter quos vnus est ille, si vnio Ecclesiæ fiat loco Regulari.*

8 *Dismembratio fructuum non potest fieri sine iuris solennitatibus, quia hæc etiam est quædam alienatio.*

9 *Ex fructibus Ecclesiæ Parochialis non possunt erigi Canonicatus, quando maior numerus Sacerdotum non est necessarius ad Sacramentorum administrationem.*

10 *Causa, quæ est in proœmio citatæ extrauagantis ambitiosæ, non est causa finalis, sed impulsiua ad prohibitionem alienationis rerum Ecclesiæ faciendam.*

11 *Prohibitio citatæ extrauagantis non est de nouo lata, sed antiqua renouata, & confirmata.*

12 *Antiqua prohibitio alienandi, non solum fuit ne res exirent ab Ecclesia, & applicarentur vsui profano, sed etiam ne perirent, & vt conseruarentur.*

13 *Finis dictæ prohibitionis, cum per multiplicationem permutationum res consumantur, laditur permutatione, etiamsi fiat inter Ecclesias.*

14 *Pœna, & censuræ extrauagantis Ambitiosæ non contrahuntur in permutatione facta inter Ecclesias ex eo, quod res Ecclesiæ in tali casu non exeunt ab Ecclesia. Idem dic de venditione, & donatione inter easdem.*

15 *Canones permittentes permutationem rerum Ecclesiasticarum inter Ecclesias sunt correcti per alios canones prohibentes.*

16 *Correctio textuum est vitanda quammaximè, & solùm admittenda quando clarè apparet correctionis fundamentum.*

17 *Sufficit in casu nostro, quod in aliis testibus permittatur permutatio inter Ecclesias, non tamen venditio, & donatio, & quod spectato iuris rigore contraria sententia sit satis probabilis.*

18 *Praxis Romanæ Curiæ non inducit legem de mente Pontificis seruandam, quia etiam in casibus non necessariis solet haberi recursus ad Sedem Apostolicam.*

19 *Consuetudo tunc obligat quando sumus in interpretatione necessaria, secus autem quando sumus in facultatiuis, prout in casu nostro.*

20 *Ex actibus merè facultatiuis non inducitur consuetudo.*

21 *Consuetudo in actibus merè facultatiuis, non participat intrinsecas legis conditiones, quarum vna est, quod sit necessaria pro communitate.*

22 *Consuetudo si non est necessaria indebitè, ac proinde irrationabiliter, priuat subditos, & consequenter non potest habere vim legis.*

REspondetur, seruandas esse in permutatione, 1
etiamsi permutatio fiat inter Ecclesias, saltem spectata consuetudine sic hodie recepta. Prima pars 2
probatur, quia permutatio est rei alienatio, cum rei dominium transferat in alium: tum quia de ipsa permutatione loquuntur expressè *cap.*1. de his, quæ fiunt à Prælato. Extrauag. *Ambitiosæ*, & multa alia iura: & sic etiam docent communiter Doctores.

Secunda pars probatur, quia iura simpliciter & absolutè loquuntur; tum quia *in cap. sine exceptione,* 3
12.*quæst.*1.*cit.cap.*1. & cit. Extrauag. *Ambitiosæ*, prohibetur permutatio eodem modo, ac prohibetur venditio, & donatio: sed venditio, & donatio, etiam in- 4
ter Ecclesias, fieri non potest sine solennitate iuris: ergo similiter sine solennitate iuris neque fieri poterit 5
etiam inter Ecclesias permutatio. Quapropter calix v. g. vel hæreditas vnius Ecclesiæ non poterit sine tractatu Capituli, Prælati, & summi Pontificis consensu permutari cum ornamento, vel hæreditate alterius Ecclesiæ. Sic Ioan. Andr. *in cap.*1. *de reb. Eccles. non alien.* Butrius, Abbas *ibid.* Imola *num.*1. *& cap. sine exceptione*, 12.*quæst.*2. Beroius *consil.*179 *n.*3 *lib.*1. Mantica *de tacitis, & ambiguis*, *lib.*25. *tit.*6. *num.*66. Gratian.*discept.forens.cap.*674.*num.*4.*&* 5. Filliuc. *tr.*44. *cap.*2. *vers. quod est*, Naldus *in summ. verb. permut. num.*2. Lezan. *verb. alien. num.*12. Rebuff. Redoanus, Genuensis, quos citat, & sequitur Quaranta *verb. Alienatio*, *num.*15. Bonacina *quæst.*8. *punct.*4. *num.*20. & alij contra Riccium *in prax. decis.*38. *&* 74. *edit.*1. Triuisan. *decis.*56. *p.*2. (vbi ait, ita fuisse iudicatum,) Peregrinum *in compend.priuileg. verb. Alienatio*, *dub.*7. Monal.*consil.*91.*n.*3.*vol.*1. Megalium *tom.*1.*var.resol.*31. *n.*10. Bordonum *in consil.regular.resol.*27. *n.*61. Ciarlin. *c.*18. *contr. forens. n.*30. Pasqualigum *tom.*2.*decis.*95. & Barbosam *alleg.*95.*n.*55.

Tertia pars probatur, quia teste ex aduersariis Ric- 6
cio *resol.*35. *&* 60.*in fin.* & Barbosa *n.*57. Ita hodie habet praxis, vt scilicet eadem iuris solennitas, idemque assensus Apostolicus adhibeatur in permutatione inter Ecclesias, ac adhibetur in venditione, & donatione inter easdem. Vide quæ dicentur *infrà dub.*23.*per totam.*

Ex dictis sequitur, quod non possit sine solennita- 7
tibus iuris fieri vnio Ecclesiarum, quia hæc est quædam alienatio. Sic Abbas, & alij, quos citat, & sequitur Quaranta *n.*35. Excipe nisi vnio Ecclesiæ fiat loco Regulari, quia tunc non potest impugnari, ex *Clement. Si vna Ecclesia, de rebus Eccles. non alien.* & supponit Gloss. ibi, *verb. Donatur.* Vide Tridentinum Concilium *sess.*21. *cap.*5. *sess.*23.*cap.*18. *&* *sess* 24. *c.*13.*&* 15. Vide etiam Thesaurum *in praxi, part.*2. *verb. Alienatio bonorum Eccles.* §.*quintus casus*, & Lezanam *tom.*2. *cap.*10. *num.*4.

Sequitur secundò, quod neque possit sine solenni- 8
tatibus iuris fieri dismembratio fructuum; quia hæc etiam est quædam alienatio, vel saltem habet magis rationem alienationis, quàm locatio, quæ si fiat ad longum tempus, etiam prohibetur. Hinc non pos- 9
sunt ex fructibus Ecclesiæ Parochialis erigi Canonicatus

nicatus, quando maior numerus Sacerdotum non est necessarius ad Sacramentorum administrationem, vt ex decisionibus Rotæ tradit Genuensis *in praxi*, *c.60. n.17.* & Riccius *dec.47.& 95.*

Obiicies. In permutatione rerum Ecclesiasticarum inter Ecclesias cessat ratio prohibitionis de alienandis rebus Ecclesiæ: ergo. Antecedens probatur, quia ratio prohibitionis est, ne res Ecclesiæ ab Ecclesia exeant, & profanis vsibus applicentur, sicuti constat ex proœmio cit. Extrauag. *Ambitiosæ*, ibi: *Profanis vsibus applicare, vel cum maximo illorum, vel diuini cultus detrimento vsurpare præsumunt.* Quæ verba cùm sint proœmialia, causam finalem dispositionis significant, *l.fin.* & ibi Abb. *n.3. de hæredib. instituend.* At in permutatione rerum Ecclesiasticarum inter Ecclesias hæc ratio cessat, vt patet: ergo aduersùs talem permutationem lex prohibens non procedit. Consequentia probatur, quia solum præsumi debet extendi ad ea, ad quæ extenditur finis intentus in ipsa lege prohibente, *cap.cum cessante, de appellat.*

Respondetur, nego antecedens, & ad probationem respondeo, quod causa, quæ in proœmio cit. Extrauag. *Ambitiosæ*, apponitur, non est causa finalis, sed impulsiua ad prohibitionem alienationis rerum Ecclesiæ faciendam: & sic quamvis ea cesset, non tamen cessat dispositio. Quod autem illa sit causa impulsiua, non autem causa finalis dispositionis, inde probatur; quia illa prohibitio non est de nouo lata, sed antiqua renouata, & confirmata: antiqua verò prohibitio alienandi, non solum fuit, ne res exirent ab Ecclesia, & applicarentur vsui profano, sed etiam ne perirent, & vt conseruarentur: qui finis, cùm per multiplicationem permutationum res consumantur, & deteriorentur, læditur permutatione, etiamsi permutatio fiat inter Ecclesias.

Accedit, quod alioquin posset inter Ecclesias fieri donatio, & venditio; quia per hos actus etiam res non exirent ab Ecclesia, nec applicarentur vsui profano. Accedit secundò, quod esto concedatur in Extrauag. *Ambitiosæ*, dictam causam appositam esse finalem prohibitionis, dicere tamen debemus, esse finalem prohibitionis, non vtcunque, sed solum prohibitionis sub illis pœnis, censuræ scilicet, & priuationis beneficiorum; itavt in permutatione rerum Ecclesiasticarum inter Ecclesias (idemque dico de venditione, & donatione inter easdem) non contrahantur dictæ pœnæ ex eo, quod res Ecclesiæ in tali casu non exeant ab Ecclesia, neque applicentur vsui profano.

Obiicies secundò. *In c. ea enim*, §. *sibi inuicem*, 10. *quæst.2.cap.1. de rebus Eccles. non alien.* & ex Clem. III. *in c.ad quæst. de rerum permutat.* permittitur permutatio rerum Ecclesiasticarum inter Ecclesias, consentientibus Prælatis: ergo.

Respondetur, hos textus esse correctos per alios prohibentes eodem modo permutationem, ac donationem, & venditionem, vt suprà dicebam.

At quoniam (vt fatear) correctio textuum est vitanda quammaximè, & solum admittenda quando clarum apparet correctionis fundamentum, quod non est in casu nostro, dici potest, sufficere, quod in aliis textibus permittatur permutatio inter Ecclesias, non tamen venditio, & donatio: & sic, quod spectato iuris rigore, opposita sententia Riccij, Peregrini, Triuisani, Barbosæ, & aliorum (præsertim si permutatio fiat inter Clericos, vel Regulares eiusdem Ecclesiæ, Monasterij, vel etiam Religionis, vt dicetur *dub.23.*) sit etiam probabilis.

Et ad praxim Romanæ Curiæ respondetur, quod talis praxis non inducat legem de mente Pontificis seruandam; quia etiam pro casibus non necessariis, v.g. ad tollendos scrupulos, vel ex alio capite, vt in casu nostro, solent haberi recursus ad Sedem Apostolicam, & impetrari à Pontifice ea, quæ etiam ab Ordinariis obtineri possunt. Quapropter dicendum, quod tunc solum consuetudo interpretatione, quæ obliget, legem interpretetur, quando sumus in necessariis, non autem quando sumus in facultatiuis, itavt praxis versetur circa ea, quæ sunt in libera potestate cuiuscumque, quia ex actibus meræ facultatis non inducitur consuetudo, sicuti tradunt Rochus de Curte *cap. fin. num.366. de consuetud.* Albas *in cap. A bate, num.10. de verb. signific. cap. ad nostram, de confirm. vtili, vel inutili, cap. cùm sit generale, num.15. de foro compet. cap. ex parte, num.7. de conces. præbend.* & *cap. quoniam, num.8. de vita, & honest. cler.* Cyn. *in lib.2. Cod. quæ sit longa consuetudo,* Calderin. *consil.3. num.3. de consuetud.* Cæsen. *cons.4. num.6.* Dec. *cons.437. in fin.* Rol. à Valle *cons.22. n.20.* Afflict. *dec.388. num.4.* Pedemontan. *dec.99. num.43.* Ripa *in cap. cùm Ecclesia Sutrina, num.44. de causa poss. & propriet.* Mantica *dec.10. num.12.* Rebuff. *de pacific. poss. num.335.* Gonzal. *ad reg.8. Cancellar. gloss.5.§.6. num.36.* Rota *dec.778. in fin. part.1. diuers. & dec.162. num.10.* coram Gregorio XV. vbi latè Oliuer. *num.16.* Et ratio est, quia tunc consuetudo non participiat intrinsecas legis conditiones, quarum vna est, quod sit necessaria pro communitate, *cap. Regula, distinct.29. cap. erit autem, dist.2.* & ibi Gloss. *verb. Necessaria, S. Thom. 1.2. quæst.95. art.3.* Medina, & Vuigers *ibid.* Vasquez *disp.151. cap.1. num.10.* Rebuff. *tom.1. Constit. reg. in proœm. num.26.* & Xammar. *de offic. Iud. part.1. quæst.16. num.51.* Vnde si non est necessaria, indebitè, ac proinde irrationabiliter grauat subditos, & consequenter non potest habere vim legis, cùm in tantum habeat vim legis, in quantum participat conditiones legis.

## DVBITATIO XIV.

### An seruandæ sint iuris solennitates in alienatione iurispatronatus, sepulchri, & similium?

### SVMMARIVM.

1 *In alienatione iurispatronatus, sepulchri, & similium cum computentur inter bona immobilia, vel saltem mobilia pretiosa, seruandæ sunt iuris solennitates, si penes Ecclesiam existant.*

2 *Iuspatronatus laicum potest alienari de solo consensu Episcopi.*

3 *Iuspatronatus sepulchri, & similium est quid spirituale.*

4 *Iura prædicta consequenter, seu accessoriè vendi possunt sine simonia.*

5 *Ius patronatus sine simonia simpliciter alienari potest donatione, quia rebus sacris irreuerentia non committitur in donatione.*

6 *Donatio iurispatronatus laicalis non indiget Episcopi consensu, si fiat Ecclesiæ, vel loco pio, secus si fiat laico.*

7 *Idem dic cum permutatur spirituale cum spirituali, quod non est ipsum beneficium, sine simonia alienari posse permutatione cum iurepatronatus alicuius Ecclesiæ, vel loci pij, etiam sine Episcopi licentia.*

8 *Permutatio non potest fieri de iurepatronatus cum priuato sine Episcopi consensu, si iuspatronatus sit Ecclesiæ: at si sit iuspatronatus priuatum, non requiritur necessariò, sed solum ex probabiliori sententia.*

9 *Quæ diximus de iurepatronatus, eadem dici possunt de iure sepulchri, quod directè sine simonia vendi non potest, secus autem accessoriè.*

10 *Ius sepulchri sine simonia donari potest, seu permutari cum alia re spirituali.*

11 *Ius sepulchri in sententia nonnullorum Doctorum, etiam directè, seu solitariè sumptum sine simonia vendi potest.*

12 *Obligatio sepulchri est quid temporale, & per accidens adiungitur rei spirituali.*

13 *Habens sepulchrum proprium suis sumptibus emptum, vel ædificatum quoad proprietatem, habita ratione expensarum, vendere potest sine simonia, & cur.*

14 *Sepulchrum ratione materialitatis à parentibus ad filios transferri solet.*

15 *Dicta de sepulchro extende proportionaliter etiam ad capellam dari solitam pro vsu sepulturæ.*

16 *Insignia fundatoris, vel patroni, non possunt auferri à capella.*

17 *Amplia etiam in casu, quo is tanquam proditor à ciuitate expulsus fuerit.*

18 *Sepeliri non potest aliquis in sepulchro patroni, nisi postquam tota ipsius progenies extincta fuerit, secus tamen si rationabilis causa subsit sepeliendi, & quæ ea sit.*

19 *Sepulchrum, vel capella in Ecclesia patronata construi potest etiam inuito patrono, vel fundatore.*

20 *Negligens sepelire fidelium corpora mortaliter peccat, si sit casus necessitatis.*

1 REpondetur affirmatiuè, quia iuspatronatus sepulchri, & similium certum est ex dictis *in dub.* 1. & 2. inter bona immobilia, vel saltem mobilia pretiosa computari, ac proinde si apud Ecclesiam existat, non posse à Rectore, vel Prælato sine solennitatibus iuris in laicum alienari, quamvis si sit iuspatronatus laicum, possit de consensu Episcopi, *cap. extra, de iurepatronatus*, & docent Riccius *decis.* 43. Bonacina *punct.* 2. *n.* 15. & alij communiter Doctores.

2 Obiicies: Iuspatronatus sepulchri, & similium est 3 quid spirituale: ergo etiam seruatis conditionibus iuris, vendi non potest sine simonia.

4 Respondetur, concedo antecedens: at distinguo consequens, etiam seruatis conditionibus iuris vendi non potest sine simonia, directè, seu solitariè sumptum, concedo: consequenter, seu accessoriè, simul scilicet cum hæreditate, cui tale ius annexum est, nego. Sic communiter Doctores in tractatu de simonia.

5 Cæterùm iuspatronatus, &c. sine simonia simpliciter alienari potest donatione, quia rebus sacris 6 irreuerentia non committitur in donatione, vt patet, quæ donatio non indiget Episcopi consensu, si fiat Ecclesiæ, vel loco pio: quamvis indigeat, si fiat laico, *cap. quod autem*, & *cap. illud, de iurepatronat.* & docent ex communi Rochus *de iurepatron. quæst.* 7. *num.* 16. Mol. *de primog. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 13. & Lam- 7 bertinus *de iurepatronat. lib.* 1. *part.* 2. *quæst.* 1. *art.* 2. Item (cùm permutetur spirituale cum spirituali, quod non est ipsum beneficium) sine simonia alienari potest permutatione cum iurepatronatus alicuius Ecclesiæ, vel loci pij, & hoc etiam sine licentia Episcopi, *cap. nemini*, 17. *quæst.* 6. & tradit Gloss. *in cap. cùm sæculum, verb. Emptorem*, & *Clement.* 2. *verb. liberè, de iurepa-* 8 *tronat.* Si verò permutatio fiat cum priuato, requiritur necessariò consensus Episcopi, si iuspatronatus sit Ecclesiæ: at si sit iuspatronatus priuatum, non requiritur necessariò, sed solum ex probabiliori sententia Doctorum. Sic Rochus *loco suprà cit. quæst.* 16. *num.* 301. Mol. *num.* 14. & Lambertin. *quæst.* 3. *art.* 1. 2. & 3.

Et quod dixi de iurepatronatus, dico de iure se- 9 pulchri (quod quis habet, vt ipse, ipsiusque hæredes, successores, & quicumque ab ipso designati in loco ab Episcopo benedicto sepeliantur, & non alij) scilicet directè, seu solitariè sumptum, sine simonia vendi non posse, quia est quid spirituale; vendi tamen posse consequenter, seu accessoriè, simul cum prædio, cui tale ius annexum est, vti *suprà* de iurepatronatus dicebam. Item & sine simonia 10 simpliciter donari posse, vel permutari cum alia re spirituali.

Quanam autem ratione iuspatronatus, ius sepulchri, & quid aliud simile, possit ad successores deuenire, vide Couar. 2. *var.* 6. 18. *n.* 8. & *seqq.* & Mol. *de primogenit. cit. cap.* 24.

His adde quod Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *de Simonia, cap.* 14. Sanch. *tom.* 1. *conf.* 3. *dub.* 14. *num.* 1. & Ioan. de la Cruz *prælect.* 7. *quæst.* 4. *dub.* 9. satis probabiliter tenent, 11 quod ius sepulchri, id est, pro obligatione, vt in tali loco nullus alius præter emptorem, successores, & quoscumque ab ipso designatos sepeliatur, etiam directè, seu solitariè sumptum sine simonia vendi possit; quia talis obligatio, inquiunt ipsi, est quid temporale, 12 & per accidens adiungitur rei spirituali, sicut & sine simonia, qui sepulchrum proprium suis sumptibus 13 emptum, vel ædificatum pro se, vel suis habet, illud quoad proprietatem iuxta valorem fundi, & respectu habito ad solas expensas in eo ædificando factas, vendere potest, quia sic non venditur benedictio loci, sed materiale illud, ad quod alia sequuntur, vnde ratione materialitatis, quæ in ipso est, iure hæreditario à 14 parentibus ad filios transferri solet.

Et quod dictum est de sepulchro, idem proportio- 15 naliter dicunt etiam de Capella, quæ in Ecclesia præsertim Regularium, dari sæcularibus pro vsu sepulturæ consueuit: Sanchez *loco suprà citato, num.* 4. & alij, 16 qui subdunt, non posse insignia fundatoris, vel patroni in ea posita auferri. Doctores etiam, quos citat, & sequitur Lezana *tom.* 2. *cap.* 11. *num.* 23. Idque neque 17 in casu, quo is, tanquam proditor, è ciuitate expulsus fuerit, *l. qui liberali*, & *l. opus nouum, ff. de oper. publ.* & Roman. *singular.* 480. & 673. Peyrinus *tom.* 1. *priuil. Minim. in constit.* 26. *Leon. X. num.* 24. & videri etiam poterit Lambertinus *de iurepatronat. lib.* 1. *part.* 1. *quæst.* 11. *art.* 13. & *lib.* 3. *quæst.* 5. *art.* 4. & Lauorius *var. tom.* 1. *tit.* 2. *cap.* 10. Subdunt secundò, non posse ibi 18 sepeliri alios, nisi postquam tota emptoris progenies extincta fuerit. Doctores etiam quos citat, & sequitur Lezana *num.* 23. & *sequent.* Lambertinus *cit. art.* 4. Peyrinus *cit. num.* 49. & Portellius *in respons. moral. part.* 2. *casu* 20. *num.* 1. loquens de Capella vni concessa, an alteri postea concedi possit. Subdunt tertiò, posse tamen ibi alios sepeliri, si rationabilis causa subsit, scilicet si sepeliendus non habeat sepulturam propriam, & non sit in Ecclesia, vel Cæmeteriò sepultura communis; quia tunc est præstare extremè indigenti eleemosynam, quæ fieri potest de bonis alterius, inuito domino. Archidiac. *in cap. præcipiendum*, 13. *q.* 2. Roman. *singular.* 692. Abb. *in cap. abolendæ, de sepultur.* 19 *num.* 5. Peyrinus *loco citato, num.* 22. Subdunt quartò, ad construendam sepulturam, vel Capellam in Ecclesia patronata, seu quæ fundatorem habet, non requiri consensum fundatoris, quia eo inuito, ea ibi construi potest; quia exinde nullum patrono infertur præiudicium, & Ecclesiæ confertur beneficium, quod cùm patronus procurare teneatur, est irrationabiliter inuitus, & sic ipsius contradictio nihil obstat. Lambertinus *cit. lib.* 1. *part.* 1. *quæst.* 3. *art.* 17. Lauorius *cit. tit.* 2. *cap.* 9. *num.* 83. & Peyrinus *num.* 50. Subdunt quintò, concessa Capella, non intelligi concessum ius funerandi, nisi exprimatur. Archidiac. *in cap.* 1. *de pactis in* 6. Bonifac. *in Clement. dudum*, §. *huiusmodi, n.* 11.

de

*de sepult.* & Genuens. *in prax. cap.* 33. *num.* 17. & *c.* 61.
20 *num.* 7. Subdunt sextò, peccare mortaliter eum, qui fidelium corpora sepelire negligit, quando non est alius, qui id officium præstet; quia opus misericordiæ, & charitatis obligat in casu necessitatis. Doctores, quos citat, & sequitur Layman *lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 12.

## DVBITATIO XV.

### An seruandæ sint iuris solennitates in concessione feudi, vel emphyteusis?

### SVMMARIVM.

1 *Feudum, vel emphyteusis si non concedatur de nouo, sed antiqua, & iam concessa renouetur, seruandæ non sunt iuris solennitates.*

2 *Renouatio feudi, vel emphyteusis antiquæ non reputatur alienatio, sed prioris alienationis factæ continuatio.*

3 & 4. *Feudum, vel emphyteusis, si de nouo concedatur, seruandæ sunt iuris solennitates, quia tunc concessio feudi, vel emphyteusis est vera dominij vtilis, & cuiusdam Ecclesiasticæ seruitutis alienatio.*

5 *Positis iuris solennitatibus potest feudum, vel emphyteusis in perpetuum, etiam pro hæredibus extraneis concedi.*

6 *Ecclesia seruatis iuris solennitatibus concedit etiam in perpetuum pro hæredibus extraneis venditionem, & donationem.*

7 *Vt renouatio feudi, & emphyteusis non noua alienatio, sed prioris antiquæ alienationis, seu concessionis continuatio reputetur, tres conditiones requiruntur.*

8 *Prima conditio est, vt feudum, vel emphyteusis concedatur eodem modo, ac prius erat concessa, ita vt si quæ fiat variatio, non censeatur continuatio antiquæ.*

9 *Secunda conditio est, vt in renouatione adsit euidens Ecclesiæ vtilitas, sicut adfuit in prima concessione, alias renouatio illicita erit.*

10 *Sufficiens causa renouandi emphyteusim est remuneratio obsequij in ea facti, quia sic in vtilitatem Ecclesiæ excitantur alij ad melioriationes faciendas.*

11 *Tertia conditio est, vt res non sit iterum Ecclesiæ incorporata, quia per incorporationem extinguitur prima alienatio, & res fit ita Ecclesiæ, ac si nunquam ab Ecclesia exiuisset.*

12 & 13. *Incorporata dicitur res Ecclesiæ, si is ad quem administratio spectat, decernat eam non alienare, quod præsumitur si finita emphyteusi per annum integrum a renouatione abstinuerit.*

14 *Res Ecclesiæ semel cum solennitate iuris alienata, est semper sine solennitate iuris alienabilis, interuenientibus tribus dictis conditionibus.*

15 *Terra sterilis potest concedi in emphyteusim, vt melioretur.*

1 REspondetur distinguendo, seruandas non esse, si feudum, vel emphyteusis non concedatur de nouo, sed antiqua, & iam concessa renouetur, quia talis renouatio non reputatur alienatio, sed prioris
2 alienationis factæ continuatio. Sic dicebam *supra dub.* 1. & docent Socinus *consil.* 169. *n.* 9. *lib.* 2. Iason *cons.* 155. *lib.* 2. Lessius *lib.* 2. *de iust. & iure, cap.* 24. *dub.* 11. *num.* 59. Couar. 2. *var. cap.* 17. *n.* 4. Clar. §. *emphyteusis, q.* 6. *n.* 1. & §. *feudum, q.* 13. *n.* 1. Riccius *decis.* 26. 70. & 116. Genuens. *in praxi, cap.* 60. *n.* 5. & 6. Menoch. *de arbitr. casu* 81. *n.* 5. & *seqq.* Mol. *de iust. disp.* 469. *concl.* 5. Vasquez *in opusc. de redditibus, c.* 2. § 2. *dub.* 16. *n.* 57. Sopranus apud Filliucium *tract.* 44. *c.* 4. *ad fin.* Gonzal. *reg.* 8. *Cancellar. glos.* 6. *n.* 194. Scortia *theor.* 116. Quaranta *verb. Alienatio, n.* 39. & *seqq.* Barbosa *de potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 95. *n.* 29. & Bonacina *q.* 8. *punct.* 4. *n.* 30. & habetur *ex cap.* 2. *de feud.* & ex Extrauag. *Ambitiosæ*, ibi: *Vel contractum emphyteuticum, præterquam in casibus à iure permissis, ac de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis.*

At seruandas esse, si feudum, vel emphyteusis con- 3
cedatur de nouo; quia tunc concessio feudi, vel emphyteusis est vera dominij vtilis, & cuiusdam Ecclesiasticæ seruitutis alienatio. Sic communiter Doctores, & habetur *ex cap.* 1. *de his, quæ fiunt à Prælato*, & ex eit, Extrauag. *Ambitiosæ*, vbi cùm excipiatur feudum, & 4
emphyteusis in casibus à iure permissis, (id est, quando res est solita dari in feudum, vel emphyteusim, ad cuius veritatem sufficit vnica concessio, teste Claro §. *feudum, q.* 13. *n.* 4. Molina *disp.* 648. *concl.* 8. Riccio *decis.* 26. *n.* 3. & Barbosa *cit. alleg.* 95. *n.* 36.) consequens est, quod in aliis casibus, nisi interueniant iuris solennitates, prohibeatur.

Cæterùm positis iuris solennitatibus potest feudum, 5
& emphyteusis in perpetuum, etiam pro hæredibus extraneis concedi; quia ius Canonicum, cui in hac re, vtpote ad Ecclesiam spectante, standum est, omnem venditionem, donationem, permutationem, feudum, & emphyteusim prohibet, non seruatis iuris
1 solennitatibus, & è contra omnia hæc absque vlla exceptione concedit, seruatis iuris solennitatibus: ergo.

Confirmatur, quia in perpetuum, etiam pro hære- 6
dibus extraneis, si seruentur iuris solennitates, concedit venditionem, & donationem: ergo multò magis si seruentur iuris solennitates, concedet feudum, & emphyteusim. Consequentia probatur, quia per venditionem, & donationem transfertur dominium directum, quod est quid maius: per feudum autem, & emphyteusim transfertur tantùm dominium vtile, quod est quid minus. Sic Doctores, quos citat, & sequitur Couar. 2. *var. c.* 17. *n.* 4. & 5. Clar. *lib.* 4. *sententia.* §. *emphyteusis, q.* 6. *n.* 4. & *q.* 28. *num.* 5. & *seqq.* Mol. *de iust. disp.* 469. *concl.* 1. Vasq. *de redditibus, cap.* 2. §. 2. *dub.* 16. *num.* 57. & colligitur ex *Authent. de alien. & emphyteusi,* §. *licentiam*, vbi corrigitur *Authent. de non alien.* §. *emphyteusim*, concedens emphyteusim solùm ad vitam accipientis.

Dixi, *iuris solennitates seruandas non esse, si feudum, vel emphyteusis non concedatur de nouo, sed antiqua, & iam concessa renouetur.* Vbi aduerte, quod vt re- 7
nouatio feudi, & emphyteusis non noua alienatio, sed prioris antiquæ alienationis, seu concessionis continuatio reputetur, tres conditiones requirantur, quarum

Prima conditio est, vt feudum, vel emphyteusis 8
concedatur eodem modo, ac prius erat concessa, v.g. si prius erat concessa, vt non se extendat ad hæredes extraneos, vel vltra vitam vnius, neque in renouatione ad extraneos, vel ad vitam alterius concedatur; ita vt si quæ fiat variatio, non censeatur continuatio antiqui feudi, vel emphyteusis, sed noua concessio. Sic Mol. *loco cit.* Clar. §. *feudum, quæst.* 13. Genuensis *in praxi, cap.* 60. *num.* 6. Riccius *in praxi, decis.* 26. Barbosa *alleg... num.* 32. Bonacina *punct.* 2. *num.* 20. & alij passim.

Secunda conditio est, vt in renouatione adsit eui- 9
dens Ecclesiæ vtilitas, sicut adfuit in prima concessione, aliàs renouatio illicita erit. Vnde si prius datum fuerit prædium sterile in emphyteusim, vt sic ad culturam reduceretur, & finita emphyteusi, non

sterile, sed fructiferum factum sit, renouari non poterit emphyteusis, nisi ex noua causa euidenti vtilitatis Ecclesiæ, quia iam prior causa cessauit, & quia prædium sic redditum reputatur diuersa res, ac erat prius.

10 Est autem sufficiens causa renouandi emphyteusim, remuneratio obsequij in ea facti, quia sic in vtilitatem Ecclesiæ excitantur alij ad meliorationes faciendas. Vide Barbosam *num.26. & 34.* Riccium *decis.5.* Grassis *decis.4.de locato*, Genuensem *cap.60. n.6.* Scortiam *theorem.116.* & Pereiram *de nomine emphyteus. q.12.n.2. & q.23.n.60.*

11 Tertia conditio est, vt res non sit iterum Ecclesiæ incorporata, quia per incorporationem extinguitur prima alienatio, & res fit ita Ecclesiæ, ac si nunquam ab Ecclesia exiuisset. Sic dicebam *suprà dub.1.* & docent Abb.*in cap.vt super,de rebus Eccles.non alien.n.11.* Clar.*de emphyteusi q.6.& de feudo q.13.* Couar. *cap.17. num.4.* Mol.*disp.468.concl.8.* & Bonac. *quæst.8.punct.4.*

12 *num.30.* Dicitur autem res Ecclesiæ incorporata, si

13 is, ad quem administratio spectat, decernat eam non alienare, quod præsumitur decreuisse, si finita emphyteusi, per annum integrum à renouatione abstinuerit. Mol. *disput.468. ad finem*: vel si, vt *in cit. sect.1.* dicebam, post traditionem, exspirante contractu, fuerit quoad fructus Ecclesiæ incorporata, id est, fuerint fructus eius vsibus Ecclesiæ à Prælato incorporati.

Ex dictis inferunt Gonzal. *regul.8. Cancellar. gloss.6. n.194.*Barbosa *alleg.95.n.32.* & Riccius *in praxi,dec.26.*

14 quod res Ecclesiæ semel cum debita solennitate alienata, sit semper sine solennitate iuris alienabilis, quod tamen intellige, si adsint tres conditiones, quas *suprà* dicebam.

15 Sed de hac re vide, quæ doctè docet Paulus Staibanus *in resol.forens.resol.1.& 2.* per totam, & Franciscus Leo, qui probat ex multis iuribus posse terram sterilem concedi in emphyteusim illi, cuius studio ad culturam reducatur.

## DVBITATIO XVI.

### An, & quando feudum, vel emphyteusis Ecclesiastica censeatur concessa in perpetuum, etiam vt transeat ad hæredes extraneos?

### SVMMARIVM.

1 *Feudi, vel emphyteusis concessio si facta sit expresè in perpetuum, seu ad quoscumque hæredes, quos emphyteuta relinquere voluerit, censetur concessa in perpetuum, & transit ad hæredes non solum descendentes, sed etiam ascendentes, & extraneos.*

2 *Ascendentes, & extranei hæredes propriissimè sunt hæredes.*

3 *Feudi, vel emphyteusis concessio si facta sit pro se, suisque hæredibus, non transcendit tertiam generationem, neque deuenit ad hæredes extraneos.*

4 *Feudi, vel emphyteusis concessio si facta sit pro se suisque filiis, diuidenda est æqualiter inter filios, neque potest pater vni, cæteris omissis, assignare.*

5 *Pater non potest mutare voluntatem Domini concedentis expressam in concessione emphyteusis, vel feudi, secus si de filiis tanquam hæredibus mentio facta esset.*

6 *Feudi, vel emphyteusis concessio, si facta sit pro se suisque filiis, & descendentibus, non transit ad extraneos, neque ad ascendentes, transit tamen ad filios,quamvis hæredes non sint.*

7 *Feudi, vel emphyteusis concessio si facta sit pro se, suisque filiis, & hæredibus, deuenit ad filios si hæredes sint.*

8 *Dictio copulatiua (filiis & hæredibus) denotat rationem concedendi filiis emphyteusim non esse solum, quia filij sunt, sed etiam quia hæredes.*

9 *Ex vi talis concessionis, emphyteusis sit Ecclesiastica, nec competit hæredibus extraneis, secus si sit secularis.*

10 *Dictio illa (filiis, & hæredibus) non limitat significatum filij, sed potius auget significationem illius.*

11 *Emphyteusis concessio, si facta sit tibi, tuisque filiis, absque eo quod addatur hæredibus, competit filiis, licet patris hæreditatem renuntiauerint, quia talis emphyteusis non est hæreditaria, sed ex pacto: secus dicas de feudo, si in eadem forma relictum sit.*

12 *Feudum, licet hæreditarium non sit, nunquam potest ad filios Patris hæreditatem repudiantes deuenire.*

13 *Emphyteusis concessio si facta sit tibi, nulla facta mentione hæredum, vel successorum, emphyteusis hæreditaria non est, ac proinde ad filios non hæredes pertinere potest.*

14 *Feudum, vel emphyteusis hæreditaria dicitur quando expresè in constitutione feudi, vel emphyteusis mentio fit hæredum: vt si dicatur Tibi,tuisque hæredibus.*

15 *Feudum, vel emphyteusis hæreditaria non dicitur quando relinquitur nulla mentione facta hæredum, vel relinquitur tibi, tuisque filiis descendentibus.*

REspondetur, & dico primò, si feudi, vel emphyteusis concessio facta sit expresè in perpetuum, seu ad quoscumque hæredes, quos emphyteuta relinquere voluerit, certum est, quod sit in perpetuum, & transeat ad hæredes,non solum descendentes, sed etiam ex probabiliori sententia Doctorum, ascendentes, & extraneos.Sic colligitur *ex Authent.de alienat.& emphyteusi,§.licentiam.* Et probatur, quia ascendentes, & extranei hæredes propriissimè hæredes sunt: & ita docent Couar.*2.var.c.17.n.5.concl.4.* Clar. *lib.4.sent.§.emphyteusis, q.28.n.9.* & Mol.*de iust. tract.2. disp.469.* loquendo de emphyteusi Ecclesiastica: quia de emphyteusi priuata nulla est difficultas. Quapropter conueniunt Doctores,quod talis emphyteusis transeat ad hæredes quoscumque, etiam ascendentes, & extraneos. 1 2

Dico secundò, si feudi, vel emphyteusis concessio facta sit pro te,tuisque hæredibus, non transcendit tertiam generationem, neque deuenit ad hæredes extraneos, *Authent. de non alien. §. emphyteusis*: & docent Couar.*cit.cap.17.n.5.*& Vasquez *cap.2.§.2.dub.17.n.59.* Nomine autem hæredum veniunt non solum viri, sed etiam fœminæ, *cit. §. emphyteusis*, & docent Couarru. *c.18.n.1.* & Vasquez *cit.dub.17.* 3

Dico tertiò,si feudi,vel emphyteusis concessio facta sit pro te, tuisque filiis, diuidenda est æqualiter inter filios,neque potest pater vni,cæteris omissis,assignare; quia tunc emphyteusis competit filiis, non ex voluntate patris, sed ex voluntate Domini concedentis emphyteusim,quam voluntatem pater non potest mutare, *cap.5.in princip. de succes. feudi*: & tradunt Doctores, quos citat,& sequitur Couar.*cit.cap.18. num.2.* Molin. *disp.474.*& Vasquez *cit.dub.17.n.60.* Excipe, nisi quid aliud concedens expresè determinauerit, vt si dixerit: Concedo tibi, tuisque filiis, vt ipsis tanquam hæredibus deferatur: quia tunc voluntati patris præelectio relinquitur,sicut & melioratio. Sic Couar. *n.2. concl.4.* & Vasquez *n.6.* 4 5

Dico

6 Dico quartò, si feudi, vel emphyteusis concessio facta sit pro te, tuisque filiis, & descendentibus, non transit ad extraneos, neque ad ascendentes, transit tamen ad filios, quamvis hæredes non sint, sed hæreditatem renunciauerint, quia in tali casu competit illis, non qua hæredibus, sed qua filiis, & emphyteutæ descendentibus. Sic Couarru. *num.*2. & Vasquez *num.*61.

7 Dico quintò, si feudi, vel emphyteusis concessio facta sit pro te, tuisque filiis, & hæredibus, deuenit
8 ad filios, si hæredes sint, quia dictio copulatiua illa, *& hæredibus*, denotat rationem concedendi filiis emphyteusim non esse solùm, quia filij sunt, sed etiam
9 quia hæredes. Sic Couarru. *num.*16. & Vasquez *n.*61. Ex vi tamen talis concessionis, si emphyteusis sit Ecclesiastica, quæ sua natura non transit ad extraneos,
10 non competit hæredibus extraneis; secus si emphyteusis sit sæcularis, quæ sua natura transit ad extraneos, quia dictio illa, *& hæredibus*, non limitat significatum filij, vt emphyteusis ad solos filios hæredes debeat deuenire, sed potiùs auget significationem illius, vt faciat sensum: deueniat ad filios, quia hi iam hæredes præsupponuntur, & deueniat etiam ad eorum hæredes, &c. Sic Couar. & Vasquez *in locis supra citatis.*

11 Dico sextò, si emphyteusis concessio facta sit tibi, tuisque filiis, absque eo, quod addatur, hæredibus, competit filiis, quamvis patris hæreditatem renuncia-
12 uerint, quia talis emphyteusis non est hæreditaria, sed ex pacto. Sic Couarru. *cap.*18.*num.*4. Secus dicas de feudo, si in eadem forma dicta relictum sit, quia feudum, quamvis hæreditarium non sit, nunquam potest ad filios patris hæreditatem repudiantes deuenire, *cap.*1. *an agnati, & filij*: & docet Couarru. *ibidem*, ex Bartolo.

13 Dico septimò, si emphyteusis concessio facta sit tibi, nulla facta mentione hæredum, & successorum, emphyteusis hæreditaria non est, ac proinde ad filios non hæredes pertinere potest. Secus dicas de feudo, quod nunquam ad filios non hæredes pertinet, benè tamen ad agnatos,

14 Dico octauò, feudum, vel emphyteusis hæreditaria dicitur, quando expressè in constitutione feudi, vel emphyteusis mentio fit hæredum, vt si dicatur
15 tibi, tuisque hæredibus, &c. Econtrà hæreditarium, seu hæreditaria non dicitur, quando relinquitur, nulla mentione facta hæredum, vel relinquitur tibi, tuisque filiis descendentibus. Sic Clar. *lib.*4. *sent.* §. *emphyteusis, quæst.*19. Mol. *de iust. tract.*2. *disp.*472. & Valasc. *de iure emphyteusis, q.*43. *& seqq.* Vide etiam Paulum Staibanum Iuniorem *in resolut. forens. resol.*1. *& 2. per totam.*

## DVBITATIO XVII.

### An seruandæ sint iuris solennitates in alienatione materialis Ecclesiæ, Oratorij, vel alicuius alterius rei similis?

### SVMMARIVM.

1 *Ecclesia, Oratorium, vel quid simile ad perpetuum vsum Ecclesiasticum, vel in pio loco fundatum, seu erectum auctoritate Episcopi, non possunt alienari nisi iuris solennitatibus seruatis. Secus si oratorium sit in domo priuata.*

2 *Capella cum sepulturis concedi possunt ad vsum, non tamen potest vendi, ita vt qui emit, fiat Dominus rei, & possit cuicunque alteri vsum eius concedere, quia tunc esset vera alienatio.*

3 *Commenda v. g. S. Ioannis non potest alienari sine iuris solennitatibus.*

4 *Locus in quo erat Ecclesia, nunc profana, & diruta, alienari non potest sine iuris solennitatibus.*

5 *In loco, vbi iam erat Ecclesia modò diruta, non potest fieri stabulum, sed gaudet immunitate.*

6 *Monasterium, vel Conuentus, & hortus ei annexus non potest alienari sine iuris solennitatibus.*

7 *Census fundari non potest in conuentu, & horto annexo, & in omnibus aliis supradictis rebus, cum etiam census comprehendatur in prohibitione.*

8 *Theatini, iuxta eorum institutum de non possidendo bona immobilia, non comprehenduntur sub prohibitione de non alienando bona immobilia.*

9 *Theatini licet non possint ex præscripto regulæ possidere bona immobilia, non possunt tamen alienare Monasterium, vel conuentum, seu hortum annexum, cum hæc retinere non repugnet instituto.*

10 *Legis ratione cessante, cessat etiam eius dispositio.*

11 *Vbi est diuersa ratio, ibi est etiam diuersa iuris dispositio.*

RESpondetur affirmatiuè, si materialis Ecclesia, 1
Oratorium, vel quid aliud simile ad perpetuum vsum Ecclesiasticum, vel in pio loco fundatum, seu erectum sit auctoritate Episcopi, quia tunc hæc, sicut & ipsorum res, inter bona Ecclesiastica computantur. Secus si Oratorium, vel quid aliud simile fundatum, seu erectum sit in domo priuata (vbi non potest Missa celebrari sine licentia Episcopi, vt ex Tridentino *sess.*22. ostendit Quaranta *n.*29.) quia tunc vtpotè accessorium domui, sequitur naturam principalis, & consequenter sine solennitatibus iuris poterit consequenter, & indirectè simul cum domo alienari (sicuti simul cum fundo, iuxta ea, quæ dicentur *dub.*14. potest alienari ius patronatus) quamvis ob id, vtpote spirituale, non possit pretium augeri, quia esset simonia.

Cæterùm, an in dubio Oratorium, vel capella, &c. fundata sit auctoritate Episcopi: vide suprà *cap.*2. *dubit.*2. *sect.*7. *in fine.*

Ex dictis sequitur, quod licet possit sine solennita- 2
tibus iuris concedi capella cum sepulturis ad vsum, quia tunc non est alienatio, sed concessio ad vsum, ad quem res fuit fabricata, vt benè dixit Quaranta *num.*29. & Riccius *dec.*42. tamen non possit vendi, ita vt qui emit, fiat Dominus rei, & possit cuicunque alteri vsum eius concedere, quia tunc esset vera rei Ecclesiasticæ alienatio. Sic Menoch. & alij, quos refert Riccius *dec.*42. Quaranta *num.*24. Bonacina *numero* 12. Lezana *part.*2. *cap.*14. *num.*56. & nos dicebamus *supra cit. dub.*14.

Sequitur secundò, quod neque possit sine soleni- 3
tatibus iuris alienari commenda, vt S. Ioannis, &c. quia Commendæ etiam huiusmodi inter bona Ecclesiastica computantur. Ita Couar. 2. *var. cap.*19. *num.*3. & alij, quos citat Riccius *dec.*76. & 79.

Sequitur tertiò, quod neque possit sine solennita- 4
tibus iuris alienari locus in quo erat Ecclesia, nunc tamen profanata, & diruta: quia adhuc, licet profanata, & diruta, censetur locus Ecclesiæ, & habetur in honore, cùm ibi prohibeatur fieri stabulum. Gloss. *in cap. ligna, de consecrat. dist.*1. Riccius *dec.*78. & Genuensis *loc. supra cit.* Quinimò gaudet immunitate Ec- 5
clesiastica, si diruta fuit cum spe reædificationis, sicuti dicebam *cap.*16. *dub.*9. *sect.*5.

Sequitur quartò, quod neque possit sine solenni- 6
tatibus iuris alienari Monasterium, vel conuentus, & hortus annexus: quin sequitur, quod neque possit sine solennitatibus iuris in Conuentu, & horto con- 7
nexo, & in omnibus aliis supradictis rebus fundari census, quia in prohibitione alienationis interdictæ de rebus Ecclesiasticis comprehenditur etiam funda-

8 tio census, vti dicebam *suprà dubit.*8. Quod & militat apud nos Clericos Regulares Theatinos: quia licet, stante nostro Instituto de non possidendo bona immobilia, non comprehendamur sub prædicta prohibitione de non alienando bona immobilia, sicuti de-
9 clarauit Congregatio Concilij anno 1625. hoc tamen non se extendit ad ipsum Monasterium, vel Conuentum, neque ad hortum annexum, qui sit pars Conuentus, vel ad hortum recreationis causa detentum, quia in tantum non comprehenditur sub dicta prohibitione, in quantum bona immobilia retinere prohibemur nostro Instituto, & ideo possumus sine facultate alienandi à Sede Apostolica obtenta alienare illa pro seruando dicto Instituto: consequenter extenditur solùm ad illa immobilia, quæ non retinere repugnat nostro Instituto, quia in his solùm militat ratio legis, qua cessante in aliis bonis immobilibus, cessat in
10 iis dispositio legis, *l. in omni, ff. de adoption. l. quod dictum, ff. de pactis, & l. adigere, §. quamvis, ff. de in ius patron.* At non repugnat nostro Instituto habere Conuentus proprios, & hortum annexum, vel hortum recreationis causa detentum, quin id est conforme dicto nostro instituto, quapropter est diuersa ratio
11 de his, & de aliis bonis immobilibus, & consequenter inducì debet in his diuersa iuris dispositio ac in illis, *l. inter stipulantem, §. sacram, de verbor. obligat. l. fin. ff. de ritu nuptiar. & l. si ita, ff. de manumiss. test.* Vide etiam quæ dicentur *infrà dubit. 22. n. 10. & seqq.*

## DVBITATIO XVIII.

An cum facultate alienandi res Ecclesiasticas à Sede Apostolica obtenta, possit à Regularibus in Monasterio, vel Conuentu, vel horto inseruiente Monasterio, ex pecunia ipsis relicta pro Missa perpetua dicenda, fundari census?

### SVMMARIVM.

1 *Pecunia, & bona immobilia, quæ ab Ecclesiis acquiruntur cum onere perpetuarum Missarum, conuerti debent in bona immobilia frugifera cum expressa oneris mentione.*

2 *Pecunia ita relicta non potest impendi in emendo conuentu vel horto conuentui annexo, contra sententiam nonnullorum affirmantium, monasterium, & conuentum annumerari inter bona immobilia.*

3 *Violat per fraudem legem, qui in cortice seruat verba legis, si faciat contra mentem, & intentionem legis.*

4 *Fraudem facit, qui saluis verbis legis, mentem eius circumuenit.*

5 *Mens Vrbani VIII. in Decreto de celebratione Missarum citato fuit, quod applicarentur pecuniæ in bonis immobilibus frugiferis, vt annuatim perciperentur fructus, & in eam finem, vt onus annuum Missarum singulis annis congruo emolumento compensaretur, ne secluso tali emolumento, cum tepiditate oneri Missarum satisfieret.*

6 *Census si fundaretur super conuentu, vel horto annexo Conuentui, emolumentum pro celebratione Missarum non corresponderet oneri.*

7 *Relicta cum perpetuo onere Missarum inuestiri debent in re actualiter frugifera, & immobili.*

8 *Verba antecedentia declarant subsequentia.*

9 *Bona immobilia non possunt dici fructifera, nisi sint destinata ad fructificandum, & nisi soleant fructus afferre.*

10 *Vana est illa potentia, quæ non reducitur ad actum.*

11 *Paria sunt non esse, & inutiliter esse.*

12 *Paria sunt non fructificare, & non esse fructifera.*

13 *Conuentus, vel monasteria Regularium non sunt destinata ad fructificandum mediante locatione, sed inseruiunt ipsis pro habitatione, & ideo non dicuntur solita fructificare.*

14 *Bona immobilia non dicuntur solita fructificare, nisi pluries fructum afferant.*

15 *Capuccini, & fratres Minores, licet non possint iuxta ipsorum regulas possidere bona stabilia fructifera, possunt tamen possidere Conuentus & hortos pro ipsorum vsu.*

16 *In casu, quo bona immobilia, quæ Missarum onus perpetuum annexum habent, authoritate Apostolica alienantur, eorum pretium sub pœna interdicti ipso facto incurrenda in alia bona stabilia fructifera, cum eiusdem oneris annexione conuerti debet.*

RAtio dubitandi est, quia Sacra Concilij Con- 1
gregatio in decretis de celebratione Missarum editis iussu Vrbani VIII. sub die 21. Iunij 1625. statuit, quod pecunia, & bona mobilia, quæ ab Ecclesiis acquiruntur, cum onere perpetuarum Missarum, conuerti debeant in bona immobilia fructifera, cum expressa mentione oneris, in his verbis: *Præterea ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, sacerdotes in eis, vt par est, adimplendis eo tepidiores, ac segniores reddantur, quo onera huiusmodi cum nulla, vel parua sint vtilitate coniuncta, statuit, atque decernit, vt pecunia, ac bona immobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conuentibus, ac locis omnibus, tam secularibus, quam Regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum ab iis, ad quos pertinet, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, à die realis acquisitionis statim deponi debeant penes eadem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium quamprimum inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressa, & indiuidua mentione oneris, quod illis annexum acquiritur. Et si eadem bona immobilia authoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium sub eadem pœna, vt suprà deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis, cum eiusdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debeat.* Quo decreto stante dubitatur, an conuersio dictæ pecuniæ, vel pretij fieri possit in Conuentum vel hortum inseruientem Conuentui; ea substituendo oneri Missarum, & super ipsis fundando censum.

Respondetur, quod quamvis quidam affirment ex 2
eo, quod Monasterium, vel Conuentus annumeretur inter bona immobilia fructifera, quia cum inseruiat habitationi, est aptus fructificare: quapropter si Religiosi non haberent Conuentum, cogerentur conducere domos ad habitandum cum annuo dispendio; consequenter quod singulis annis soluerent pro domibus ad habitandum conductis, computari potest pro emolumento oneris assumpti celebrandi Missas; 3
tamen negandum sit, quia violat per fraudem legem, qui in cortice seruat quoad verba legem, sed facit contra mentem, & intentionem legis, *l. non dubium, Cod. de legib. & l. contrà, ff. eod. tit.* ibi: *Fraudem facit, qui saluis verbis legis, mentem eius circumuenit.* Et 4
ita esset in casu nostro, quia mens dicti decreti fuit, quod applicarentur pecuniæ in bonis immobilibus 5
fructiferis, vt annuatim perciperentur fructus, & in eum finem, vt onus annuum Missarum singulis annis congruo

congruo emolumento compensaretur, ne secluso tali emolumento, cum tepiditate oneri Missarum satisfieret, vti constat ex illis verbis: *Ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, vt par est, adimplendis eo tepidiores, ac segniores reddantur, quòd onera huiusmodi cum nulla, vel parua sint vtilitate coniuncta, statuit, atque decreuit, &c.* Ex quibus verbis clarè constat, quod intendit 6 decretum, vt effectiuum emolumentum correspondeat quotannis oneri Missarum soluendo: at nullum corresponderet, si census fundaretur super Conuentu, vel horto inseruiente Conuentui: ergo, &c.

7 Accedit, quod neque in cortice quoad verba seruaretur sic lex in casu nostro, quia dictum decretum præcipit, quod pecuniæ inuestiantur super bonis immobilibus fructiferis, ex quibus quotannis percipiantur fructus debiti, & sic quod inuestiantur super bonis fructiferis actualiter; siquidem cum verba ante- 8 cedentia declarent subsequentia, *l. enim, ff. de petit. haredit. l. qui filiabus, init. & l. si ferum, §. fin. de legat. 1.* & notant Castrens. *cons. 343. n. 2. lib. 2.* Surd. *decis. 288. num. 30. & 31.* Cephal. *cons. 159. num. 10. & cons. 351. num. 38.* & Paris. *cons. 159. num. 10. lib. 1.* ex verbis antecedentibus colligitur, quod intelligat Decretum de bonis immobilibus, ex quibus actualiter recipiantur fructus debiti; nam antecedenter in decreto dicitur: *Præterea ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt; Sacerdotes in eis, vt par est, implendis eò tepidiores, ac segniores reddantur, quòd onera huiusmodi cum nulla, vel parua sint vtilitate coniuncta, statuit, atque decreuit, vt pecuniæ, &c. ad effectum illorum pretium quamprimùm inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis*, &c. Intelligit ergo decretum de bonis immobilibus fructiferis, quæ continuò faciant actu correspondere congruum emolumentum oneri Missarum soluendo.

9 Accedit etiam, quod bona immobilia non possunt dici fructifera, nisi sint destinata ad fructificandum, 10 & nisi soleant fructus afferre, quia cùm vana sit potentia, quæ non reducitur ad actum, *l. hæc enim, §. si Prætor, ff. de suspect. tutor. l. multum interest, Cod. si quis alteri, vel sibi, & cap. pastoralis, §. quoniam, de rescriptis*, sequitur, quod dum bona non reducuntur ad fructificandum, habeantur pro non fructiferis, siquidem esse sine effectu, & non esse, paria sunt, vti no- 11 tant Surdus *decis. 51. num. 21. & 22. consil. 3. num. 8. & consil. 179. num. 49.* & Maceratens. *var. resol. lib. 1. re- 12 sol. 61. num. 24.* Quapropter paria sunt etiam, non fructificare quoad effectum, & non esse fructifera. 13 Cùm ergo Conuentus, vel Monasteria Regularium non sint destinata ad fructificandum mediante locatione, sed inseruiant ipsis pro habitatione, non possunt dici solita fructificare, præsertim quia non possint bona immobilia dici solita fructificare, nisi 14 pluries fructum afferant, *argum. ex §. Pauonum, Instit. de rer. diuis. & de lege 1. §. igitur, ff. de verbor. si- 15 gnific. & l. solet, ff. de feriis.* Vide licet Capuccini & Fratres Minores non possint iuxta ipsorum regulas possidere bona stabilia fructifera, seu prouentus annuos, possunt tamen possidere Conuentus, & hortos pro ipsorum vsu, sicuti de vtroque declarauit Pontifex *in Clement. Exiui, §. licet verò, de verbor. significat.*

Cæterùm aduerte hîc, quod casu, quo bona immobi- 16 lia, quæ Missarum onus perpetuum annexum habent, authoritate Apostolica alienentur, eorum pretium sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, in alia bona immobilia fructifera cum eiusdem oneris repetitione, atque annexione conuertì debet: sacra Congregatio *in decretis de celebrat. Missarum*, & DD. quos citat, & sequitur Gauantus *in Man. Episc. verb. Alienatio, num. 36.* & Lezana *verb. Missa.*

## DVBITATIO XIX.

An seruandæ sint iuris solennitates in Ecclesiæ rei immobilis, vel mobilis pretiosæ concessione per precarium, vel ad beneplacitum?

### SVMMARIVM.

1 *In concessione per precarium, vel ad beneplacitum Ecclesiæ rei immobilis, vel mobilis pretiosæ, seruandæ sunt iuris solennitates.*

2 *Per huiusmodi concessionem iure transfertur ius in rem in alterum, & sic est vera alienatio.*

3 *Limita nisi concederetur solus vsus, seu sola commoditas ad breue tempus.*

4 *Lampades, Calices, & similia mobilia pretiosa Ecclesia, commodari possunt sine incursione censurarum.*

REspondetur affirmatiuè, quia per huiusmodi 1 concessionem verè transfertur ius in rem in alterum, & sic est vera alienatio. Sic communiter Do- 2 ctores, quos citat, & sequitur Riccius *de iur. 68. & 74.* Excipe, nisi dictæ rei concedatur solus vsus, seu sola 3 commoditas ad breue tempus, ita vt nullum transferatur dominium, neque vtile, neque directum, quia tunc non est alienatio, neque ob id Ecclesia graue patitur damnum. Et confirmatur, quia alioquin non possent sine incursione censuræ, & aliarum pœnarum Extrauag. *Ambitiosæ*, commodari lampades, ca- 4 lices, & similia mobilia pretiosa Ecclesiæ, quod dicere est absurdum, & contra vsum, & praxim etiam piæ vitæ virorum. Sic iidem Doctores apud Riccium *loco supra citato.*

## DVBITATIO XX.

An alienatio rei Ecclesiasticæ facta sine iusta causa, valida sit in foro externo, vel conscientiæ?

### SVMMARIVM.

1 *Alienatio rei Ecclesiasticæ facta sine iusta causa inualida est, tam in foro externo, quam conscientiæ, contra nonnullos sentientes in dicto casu validam esse alienationem, sed Ecclesiæ competere restitutionem in integrum.*

2 *Beneficium restitutionis in integrum, est remedium extraordinarium, quod non datur ei, cui competit remedium ordinarium.*

3 *Ecclesia potest duplici capite petere restitutionem rei alienatæ, primo si sine legitima, & iusta causa. Secundò si cum enormi læsione alienauerit, etiam seruatis iuris solennitatibus.*

4 *Præsumptio causæ non infert causam, & sic non infert in alienatione valorem.*

5 *Contrahentes præsumuntur habuisse instam causam contrahendi.*

6 *Creditores Ecclesiæ, quibus est satisfactum cum retractu bonorum immobilium, vel mobilium alienatorum, obligati sunt probare creditum ipsorum versum fuisse in Ecclesiæ vtilitatem.*

REspondetur inualidam esse tam in foro externo, 1 quàm conscientiæ. Sic patet ex dictis *dubit. 1. num. 3. & seqq.* & probatur *cap. sine exceptione 12. q. 2.*

vbi declaratur nulla alienatio, quæ in vtilitatem Ecclesiæ non vergit, *ex cap.1. de rebus Eccles. non alien. in 6.* vbi etiam declaratur nulla alienatio, si careat legitima causa, & ex Extrauag. *Ambitiosæ*, eodem tit. ex qua idem colligitur. Sic enim docent Abb. *in cap.1. de in integr. restit. num. 17. in cap. tua, de his, quæ fiunt à Prælato, num.8. & in cap. nulli, de rebus Eccles. non alien. num.7.* Couar. *lib.1. var. cap.17. numero 2.* Mol. *de iust. tract.2. disp. 368.* Suar. *4. tom. de relig. tract.8. lib.2. cap.27. num.20. & 21.* Bordon. *resol.27. num.21. & seqq.* Lezana *part.2. cap.19. num.62.* & alij passim contra glossam *in sum. 12. q.2.* & *in cit. cap. sine exceptione, vers. profuturum*, & quosdam alios, qui sentiunt, quod valida sit alienatio in dicto casu: sed quod tamen Ecclesiæ competat restitutio in integrum. Vide etiam Dianam *tom.1. tract.8. resol.77.* & Thesaurum *in praxi, part.1. cap.35.*

Obiicies fundamentum istorum. Ecclesiæ datur restitutio in integrum, iuxta textum *in cit. cap.1. de restitut. in integrum.* Ergo signum est, quod alienatio sit valida. Consequentia probatur, quia si alienatio
2 non esset valida, non indigeret Ecclesia beneficio restitutionis in integrum, quandoquidem tale beneficium restitutionis in integrum est remedium extraordinarium, quod non datur ei, cui competit remedium ordinarium, *l. in causa, ff. de minorib.* At si alienatio facta sine iusta causa esset inualida, competeret Ecclesiæ remedium ordinarium nullitatis, vnde cessaret remedium extraordinarium, ipsum scilicet beneficium restitutionis integrum. Ergo dicendum est, quod alienatio dicta non sit inualida.

3 Respondetur, quod Ecclesia possit ex duplici capite sibi petere restitutionem rei alienatæ. Primò, si sine legitima, seu iusta causa alienauit, & tunc non petit restitutionem quasi valida fuerit alienatio, sed petit restitutionem rei, cuius dominium in alium transferre non potuit. Secundò, potest petere restitutionem rei alienatæ, quia esto fuerit alienata ex iusta causa, & etiam cum debita solennitate, tamen fuit in pretio enormiter læsa, ratione cuius enormis læsionis potest petere restitutionem in integrum, iuxta textum *in cap. ad nostram, de rebus Ecclesiæ non alienandis.*

Obiicies secundò, saltem alienatio est valida in casu quo Ecclesia iudicauit legitimam, seu iustam alienandi causam adfuisse, quia tunc saltem in foro externo causa adfuit legitima alienandi, & præterea censendum non est Ecclesiam velle, alienationem bona fide factam, irritam & nullam esse. Sic probabiliter Glossa *in cit. cap. ad nostram, verb. Enorme.* Felin. *in cap. quæ in Ecclesiar. de constitution.* Couar. *2. var. cap.17. num.1.* Mol. *disp.468. concl.6.* Vasq. *in opusc. de redditib. cap.2. §.1. num.30.* & Bonacina *q.8. punct.4. num.9.* qui subdunt, adesse in alienatione legitimam causam, si in ea seruata fuerit forma à iure præscripta, quamvis Ecclesia admittatur ad probandam illegitimitatem, si se viderit deceptam.

Respondetur, nego antecedens, quia textus suprà adducti alienationem sine causa factam irritant ab-
4 solutè, & ex alio capite præsumptio causæ non infert causam, & sic non infert in alienatione valorem: tum
5 quia raro, vel nunquam posset declarari nulla, & irrita alienatio, quandoquidem contrahentes præsumi debent iudicasse habere iustam causam contrahendi. Sic ex probabiliori docent Nauar. *Comment. de alienat. rerum Eccles. num.9.* & alij contra Glossam, Felinum, Couarruuiam, Molinam, & cæteros *in locis suprà cit.*
6 Vbi benè tamen aduertunt, quod si alienatio bonorum immobilium, vel mobilium pretiosorum facta sit pro satisfaciendo debito creditoribus Ecclesiæ, obligati sunt creditores probare pecuniam mutuatam versam esse in vtilitatem Ecclesiæ, alioquin alienatio nulla erit. Ratio est, quia alienatio horum bonorum facta sine iusta causa non tenet, sed quando pecunia mutuata versa non est in vtilitatem Ecclesiæ, Ecclesia non tenetur illam soluere, *Authent. hoc ius porrectum, Cod. de sacros. Eccles. & cap.2. §. hoc ius porrectum 10. quæst.2.* Ergo non adest iusta causa alienandi, dum non probauerint creditores obligatam sibi esse Ecclesiam ad debitum soluendum. Vide quæ dicebantur *suprà dub.9.*

Cæterùm corollaria, quæ ex dictis *in præsenti dubit.* colligi possent, vide *in dubit. sequenti, circa finem.*

## DVBITATIO XXI.

An saltem alienatio rei Ecclesiasticæ facta cum iusta causa, sine debita iuris solennitate, valida sit in foro externo, vel conscientiæ?

### SECTIO I.

#### Dubitationis Resolutio.

#### SVMMARIVM.

1 *In sententia aliquorum Doctorum valida est alienatio rei Ecclesiæ facta cum iusta causa, sed non seruatis iuris solennitatibus, saltem in foro conscientiæ, si adfuerit cum iusta causa liber consensus contrahentium.*

2 *Tota ratio statuendi has solennitates in alienatione rei Ecclesiasticæ, est ne Ecclesia præiudicium inferatur, ergo si non inferatur, cessat prohibitionis ratio.*

3 *Contrahens cum Ecclesia sine debita solennitate, non potest pro arbitratu suo stare contractui, vel ab illo recedere, sed necessariò stare illi debet, donec ab Ecclesia non repellitur.*

4 *In foro conscientiæ sufficit contractum tenere secundùm limites iuris naturalis, seu gentium.*

5 *In sententia aliorum probabiliter existimatur dicta alienatio claudicare, in fauorem Ecclesiæ scilicet valere, si sit in eiusdem vtilitatem, secus econtrà.*

6 *In sententia cæterorum est inualida dicta alienatio, tam in foro externo, quàm in foro conscientiæ, licet sit in vtilitatem Ecclesiæ.*

7 *Finis prohibitionis dictæ alienationis non est Ecclesiæ læsio, & fraus, quæ in hoc, vel illo particulari casu omissis solennitatibus contingere potest, sed est læsio, & fraus, quæ communiter, & vt plurimùm ex illarum omissione ei prouenire potest.*

8 *Actus sine forma substantiali non valet.*

9 *Probata solennitatum omissione contractus in foro externo, quamvis in vtilitatem Ecclesiæ factus fuerit, irritus declaratur.*

10 *Forum conscientiæ conuenit cum foro externo, cum externum falsa præsumptioni non innititur.*

11 *Ecclesia datur optio an velit stare contractui celebrato, necne: debet tamen supplere defectus, quà interceserunt.*

12 *Ecclesia nolens stare contractui, potest non solùm ipsa, sed Capitulum, & Prælatus illius rem à se malè alienatam repetere.*

13 *Turpe est factum proprium impugnare, secus est quando fit ob causam necessariam, prout est animæ salus, & Ecclesiæ, seu reipublicæ vtilitas.*

14 *Quod fauore alicuius introductum est, non debet in eius detrimentum retorqueri, si non desit solennitas, seu forma substantialis.*

Respondetur

1 REspondetur, & dico primò, quod aliqui Doctores satis probabiliter sentiunt, talem alienationem, saltem in foro conscientiæ, validam esse, si scilicet adfuerit alienandi iusta causa, & simul consensus liber cõtrahentium; & sic quod taliter contrahens cum Ecclesia non teneatur in conscientia ad restitutionẽ, aut rescindere contractum. Ita Siluester ex Butrio, & Panormitano *verb. Alienatio, num.* 13. Angel. *eod. verb. num.* 14. Nauarr. *Comment. de alienat. rerum Eccles. num.* 17. Azor. 2. *part. Instit. lib.* 9. *cap.* 1. *quæst.* 9. *in fin.* Rodriguez *tom.* 1. *qq. Regul. quæst.* 27. *art.* 9. Capycius *decis.* 16. *num.* 4. Beretta *consil.* 192. Gabriel *de rer. alien. conclus.* 1. *lib.* 3. Reginald. *in praxi, tom.* 2. *lib.* 30. *tract.* 3. *cap.* 6. *sect.* 2. *num.* 69. & 70. Filliucius *tract.* 14. *cap.* 7. *quæst.* 6. Naldus *verb. Actus, num.* 15. & *verb. Contractus, num.* 10. & Quaranta *verb. Alienatio, num.* 33. & 50. (quibus fauet etiam Rota Romana *part.* 3. *lib.* 2. *decis.* 224. *num.* 3. & 4. & *lib.* 3. *decis.* 261. *num.* 6. & 7.)

2 Mouentur quia tota ratio statuendi has solennitates in alienatione rei Ecclesiasticæ est, ne Ecclesiæ præiudicium inferatur: ergo si in aliquo casu non infertur, cessat prohibitionis ratio, atque adeò & cessat

3 ipsamet prohibitio: tum quia contrahens cum Ecclesia sine debita solennitate non potest pro arbitratu suo stare contractui, vel ab illo recedere, sed necessariò stare illi debet, donec ab Ecclesia non repellitur, vti rectè ex multis decisionibus, & Doctoribus probat Sarmient. 1. *part. de redditibus, cap.* 2. *num.* 18. & Genuensis *in praxi, cap.* 88. *num.* 1. Ergo signum est, quod con-

4 tractus in foro conscientiæ validus sit, alioquin posset pro arbitratu suo ab illo recedere: tum quia in foro conscientiæ sufficit contractum tenere secundùm limites iuris naturalis, seu gentium, ad quod sufficit, adesse legitimam causam alienandi, & liberum consensum contrahentium.

5 Dico secundò, quod alij satis etiam probabiliter sentiunt alienationem claudicare in fauorem Ecclesiæ, scilicet valere, si sit in vtilitatem Ecclesiæ; non valere, si non sit in vtilitatem illius. Vide Sarmient. & Genuensem *in loc. cit.* & Bonacinam *punct.* 4. *num.* 14. *& seqq.*

6 Dico tertiò, quod alij denique sentiunt, tam in foro externo, quam in foro conscientiæ, inualidam esse etiamsi sit in vtilitatem Ecclesiæ. Sic Couarru. 2. *var. cap.* 17. *num.* 2. Molina *de iust. tract.* 2. *disp.* 468. *concl.* 6. Vasquez *in opusc. de reddit. cap.* 2. §. 2. *dub.* 14. Sarmient. 1. *part. de reddit. cap.* 2. Menochius *lib.* 9. *consil.* 872. Riccius *in praxi, part.* 1. *resolut.* 7. 12. & 24. Suarez *de legib. lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 6. & *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 20. & 21. Maceratensis *lib.* 1. *var. resol.* 5. *num.* 6. & 7. & *resolut.* 50. *num.* 43. & Bonac. *disp.* 3. *de contractibus feudi, quæst.* 8. *punct.* 4. *num.* 10. Mouentur, quia expressè irritatur *in cap. sine exceptione*, 12. *quæst.* 2. *cap. tua, de his, quæ fiunt à Prælatis, cap. si quis, cap. nulli, de rebus Eccles. non alien. cap.* 1. *eod. tit. in* 6. & *Clement.* 1. & Extrauag. *Ambitiosæ, eod. tit.* Sed

7 finis huius irritationis non est Ecclesiæ læsio, & fraus, quæ in hoc, vel illo particulari casu, omissis solennitatibus, contingere posset, sed est læsio & fraus, quæ communiter, & vtplurimùm ex illarum omissione ei prouenire potest; qui finis semper perseuerat quantumvis vnus, vel alius, & alius contractus in vtilita-

8 tem Ecclesiæ factus sit. Ergo contractus, in quo sunt

9 omissæ solennitates à iure ad dictum finem requisitæ, semper est irritus. Confirmatur, quia actus sine forma substantiali non valet. Confirmatur secundò, quia probata tali solennitatum omissione, contractus in foro externo, quamvis in vtilitatem Ecclesiæ factus fuerit, irritus declaratur. Ergo signum est, quod etiam

10 in foro conscientiæ irritus sit. Consequentia probatur, quia forum conscientiæ externo conuenit, cùm externum falsæ præsumptioni non innititur.

Dico quartò, quod hæc tertia vltima sententia est etiam satis probabilis, ex cuius fundamento patet ad primum, & tertium primæ sententiæ argumentum, & ad secundum eiusdem primæ, & etiam ad secundæ sententiæ fundamentum. Respondetur enim, in foro externo non permitti contrahentem cum Ecclesia, vel minore absque solennitate requisita resilire à contractu, in pœnam fraudis, quam præsumitur ille contrahendo intentasse; & ideò ad hanc fraudem vitandam, & Ecclesiæ vtilitati consulendum, concedi Ecclesiæ, vt si ipsa velit stare contractui absque solennitate 11
facto, alius non possit resilire; si verò velit illum repellere, censeatur repulsus: debet tamen Ecclesia, si velit approbare contractum, approbationem solenniter facere, & solennitates prætermissas supplere; quia cùm contractus à principio fuerit irritus, de nouo contrahit. Vide Sarmient. & Vasquez *in locis supra cit.* & quæ dicebantur *dub.* 1. *n.* 3. & *sequent.* Vide etiam Abbatem *in cap. si quis, de rebus Eccles. non alien.* & Nauarrum *lib.* 1. *consil.* 20. *de rescriptis, edit.* 1. vbi subdunt, quod si è contra Ecclesia nolit stare con- 12
tractui, possit non solum Ecclesia, seu Capitulum, sed etiam ipsemet Ecclesiæ Prælatus rem à se malè 13
alienatam repetere; quia licet ordinariè non liceat facto proprio contrauenire, & propriam turpitudinem allegare, excipitur tamen, nisi id efficiatur ob causam necessariam ad animæ salutem, vel nomine Ecclesiæ, aut Reipublicæ.

Obiicies, quod fauore alicuius introductum est, 14
non debet in eius detrimentum retorqueri. Ergo cùm iuris solennitates introductæ sint in fauorem Ecclesiæ, ne scilicet illa lædatur, consequens est, quod si contractus sine iuris solennitatibus in vtilitatem Ecclesiæ sit celebratus, validus sit.

Respondetur, distinguo antecedens: quod fauore alicuius introductum est, non debet in eius detrimentum retorqueri, si non desit solennitas, seu forma substantialis, concedo; si desit, vt est in casu nostro, nego. Præterquam quod ex alio capite restat prouisum Ecclesiæ, ne lædatur, vt patet ex dictis, & dicendis.

---

## SECTIO II.

### Corollaria.

### SVMMARIVM.

1 *Alienans res Ecclesiæ mobiles, vel immobiles pretiosas sine iuris solennitatibus peccat mortaliter, & censuras incurrit: probabiliter tamen creditur id non procedere quando alienatio est in euidentem Ecclesiæ vtilitatem.*

2 *Is, cui alienatio facta fuit non seruatis iuris solennitatibus, tenetur ad restitutionem rei vnà cum fructibus perceptis, deductis tamen expensis in foro externo.*

3 *Ecclesia non tenetur pretium restituere, si contractus initus sit mala fide, quia tunc in pœnam delicti commissi emptor pretio priuatur in Ecclesiæ vtilitatem.*

4 *Item si Ecclesia ex tali contractu non sit facta locupletior, licet bona fide ex parte emptoris contractus factus fuerit, sed in tali casu, qui contraxit nomine Ecclesiæ, tenetur pretium restituere.*

5 *Ecclesia tenetur pretium restituere, si pretium retineat, vel locupletior ex contractu facta sit.*

6 *Beneficiarius, si sine iuris solennitatibus incidat arbores, non tamen cæduas, tenetur Ecclesia ad damni compensationem.*

7 *Arbores*

7 *Arbores non caduæ non censentur Beneficij fructus, sed Ecclesiæ bona.*

8 *Res Ecclesiæ si alienata fuerit in casu licito, & cum debita solennitate, alienatio valida erit, sed respectu læsionis enormis gaudet beneficio restitutionis in integrum.*

1 EX dictis sequitur primò, quod qui alienat rem Ecclesiæ immobilem, vel mobilem pretiosam sine iuris solennitatibus, etiam in vtilitatem Ecclesiæ, peccet mortaliter, & afficiatur censuris, cæterisque pœnis extrauagantis *Ambitiosæ*, Pauli II. quia inualidè contrahit, & facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui: quamvis probabile sit, quod si alienet in euidentem vtilitatem Ecclesiæ, & sic euidenter gerat vtiliter negotium Ecclesiæ, dicta extrauagans recepta non sit, neque quoad pœnas, neque etiam quoad peccatum. Sic Doctores, quos citat, & sequitur Quaranta *num.* 50. Filliucius *tom.*1. *tract.*14. *cap.*7. *q.*6. *num.*119. *& tract.*16. *cap.*9. *num.*226. Layman *lib.*1. *tract.*4. *cap.*16. *num.*9. Reginald. *in praxi, tom.*2. *lib.*30. *tract.*3. *cap.*6. *sect.*2. *num.*69. *&* 70. & Diana *part.*1. *tract.*8. *resol.*7. contra Bonacinam *punct.*4. *num.*14. Genuensem *in praxi, cap.*5. & alios, qui contrarium docent ex eo, quod Clemens VIII. declarauerit quendam Rectorem Ecclesiæ incurrisse pœnas extrauagantis, & etiamsi alienauerit saluo assensu Apostolico: sed ad hoc facilè respondetur, id fuisse, quia non euidenter constabat, alienationem fuisse factam in euidentem vtilitatem Ecclesiæ.

2 Sequitur secundò, quod is, cui alienatio facta fuit, rem sibi sine solennitatibus debitis alienatam Ecclesiæ cum omnibus fructibus (quia res fructificat domino suo) deductis tamen expensis, in foro externo restituere compellatur; quia contractus irritus fuit, & sic non est titulus eam retinendi. Et probatur *ex cit. cap. si quis, cap. non liceat,* 12. *quæst.*2. *& l.iubemus, & Authent. qui res, C. de sacrosanct. Eccles. &* patet ex dictis *dub.*1. *num.*3. *& seqq.* & docent Couar. 1. *var. cap.*3. Riccius *decis.*79. Mol. *disp.*468. *concl.*6. Vasquez *de reddit.ib.cap.*2.§.2. *dub.*15. & Bonac. *disp.*3. *de contract. lib.*

3 *feudi, quæst.*8. *punct.*4. *num.*12. Ecclesia verò non tenetur pretium ei restituere, primò si contractus factus sit mala fide; quia tunc in pœnam ob delictum commissum emptor pretio priuatur, in Ecclesiæ vtilitatem, *cit. l.iubemus, & cit. Authent. qui res, C. de sacrosanctis Ecclesiis*: & tradunt Molina, & Bonacina *in locis suprà cit.* Quin & tenetur in tali casu compensare damnum, quia ob malam fidem censetur fuisse iniusta causa damni. Abbas *in cap.si quis,* Silu. *verb. Alienatio, num.*14. Angelus *eod. verb. & num.* Molina *disp.*468. Less. *lib.*2. *cap.*24. *dub.*10. *num.*66. Rodrig. *qq. Regul. q.*27. *art.*10. *&* 11. & alij apud Quarantam *verb. Alie-*

4 *natio, ad finem*, contra ipsum Quarantam ex parte, Sarmientum, & alios. Secundò, si ex tali contractu Ecclesia locupletior facta non sit, quamvis bona fide ex parte emptoris contractus factus fuerit; quia tunc non Ecclesia, sed is, qui nomine Ecclesiæ contraxit, tenetur emptori pretium restituere, & illum indemnem seruare; secus si Ecclesia pretium retineat, vel locupletior ex contractu facta sit; quia tunc ipsa te-

5 netur restituere: & sic in tali casu emptor potest rem Ecclesiæ, aut eius fructus titulo recompensationis pretij sibi restituendi retinere, donec ab Ecclesia pretium sibi restituatur. Sic Abbas *in cit.cap.si quis, ad finem,* Silu. *verb. Alienatio, q.*14. Molina, Vasquez, & Bonacina *suprà.*

6 Sequitur tertiò, quòd si beneficiarius sine solennitatibus iuris incidat arbores, non tamen cæduas, teneatur Ecclesiæ ad compensationem damni; quia ar-

7 bores non cæduæ non sunt beneficij fructus, sed Ecclesiæ bona, quorum dominium beneficiarius non habet. Et quod dixi, verum est, siue incisio arborum dici possit alienatio, siue non, quia & in hoc posteriori casu est saltem beneficiarius Ecclesiæ iniusta causa damni, vti *supra* dicebam.

Quod si verò res Ecclesiæ alienata fuerit in casu li- §
cito, & cum præscripta, seu debita solennitate, valida erit quidem alienatio, sed adhuc, si Ecclesia enormiter læsa reperiatur, competet ei, sicut pupillo, & minori contrahenti, beneficium restitutionis in integrum. Qua de re dixi *lib. de Parlamentis, dub.*4. *sect.*2. & videri poterit Abb. *in cap. fraternitatem, de donat. num.*5.

## DVBITATIO XXII.

An extrauagans *Ambitiosæ*, Pauli II. recepta sit in omnibus locis? Vbi etiam de eius pœnis, & an locum habeat in Clericis Regularibus Theatinis?

### SVMMARIVM.

1 *Extrauagans Ambitiosa Pauli II. videtur recepta in paucis locis, non solum quoad priuationem beneficij, & officij, sed etiam quoad censuras.*

2 *Constitutio prædicta Pauli II. in sententia Nauarri, quoad pœnam priuationis beneficij nullibi est recepta.*

3 *Consuetudo locorum plurium valet circa obligationem dictæ Constitutionis; fieri enim potest, quod alicubi recepta sit quoad vnam partem, & non quoad aliam.*

4 *Constitutio prædicta in Italia videtur recepta & quoad obligationem, & quoad excommunicationem, saltem in casu, quo res alienata non fuerit in euidentem Ecclesiæ vtilitatem.*

5 *Constitutio prædicta non habet locum quoad priuationem beneficij, & officij ante iudicis sententiam, licet à Sacra Pœnitentiaria tales delinquentes rehabilitentur ad beneficia, & officia.*

6 *Administratores omnes alienantes bona immobilia, vel mobilia pretiosa Ecclesiarum, vel Conuentuum contrahunt, præter sacrilegium, excommunicationem ipso facto.*

7 *Quam contrahunt etiam rem alienatam recipientes.*

8 *Non tamen eam, tam alienantes, quàm recipientes contrahunt, nisi procedant ex dolo, & malitia; non item, si procedant ex ignorantia culpabili, etiam crassa, supina, & affectata.*

9 *Dicta excommunicatio non est reseruata; quapropter ab illa possunt absoluere pro foro conscientiæ omnes Prælati suos subditos, quin & omnes Confessarij suos pœnitentes.*

10 *Interdum tamen absolutio obtinetur per breuia ab Vrbe, sed pro foro exteriori, vel etiam pro foro interiori, ad maiorem cautelam, vel ex ignorantia.*

11 *In Tridentino reseruatur excommunicatio, non in alienantes bona Ecclesiæ, sed in illa sibi vsurpantes, seu in proprium vsum conuertentes.*

12 *Episcopi, & Abbates contrahunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ, in quo interdicto si per sex menses perstiterint, suspenduntur à regimine, tam in temporalibus, quàm in spiritualibus.*

13 *Ab his pœnis, & censuris, cum non sint reseruatæ, absolui possunt à quocumque.*

14 *Alij Episcopis, & Abbatibus inferiores contrahunt ipso facto præter excommunicationem, etiam pœnam priuatio*

*priuationis beneficiorum, & officiorum, & inhabilitatis ad eadem recipienda.*

15 *Regulares, etiam è Societate Iesu, alienantes indebitè & non seruatis seruandis res Monasterij, incurrunt pœnas statutas in dicta constitutione, & priuantur voce activa, & passiua, redduntúrque perpetuò inhabiles ad illas obtinendas, sublatâ Generali, & Protectori facultate moderandi, & relaxandi dictas pœnas.*

16 *Hæ pœnæ non incurruntur in foro conscientiæ ante quamcunque sententiam, etiam delicti commissi.*

17 *In opinione contraria affirmantium, quod in foro conscientiæ incurrantur ante quamcunque sententiam, etiam delicti commissi, sunt illæ, vtpotè non reseruatæ, dispensabiles à superioribus alienantium.*

18 *Non sic pœnæ designatæ in decreto Vrbani VIII. quin neque pœnæ, quæ ex Extrauag.* Ambitiosæ, *in dicto decreto repetuntur.*

19 *Priuilegia in contrarium Religionum reuocantur in dicto decreto Vrbani.*

20 *Ad incurrendas pœnas dicti decreti Vrbani non requiritur dolus, sicut requiritur ad incurrendas pœnas Extrauag.* Ambitiosæ, *sed sufficit ignorantia vincibilis, seu culpabilis, quamuis grauiter.*

21 *Decretum Vrbani solùm obligat intra fines Europæ.*

22 *Affertur iudicium de pœnis Constitutionum aliorum Pontificum quoad eandem hanc præsentem materiam.*

23 *Regulares habentes administrationem bonorum Religionis, si iura, redditus, vel possessiones ad vitam recipientis, vel ad aliud certum tempus (nisi ob necessitatem Monasterij cum consensu Capituli, vel Prælati) alienent, contrahunt suspensionem ab officio, & alienatio est nulla, ex Clement. 1. de rebus* Eccles. non alien.

24 *Suspensio hæc non est reseruata.*

25 *Est tamen ab officio ordinis, iurisdictionis, & administrationis.*

26 *Certum tempus hîc non continet modicum, id est, triennium.*

27 *Dicta suspensio non est sublata per Extrauag.* Ambitiosæ.

28 *Excipiuntur à dicta constitutione* Ambitiosæ, *& Decreto Vrbani VIII. Patres Theatini quoad bona immobilia, qui inconsulto summo Pontifice, de consensu tamen P. Generalis, & duarum partium vocalium domus possunt alienare.*

29 *Theatini inconsulto summo Pontifice, possunt alienare immobilia, donec dictum institutum non retinendi immobilia seruauerint. Secus si è contra.*

30 *Theatini non possunt inconsulto summo Pontifice, alienare mobilia.*

31 *Incluso vnius est excluso alterius.*

32 *Limita regulam non procedere, quando est eadem ratio in excluso, quæ in incluso.*

33 *Stante identitate rationis non inclusum non censetur quid diuersum, sed idem cum incluso.*

34 *Bona immobilia, & mobilia quoad PP. Theatinos sunt in diuersa ratione, siquidem immobilia repugnant instituto, non sic mobilia.*

35 *Finis declarationis S. Congregationis fuit, vt seruaretur institutum Theatinorum non retinendi immobilia.*

36 *Declaratio dictæ S. Congregationis non se extendit ad mobilia pretiosa.*

37 *Lex non se extendit vltra finem, & mentem legislatoris, præsertim quando verba non se extendunt vlteriùs.*

38 *Lex secundùm rationem attendenda est, & per rationem amplianda, & restringenda.*

39 *Declaratio S. Cong. neque se extendit ad mobilia pretiosa, licet Theatini profiteantur cultum Ecclesiæ pretiosum.*

40 *Vbi est diuersa ratio ibi est diuersa iuris dispositio.*

41 *Quando in vno casu sit specialis dispositio, in aliis casibus in contrarium attendendum est ius commune.*

42 *In noua dispositione casus omissus intelligitur relictus iuri antiquo.*

43 *Praxis, & consuetudo est optima legis Interpres.*

44 *Obseruantia subsecuta, quod non alienentur sine licentia Sedis Apostolicæ mobilia pretiosa, constituit ius.*

45 *Theatini forsan, inconsulto summo Pontifice, neque possunt alienare immobilia illa, quæ ex alio instituto retinere possunt, v. g. hortos domui contiguos, villas recreationis causa, & similia.*

46 *Mobilia quantumuis pretiosa censentur appellatione rerum mobilium.*

47 *Mobilia sunt omnia illa, quæ de loco ad locum moueri possunt.*

48 *Quæ sunt de vna specie, non possunt computari inter ea quæ sunt de specie opposita, cum habeant repugnantiam.*

49 *Excipiuntur etiam alij quoad assensum Apostolicum in alienatione quorundam bonorum Ecclesiasticorum, quia bona aliqua Ecclesiastica vendi consueuerunt.*

50 *Censuræ contrahuntur ante sententiam criminis, non alia pœna.*

SVppono in Extrauag. *Ambitiosæ*, contra transgressores, præter contractuum rescissionem, imponi pœnas sequentes, in his verbis: *Tam qui alienat, quam qui alienatas res, & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrant, alienanti verò bona Ecclesiarum, Monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet, inconsulto Romano Pontifice, aut contra præsentis Constitutionis tenorem, si Pontificali, vel Abbatiali præfulgeat dignitate, ingressus Ecclesiæ sit penitus interdictus, & si per sex menses immediatè sequentes sub interdicto huiusmodi animo, quod absit, perseuerauerit indurato, lapsis mensibus eisdem, à regimine, vel administratione seu Ecclesiæ, vel Monasterij (cui præsidet in spiritualibus & temporalibus) sit eo ipso suspensus: inferiores verò Prælati, Commendatarij, & alij Ecclesiarum Rectores, & beneficiati, vel administrationem quomodolibet obtinentes, Prioratibus, & præposituris, præpositatibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, Canonicatibus, præbendis, aliisque Ecclesiis cum cura, & sine, secularibus, & regularibus beneficiis, (quorum res, & bona alienarunt) dumtaxat ipso facto priuati existant, illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur, possintque per locorum Ordinarios, vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis, quæ propterea priuatæ fuerint) liberè de iure conferri, nisi alias dispositioni Apostolicæ Sedis sint specialiter, aut generaliter reseruata, & nihilominus alienatæ res, & bona huiusmodi ad Ecclesias, Monasteria, & loca pia (ad quæ ante alienationem huiusmodi pertinebant) liberè reuertantur.* Hoc supposito.

Respondetur, quod Extrauagans Pauli II. videtur recepta in paucis locis, non solùm quoad priuationem beneficij, & officij, sed etiam quoad censuras. Sic Rochus Curtius *cap. vlt. de consuetudin.* Angelus *verb. Excommunicatio 7. cas.* 48. Siluester *verb. Alienatio, quæst.* 15. Caietanus *verbo Excommunicatio, cap.* 75. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 91. Sarmient. 1. *part. de reddit. cap.* 2. *num.* 20. Vasquez *cit. cap.* 2. §. *dub.* 7. *numero* 31.

Suar. *tom.5. de censur. disp.23. sect.6. num.3.* Armilla *verb. Excommunicatio, num.62.* Sayrus *de censur. lib.3. cap.33. n.22.* Azor. *lib.6. cap.16. q.1.* Scortia *epit.42. Theor.115.* Nauarr. *comment. de alien. rer. Eccles. n.13.*
2 *& 14.* & in Manuali *cap.27. num.149.* ( vbi ait, quod quoad pœnam priuationis beneficij dicta constitutio nullibi sit recepta. ) Quaranta *verb. Alienatio, num.4.* Sanchez *lib. 2. moral. cap.22. n.2.* Riccius *decis.139.* Lessius *de iust. & iur. lib.2. cap.24. dub.11. n.69.* Couar. *lib.2. var. cap.17. num.6.* & Bonac. *disp.3. de contractib. feudi, q.8. punct.4. num.14.*

3 Quapropter in hac re inspicienda est loci consuetudo : fieri enim potest, quod dicta Extrauagans alicubi recepta sit quoad vnam partem, & non quoad aliam, v. g. quoad obligationem, vel nullitatem contractus, & non quoad pœnas, quamvis in Italia videatur recepta & quoad obligationem, & quoad ex-
4 communicationem ( saltem in casu, quo res alienata fuerit non in euidentem vtilitatem Ecclesiæ, in quo sensu procedit declaratio Clementis VIII. quod quidam Rector Ecclesiæ, qui alienauerat bona illius, contraxerit pœnas dictæ Extrauagantis; secus si alienata fuerit in euidentem vtilitatem illius, vti dicebam *suprà dub.1.* & adnotarunt Reginaldus *in praxi, tom.2.lib.30. tract.3. cap.6. sect.1. num.69. & 70.* Filliucius *tom.1. tract.14. cap.7. q.6. num.119. & tract.16. cap.9. nu-*
5 *mero 226.* & Diana *part.1. tract.8. resol.77.* ) non tamen quoad priuationem beneficij, & officij ante iudicis sententiam, quamvis quoad hoc vltimum, in contrarium sit vsus,& praxis S. Pœnitentiariæ,in qua delinquentes absoluuntur, & ad beneficia, & officia rehabilitantur, idque vel ad pacandas conscientias, vel quia supponit, dictam Extrauag. esse quoad omnia simpliciter receptam.

6 Vbi tamen quoad omnia simpliciter recepta est, administratores omnes alienantes bona immobilia, vel mobilia pretiosa Ecclesiarum, Conuentuum, seu Monasteriorum ( præterquam quod committunt sacrilegium, quia irreuerenter se habent erga res Deo sacras, Caiet. *verb. excomm. cap.75.* & Quaranta *verb. Alienatio, num.49.* ) contrahunt etiam excommunicationem ipso facto inflictam à Paulo II. verbis suprà relatis, quam & contrahunt rem alienatam recipientes, vt patet ex contextu.

7 Quamvis quia Pontifex in antecedentibus vsus est verbo præsumpserint, non contrahant illam, nisi qui id fecerint ex dolo, seu malitia, & audacia, non tamen qui fecerint ex ignorantia culpabili, etiam crassa, & supina, quia verbum *præsumere*, significat audaciam, seu temeritatem, quæ excludat omnem ignorantiam, sicuti dicebam *cap.16. dub.36. in fine*, & dicam *cap.19.*
8 *dubit.59.*

9 Quæ eadem excommunicatio nulli est reseruata, vt patet ex contextu, & adnotarunt Angel. *verb. excommun.7. num.48.* Suar. *tom.5. disp.22. sect.6.n.6.* Scortia *theor.118.* & Gauantus *in Man.Episc. verb. Alienatio, n.28.* Vnde Prælati omnes possunt in foro conscientiæ ab illa absoluere suos subditos, quinimò & omnes Confessarij suos Pœnitentes.

Non obstat, quod vt Quaranta ait *cit. num.49.* aliquando per Breuia Pœnitentiariæ, vel Signaturæ obtineatur ista absolutio.

10 Respondetur enim id esse, vel pro foro exteriori ad obuiandum molestiis, quæ in illo exoriri possent, vel etiam pro foro interiori ad maiorem cautelam. Vt omittam id aliquos facere ex ignorantia authoritatis, quam habent ipsorum superiores.

Neque obstat secundò, quod licet ( vt ait Thesaurus *in praxi, part.2. verb. Alienatio, §. nota circa* ) dicta excommunicatio non sit reseruata in Extrauaganti *Ambitiosæ*, sit tamen reseruata in Trident. *sess. 22. cap.11.*

Respondetur enim, cum Concilium loquatur so- 11
lùm de vsurpantibus, seu in proprios vsus conuertentibus bona Ecclesiarum, id extendendum non esse ad simpliciter alienantes. Vide Filliucium *tract.44.cap.6. num.3. in fine.*

Secundò Episcopi, vel Abbates contrahunt cen- 12
suram interdicti ab Ecclesiæ ingressu, in quo interdicto si per sex menses perstiterint, suspenduntur à regimine, & administratione, tam in temporalibus, quàm in spiritualibus Ecclesiæ, vel Monasterij, cui præsunt, quibus censuris similiter, cum non sint re- 13
seruatæ, à absolui poterunt à quocumque habente iurisdictionem ordinariam, vel delegatam ad absoluendum à censuris.

Tertiò alij Prælati Episcopis & Abbatibus infe- 14
riores contrahunt etiam, præter excommunicationem, pœnam priuationis beneficiorum, & officiorum ( ita vt ista vacent absque vlla declaratione, & possint liberè aliis conferri ) pœnamque inhabilitatis ad illa recipienda : & si fuerint Regulares, etiam è Societate 15
Iesv, provt declarauit sacra Congregatio Concilij, teste Barbosa *in collect. Bullar. verb. Domus,* ) puniuntur similiter, *vt suprà ex cit. Extrauag.* & etiam, reuocatis omnibus ipsorum priuilegiis, ex decreto S. Congregationis Concilij, die 7. Septemb. 1624. in his verbis : S. Congregatio iussu summi Pontificis Vrbani VIII. Religiosis cuiuscumque ordinis,& Religionis, etiamsi aliàs ex peculiari priuilegio, & consuetudine facultatem alienandi haberent, perpetuò interdicit omnium rerum immobilium, & mobilium pretiosarum alienationem,omnèque pactum, per quod ipsarum dominium transfertur, census perpetuos vel vitalitios, hypothecam, locationem, & conductionem vltra triennium, concessionem in feudum, vel emphyteusim,præterquam in casibus à iure permissis, de quibus suprà dicebatur. Pœna autem alienantium sine licentia in scriptis ipsius Congregationis gratis concedenda,est priuatio ipso facto vocis actiuæ, & passiuæ, perpetua ad illam in posterum obtinendam inhabilitas, sublata etiam Generali, & Protectori illam moderandi, vel relaxandi facultate,& permanentibus in suo robore pœnis Apostolicarum Constitutionum, præsertim Constitutionis Pauli II. quæ incipit : *Ambitiosæ.* Vide quæ dicebantur *suprà dub.1.n.4. & seqq.*

An autem non obstante, quod in Extrauag. *Ambi-* 16
*tiosæ*, dicatur dictas pœnas incurri absque alia declaratione, incurrantur illæ in foro conscientiæ ante quamcumque declarationem, siue pœnæ, siue etiam criminis commissi, vide infrà in fine.

Quis verò casu, quo vera sit sententia dicentium, 17
illas incurri in foro conscientiæ ante quamcunque declarationem, etiam delicti commissi, possit in eis dispensare.

Respondetur quod licèt pœnæ in dicta Extrauag. 18
designatæ, ex vi Extrauag. ( cum nulli reseruentur ) videantur iure communi dispensabiles à superioribus illorum, qui alienarunt ( cum ipsi habeant authoritatem ordinariam in subditos suos quoad ea, quæ non sunt aliàs reseruata ) pœnæ tamen designatæ in decreto relato S. Congreg. in Capitula, & in Superiores Regularium alienantes, quin etiam & pœnæ, quæ ex dicta Extrauag. *Ambitiosæ*, in dicto decreto referuntur ( cùm ibi auferatur facultas Protectori, & Generali eas moderandi, & relaxandi ) Sedi Apostolicæ reseruatæ videntur.

Et quamvis aliàs ex priuilegiis aliquarum Reli- 19
gionum ( vt videre est apud Lezanam *tit. 1. cap. 16. numero 33. 35. & 36.* possint Prælati Regulares cum suis subditis in eis dispensare, tamen quia in prædicto decreto reuocantur omnia priuilegia Regularibus concessa, ideò nisi post dictum decretum die 7. Septemb.1624.editum,à Sede Apostolica aliquod aliud priuilegium

priuilegium obtinuerint, in posterum id facere non poterunt.

20 Aduerte, quod ad incurrendas pœnas dicti decreti S. Congreg. non requiratur dolus, seu malitia, quia non est in eo verbum *præsumere*, sicuti est in Extrauag. *Ambitiosæ*, quapropter qui ex ignorantia vincibili, seu culpabili, grauiter tamen illud transgressi fuerint, pœnas incurrent.

21 Aduerte secundò, quod dictum decretum solùm obliget intra fines Europæ, vt in ipso dicitur.

22 Ex his iudicari potest, quid dicendum sit de aliis pœnis impositis ab aliis summis Pōtificibus, quatenus spectant etiam ad Regulares bona Ecclesiastica alienantes; siquidem eas manere in suo robore, constat ex dicto decreto S. Congr. iam suprà relato. Hi verò sunt post Paulum II. Paulus IV. in Bulla *Iniunctum nobis*; Pius IV. in Bulla *Apostolica*; Pius V. in Bulla *Admonet*; Greg. XIII. in Bulla *Inter cæteras*; Sixtus V. in Bulla *Solicitudo*, & in Bulla *Quærante*, Greg. XIV. in Bulla *Romanus Pontifex*; Innocentius IX. in Bulla *Quæ ab hac*; Clemens VIII. in Bulla *Ad Romani*, & in Bulla *Romanum decet*; Paulus V. in Bulla *Pastorale*, & Vrbanus VIII. in Bulla *Humanæ salutis*, & in Bulla *Decens*.

23 Aduerte tertiò, quod Clement. 1. *de reb. Eccles. non alien.* Regulares habentes administrationem bonorum Religionis, si iura, redditus, vel possessiones ad vitam recipientis, vel ad aliud certum tempus (nisi ob necessitatem, vel vtilitatem Monasterij, vel Religionis cum consensu capituli, vel si capitulum non habent, cum consensu sui Prælati) alienent, contrahant suspensionem ab officio, & alienatio sit nulla. DD. quos

24 sequitur Thesaurus *in praxi part. 2. cap. 5.* qui notat primò ex Imola, & Ancharano, hinc suspensionem

25 non esse reseruatam. Notat secundò ex Suar. *tom. 3. in 3. part. disp. 24. sect. 1. num. 4. & disp. 31. sect. 6. num.* 8. hanc

26 suspensionem esse ab officio ordinis, iurisdictionis &

27 administrationis. Notat tertiò ex eodem Suar. *cit. disput.* 31. certum tempus non continere modicum, ideſt triennium. Notat quartò ex Rodrig. *tom. 1. qq. Regular. quæst. 27. art. 13.* hanc suspensionem non esse sublatam per Extrauagantem *Ambitiosa*, quia lex posterior generaliter loquens non derogat legi antiquiori loquenti in casu particulari: Clementina autem loquitur in casu particulari Regularium, & Extrauagans generaliter. Accedit, quod esto per Extrauagantem Clementina sit derogata; nihilominus quia in Decreto sacræ Congregationis relato dicitur, *pœnis nihilominus Apostolicarum Constitutionum in suo robore permansuris*,

28 censetur dicta Clementina renouata.

Excipe tamen primò à pœnis, quas suprà dicebam, Clericos Regulares nostræ Religionis quoad bona immobilia, qui ex priuilegio eiusdem sacræ Congregationis suum decretum supradictum declarantis, possunt inconsulto Summo Pontifice (consulto tamen Patre Generali, & cum consensu duarum partium vocalium illius domus, cuius bona sunt alienanda) alienare simpliciter, vt per venditionem, permutationem, &c. nedum alienare secundùm quid, vt per hypothecam, affectionem census, vel concessionem in emphyteusim, &c. ex eo quia Institutum habent non retinendi bona immobilia, sed illa, cùm sibi fuerint relicta, statim commoda data occasione vendendi, vel alio modo alienandi, vt patet ex sequenti declaratione Cardinalium in verbis: *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum censuit Regularium Theatinorum, quamdiu Institutum propositum retinent, quoad bona immobilia non comprehendi in prohibitione nuper edita de rebus Regularium non alienandis.*

29 Vnde sequitur primò, quod nostri possint, inconsulto Summo Pontifice, alienare immobilia, donec dictum Institutum non retinendi immobilia seruauerint, & secus si illud mutauerint, vel miserint in de-



suetudinem, vt patet illis verbis: *Quamdiu institutum propositum retineant.*

Sequitur secundò, quòd solùm possint, inconsulto 30
Pontifice, alienare immobilia, non item mobilia, vt patet tum ex verbis dictæ declarationis, ibi: *Quoad bona immobilia non comprehendi*: nam inclusio vnius est exclusio alterius, *l. cùm Prætor, ff. de iudic. l. cùm* 31
*maritus, C. de procurat. l. quamvis, C. de pignor.* & *cap. nonne, de præsumptionib.* & docent Menoch. *consil.* 106. *num.* 314. *& seqq. & consil.* 1148. *num.* 13. *& seqq.* Surdus *de if.* 145. *num.* 12. *& consil.* 25. *num.* 3. & alij pas- 32
sim. Quod licet non valeat, quando est eadem ratio in excluso, quæ in incluso, sicuti notat idem Menoch. *consil.* 197. *num.* 83. Thomas de Thomatsetis *in Florib. leg. Reg.* 148. & alij, ex eo, quod stante identitate rationis non inclusum non censetur quid diuersum, sed idem cùm incluso; valet tamen in casu nostro, quia quoad nos Clericos Regulares Theatinos 33
est diuersa ratio de bonis immobilibus, ac de bonis mobilibus pretiosis, siquidem immobilia repugnant cum nostro Instituto, non sic mobilia pretiosa. Consequenter cùm in cit. S. Congregationis declaratione 34
includantur sola immobilia, erunt exclusa mobilia pretiosa: tum patet ex fine dictæ declarationis, quæ facta fuit ex eo quod nostri institutum habent non retinendi immobilia, & sic ad finem, vt seruetur dictum institutum non retinendi immobilia: quapropter est conditionata & limitata ad tempus, nempe quamdiu 35
nostri retinuerint tale Institutum non retinendi immobilia, & proinde concessit posse nostros sine facultate Pontificis alienare immobilia tanquam contraria dicto 36
Instituto: ergo concessio non se extendit ad mobilia pretiosa, quia lex non se extendit vltra finem, & 37
mentem legislatoris, præsertim quando verba non se extendunt vlterius: nam cùm ratio potius attendenda sit, *l. sive, §. aliud, ff. de excusat. tutor. & l. cum pater, §.* 38
*dulcissimis, ff. de legat. 2.* & proinde lex per rationem amplietur, & restringatur, *l. unum ex familia, §. fin. ff. de legat. 2. & l. si is qui animo, ff. de acquir. possess.* & notat Ias. *in l. id quod, num.* 7. *ff. de legat. 1.* Surd. *cons. 67. num.* 20. Rota *decis. 10. num. 2. part. 1. recent.* 39
apud Farinac. & ratio prædictæ concessionis non habeat locum in bonis mobilibus pretiosis (cùm non sint contra nostrum Institutum, immò iuxta illud, siquidem profitemur cultum Ecclesiæ pretiosum) sit, quod neque locum habeat dicta concessio in mobilibus pretiosis (præsertim cùm neque etiam secundùm verba ad illa se extendat: loquitur enim tantùm de immobilibus:) ergo, &c.

Confirmatur, quia cùm verba dictæ declarationis non comprehendant mobilia pretiosa, sed solùm immobilia, non potest declaratio extendi ad mobilia pretiosa, nisi vel extensione comprehensiua ex identitate rationis, quando necesse est, vt fiat talis extensio, vel extensione ampliatiua ex similitudine, vel maioritate rationis, quando adhuc interuenire debet ratio similis, vel maior, vt lex extendatur, quandoquidem si adest diuersa ratio, vel contraria, non potest fieri extensio, cùm vbi est diuersa ratio, diuersa debeat esse iuris dispositio, *l. seruus, ff. de statuliber. l. si ita, ff. de* 40
*manumiss. testam. & l. inter stipulantem, §. sacram, ff. de verb. signif.* Sed in casu nostro adest contraria ratio, cùm ratio, ob quam concessa est alienatio immobilium sit, quia repugnant nostro Instituto, quo modo non repugnant pretiosa mobilia, sed potiùs sunt conformia dicto Instituto: ergo, &c.

Confirmatur secundò, quia in dicta declaratione specialiter conceditur alienatio immobilium, quæ in specie nominantur: ergo quoad pretiosa mobilia remanet in robore ius commune, vt sit scilicet prohibitio alienandi bona mobilia pretiosa, præsertim cùm in ipsis sit diuersa & contraria ratio, vt patet ex dictis, & cùm

specialis dispositio in vno casu faciat, quod in aliis ca-
41 sibus in contrarium sit ius commune. Abb. *cons.*79. *lib.*1. Imola *cons.*139. *in fin.* Rom. *cons.*86. *n.*12. Bald. *cons.*382. *n.*7. *lib.*5. Ancharan. *cons.*203. *in fin.* Angel. *cons.*183. *in fin.* & Corneus *cons.*81. *n.*9. *lib.*2.

Confirmatur tertiò, quia in noua dispositione casus omissus intelligitur relictus iuri antiquo, *l. si verò*, §. *de viro, ff. solut. matrim. & l. commodissimè, ff. de liber. & posth.*
42 ergo cùm in dicta S. Congregationis declaratione sit tantum dispositum de bonis immobilibus, & non mobilibus pretiosis, consequens est, quod bona hæc posterioris generis sint relicta dispositioni antiquæ præcedenti, atque adeò sub prohibitione alienationis. Atque ita docent Riccius *resol.*53. *num.*5. Barbosa *de potest. Episc. part.*3. *alleg.*95. *num.*59. *in fin.* Peregrinus *in compend. priuileg. verb. Alienatio, in princip. sui scholij*, & seruat praxis, & consuetudo, quæ est optima legis interpres, *cap. dilectus, de consuetud. Clem. exiui, de verbor.*
43 *signif. l. minimè, & l. de interpretatione, ff. de legib.* Imò obseruantia subsequuta, quod non alienentur sine licen-
44 tia Sedis Apostolicæ mobilia pretiosa, constituit ius, *l. de quibus, ff. de legib. l. nulli, ff. quod cuiusque vniuers. & l. obseruare*, §. 5. *ff. de offic. Proconsul.* quidquid in contrarium sentiat Nouarius *in summa Bullarum, de alienatione rerum Regularium prohibita, n.*29. & sequi videatur Diana *part.*5. *tract.*13. *resol.*6. qui putant, quod nostri possint, inconsulto Pontifice, alienare etiam mobilia. Sed quod dixi, est omninò dicendum ob ratio-
45 nes dictas. Quin propterea addo, quod fortasse etiam sequitur, quod neque possint nostri, inconsulto summo Pontifice, alienare immobilia illa, quæ ex alio instituto retinere possunt, verbi gratia hortos domui contiguos, villas recreationis causâ, & similia.

Obiicies: tota ratio prohibitionis alienandi mobilia, quæ seruando seruari possunt, est quia inter immobilia computantur, vti notauit præter alios Castrus Palaus *tom.*2. *tract.*12. *disput. vnic. punct.*15. *num.*13. ergo concessa licentia alienandi immobilia censebitur etiam concessa licentia alienandi mobilia.

Respondetur, nego antecedens, quia mobilia, quan-
46 tumvis pretiosa, continentur sub appellatione rerum mobilium, Gloss. *in cap. is cui, de elect. in* 6. *& in cap.*1. *de cler. ægrot. in* 6. Tiraquel. *tract. de retract. consanguin.*
47 §.1. *gloss.*7. *num.*99. & Menoch. *cons.*407. *n.*7. siquidem mobilia sunt omnia illa, quæ de loco ad locum moueri possunt, *l. à Diuo Pio*, §. *in venditione, ff. de re iudic. & l. mouentium, ff. de verbor. signif.* & ibi communiter Doctores, Bart. Alciat. Rebuff. & alij passim: quapropter non possunt computari inter immobilia,
48 quia quæ sunt de vna specie, non possunt computari inter ea, quæ sunt de specie opposita, cùm habeant repugnantiam, vt sub opposita specie contineantur.

Respondetur secundò, transeat antecedens: at distinguo consequens, si in vtrisque esset eadem ratio, concedo: si secus (vti contingit in casu nostro) nego.

49 Excipe secundò etiam alios quoad assensum Apostolicum in alienatione quorumdam bonorum Ecclesiasticorum, quia bona aliqua Ecclesiastica vendi consueuerunt de licentia solius Episcopi, non petito assensu summi Pontificis, sicuti dicam *dubit. sequenti*, & adnotauit præter alios Bonacina *punct.*5. *numero* 4. Vide quæ dicentur *infrà cit. dub. sequenti*, & quæ dicebantur *suprà dub.*4.

Cæterùm, an alienans sine solennitatibus requisitis
50 rem Ecclesiæ, teneatur in conscientia (vbi scilicet Bulla recepta est quoad omnia simpliciter) subire censuras, & alias pœnas, vt priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, officiorum, & beneficiorum, & pœnam inhabilitatis ad hæc omnia, ante iudicis sententiam, etiam criminis, ex eo quod imponantur in Bulla hac cum addito, *absque vlla declaratione*, dicam *cap.*19. *dubit.*23. *per totam.*

## DVBITATIO XXIII.

An in locis, vbi Extrauagans *Ambitiosæ*, Pauli II. recepta est, possint bona Ecclesiæ immobilia, vel mobilia pretiosa licitè in aliquo casu sine solennitatibus iuris alienari?

### SVMMARIVM.

1 *In locis, in quibus simpliciter recepta est extrauagans* Ambitiosæ, *Pauli II. adhuc possunt bona Ecclesiastica alienari inconsulto summo Pontifice, etiam sine incursione censurarum, aliarúmve pœnarum in quibusdam casibus.*
2 *Vt si id fiat in casu necessitatis, propter quam res non patiatur moram adeundi summum Pontificem.*
3 *Lex non ligat quando de facto seruari non potest.*
4 *Impossibilium nulla est obligatio.*
5 *Lex seruanda non est quando iniquè fieret, si seruaretur.*
6 *In qualibet prohibitione censetur excepta causa occurrens, quæ suaderet oppositum.*
7 *Quæ ad fauorem sunt introducta, non debent in odium retorqueri.*
8 *Patres Theatini causa necessitatis vrgente (etiam inconsulto Patre Generali) poterunt alienare immobilia.*
9 *Generalis Religionis Theatinorum non potest abdicare à se onus dandi facultatem alienandi bona immobilia, illamque committere Prepositis, & Capitulis domorum, quia iura obligant Generalem per seipsum.*
10 *Item licentia Patris Generalis danda est capitulis, & prapositis domorum singulis vicibus, & causa cognita.*
11 *Transmutatio vnius rei Ecclesiastica in aliam, absque alicuius dominij directi, vel vtilis translatione, sed ad vtilitatem maiorem Ecclesiæ, non venit sub constitutione* Ambitiosæ.
12 *Idem dic, si pretium earum conuertatur in alium vsum Ecclesiæ, putà vendantur lampades argenteæ ad reparandam fabricam.*
13 *Item si licet fiat alienatio, fiat permutatione rerum in aliam Ecclesiam.*
14 *Item si fiat alienatio inter regulares eiusdem Monasterij.*
15 *Item ex probabili, si fiat à regulari vnius Monasterij in regularem alterius Monasterij, vel Prouinciæ, eiusdem tamen Religionis, etsi alij sentiant oppositum.*
16 *Item si fiat in remunerationem beneficij in Ecclesiam collati.*
17 *Item, si ad finem, vt alienetur, res Ecclesiæ relicta, vel empta fuerit.*
18 *Item si res sit prius aliis debita, vel obligata.*
19 *Item si sit relicta Ecclesiæ cum obligatione illam permutandi.*
20 *Item si detineatur ab Ecclesia iniustè.*
21 *Item si sit relicta per fideicommissum cum onere quod post aliquod tempus alteri restituatur.*
22 *Item, si debeat alienari necessariò, vt quia v. g. est indiuisim in manu seculari, qui vult illam vendere.*
23 *Item si vendatur, quia fuit empta cum pacto de retrouendendo, cum non sit alienatio, sed potiùs rescissio prioris contractus, etsi sit etiam probabilis opinio in oppositum.*
24 *Quando emphyteuta vendidit rem cum pacto de retrouendendo, debetur laudemium.*

25 Item

25 *Item tandem, si res sit difficilis recuperationis, seu incerta, vel incognita, & intercedat pactum, quod laicus emptor suis expensis, & periculo eam recuperet.*

1 REspondetur, quod etiam in locis, vbi dicta Extrauagans *Ambitiosæ*, Pauli II. quoad omnia simpliciter recepta est, possint adhuc tam immobilia, quàm mobilia pretiosa, licitè, & sic sine metu censurarum, aliarumque pœnarum, sine solennitatibus iuris, non solum oppignorari, vel hypothecari, sed etiam (quamvis subsit iuramentum de non alienando) alienari.

2 Primò, si immineat necessitas, quæ Pontificem adiri non patiatur, v. g. si hîc, & nunc non alienentur, transeat occasio alienandi, & sic transeat occasio vtilitatis Ecclesiæ, vel occasio redemptionis captiuorum, alimoniæ pauperum, vel propria, &c. in quo casu regulares possunt id efficere, etiam inconsulto Episcopo, cùm illi quoad hoc subiecti minimè sint. Atque ita contra Peregrinum *verb. alienatio, dub.* 9. docent Abb. *in cap. cit. supra, de rebus Eccles. non alien. num.* 15. *& in cap. fin. de Eccles. ædif. num.* 8. & communiter Doctores, quos citat, & sequitur Quaranta *verb. alienatio rerum Ecclesiæ, num.* 42. *limit.* 7. Filliuc. *tom.* 3. *tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 11. Lessius *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 11. *n.* 64. Peregrinus *verb. Alienatio, dub.* 9. & Peyrinus *in formu-*
3 *lario, lit. A. cap.* 11. *num.* 3. Et probatur, quia lex non ligat, quando de facto seruari non potest, *l.* 1. §. *dies,*
4 *ff. quando appelland. sit, & cap. erit autem, dist.* 4. Et ratio est, quia impossibilium nulla est obligatio, *l. im-*
5 *possibilium, ff. de regul. iuris.* Quinimò, sicuti rectè probat *S. Thom.* 2. 2. *q.* 120. *art.* 1. lex seruanda non est quando
6 iniquè fieret, si seruaretur: tum quia in qualibet prohibitione censetur excepta causa occurrens, quæ suaderet oppositum, *cap. de catero, & cap. quamvis, de sent.*
7 *excommun. & cap. excellentissimus,* 11. *q.* 3. tum quia quæ ob fauorem sunt introducta, non debent in odium retorqueri, *l. nulla iuris ratio, ff. de leg. reg. Quod ob gratiam, de regul. iur. in* 6.

8 Quapropter in dicto casu poterunt nostri licitè alienare immobilia, etiam inconsulto Patre Generali, cùm hic apud nos ex priuilegio ob dictum finem concesso succedat quoad dandam alienandi immobilia licentiam in locum Summi Pontificis: si immineat, inquam, necessitas, quæ Patrem Generalem adiri non patiatur; secus, si patiatur, quia tunc eius consensus expectandus erit: cùm ius clamet, alienationem faciendam non esse à Regularibus inconsulto Summo Pontifice, pro quo ex priuilegio succedit in nostra Religione Pater Generalis, vt suprà dicebam.

9 Neque dicas, in nostra Religione adesse dicti Patris Generalis licentiam generalem, & illum hanc potestatem voluisse à se abdicare, & Præpositis, ac Capitulis domorum præbere; quia praxis probat oppositum. Adde, neque posse Patrem Generalem id efficere, etiamsi velit; quia iura, & S. Congregationis decreta ex iusta, & rationabili causa hanc potestatem à Capitulis, & superioribus inferioribus tollere voluerunt, &
10 de facto abstulerunt. Ergo non potest Pater Generalis contra mentem Pontificum illis eam præbere. Accedit, quod dicta Patris Generalis licentia generalis non sufficiat; quia debet ille licentiam Capitulis, & domorum Præpositis singulis vicibus, causa cognita, præbere. Vide Marcellum Vulpium *in praxi, cap.* 6. *n.* 27. *&* 28. & Confettium *in priuileg. Mendicant. tit.* 9. *c.* 2.

11 Secundò, si fiat consumptio, seu transmutatio vnius rei Ecclesiasticæ in aliam absque alicuius dominij directi, vel vtilis translatione (verbi gratia, si ex calice vetusto, & Ecclesiæ non necessario fiat crux necessaria; aut ex oliueto, silua, &c. ferè inutili fiat vinea fructifera, vel è contra, aut si arbores incidantur ad reparationem Ecclesiæ materialis, præsertim si aliunde pecunia ad hunc finem non adsit, & necessitas vrgeat) quia talis transmutatio non videtur prohibita illis textibus, in quibus prohibetur Ecclesiæ rerum alienatio; siquidem sine translatione dominij directi, vel vtilis in alterum non est alienatio. Accedit, quod talis transmutatio non solum non est alienatio, sed etiam est, cùm vtiliter negotium Ecclesiæ geratur, optima rerum Ecclesiæ administratio. Sic Abb. *in cap. cùm nullo, de rebus Eccles. non alienand.* Quaranta *loco suprà cit.* Nauar. *lib.* 3. *consil. conf.* 6. Rodriguez *tom.* 1. *qq. regul. quæst.* 27. *art.* 4. Peregrinus *in compend. priuileg. verb. Alienatio, dub.* 2. *&* 3. & Riccius *decis.* 136. quidquid in contrarium sentire videantur Sopranus apud Filliucium *de alienat. tract.* 44. *cap.* 4. *quæst.* 14. *num.* 17. *& cap.* 5. *quæst.* 8. *num.* 14. & Bonacina *de alienat. punct.* 2. *num.* 8. Secus, saltem secluso consuetudine in contrarium, contra Riccium *in praxi decis. omissarum, decis.* 7. dicendum est, si res Ecclesiæ alie- 12
netur, vt eius pretium conuertatur etiam in vtilitatem, vel necessitatem Ecclesiæ, v. g. vendantur lampades argenteæ, vota pretiosa, & similia, vt eorum pretium conuertatur in fabricam necessariam, vel alium vsum necessarium Ecclesiæ. Ratio est, quia in tali casu euidenter res Ecclesiæ alienatur, cum dominium eius in alterum transferatur, & ex alio capite, vt immobilia, vel mobilia pretiosa Ecclesiæ licitè alienentur, non sufficit, vt adsit euidens vtilitas, vel necessitas Ecclesiæ, sed hac supposita, tanquam causa alienandi legitima, præterea requiritur assensus Summi Pontificis. Sic Redoanus *quæst.* 13. Quaranta *num.* 24. & videri poterunt quæ dicebam *suprà dub.* 9. *& seqq.*

Tertiò, si licet fiat alienatio, fiat permutatione re- 13
rum in aliam Ecclesiam. Sic, attento saltem rigore iuris, docent probabiliter nonnulli Doctores, vti videre est *suprà dub.* 13. maximè loquendo de Ecclesiis eidem Prælato subiectis, quales sunt Regulares sub eodem Prouinciali, vel Generali existentes, iuxta ea, quæ mox *infrà* dicentur.

Quartò, si fiat donatio inter Regulares eiusdem Monasterij, quia tam in Extrauag. *Ambitiosæ*, quàm in decreto S. Congregationis (quæ referebam *dub.* 1. *n.* 4.) solum prohibetur donatio, quæ est alienatio; do- 14
natio verò inter Regulares eiusdem Monasterij non est alienatio, cum dominium rei donatæ in tali casu non transferatur in alterum, sed maneat, sicut prius, in Monasterio, Doctores quos sequitur Naldus *verb. Alienatio, n.* 4.

Quinimò satis probabiliter, etiamsi fiat donatio à Regulari vnius Monasterij Regulari alterius Monasterij, vel Prouinciæ, eiusdem tamen Religionis. Riccius 15
*decis.* 38. *&* 74. & Tamburin. *de iure Abb. disput.* 13. *q.* 2. *num.* 19. (quod nota pro donationibus rerum pretiosarum, quas Regulares vnius Monasterij facere solent alij Monasterio cum sola licentia Prælati) quamvis contrarium sentiat Bonac. *in tract. de alienat. bonorum Ecclesiast. disp.* 2. *quæst. vnic. punct.* 2. *num.* 14. *&* 17. *& de contractib. disp.* 3. *quæst.* 8. *punct.* 4. *num.* 24. & Bordonus *resol.* 27. *num.* 1. loquens in casu contingenti de quodam prouinciali, qui propria auctoritate agrum vnius Conuentus valoris quinquaginta scutorum donauit alteri Conuentui; admittentes tamen *num.* 2. id eum potuisse facere, si ager ille fuisset solum valoris 20. vel 25. scutorum aureorum.

Quintò, si fiat donatio in remunerationem benefi- 16
ciorum Ecclesiæ collatorum. Doctores, quos sequitur Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg.* 95. *num.* 62. *ex cap. consensus, de reb. Eccles.*

Sextò, si res Ecclesiæ sit relicta, vel empta ad fi- 17
nem, vt alienetur: quapropter pecunia deputata ad

bona immobilia emenda, qualis videtur esse pecunia pro dote Monialium tradita, quæ propterea non potest alienari, vel distrahi in alios vsus, quàm vt de fructibus illius sustentari possit, potest sine solennitatibus iuris, & assensu Apostolico insumi in emendis agris, vel in emenda, aut construenda domo necessaria; quia huiusmodi pecunia solum seruari debet, donec insumatur ad vsum, ad quem fuit deputata; atque ita etiam videtur esse vsu receptum. Vide quæ dicebantur *supra dub.*10. & Lezanam *tom.*2.*c.*16.*num.*57.

18 Septimò, si res sit priùs aliis debita, vel obligata, quia res transit cum onere suo; quamvis alij sentiant oppositum apud Quarantam *verb.alienatio,n.*36.& apud Bonacinam *de alienat.bonor.Eccles.n.*9.

Octauò propter eandem rationem, si sit relicta Ecclesiæ cum obligatione illam permutandi. Item multò magis, si detineatur ab Ecclesia iniustè. Quaranta *num.*43. §.11. Item si sit relicta per fideicommissum cum onere, quod post aliquod tempus alteri 19 restituatur; quia transacto tali tempore, non est am- 20 plius Ecclesiæ. Quaranta *num.*45. & Barbosa *de potest Episc.allegat.*45.*num.*61. 21

22 Nonò, si debeat alienari necessariò, vt quia v. g. est indiuisim in manu secularis, qui vult illam vendere. Doctores, quos sequitur Bordonus *resol.*27. *num.*3. *& seqq.*

Decimò si vendatur, quia fuit empta cum pacto de retrouendendo; quia retrouenditio probabiliter non est propriè, & rigorosè alienatio, & contractus 23 à primo distinctus, sed potius est rescissio prioris contractus: quapropter pro retrouenditione non debetur laudemium, cùm hoc debeatur solum pro alienatione propriè, & rigorosè accepta. Sic Bordonus *loc. supra cit.* & Redoanus *de rebus Eccles. non alien. q.*66. *num.*9.& complures alij, quos citat Bonacina *in tract. de Emphyteusi,punct.*2. quamvis Menochius *tom.*1.*consil.* 13. *numero* 6. & Riccius *decis.* 52. probabiliter etiam sentiant oppositum, ex eo quod retrouenditio sit propriissimè alienatio, cùm per ipsam dominium in alterum transferatur, & consequenter, quod pro retrouenditione etiam debeatur laudemium, 24 quando emphyteuta vendidit rem cum pacto de retrouendendo. Vtraque opinio est probabilis,& forsan posterior probabilior.

25 Vndecimò, si sit difficilis recuperationis, seu incerta, vel incognita, & intercedat pactum, quod Laicus emptor suis expensis,& periculo eam recuperet. Rota, & DD.quos citat,& sequitur Naldus *verb.bona,n.*9. & Gauantus *in Man.Episcop.verb.alienatio, n.*42.

## DVBITATIO XXIV.

### An in locis, vbi Extrauagans Ambitiosæ Pauli II. recepta est, possint fructus beneficiorum licitè in omni casu sine solennitatibus iuris vltra triennium, quin ad vitam vendi, vel locari.

### SVMMARIVM.

1 *Fructus Beneficiorum possunt vltra triennium simpliciter locari, etiam vbi est recepta Extrauagans* Ambitiosæ, *modò ipsi fundi vltra triennium non locentur.*

2 *Fructus non sunt quid Ecclesiæ, sed priuatorum.*

3 *Talis locatio exspirat morte, vel beneficij amissione locantis, seu vendentis.*

4 *Locatio facta de fundo non exspirat morte locantis, quia tunc locatio ipsum fundum immediatè attingit.*

5 *Locatio vltra triennium ex extrauaganti* Ambitiosæ, *inualida est, & canonicis pœnis obnoxia.*

6 *Beneficiarius, vel Prælati successor tenetur stare locationi rei Ecclesiæ, quam eius prædecessor fecit; si tamen legitimè facta fuerit; secus si è contra.*

7 *Successor Beneficiarius potest si prædecessor ex illo contractu locationis enormiter lasus fuerit, vti beneficio restitutionis in integrum: idem de pupillo.*

8 *Beneficiarius successor non tenebitur stare locationi facta ab antecessore, si locatio sit ea lege facta, vt Conductor in primo anno soluat multum, in vltimis annis soluat parum, quia defraudantur successores.*

9 *Hæredes Beneficiarij, qui vt supra locauerunt, tenentur ad restitutionem anticipatæ.*

REspondetur affirmatiuè; quia in iuribus non prohibetur, quin possint fructus beneficiorum, & cæterorum bonorum Ecclesiæ vltra triennium vendi, vel locari, modò ipsi fundi vltra triennium non locentur. Ratio est, quia fructus non sunt quid Ecclesiæ, sed priuatorum. Accedit, quod talis fructuum venditio, vel locatio (cùm conductor nullum ius acquirat in fundum, sed solùm in fundi fructus ad venditorem, vel locatorem pertinentes) exspirat morte, vel beneficij amissione vendentis, vel locantis: quapropter exinde nullum periculum Ecclesiæ, vel beneficiario successori imminet, sicuti rectè dixit Abb. *in c.*2.*de his, quæ fiunt à Prælatis, & in capite veniens, de transact. numero* 1. & Molin. *disput.*466.§. *in tertio autem euentu.* Secus est, si fundus ipse locetur; quia tunc locatio ipsum fundum immediatè attingit, & sic perseuerat, etiamsi locans moriatur, vel beneficium amittat. Abbas *in cap. continebatur, de his quæ fiunt à Prælatis, num.* 7. Couarru. *lib.*2. *var. capite* 15. *numero* 6. Molin. *cit. disput.*466. & Silu. *verb. simonia, quæst.*14. Nam ideò interdicitur, ne quis ad longum tempus, scilicet ad decennium, vel amplius locet; quia Paulus II. in Extrauag. *Ambitiosæ*, decernit, quod locatio, etiam vltra triennium, inualida, & canonicis pœnis obnoxia sit. Quapropter Beneficiarius, vel Prælatus successor tenetur stare locationi rei Ecclesiæ, quam eius decessor fecit, si tamen legitimè facta fuerit, sicuti tenetur tutor pupilli, qui alteri tutori succedit; quamvis non teneatur ei stare, si legitimè facta non fuerit, quin possit,si deprehendat Ecclesiam enormiter læsam ex illo contractu, vti beneficio restitutionis in integrum.Sic Couarruuias *cit.lib.*2.*var.capite* 15. *ad finem.* Idemque dic in ordine ad pupillum de eo,qui alteri tutori in illius tutela succedit. Similiter non tenebitur stare, si deprehendat, locationem ea lege factam, vt conductor in primo anno soluat multum, in vltimis annis soluat parum, quia qui sic locat, defraudat successores (si fortè interea ipsum mori contingat) percipiendo partem pensionis successoribus debitam; quapropter tenentur etiam eius hæredes ad restitutionem ex illa pecunia anticipata pro numero annorum, qui post mortem beneficiarij locantis supersunt. Vide quæ dicuntur *infrà cap.sequenti.*

1 2 3 5 6 7 8 9

## DVBITATIO XXV.

### An possit sine solennitatibus iuris alienari patrimonium, ad cuius titulum quis ordinatus est.

### SVMMARIVM.

1 *Patrimonium, ad cuius titulum quis ordinatus est, potest alienari sine iuris solennitatibus.*

2 *Patrimo-*

2 *Patrimonium prædictum alienari non potest sine licentia Episcopi, quousque Clericus, qui ad illius titulum fuit ordinatus, adeptus fuerit beneficium Ecclesiasticum, vel quid aliud, ex quo viuere possit.*

3 *Patrimonium prædictum post mortem talis Clerici potest alienari sine licentia Episcopi, quia non censetur amplius inter bona Ecclesiastica.*

1 RESpondetur etiam affirmatiuè; quia extrauagans expresè loquitur de bonis immobilibus, & mobilibus pretiosis Deo dicatis, & sic de bonis Ecclesiæ, non autem de bonis priuatorum, quale est patrimonium, ad cuius titulum quis ordinatus est. Vide *supra dub. præcedenti.*

2 Illud tamen interim dicendum est, dictum patrimonium alienari non posse sine licentia Episcopi, quousque clericus, qui ad illius titulum fuit ordinatus, adeptus fuerit beneficium Ecclesiasticum, vel
3 quid aliud, ex quo viuere possit (quamvis post mortem talis clerici possit, quia cessat ratio, dictum patrimonium etiam sine licentia Episcopi, alienari.) Ratio est, quia tale patrimonium gaudet priuilegio bonorum Ecclesiasticorum, vt *in lib. de Parlamentis, dub. 25. & supra cap. 5. dub. 2 sect. 1. num. 3.* dicebam (licet quoad exemptionem Mediolani oppositum vsu receptum sit, qua de re vide *ibid. cit. dub. 25. & 27.*) tum quia sic habetur ex Tridentino Concilio *sess. 21. c. 1.* & docent Silu. *verbo Clericus 4. q. 13.* Vasquez *opusc. de redditib. cap. 2. §. 2. dub. 4. num. 47.* Nauar. *cap. 22. num. 18.* Riccius *decis. 86.* Redoanus *de rebus Eccles. non alienand. quæstione 51. cap. 13.* & Bellet. *1. part. §. de bonis clericorum, num. 16.*

## DVBITATIO XXVI.

### An Cardinalis subiiciatur pœnis statutis contra præsumentes alienare bona Ecclesiastica?

### SVMMARIVM.

1 *Cardinalis subest pœnis statutis contra præsumentes alienare bona Ecclesiastica.*

2 *Cardinalis non subest legibus pœnalibus, nisi exprimatur: id tamen non procedit in iis, quæ pertinent ad publicam Ecclesiæ vtilitatem, vel quæ agunt de iustitia seruanda, vel fraude vitanda.*

3 *Cardinalis subest Cancellariæ regulis, in quibus de fraude vitanda agitur.*

4 *Cardinalis adstringitur iuramento, ne possit alienare bona Ecclesiastica, imò iurat non esse consensurum eorum alienationi.*

5 *Episcopus, Abbas, & Commendatarius in ordine ad bona suarum Ecclesiarum obstringuntur pariter iuramento de non alienando, itavt si quis eorum per accidens non iuret, nihilominus in foro externo præsumitur iurasse, & punitur vt periurus.*

6 *Quæ fieri solent, & debent, facta esse præsumuntur.*

7 *Episcopus, Abbas, & Commendatarius, si non iurauerint per accidens, non sunt periturí in foro interno.*

8 *Cardinalis post Cardinalatum factus Episcopus tenetur vinculo iuramenti ad bona Episcopatus non alienanda, quamvis de non alienando iuramentum non emiserit.*

9 *Episcopus, vel Abbas ratione status tenentur emittere huiusmodi iuramentum de non alienando bona Episcopatus, vel Abbatiæ.*

10 *Ea, quæ de iure veniunt, semper facta præsumuntur.*

11 *Iuramentum prædictum obligat ad petendum Sedis Apostolicæ consensum, etiam vbi extrauagans Ambitiosa, quoad hanc partem recepta non est, spectatis tamen verbis dictæ Constitutionis, secus tamen spectato vsu, & praxi.*

RESpondetur affirmatiuè, quia sic habet praxis Curiæ Romanæ, tum quia, dato quod Cardinalis non subiiciatur legibus pœnalibus, nisi exprimatur, vt sentiunt aliqui, id tamen locum non habet in iis, quæ pertinent ad publicam Ecclesiæ vtilitatem, vel quæ agunt de iustitia seruanda, vel fraude vitanda. Quapropter Cardinalem subiici Cancellariæ Regulis, in quibus de fraude vitanda tractatur, affirmant Cassadorus *in regul. Cancellar. quæst. 38.* Sarmient. *decisione 64. in addit. ad regul. Cancellar.* Paris. *lib. 12. quæst. 4. n. 8.* & Caputaq. *decis. 211.* Ergo à fortiori subiicietur legibus bonorum Ecclesiasticorum alienationem in vtilitatem Ecclesiæ publicam prohibentibus.

Quinimò addo, Cardinalem ad id etiam obstringi vinculo iuramenti (iurat enim specialiter se non solum Sedis Apostolicæ bona non esse alienaturum, sed etiam talium bonorum alienationi non esse consensurum) sicuti obstringitur Episcopus, & Commendatarius in ordine ad bona suarum Ecclesiarum, qui solent de hac re similiter iurare, vt patet ex Pontificali Romano: quapropter etiamsi quis ex ipsis de facto per accidens non iuret, & posteà de facto alienet, in foro externo punitur vt periurus; quia in tali foro præsumitur iurasse. Nauar. *de reb. Eccles. non alien. n. 12.* Azor. *lib. 9. cap. 1. quæst. 9.* & alij passim, & meritò; quia quæ fieri solent, & debent, facta esse præsumuntur, *l. vlt. C. de fideiussoribus.*

Dixi, *in foro externo*; quia in foro interno reuerà periurus non est, si de facto non iurauit, quidquid in contrarium sentire videantur Nauar. *loco supra cit.* & Sopranus apud Filliucium *tract. 44. cap. 3. §. 4. quæst. 2.* quatenus aiunt, quod Cardinalis post Cardinalatum factus Episcopus teneatur vinculo iuramenti ad bona Episcopatus non alienanda, quamvis de non alienando iuramentum non emiserit, ex eo quod vt Episcopus, vel Abbas, &c. inquiunt ipsi, ratione status de iure debeat illud emittere: & quæ de iure veniunt, semper facta supponuntur. Sed quod dixi, videtur tenendum; quia in foro conscientiæ attenditur solum veritas, & cessat omnis præsumptio.

Cæterùm, an iuramentum, quod Cardinalis Episcopus, vel Abbas emittit, obliget ad petendum Sedis Apostolicæ consensum, etiam vbi extrauagans *Ambitiosa*, Pauli II. quoad hanc partem recepta non est?

Respondetur affirmatiuè, si spectentur verba dictæ extrauagantis; secus si spectetur vsus, & praxis, iuxta quam iuramentum emittit, & obligare solet; quia tunc non in plus obligat iuramentum, quàm obliget dicta extrauagans *Ambitiosa*. Sic Azor. *lib. 9. cap. 1. q. 9. & 12.* Couar. *2. var. c. 16.* Sopranus *loco supra cit. cap. 1. quæst. 12. num. 16.* & alij communiter in materia de iuramento.

An autem in aliquo casu, non obstante dicto iuramento, possit Ecclesiæ rerum alienatio validè, & licitè fieri, vide *supra dub. 4. 20. & 21.*

## DVBITATIO XXVII.

### An saltem possit summus Pontifex bona Ecclesiæ, etiam immobilia, & mobilia pretiosa sine causa alienare?

### SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex non subest pœnis iuris positiui, & alienans sine causa non subest censuris.*

2 *Par in parem non habet imperium, & legislator non tenetur suis legibus quoad vim coactiuam, seu punitiuam.*

3 *Summus Pontifex de iure naturali, & diuino prohibetur bonorum Ecclesiæ alienationes inutiles facere.*

4 *Summus Pontifex bonorum Ecclesiæ non Dominus, sed summus Administrator, non ad dissipandum, sed ad dispensandum à Christo Domino constitutus est.*

5 *Summus Pontifex ex officio, quin etiam ex præuio quodam pacto, saltem implicito, tenetur iuxta mentem piam fidelium relinquentium illa distribuere, vel alienare.*

6 *Summus Pontifex alienans ex iusta, & rationabili causa res Ecclesiæ, alienatio ab ipso facta est iusta, & valida.*

7 *Summus Pontifex si sine rationabili causa res vnius Ecclesiæ alteri tribuat, & sic de simili, alienatio est valida, sed non iusta.*

8 *Summus Pontifex si absque iusta causa res Ecclesiæ in vsum profanum conuertit, v. g. sine rationabili causa laicis donet, non est neque iusta, neque valida.*

9 *Summus Pontifex alienans bona Ecclesiæ cum damno ipsius Ecclesiæ, peccat contra iustitiam, & tenetur ad damni compensationem, & recipiens non fit dominus rei.*

10 *Summus Pontifex Deus repræsentatiuè vocatur, & in beneficialibus, & cæteris Ecclesiæ bonis plenam omninò disponendi potestatem habet.*

11 *Bona Ecclesiæ dicuntur patrimonium, & bona Dei, & Christi, non solum vt Domini vniuersalis, sicut est cæterorum, sed etiam vt particularis, quatenus ipsi particulariter offeruntur.*

12 *Bona Ecclesiæ dicuntur res sacræ, & propterea sub nullius potestate existunt.*

13 *Bonorum Ecclesiæ dominium esse penès Congregationem fidelium senserunt multi Doctores.*

14 *Bona alicuius Episcopatus dicuntur de patrimonio talis Episcopatus.*

15 *Empta nomine Ecclesiæ acquiruntur tali Ecclesiæ.*

1 DIxi, *sine causa*; quia certum est, quod possit sine solennitatibus iuris positiui, cùm possit in tali
2 iure dispensare: quapropter certum etiam est, quod si alienet sine causa, non subdatur censuris, & pœnis eiusdem iuris positiui, præsertim quia par in parem imperium non habet, & legislator non tenetur suis legibus quoad vim coactiuam, seu punitiuam. His suppositis.

3 Respondetur, quod etiam summus Pontifex, licet positiui iuris solennitatibus obstrictus (sicut sunt cæteri Prælati) non sit, tamen iure naturali, ac diuino
4 prohibeatur bonorum Ecclesiæ alienationes inutiles efficere; quia bonorum Ecclesiæ non dominus, sed administrator, licet summus, non ad dissipandum, sed ad
5 dispensandum, à Christo Domino constitutus est, & quia ex officio, quin etiam ex præuio quodam pacto, saltem implicito, tenetur iuxta mentem piam fidelium 6
relinquentium illa distribuere, vel alienare. Quapropter si ex iusta, & rationabili causa res Ecclesiæ alie- 7
nat, alienatio ab ipso facta est iusta, & valida; si sine rationali causa res vnius Ecclesiæ in aliam Ecclesiam, aliumve pium vsum, vel etiam beneficium Ecclesiasticum ex vno beneficiario in alium beneficiarium transfert, est valida, sed non iusta; si tandem sine iusta 8
causa res Ecclesiæ in vsum profanum conuertit, v. g. sine rationabili causa laicis donat, non est neque iusta, neque valida. Sic ex communiori, & probabiliori docent Nauarrus *comment. de spoliis clericorum*, §.2. & 3. *num.*8. & §.15.*n.*4. Sopranus apud Filliucium *tract.*44. *c.*3. *q.*3. & dicebam *lib. de Parlamentis*, *dub.*4. *sect.*21. per suas subsectiones, præsertim *subsect.*9. & *dub.*27. *sect.*14.

Vnde sequitur, quod in hoc vltimo casu Summus 9
Pontifex alienans bona Ecclesiæ cum damno ipsius Ecclesiæ, peccet contra iustitiam, & sic ad compensandum damnum Ecclesiæ teneatur, & qui recipit, non fiat Dominus.

Obiicies: Summus Pontifex est Dominus, nedum 10
summus administrator, cum plenitudine potestatis, rerum Ecclesiæ, vnde Deus repræsentatiuè vocatur, *cap. satis*, 96. *dist.* & *Clement.*1. *vt lite pendente*, *cap. cuncta per mundum*, 9. *q.*3. ergo, &c. Sic non omninò improbabiliter defendunt Doctores, Archidiaconus, & alij, quos citat, & sequitur Ioan. Hieronymus Sopranus in appendice ad Filliucium *tract.*44. *de alienat. rerum Eccles. cap.*3. *n.*3. & 10. Parisius *de resignat. lib.*2. *q.*4. *n.*34. Redoan. *de spoliis*, *q.*1. *n.*21. & Gonzalez *ad reg.*8. *in proœmio*, §.1. *n.*33. vide etiam Felinum, & Decium *in cap. quæ in Ecclesiarum, de constit. n.*32. Barth. Socinum *tom.*1. *consil.*13. Marian. Socinum *consil.*140. Parisium *tom.*4. *consil.*3. *num.*81. Alexandrum, Cornejum, & alios apud Sopranum *tract.*44. *c.*3. *q.*17. *n.*55. qui aiunt, quod Summus Pontifex in beneficialibus, & cæteris Ecclesiæ bonis plenam omnino disponendi potestatem habeat.

Respondetur, nego antecedens; tum ob rationes 11
dictas: tum quia dicta bona Ecclesiæ dicuntur patrimonium, & bona Dei, & Christi, *cap. cum secundum, de præbend. cap. qui Christi, & cap. qui abstulerit*, 12. *q.*2. & meritò, quia qui aliquid offert Ecclesiæ, dicitur offerre Deo, & Christo, *cap. nulli liceat*, 12. *q.*2. Consequenter dicendum est, quod dictorum bonorum sit Dominus Deus, & Christus, non solum vniuersalis, sicuti est & cæterorum, iuxta illud: *Domini est terra, & plenitudo eius: Rex regum, & Dominus dominantium.* Sed etiam particularis, quatenus ipsi peculiariter offeruntur, & dicantur.

Accedit, quod dicta bona dicuntur res sacræ; & 12
propterea sub nullius potestate existere, *l.*1. *ff. de rerum diuis.* vt omittam, nonnullos Doctores sentire, dicto- 13
rum bonorum dominium esse vel penes Congregationem fidelium, ita Innoc. *in cap. cùm super elect. de causa poss. & propriet.* & alij: vel penès cœtum Ecclesiasti- 14
corum cuiuscumque particularis Ecclesiæ, ex eo quod bona alicuius Episcopatus dicuntur de patrimonio talis Episcopatus, *can. iudicatum*, 99. *dist.* & dicuntur dos, & patrimonium talis Ecclesiæ, & esse sub dominio talis Ecclesiæ, *cap.*1. *de testam. in fin.* tum ex eo, quod empta nomine Ecclesiæ, acquiruntr tali Ecclesiæ, vnde si- 15
gnum est, quod ipsi acquiratur talium rerum dominium, & quod penes ipsam sit talium rerum dominium. Ita Molina *de iust. tract.*2. *disp.*29. *concl.*2. Lessius *de iust. & iur. lib.*2. *cap.*4. *dub.*6. Vide etiam Sarmient. *de redditib. p.*4. *cap. vlt. n.*1. & Vasq. *in opusc. de redditibus Eccles. c.*2. §.1. *dub.*1. & quæ dicebantur *suprà c.*5. *dub.*1. *sect.*5. & *lib. de Parlamentis*, *cit. dub.*4. *sect.*21. per suas subsectiones, præsertim *subsect.*9. & *cit. dub.*27. *sect.*14.

DVBITA

## DVBITATIO XXVIII.

### Quandonam censeatur iusta, & rationabilis, seu sufficiens causa, vt Pontifex res Ecclesiæ possit alienare.

### SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex tunc dicitur habere causam sufficientem alienandi res Ecclesiæ, quando qui eas tradidit, non præsumitur rationabiliter inuitus, sed casum excepisse.*

2 *Summus Pontifex in qualibet alienatione præsumitur habuisse iustam, & rationabilem causam alienandi, nisi constet euidenter oppositum.*

3 *In dubio quilibet præsumitur bonus, præsertim Princeps, & Princeps Ecclesiasticus vices Dei gerens.*

4 *Summus Pontifex alienans motu proprio, & ex certa scientia, præsumitur alienare in foro conscientiæ, etiam ex sufficienti causa, licet alienatio sit gratuita.*

5 *Summus Pontifex nunquam præsumitur velle derogare iuri alterius, nisi exprimat etiam in concessione cum clausula* motu proprio.

6 *Summus Pontifex alienans ad instantiam Partis, non semper præsumitur alienare ex sufficienti causa, & ideo ponitur in rescriptis, si preces veritati nitantur.*

7 *Impetrans præsumi potest decepisse Pontificem, cum qui pro se postulat, errare posse præsumatur.*

8 *Qui recipit ad instantiam, non ita facile potest ab obligatione restituendi excusari.*

9 *Qui recipit ob merita futura tenetur ad præstandum id, ob quod recepit, quia modus sub quo dispositio fit, obligat ex iustitia ad modum seruandum.*

10 *Modum, quem Pontifex tacitè apposuisse præsumitur in alienatione ob causam futuram facta, censetur Ecclesiæ defensio, pauperum auxilium, templorum restauratio.*

11 *Summus Pontifex potest ex iusta causa reuocare alienationes, & donationes, tam ab ipsomet, quàm ab antecessoribus factas.*

12 *Princeps sæcularis Pontifice inferior, & ei subditus ex iusta causa potest contractus factos, vel faciendos irritare.*

13 *Summus Pontifex si aduertat alienationes in detrimentum Ecclesiæ factas fuisse, & ex alia via Ecclesiæ satisfieri non posse, tenetur eas reuocare, & irritare.*

14 *Faciens aliquid in præiudicium tertij, tenetur curare quod damnum tertio illatum resarciatur; quin & si opus fuerit, tenetur officium iudicis implorare.*

15 *Recipiens ex alienatione, seu donatione Summi Pontificis, ea ab ipso reuocata, tenetur rem acceptam, vel id, in quo ditior factus est, si bona fide recepit, restituere.*

16 *Reuocata donatione cessat titulus rem retinendi, & præterea donatarius constituitur in mala fide.*

17 *Acceptum à debitore titulo gratuito, si creditoribus obligatum erat, accipiens tenetur restituere id, in quo ditior factus est, si intra annum à die scientia repetant creditores.*

18 *Summus Pontifex tenetur de iure naturali, & diuino stare contractui, secus est si adsit iusta causa resiliendi.*

19 *Summus Pontifex reuocans alienationem antecessoris non exercet iurisdictionem in Pontificem, sed in materiam sibi subiectam, sicuti confessarius commutando pœnitentiam impositam ab alio Confessario etiam superiori.*

REspondetur, censeri quando Dominus, qui eas tradidit, non præsumitur rationabiliter inuitus, sed casum excepisse, vt v. g. sic exigat communis necessitas, vel publica vtilitas, vel saltem aliqua conuenientia. Vide Sopranum apud Filliucium *tract.44.c.3. quæst.7.* 1

An autem in alienatione à Pontifice facta præsumatur semper adesse iusta, & rationabilis, seu sufficiens alienandi causa? 2

Respondetur, in foro conscientiæ præsumi semper adesse, nisi constet euidenter oppositum. Ratio est, quia in dubio non præsumitur delictum, nisi demonstretur, & in dubio quilibet præsumitur bonus, præsertim Princeps, & Princeps Ecclesiasticus vices Dei gerens. Ita Sotus *de iust. lib.7. q.4. art.7.* Suarez *de censur.disp.41.sect.3.* & Sanchez *de matrim.lib.8.disp.17. num.17.* 3

Dixi, *in foro conscientiæ*, quia in foro exteriori, quin etiam & in ipso foro conscientiæ sic distingui potest: vel Pontifex alienat motu proprio, & ex certa scientia, vel sine motu proprio, & non ex certa scientia, sed ad instantiam partis.

Si primum, præsumitur alienare ex sufficienti causa, etiamsi alienatio sit gratuita, & fiat in consanguineos; quia sicuti dicebam, non præsumitur delictum in facto, præsertim Principis, & talis Principis, cuius acta nulli terreno iudici subiiciuntur, & cui nullus dicere potest, cur ita facis, *cap. nemo, 9. quæst.3.* & *cap. Pastoralis, de offic.delegat.* & ex alio capite potest adesse iusta, & rationabilis causa alienandi in consanguineos, *cap.non satis, 86. dist.* Sic Redoanus *de spoliis, quæst.3. §.1. num.10.* & Sopranus apud Filliucium *tract.44.c.3. num.30.* qui subdunt, id locum habere etiamsi fiat in præiudicium tertij, sed minus rectè, nisi in casu, quo Pontifex id exprimat, vel saltem constet, id Pontifici notum fuisse. Ratio est, quia nunquam Pontifex præsumitur velle derogare iuri alterius, nisi exprimat, etiam in concessione cum clausula, *motu proprio*, vt communiter Doctores docent in tractatu de legibus. 4 5

Si secundum, non semper præsumitur Pontifex alienare ex sufficienti causa, quia in rescriptis ponitur, vel intelligitur clausula, *si preces veritati nitantur*: tum quia fieri potest, vt impetrans deceperit Pontificem, cùm qui pro se postulat, errare posse præsumatur, *l. rescripta, Cod. de prec. Imperator. offerend.* Quapropter in hoc posteriori casu, qui recepit, non ita facilè potest ab obligatione restituendi excusari, sicuti in priori, in quo faciliùs præsumi potest, quod Pontifex dederit ex sufficienti causa præsenti, vel saltem futura, seu in spe, cuiusmodi sunt futura merita, vt patet ex dictis. 6 7 8

Vbi aduerte, quod qui recepit ob merita futura, tenetur ad præstandum id, ob quod recepit; quia modus, sub quo dispositio fit, obligat ex iustitia ad modum seruandum: quamvis modo non seruato, illa si non est irrita ipso iure, saltem poterit in irritum reuocari. Qua de re Mol. *disp.208.* Ioan. Medina *Cod. de restit. quæst.24.* & Lessius *de iustit. & iure lib.2. cap.18. dub.16.& 17.* 9

Modus autem, quem Pontifex tacitè apposuisse præsumitur in alienatione ob causam futuram facta his censetur, vt scilicet Ecclesia defendatur, pauperes adiuuentur, templa resarciantur, & similia, quæ quisque facilè conicere potest ex circunstantiis, in quibus Pontifex positus alienauit, vel donauit. Sic Marian. Socinus *tom.2.consil.140.* & Sopran. *tr.44.c.3.quæsit.21.ad finem.* 10

His

11 His adde, quod sicut potest Pontifex ex iusta causa res Ecclesiæ alienare, vel donare, sic etiam ex iusta causa poterit alienationes, vel donationes, tam ab ipsomet, quàm ab antecessoribus factas reuocare, &
12 irritare. Ratio est, quia potest Princeps sæcularis Pontifice inferior, & ei subditus, ex iusta causa, scilicet ad exigentiam boni publici, contractus factos, vel faciendos irritare, vt patet ex iis, quæ dicebam *lib. de Parlamentis, dub.4. sect.3.4.26. & 27. & dub.7.* Ergo multò magis ex iusta causa boni publici Ecclesiæ id poterit efficere Pontifex, quinimò & tenetur, si scilicet aduertat, dictas alienationes in detrimentum Ec-
13 clesiæ factas fuisse, & alia via Ecclesiæ satisfieri non posse; quia qui aliquid in præiudicium tertij facit, tenetur curare, quod damnum tertiò illatum resarciatur, quin & si opus fuerit, tenetur officium iudicis
14 implorare, & iudex ad huius instantiam ex officio agere, vt dictum damnum illatum resarciatur. Ergo multò magis tenebitur ex officio id efficere Pontifex, si alia via damnum Ecclesiæ, siue ab ipso, siue ab antecessoribus illatum reparari non poterit. Vide quæ dicebantur *lib.de Parlamentis, dub.27. sect.12. & seqq.*
15 Quod cùm fecerit Pontifex, statim qui recipit, restituere tenetur rem acceptam, vel id in quo ditior
16 factus est, si bona fide recepit. Ratio est, quia statim reuocata donatione, cessat titulus rem retinendi, &
17 præterea donatarius constituitur in mala fide. Confirmatur, quia si quis bona fide titulo gratuito aliquid accepit à debitore, quem ignorabat ob id fieri impotentem ad satisfaciendum creditoribus, tenetur restituere id, in quo ditior factus est, si intra annum à die scientiæ repetant creditores, *l. ignoti, C. de reuocandis iis, quæ in fraudem cred. torum, & l.1. ff. eodem.* Ergo multò magis in casu nostro.
18 Neque obstat, si dicas, quod Princeps, etiam Pontifex, teneatur de iure naturali, & diuino stare contractui, & ab illo non resilire. Respondetur enim id esse verum, si non adsit iusta causa, præsertim publica, seu in bonum publicum tendens, resiliendi. Sic dicebam *suprà cap.5.dub.1.sect.5.& dub.14 sect.12. & lib.de Parlamentis, dub.4.sect.3.4.26.& 27.* & *dub.27. sect.12. 13.& 14.*
19 Neque obstat secundò, si dicas, quod par in parem non habeat imperium, & sic quod vnus Pontifex non possit reuocare, quod alter concessit. Respondetur enim, quod Pontifex reuocando alienationes non exerceat actionem in Pontificem, sed in materiam sibi subiectam, sicuti Confessarius commutando pœnitentiam impositam ab alio Confessario, etiam superiori.

## DVBITATIO XXIX.

### An Summus Pontifex peccet contra iuramentum, si alienet bona Cameræ, & Sedis Apostolicæ?

### SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex alienans, vel infeudans Castra, Ciuitates, vel Domania illius, nisi prius iuramenti vinculum sibi relaxet, peccat contra iuramentum.*
2 *Vinculum iuramenti emissi in Cardinalatu adipiscendo non cessat Pontificatu consecuto, cum obligatio personalis personam ipsam sequatur.*
3 *Summus Pontifex obstringi potest vinculo iuramenti, cum tale vinculum sit de iure naturali, & diuino.*
4 *Summus Pontifex potest secum in iuramenti vinculo dispensare, vel saltem alteri secum dispensandi facultatem dare, modò habeat dispensandi iustam causam.*
5 *Summus Pontifex in lege naturali, vel diuina dispensare non potest sine iusta causa.*

RESpondetur affirmatiuè, si v.g. alienet, vel in- 1
feudet castra, ciuitates, vel dominia illius, nisi prius iuramenti vinculum sibi relaxet. Prior pars probatur, quia dum Cardinalis effectus fuit, iurauit se non alienaturum, nec huiusmodi bonorum alienationi consensurum: ergo. Consequentia probatur, quia vin- 2
culum iuramenti, Pontificatu consecuto, non cessat, cùm obligatio personalis personam ipsam sequatur: tum quia effectus Pontifex de hac re emittit nouum iuramentum, quod se emissurum effectus priùs Cardinalis iurauerat: ergo. Consequentia probatur, quia 3
perspicuum est, quod Summus Pontifex vinculo iuramenti obstringi possit, cùm tale vinculum sit de iure naturali, & diuino, cui Summus Pontifex subiicitur. Sic communiter Doctores, quos citat, & sequitur Leo *in thesauro for.1.p.cap.15.n.11.& 12.* & Sopranus apud Filliucium *tract.44. c.3. §.3.q.1. n.74.* Vide etiam quæ dicebantur *dub.4.*

Posterior pars patet, quia certum est, quod Sum- 4
mus Pontifex possit secum in iuramenti vinculo dispensare, vel saltem alteri secum dispensandi facultatem dare; quia si id potest in ordine ad alios, poterit id etiam in ordine ad seipsum, cùm non debeat esse peioris conditionis aliis. Sic dicebam *suprà c.15. dub.7. & lib.de Parlamentis, dub.4. sect.27.* per suas subsectiones, & ex communi docent Abb. *cap.1. de constit. n.2.* Felin. *ibid. n.33.* & Sopranus apud Filliucium *cit. §.3. q.2.n.75.*

Quod tamen intellige, modò Summus Pontifex iu- 5
stam, & rationabilem causam dispensandi habeat, quia nemo sine huiusmodi causa dispensare potest in lege superioris: & sic neque Summus Pontifex in lege naturali, vel diuina, cùm supremam potestatem, quam habet, à Christo acceperit ad ædificationem, & non ad destructionem, sicuti dicebam *in locis suprà cit.* & docent communiter Doctores *in tractatu de legibus.*

## DVBITATIO XXX.

### An Summus Pontifex contra iuramentum alienando bona Cameræ, & Sedis Apostolicæ, licet alienet illicitè, alienet etiam inualidè? Vbi traditur regula, quandonam actus contra iuramentum factus, sit validus, & quando non?

### SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex alienans cum causa contra iuramentum bona Cameræ, & Sedis Apostolicæ, licet alienet illicitè, non tamen alienat inualidè.*
2 *Actus, si pendeat à mera facultate agentis, tametsi agens contra iuramentum agendo periurus sit, & licitè agat, valet tamen quod agit.*
3 *Iuramentum non aufert potestatem ad agendum, quam ius naturale, & ciuile concedit, sed solùm facit vt homo sit periurus, si contra iuramentum agat.*
4 *Contrahens sponsalia iurata cum vna, validè contrahit matrimonium cum altera.*
5 *Iurans se Procuratorem non reuocaturum, validè*

*lidè tamen reuocat, & ille desinit esse eius Procurator.*

6 *Iurans, se votum non facturum inconsulto Confessario, validè tamen inconsulto illo votum facit.*

7 *Iurans se Petro & non alteri rem donaturum, validè tamen illam donat alteri, quia donator non obstante priore promissione iurata mansit Dominus rei.*

8 *Capitulum validè auget numerum Canonicorum, licet iurauerit statutum de non augendo numero.*

9 *Amplia id procedere etiamsi tale statutum fuerit à Papa confirmatum, quia Canonici possunt renunciare fauori suo, secus si in confirmatione adsit clausula irritans.*

10 *Iurans se testamentum non reuocaturum, si postea reuocet, periurus sit, sed validè reuocat.*

11 *Iuramentum confirmatorium promissionis ab altero acceptatæ producit actionem in externo foro, tam ciuili, quàm canonico.*

12 *Iuramentum confirmatorium promissionis acceptatæ, non solum inducit obligationem Religionis erga Deum, sed etiam firmat obligationem naturalem erga hominem.*

13 *Ex contractu puberis sine tutoris auctoritate inito, & ex pacto, seu promissione simplici, si iuramentum accesserit, etiam in foro ciuili actio conceditur, quæ alioquin non concederetur.*

14 *Iuramentum, quod est per se stans, solùm obligat ex virtute Religionis erga Deum, & nullam propriè actionem parit.*

15 *Actio est ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur.*

16 *Reuocans testamentum iuramento firmatum, validè reuocat, itaut prius testamentum reddatur irritum, etiamsi factum fuerit ad pias causas. Secus si in eo institutus sciuerit, & acceptauerit.*

17 *Testator promittens se daturum sua bona, vel partem illorum alicui, & talem promissionem iuramento confirmans, contrahit obligationem, quæ transit passiuè ad hæredes, sicut promissarius acquirit ius transmissibile activè ad suos hæredes, si sciens acceptet, secus non.*

18 *Promissarius, vel eius hæres implorare potest iudicis officium, vt iurantem se absente, & nesciente, cogat ad præstandum id, quod sub iuramento promisit.*

19 *Iuramentum appositum in testamento, de eo non reuocando, habet vim clausulæ derogatoriæ, & idem valet, ac si expressisset, si aliud testamentum postea fecerit, nolle derogatum esse priori.*

20 *Statutum prius iuramento confirmatum non tollitur per generalem derogationem statutorum, sed ad talem effectum requiritur specialis derogatio.*

21 *Testamentum, quod de iure positiuo non valet, non validatur iuramento emisso contra prius iuramentum de non agendo.*

22 *Iuramentum posterius contra prius iuramentum peruersum dicitur, & periurij criminis confirmatorium, & propterea ius ei non assistit.*

23 *Iuramentum, quod sine salutis præiudicio seruari potest, seruari debet.*

24 *Testamentum iuratum si factum fuerit ad pias causas sine sacrilegij crimine reuocari non potest.*

25 *Testamentum per se, & nudè consideratum de sui natura est reuocabile, secus dic de testamento iurato.*

26 *Donatio inter coniuges, & donatio mortis causa est reuocabilis per se considerata, tamen si iuramento confirmetur, non poterit sine peccato mortali reuocari.*

27 *Promissiones, & contractus, qui iure positiuo, vel naturali sunt irriti, iuramento ita confirmantur, vt omnino impleri debeant, si eorum impletio licita sit.*

28 *Amplia id procedere etiamsi prohibitum sit iuramentum opponi.*

29 *Inductus metu, vel fraude ad iurandum, debet petere relaxationem iuramenti.*

30 *Obligatio iuramenti ex virtute propria Religionis, omnino personalis est, & sic solum iurantem afficit, & ad hæredes, vel successores eius non transit.*

31 *Maior pars alicuius communitatis, vel Capituli si se iuramento obstrinxerit ad aliquid præstandum quibusdam non consentientibus, hi non obligantur ex vi iuramenti, & sub periurij pœna, sed ex vi legis, vel consuetudinis.*

32 *Iuramentum auctoris non obligat hæredes, & successores ex vi iuramenti, sed ex vi pacti, si tamen nulla turpitudo interuenerit ex parte exigentis, seu recipientis promissionem iuratam.*

33 *Princeps, Episcopus, vel Canonicus, si admittantur ad suum officium non præstito iuramento, non obligantur ex iuramento, sed ex vi pacti.*

34 *Hæres vassalli, cum inuestitur, nouum fidelitatis iuramentum præstare debet, quia alioquin ex suorum antecessorum homagio non obligaretur.*

35 *Obligatio iuramenti, quod non est confirmatorium promissionis ab altero non acceptatæ, non transit ad hæredes.*

36 *Hæres in se suscipit omnia onera, & obligationes reales secundum vires hæreditatis aditæ.*

37 *Obligatio iuramenti propriè promissorij, scilicet promissionis homini factæ, & acceptatæ, transit etiam ad hæredes, & successores eius, cui iuratum est.*

38 *Pactum, seu promissio alicui facta ad hæredes extenditur, licet id expressum non fuerit.*

39 *Vassallus qui iurauit Principi fidelitatem, tenetur etiam ex vi iuramenti eum seruare successori, licet non fuerit expressum, modo iuramentum præstitum fuerit Principi vt Principi, non vt priuatæ personæ.*

40 *Iuramentum præstitum ratione officij, vel dignitatis, licet transeat ad successores, renouatur tamen ad maiorem solennitatem, & cautelam.*

41 *Iuramentum ex parte iurantis est personale, respectu autem eius, cui iuratur, est reale.*

SVppono, quod alienet cum causa, quia si sine causa alienat, ex isto capite alienabit inualidè, iuxta probabiliorem Doctorum sententiam, quam tradebam *suprà dub.27.* Hoc supposito.

Respondetur negatiuè: probatur ex iis quæ dicebantur *suprà, sect.4.* Et confirmatur, quia est regula (quam ex communi tradunt Abb. *in cap. dilectio, de præbend. num.17.* & *in cap. intellecto de iureiur. num.8.* Silu. *verb. iuramentum, 4. quæst.12.* Suar. *de iuramento lib.2. cap.19. num.6.* Sanch. *lib.5. moral.cap.12.num.13.* Rebell. *part.2. de iust. lib.1. quæst.9. num.13.* & Azor. *tom.1. lib.11. cap.6. quæst.3.*) quod si actus pendeat à mera facultate agentis, tametsi agens contra iuramentum agendo periurus sit, & illicitè agat, valeat tamen quod agit. Et ratio est, quia non obstante iuramento promissorio, & sic obligatione personali contracta de non faciendo aliquid, nihilominus homo restat in libertate naturali priori, per quam possit facere, quod non facturum se iurauit, cùm iuramentum non auferat potestatem ad agendum, quam ius naturale, & ciuile concedit; sed solùm faciat, vt homo sit periurus, si contra iuramentum agat. Hinc, 1 2 3

Primò

4 Primò, licet quis contraxerit sponsalia iurata cum vna, validè tamen contrahit matrimonium cum altera, *cap. sicut, de sponsalibus.*

5 Secundò, licet iurauerit, procuratorem se non reuocaturum, reuocatio tamen procuratoris est valida, & tu desinis esse ipsius procurator, ex Gloss. communiter recepta *in cap. vlt. verb. Reuocatus, de procur. in 6.*

6 Tertiò, licet iurauerit se votum non facturum inconsulto Confessario, validè tamen inconsulto illo votum facit. Suarez *vbi supra, n.5.*

7 Quartò, licet iurauerit, se Petro, & non alteri rem donaturum, validè tamen illam donat alteri; quia donator, non obstante priore promissione iurata mansit Dominus rei. Couar. *in cap. quamvis pactum, p.1.§.4.n.5.* & Sanch. *lib.3.moral.cap.17.num.17.* secundùm doctrinam Gloss. *in l. quoties, verb. priori, Cod. de rei vendicat.*

8 Quintò, licet Capitulum statutum fecerit, & iuramento illud confirmarit, de non augendo numero Canonicorum, validè tamen posteà nouum Canonicum instituit. Gloss. *in cit. cap. dilecto,* Abb. *ibid.n.17.* Azor. *loco cit.q.2.* Sanch. *cit.c.12.n.35.* & Less. *de iust. & iur.c.19.dub.7.n.57.* contra Hostiensem, & alios *in dict.*

9 *cap. dilecto*, vbi subdit *verb. Clausula*, id esse verum, etiamsi tale statutum fuerit à Papa confirmatum; quia cùm illud confirmatum fuerit in fauorem Canonicorum, Canonici fauori suo renunciare possunt: quamvis secus, si Papa adiecerit, vt si quid contrà fieret, non valeat; quia tunc in vtilitatem Ecclesiæ id adiectum esse præsumi debet.

10 Sextò licet iurauerit, testamentum se non reuocaturum, & posteà reuocet, periurus quidem sit, sed tamen validè reuocat. Sic Doctores communiter, quos citat, & sequitur Couar. *rubr. de testam. part.2.num.52.* & Clar. *§.testam.q.94.*

Quamvis dissentiat Mol. *de iust. tom.1. tr.2. disp.150.* & 151.§. *contraria sententia*, ex eo, quia (vt inquit ipse) ex tali iuramento, quatenus in alterius vtilitatem factum est, ei, eiusque hæredibus, vel successoribus ius

11 acquisitum sit. Sed minus rectè, quia (licet id verum sit de iuramento confirmatorio promissionis ab altero acceptatæ: quapropter tunc actio in externo foro, tam ciuili, quàm Canonico conceditur, sicuti rectè adnotarunt Couar. *c.quamvis pactum, p.1.§...n.8.* & *p.2.*

12 §.4. *circa finem*, & Suar. *de iuram. lib.2.c.25.n.7.* & ratio est, quia iuramentum in tali casu, non tantum inducit obligationem religionis erga Deum, sed etiam firmat obligationem naturalem fidelitatis, & iustitiæ erga hominem, cum eam tam ius ciuile, quam ius Canonicum acceptet, & ad eius executionem, ob iuramenti

13 reuerentiam, sic iurantem compellat: vnde ex contractu puberis sine tutoris auctoritate inito, & ex pacto, seu promissione simplici, si iuramentum accesserit, etiam in foro ciuili actio conceditur, quæ alioquin non concederetur: quod idem multò magis de contractu, qui per seipsum ciuilem obligationem, & actionem inducit, qualis est v.g. emptionis, & venditionis contractus inter maiores natu initus, si iura-

14 mentum accesserit, dicendum est) nihilominus id verum non est de iuramento, quod est per se stans, ideoque solum obligans ex virtute religionis erga Deum; quia in tali casu nullam propriè actionē parit, vt si quis v.g. iurauerit, se Ecclesiam ædificaturum, hanc in vxorem ducturum, eleemosynam daturum, vel quid aliud facturum, nemine promissionem acceptante.

15 Ratio est, quia actio est ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur, §.1. *Instit. de action.* Sed in iuramento per se stante nulla est obligatio, seu debitum ex iustitia, sed solum ex Religione erga Deum: ergo, &c. Vide Suar. *cit. lib.2.cap.29. num.23.* Medinam *disp.149.* & 152. & Vasq. *in opusc. tract. de testam. c.3.n.34.*

Quapropter dicendum est, quod si quis reuocet te- 16
stamentum iuramento confirmatum, confecto alio, reuocatio sit valida, vt prius testamentum reddatur irritum, etiamsi factum illud fuerit ad pias causas: secus si is, in cuius fauorem testamentum illud fuit factum, sciuerit, & acceptarit; quia tunc, licet prius te-
stamentum etiam non habeat vim testamenti, sed se- 17
cundum; tamen ex ipso priori testamento, ratione promissionis iuratæ, & acceptatæ acquisitum est ius ad bona testatoris: quandoquidem si testator promitteret tibi se daturum sua bona, vel partem illorum, & talem promissionem iuramento confirmaret, acquireres ius ad illa in vtroque foro; quod ius transiret ad tuos hæredes, & ipse contraheret obligationem, quæ transiret ad ipsius hæredes: vnde hæredes defuncti tenerentur satisfacere huic obligationi ante impletionem testamenti, sicut aliis debitis in vita contractis, cùm succedant in omnia onera realia defuncti: ergo idem dicendum de testamento per iuramentum confirmato, si scilicet, vti dicebam, is in cuius fauorem testamentum illud factum fuit, sciuerit, & acceptauerit: secus si nesciuerit, vel non acceptauerit; quia tunc ex iuramento non orta est obligatio realis, quæ ad hæredes transeat, sed tantum personalis, quæ mansit in solo testatore, quandoquidem ex promissione non acceptata non oritur obligatio, & sic hæredes non tenebuntur ad quidquam.

Interim fateor in foro externo Ecclesiastico, etiam 18
taliter, id est, posteriori modo iurantem iudicis officio compelli posse ad seruandum iuramentum: quod iudicis officium is, in cuius vtilitatem iuratum est, & ipsius hæres, vel successor implorare potest, iuxta ea quæ mox *infrà* dicentur.

Fateor secundò, iuramentum appositum testamento 19
de non reuocando, habere vim clausulæ derogatoriæ, perinde ac si expressè testator dixisset, nolle se, si aliud testamentum posteà fecerit, priori derogatum esse, nisi specialiter, & expressè reuocet: qua de re Couar. *loco supra cit.n.60.* Mol. *disp.153.* & Glos. *in c.cùm non deceat, de elect. in 6.* docet, per generalem statutorum dero- 20
gationem non tolli prius statutum iuramento confirmatum, sed ad talem effectum requiri derogationem specialem.

Dixi in regula, *si actus*, scilicet contra prius testamen- 21
tum, *pendeat à mera facultate agentis*; quia si actus positiuo aliquo iure irritus sit, absque dubio non valebit, 22
etiamsi confirmatus fuerit accessione iuramenti editi contra prius iuramentum de non agendo: vt si v.g. mulier iurauerit, se non alienaturam bona dotalia, vel minor, se non contracturum sine curatoris auctoritate, & postea, non obstante tali iuramento, contrarium agant, etiam cum iuramento alio in oppositum, actus rescindi poterit, tanquam iure ciuili inefficax. Gloss. *in cap. licet, de iureiur. in 6.* Abb. *cit. cap. dilecto, n.8.* Silu. *cit. q.12.* Couar. *cit. cap. quamvis pactum, p.2. §.2.n.4.* Sanch. *cit.c.12.n.38.* & *c.17.n.19.* & *de matrim. lib.6.disp.13.n.2.* Azor. *cit. lib.11.c.6.q.3.* Rebell. *p.2. de iust. lib.1.q.9.* Less. *cit.c.17.dub.7.* & Mancinus *de iuram. part.4. effectu 1.q.5.*
*n.2.* Et ratio est, quia cùm iuramentum posterius per- 23
uersum sit, & periurij criminis confirmatorium, ius ei non assistit, vt velit iuramento tali actum alioquin irritum, confirmari.

Dixi secundò, *tametsi agens contra iuramentum agen-* 24
*do periurus sit, & sic illicitè agat*: quia licet multi Iuristæ (vt refert Couar. *rubr. de testam. p.2.n.48.*) in specie do- 25
ceant testamentum, non obstante iuramento, liberè sine vllo peccato reuocari posse, tamen absque dubio tenendum est oppositum. Ratio est, quia iuramentum, quod sine salutis præiudicio seruari potest, seruari de- 26
bet, *cap. quamvis pactum, de pactis in 6.* atqui hoc iuramentum tale est; quia non reuocare testamentum, & relinquere hæredem illum, quem quis priùs instituit,

res

res licita est, quæ sine salutis præiudicio fieri possit; quin fieri potest, vt sit quid melius, vt si testamentum factum fuerit ad piam causam: quapropter tunc saltem sine sacrilegij crimine testamentum reuocari
27 non poterit, quia est instar voti. Neque obstat, quod testamentum sit natura sua reuocabile; quia id intelligi debet de testamento per se, & nudè considerato, absque iuramento, sicut donatio inter coniuges, & donatio mortis causa est reuocabilis per se considerata; sed tamen, si iuramento confirmetur, non poterit sine peccato mortali reuocari: quinimmò promissiones, & contractus, qui iure positiuo, vel naturali sunt irriti; iuramento ita confirmantur, vt omninò impleri debeant, si eorum impletio licita sit, vt patet in promissione solutionis vsurarum, quæ
28 est irrita iure naturæ, & in alienatione fundi dotalis, quæ est irrita iure ciuili. Quæ etiam vera sunt, etsi prohibitum sit, iuramentum apponi, quia etsi tunc quis peccaret iurando, ex eo quod contra iustam prohibitionem ageret; tamen non peccaret iuramentum implendo, quia hoc non est prohibitum.

29 Id tamen verum est, quod si metu, vel fraude quis inductus fuerit ad iurandum, petere poterit dispensationem à iuramento, & tunc dispensatione obtenta, quod fecerat, reuocare, iuxta ea quæ dicebam *suprà cap.8. dubit.28. & lib. de Parlamentis, dubit. 4. sect.27. per suas subsectiones.*

Dixi tertiò, *quod valeat tamen, quod agit.* Pro cuius rei intelligentia, præterquam quod patet ex dictis.

30 Aduerte primò, quod obligatio iuramenti ex virtute propria religionis omninò personalis est, & sic solum iurantem afficit, & ad hæredem, vel successorem eius non transit. S. Thomas 2. 2. *quæst.98. art.2. ad 4.* Caiet. *ibid.* Sot. *lib.8. quæst.2. art.2. ad 4.* Abb. *in cap. veritatis, de iureiur. num.13.* Gutierrez *in Authe t. Sacramenta puberum, Cod. si aduersus venditionem, n.40.* Sylu. *verb. iuramentum, 4. quæst.3.* Molin. *disput.150.* & Sanchez *lib.3. moral. cap.13.* Quapropter

31 Primò, si pars maior alicuius Communitatis, vel Capituli iuramento se obstrinxerit ad aliquid præstandum, quibusdam non consentientibus, vel contradicentibus, hi non obligantur ex vi iuramenti, & sub periurij pœna, sed interdum ex vi pacti, legis, vel consuetudinis; eo quod minor pars Communitatis, vel Capituli, maioris partis conclusionem sequi debeat.

32 Secundò, si quis pro se, suisque hæredibus, vel successoribus iurauerit, hæredes, vel successores non obligantur ex vi iuramenti, sed solum ex vi pacti, si tamen nulla turpitudo interuenerit ex parte exigentis, seu recipientis promissionem iuratam.

33 Tertiò, si Princeps, Episcopus, vel Canonicus, &c. admittatur ad suum officium, non præstito iuramento, ad seruanda iuramenta, quæ ipsius antecessores fecerunt, non obligatur ex vi religionis virtutis, licet aliquando obligetur ex vi statuti, vel pacti.

34 Quartò hæres vassalli, cùm inuestitur, nouum fidelitatis iuramentum præstare debet; quia alioquin ex suorum antecessorum homagio non obligaretur. Sic Doctores communiter *in cit. cap. veritatis,* & Sylueſter *verb. Iuramentum 4. quæst.3.*

35 Aduerte secundò, si iuramentum non sit confirmatorium promissionis ab altero acceptatæ, sed solum per se stans, eius obligatio ad hæredem, vel successorem non transit; quia huiusmodi iuramentum continet solùm vnam simplicem religionis obligationem, quæ ex dictis omninò personalis est, & sic solum iurantem afficit, & ad hæredem, vel successorem non transit; atque adeò ad illud præstandum hæres, vel successor non obstringitur, cum talis iuramenti obligatio cum auctore suo extinguatur. Exempla (præter ea, quæ supra in duobus locis adducebam) sint, si quis sine vlla promissione homini facta, nudè, & simpliciter iurauerit, se vsuras soluturum, vel solutas non repeti-turum, pecuniam latroni daturum, Ecclesiam ædificaturum, puellæ dotem daturum, & similia. Secus si defunctus promissionem homini factam, & acceptatam, vel promissionem, seu votum Deo factum iuramento firmauerit; quia tunc est duplex obligatio, vna religionis, & altera iustitiæ; ex quibus licet extinguatur morte illius prior, non tamen extinguitur posterior, sed transit ad hæredem, cùm hæres omnia 36
onera, & obligationes reales secundùm vires hæreditatis aditæ in se suscipiat. Couar. *c. quamvis, part.1. §.2. num.8.* Sanchez *lib.3. moral. cap.13. num.3. & 5.* Gutierrez *in Authent. Sacramenta puberum, Cod. si aduersus venditionem, num.15.* & Suar. *de iuram. lib.2. cap.25. num.8. & 9.* & *cap.31. num.13.*

Quamvis probabiliter, vti suprà dicebam, si iuramentum per se stans in alicuius gratiam factum sit sine turpitudine recipientis, hæres iurantis conueniri possit, non quidem actione directa contra eum instituta, sed implorato Ecclesiastici Iudicis officio, vt compellat hæredem tali iuramento reali satisfacere, ad exonerandam scilicet defuncti conscientiam, *argum. cap. a nobis, in fin. de sent. excommun.* vbi id docet Glos. *verb. hæredes,* & Abb. *ibid.* quatenus ait, quod licet iuramentum non transeat ad hæredes, seruare tamen tenentur, ne lædant animam defuncti.

Aduerte tertiò, quod obligatio iuramenti propriè 37
promissorij, scilicet promissionis homini factæ, & acceptatæ, de qua suprà dicebam, transit etiam ad hæredes, vel successores eius, cui iuratum est. Doctores communiter *in cap. verita is, de iureiur.* Abb. *ibid. n.3.* Sylu. *verb. Iuramentum 4. quæst.3.* Angelus *eodem verb.5. num.40.* Couar. *cap. quamvis pactum, part.1. §.7. num.7.* & alij passim. Sumitur *ex l. pactum, ff. de probation.* vbi dicitur, quod pactum, seu promissio tibi facta, ad hæ 38
redem quoque extendantur, quamvis id expressum non fuerit; quia plerumque tam hæredibus nostris, quàm nobismetipsis cauemus; & iuramentum ex alio capite suscipit naturam, & conditiones promissionis, cui apponitur. Ergo, &c. Sumitur etiam ex *cit. cap. veritatis,* vbi habetur, quod vassallus, qui iurauit Principi, vel 39
Prælato fidelitatem, aut obedientiam, eandem etiam sine nouo iuramento teneatur præstare eius successoribus, quamvis de his expressa mentio facta non fuerit, sicuti contra glossam ibidem docet Abb. *num.2.* & alij passim, quod tamen intelligendum est, si iuramentum præstitum sit Principi, vel Prælato, vt Princeps, vel Prælatus est, seu ratione officij, vel dignitatis, vt si dicatur: Promitto & iuro obedientiam Regi, vel Episcopo, &c. quamvis id non tam ex verbis, quibus persona, vel officium, seu dignitas eius nominata est, sed potius ex materia subiecta cognosci debet, num quod promissum est, promissum sit alicui, vt personæ priuatæ, an ratione officij vel dignitatis, sicuti docet Sanchez *de matrim. lib.8. disput.27. n. m.3. & lib.3. moral. cap.13. num.8.* Inter 40
dum autem, non obstante, quod iuramentum alicui præstitum sit ratione officij, vel dignitatis, & consequenter eo mortuo, vel deposito ad eiusdem successores transeat, præcipitur iuramenti renouatio ad maiorem solennitatem, & cautelam, *c. longinquitate, 12. quæst.2.*

Atque ex his intelligitur illud commune dictum 41
Doctorum, quod iuramentum ex parte iurantis sit personale, sed respectu eius, cui iuratur, sit reale, id est, transitorium cum re, nempe dignitate, vel hæreditate, sicuti explicant Abbas *in cit. c. veritatis, num.3.* & Covar. *in cap. quamvis, part.1. §.5. num.7.*

## DVBITATIO XXXI.

Quamnam censuram incurrat Commissarius, seu delegatus à Sede Apostolica, si facultatem concedat alienandi in detrimentum Ecclesiæ?

### SVMMARIVM.

1 *Commissarius, seu Delegatus à Sede Apostolica ad examinandas causas à supplicantibus expressas, si sit inferior Episcopo, incurrit excommunicationem: si verò sit Episcopus, suspensionem per annum, non tamen reseruatas Summo Pontifici, si consensum quandocumque præstiterit alienandi in detrimentum Ecclesiæ.*

2 *Commissarius, seu Delegatus prædictus incurrit dictam excommunicationem, seu suspensionem, etiamsi gratis, vel per metum, vel per præuiam pecuniam, & promissionem præstiterit consensum, decretum, vel auctoritatem.*

3 *Delegatus non incurrit dictas censuras si consensum, decretum, vel auctoritatem præstiterit alienationi, quæ non sit in detrimentum Ecclesiæ, sed æqualis conditionis, etiamsi faciat contra concessionem Pontificis obtentam sub conditione euidentis vtilitatis.*

4 *Delegatus, si præstito consensu, vel interposito decreto, alienatio non sequatur, nullam incurrit censuram, etiamsi secuta alienatione eam incurrisset.*

1 REspondetur, quod ex Bulla secunda Pauli II. quæ incipit: *Cùm omnibus iudicibus* (vbi præcipitur iudicibus delegatis, seu Commissariis deputatis ad examinandas causas à supplicantibus expressas, vt causas eas, propter quas Summus Pontifex adductus est ad concedendam in suis literis alienandi facultatem, discutiant) incurrat excommunicationem (quamvis non reseruatam Summo Pontifici) modò sit inferior Episcopo; Episcopus verò, vel superior Episcopo incurrat suspensionem (similiter non reseruatam Summo Pontifici) per annum ab executione officij, si consensum, decretum, vel auctoritatem alienandi bona Ecclesiæ præstiterit quomodocumque in detrimentum Ecclesiæ. Sic expresè habetur in cit. Bulla secunda Pauli II.

2 Hinc sequitur, quod prædictam excommunicationem, vel suspensionem incurrat dictus delegatus, etiamsi consensum, decretum, vel auctoritatem præstiterit gratis, vel per metum, vel per præuiam pecuniam, aut promissionem; quia in cit. Bulla dicitur: *Si quis autem Commissarius, vel delegatus conscientiæ suæ prodigus in grauamen, aut detrimentum Ecclesiæ per gratiam, aut timorem, aut sordes alienationi consenserit, aut decretum, aut auctoritatem interposuerit, inferior quidem Episcopo sententiam excommunicationis incurrat: Episcopus verò, vel superior ab executione officij per annum nouerit se esse suspensum.*

3 Sequitur secundò, quod è contra prædictam excommunicationem, vel suspensionem incurrat delegatus, si consensum, decretum, vel auctoritatem præstiterit alienationi, quæ non sit in detrimentum Ecclesiæ, sed æqualis conditionis, etiamsi faciat contra concessionem Pontificis obtentam sub conditione euidentis vtilitatis Ecclesiæ; quia odia, & pœnæ, qualis est censura, non sunt ampliandæ, sed potius restringendæ. Atque ita docent Suar. *de censur. disp. 22. sect. 6. num. 4.* & Alterius *tom. 2. disp. 16. cap. 2. col. 4.*

Cæterùm, an delegatus dictam excommunicationem, vel suspensionem incurrat statim post consensum, vel decretum alienationis præstitum, etiamsi alienatio non sequatur?

Respondetur ex probabiliori sententia Doctorum negatiuè; quia censura, vtpotè odiosa, non incurritur, nisi fuerit principalis actus completus, & consummatus; præsertim, quia censura in casu nostro imponitur ob consensum, vel decretum, ex quo Ecclesia detrimentum patiatur; at nisi sequatur alienatio, detrimentum non patitur: tum quia imponitur ob consensum, vel decretum alienationi præstitum; quamdiu autem non sequitur alienationis contractus, non dicitur alienatio, quia actus futurus non est actus, nisi in potentia; in materia autem pœnali non est facienda extensio à potentia ad actum. Ergo, &c. Vide quæ dicebantur *suprà dub. 1.* vbi subdebam, quod ex probabiliori, neque incurratur excommunicatio, licet sequatur alienatio, nisi etiam simul cum alienatione sequatur rei alienatæ pacifica traditio. 4

## DVBITATIO XXXII.

Quamnam censuram incurrat, qui procurat alienationem, vel alienationis decretum à Commissario, seu delegato Sedis Apostolicæ in detrimentum Ecclesiæ?

### SVMMARIVM.

1 *Procurans alienationem, vel alienationis decretum dolosè, vel scienter in detrimentum Ecclesiæ, incurrit excommunicationem Summo Pontifici reseruatam.*

2 *Procurans alienationem modo supradicto, à nemine potest absolui à dicta censura Summo Pontifice inferiori.*

3 *Procurans alienationem modo supradicto, si nesciat alienationem esse in detrimentum Ecclesiæ, excommunicationem non incurrit.*

4 *Subiectum dictæ excommunicationis est quicumque alienationem fieri procurauerit, vel alienationis decretum extorserit.*

5 *Differentia quæ etiam intercedit inter excommunicationem latam contra delegatum præstantem decretum in detrimentum Ecclesiæ, & procurantes dictum legatum, hæc est. Quod illa non afficit nisi Ecclesiasticos; ista verò, & Ecclesiasticos, & laicos, qui modo supradicto procurauerint.*

6 *Ista tamen excommunicatio non incurritur, nisi secuta alienatione.*

1 REspondetur, quod incurrat excommunicationem, & illam Summo Pontifici reseruatam, si dolosè, vel scienter procuret, vel per sordes, aut per impressionem extorqueat alienationem, vel alienationis decretum à commissario, seu delegato Sedis Apostolicæ in detrimentum Ecclesiæ. Sic habetur expresè in dicta Bulla secunda Pauli II.

2 Dixi, *& illam Summo Pontifici reseruatam*, quia ibi dicitur: *A qua nisi per Romanum Pontificem possit absolui.* Quapropter est differentia inter hanc excommunicationem, & præcedentem; cùm de illius reseruatione nulla mentio fiat in Bulla, consequenter quilibet Confessarius ab Ordinario approbatus iure communi potest ab illa absoluere, non sic ab ista, *cap. nuper, de sent. excommun.*

Dixi

3 Dixi secundò, *si dolosè, vel scienter procuret*, quia ibidem dicitur: *Is verò, qui dolo, fraude, aut scienter in detrimentum Ecclesiæ alienationem fieri procurauerit.* Quapropter qui nescit, alienationem esse in detrimentum Ecclesiæ, excommunicationem dictam non incurrit.

Dixi tertiò, *per sordes* (id est, per iniquas donationes) *aut per impressionem* (id est, per importunam persuasionem, vel deprecationem, vel similem inductionem) *extorqueat*; quia ibidem dicitur: *Aut qui per sordes, vel impressionem alienationis decretum extorserit.*

4 Hinc sequitur, quod subiectum istius excommunicationis sit generaliter quicumque alienationem fieri procurauerit, vel alienationis decretum extorserit; quia ibi dicitur cum hac loquendi formula: *Is verò*, quæ loquendi formula generalis est. Quapropter est
5 altera differentia inter excommunicationem præcedentem, & istam; quod præcedens afficit solùm Ecclesiasticos deputatos à Sede Apostolica; ista autem afficit omnes, siue sint clerici, siue Episcopi, siue etiam laici; vt patet ex ratione, quam mox suprà dicebam: quamvis non improbabiliter sentiat præter alios Filliucius *tract. 11. cap. 7. quæst. 4. ad finem*, quod afficiat solùm laicos.

6 Cæterùm, an ista excommunicatio incurratur etiam non secuta alienatione?

Respondetur ex probabiliori sententia Doctorum negatiuè, iuxta ea, quæ dicebantur suprà *dub. præcedenti*, in fine, & fauet exemplum excommunicationis latæ contra fœtus animati abortum procurantes, qui eam non contrahunt, nisi talis fœtus abortus secutus fuerit.

## DVBITATIO XXXIII.

Quamnam censuram incurrat, qui suadet Summo Pontifici, vt alienet, vel infeudet Ciuitates, & loca Cameræ, & Sedis Apostolicæ?

### SVMMARIVM.

1 *Tractans, consulens, vel alia ratione verba faciens de alienandis, aut infeudandis bonis immediatè pertinentibus ad Ecclesiam Romanam, & de quibusdam etiam aliis bonis, incurrit excommunicationem.*
2 *Dicta censura incurritur, etiamsi agatur de alienatione bonorum deuolutorum ad Sedem Apostolicam.*
3 *Item incurritur etiamsi huiusmodi bona in feudum aliàs dari solita erant.*
4 *Item etiam in remuneratione in genere.*
5 *Item etiam sub annuo canone, vel alia quavis ratione.*
6 *Item etiam intuitu meritorum erga Sedem Apostolicam.*
7 *Item etiam prætextu necessitatis, vel euidentis vtilitatis.*
8 *Item etiam si agatur de postulandis aliquibus, vt eis titulus Ducis, Vicarij, Gubernatoris, vel alterius gradus in dictis locis conferatur ad vitam, vel in perpetuum, vel ad longum tempus, vel etiam ad beneplacitum.*
9 *Eligens Oratores pro petenda alienatione prædicta, & ipsi Oratores petentes incidunt in dictam excommunicationem; secus si de hac re non agatur cum Pontifice.*
10 *Subiectum huius excommunicationis est generaliter quicumque vnam ex dictis actionibus præstiterit, siue laicus, siue Ecclesiasticus cuiuscumque dignitatis etiam Episcopalis, vel Cardinalitiæ, etiamsi per alium id præstiterit priuatè, vel publicè.*
11 *Communitates etiam, & vniuersitates tractantes, & consulentes, vel alia ratione verba facientes, vel etiam insinuantes, vel oratores mittentes incurrunt in dictas censuras, non quidem vt omnes, sed vt particulares.*
12 *Excipe si quis vnam ex dictis actionibus præstiterit in ordine ad alienationem, vel infeudationem bonorum fisco addictorum propter delicta, quia dicta bona non comprehenduntur in Bulla Pij V. & aliorum.*
13 *Neque etiam comprehenduntur per triennium loca, quæ Camera Apostolica emit à Baronibus, quia excipiuntur per triennium à Clemente VIII.*
14 *Excipe etiam si vna ex prædictis actionibus facta fuerit de licentia Summi Pontificis explicitè, siue etiam implicitè.*

RESpondetur, quod ex Bulla Pij V. 35. quæ incipit: *Admonet nos*, & ex Bulla Vrbani VIII. quæ incipit: *Sacrosancti*, incurrat excommunicationem, si tractet, consulat, aut alia ratione verba faciat de alienandis, aut infeudandis bonis immediatè pertinentibus ad Ecclesiam Romanam, & de quibusdam etiam aliis bonis; aut insinuet (id est mentem suam declaret) aut quovis prætextu suadeat, siue per se, siue per alium summo Pontifici, dicta Ecclesiæ bona alienari, vel infeudari; dummodo hac de causa eligantur Oratores, qui mittantur ad Sedem Apostolicam. Sic habetur expresè *in cit.* Bulla Pij V. & citata Bulla Vrbani VIII. quæ posterior confirmat illam priorem. 1

Dixi, *si tractet, consulat, aut alia ratione verba faciat*; quia ibi dicitur: *Tractantes, consulentes, aut alia ratione verba facientes.*

Dixi secundò, *de alienandis, aut infeudandis bonis*, &c. quia ibidem dicitur: *De infeudationibus, aut alienationibus, de ciuitatibus, & locis prædictis immediatè ad nos, & Sedem Apostolicam pertinentibus.*

Dixi tertiò, *& de quibusdam etiam aliis bonis, quia ibidem subditur*: Etiamsi agatur de alienatione bonorum deuolutorum ad Sedem Apostolicam. Item se- 2
cundò etiamsi huiusmodi bona in feudum aliàs dari 3
solita erant. Item tertiò, etiam ex remuneratione in 4
genere. Item quartò, etiam sub annuo canone, vel alia quavis ratione. Item quintò, etiam intuitu meritorum erga Sedem Apostolicam. Item sextò, etiam 5 6
prætextu necessitatis, vel euidentis vtilitatis. Item sep- 7
timò, etiamsi agatur de postulandis aliquibus, vt eis 8
titulus ducis, Vicarij, Gubernatoris, vel alterius gradus in dictis locis conferatur ad vitam, vel in perpetuum, vel ad longum tempus, vel etiam ad beneplacitum. Vide ibi.

Dixi quartò, dummodo hac de causa eligantur Oratores, qui mittantur ad Sedem Apostolicam, quia ibi- 9
dem dicitur: *Ac propterea de eligendis oratoribus ad nos, & successores nostros super præmissis, vel illorum occasione mittendis proponentes.* Quapropter eidem excommunicationi subiicitur actio, qua quis recipit munus huiusmodi Oratoris, vt ex textu eiusdem Bullæ patet.

Quæ tamen omnia ex probabiliori sententia Doctorum intellige, si posteà de hac re agatur cum Pontifice; secus si nihil agatur cum illo, quia in materia pœnali facienda est strictè interpretatio, & verba intelligenda sunt cum effectu secuto.

Ex dictis sequitur, quod subiectum istius excommunicationis sit generaliter quicumque vnam ex dictis 10
actionibus præstiterit, siue laicus, siue Ecclesiasticus,

cuiuscumque dignitatis, etiam Episcopalis, vel Cardinalitiæ, & etiam si præstiterit per se, vel per alium,
11 priuatim, vel publicè. Quinimò in dicta Bulla exprimuntur etiam Communitates, & Vniuersitates; quia quamvis Communitas, & Vniuersitas vt sic excommunicari non possit, excommunicari tamen possunt particulares personæ Communitatis, & Vniuersitatis, tractantes, consulentes, vel alia ratione verba facientes, vel etiam insinuantes, vel ob id Oratorem ad Sedem Apostolicam mittendum proponentes. Vide Franciscum Leon. *in thesaur. fori, cap.* 15. *num.* 12. & Sopranum apud Filliucium *tract.* 44. *cap.* 3. §. 3. 4. & 5.

12 Excipe primò, si quis vnam ex dictis actionibus præstiterit in ordine ad alienationem, vel infeudationem bonorum fisco addictorum propter delicta; quia bona confiscata propter delicta non comprehenduntur amplius in Bulla Pij V. ex Constitutione Gregorij XIII. quæ incipit: *Tanta, tamque horrenda,* §. 13. *verb. declarantes*, & ex Constitutione Sixti V. quæ incipit:
13 *Hoc nostri Pontificatus*, §. 8. *vers. Duces, ad finem.* Quin neque etiam comprehenduntur per triennium loca, quæ Camera Apostolica emit à Baronibus; quia hæc per triennium excipiuntur à Clemente VIII. in Constitutione 42. quæ incipit: *Iustitiæ ratio*, §. 14. *vers. Ciuitates verò.*

14 Excipe secundò, si fecerit de licentia Summi Pontificis; quia eius est legem abrogare, cuius est illam condere, idque siue fecerit de licentia Summi Pontificis explicitè, siue etiam implicitè, vt si v.g. Summum Pontificem adiens de hac re alloquatur, & ab illo non repellatur, quia hoc ipso quod Summus Pontifex illum ad proponendum admittit, & non repellit, censetur cum illo dispensare, & facultatem tractandi concedere. Sic Sopranus apud Filliucium *tract.* 44. *c.* 3. §. 4. Secus si repulsus prosequatur, quia in tali casu, ne dicta excommunicatio inflicta reddatur frustratoria, videtur, quod ex tunc incurratur, nec aliud ad illam incurrendam requiratur.

Cæterùm an Summus Pontifex infeudans, aut alia ratione alienans bona Cameræ Apostolicæ, grauiter, & contra iuramentum peccet, patet ex iis, quæ *supra dub.* 27. & 29. dicebantur.

# CAPVT XVIII.

## *De bonis Ecclesiasticis non locandis.*

## DVBITATIO I.

### An, & quomodo violetur immunitas Ecclesiastica per locationem bonorum Ecclesiasticorum?

### SVMMARIVM.

1 *Immunitas Ecclesiastica violatur per locationem ad longum tempus.*
2 *Locatio ad longum tempus reputatur alienatio, eo quod per ipsam vtile dominium transferatur in conductorem.*
3 *Tempus longum spectato iure antiquo reputatur decennium, quia septennium pro modico tempore iudicatur.*
4 *Iure antiquo bona Ecclesia locari poterant per nouennium, etsi non vltra.*
5 *Locatio facta ad vitam locantis, vel conducentis inualida est, quia talis locatio ex natura sua durationi longi temporis subest.*
6 *Item inualida est locatio ad vitam, etiamsi verisimiliter putetur vita conductoris non duratura longo tempore, contra nonnullos.*
7 *Tempus longum inspecta Constitutione Pauli II. reputatur triennium, si res fructificet singulis annis, & sic sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, aliisque grauissimis pœnis prohibentur vltra triennium locari bona Ecclesiæ, vbi tamen est vsu recepta.*
8 *Auctor existimat vbique esse receptam, saltem quoad rem prohibitam, & pœnam intrinsecam annullationis contractus, si non quoad pœnas extrinsecas excommunicationis, & officiorum priuationis.*

RESPONDETVR violari, si quis modo, quo *supra cap.* 11. *dub.* 1. dicebam, bona 1
Ecclesiæ locet ad longum tempus, *Clement.* 1. *de rebus Eccles. non alien. &* 2
*cap. nulli, eodem tit.* Et ratio est, quia locatio ad longum tempus reputatur alienatio, eo quod per ipsam vtile dominium transferatur in conductorem, *ex l.* 1. §. *quod autem, ff. de superficieb.* ibi: *Et sine causa cognita ei, qui non ad modicum tempus conduxit superficiem, in rem actio competit.* Sic Couar. *lib. var. cap.* 16. *n.* 1. Mol. *de iust. tract.* 2. *disp.* 466. *vers. de aliis*, alter Mol. *de primogen. lib.* 1. *c.* 21. *n.* 18. Vasquez *in opusc. de redditib. cap.* 2. §. 2. *n.* 21. & 22.

Tempus autem longum hic, spectato iure anti- 3
quo, reputatur decennium; quia septennium pro modico tempore iudicatur, *cap. vlt. ne Prælati vices suas, & cit. Clement.* 1. *de rebus Eccles. non alien.* & tradunt Gloss. Imola, Ancharan. *in Clement. cit. verb. locationes*, Abbas *in cap. vestra, de locatione*, Decius *consil.* 142. *n.* 3. Less. *de iust. & iur. lib.* 2. *c.* 24. *dub.* 11. *n.* 68. Couar. Mol. & Vasquez *in locis supra cit.* qui propterea docent, quod 4
iure antiquo bona Ecclesiæ alienari poterant per nouennium, etsi non vltrà. Quapropter inualida est 5
locatio facta ad vitam locantis, vel conducentis; quia talis locatio ex natura sua durationi longi temporis subiicitur, *cit. Clement.* & docet Gloss. ibi, *verb. eius*, & ibidem Ancharanus, Imola, & Alex. *consil.* 119. *lib.* 3. & *consil.* 165. *lib.* 2. Couar. *n.* 3. Mol. *de primogen. n.* 29. & Vasquez *n.* 23.

An autem valida sit, si verisimiliter putetur longo tempore vita illius non duratura?

Respondetur (quamvis Couar. etsi dubitanter af- 6
firmet iuxta considerationem *l. hæreditatem, ff. ad legem falcidiam*) negatiuè; quia cùm semper contingere possit, vitam illius longo tempore duraturam esse, fit quod saltem sub dubio ad longum tempus extendatur, quod nullo modo licet: quia ponamus, vitam illius decennio durare, certum est, quod in tali casu locatio non valeat, aliàs valeret locatio facta ad longum tempus, contra textum *in cit. cap. nulli*, & *cit. Clement.* 1. *de rebus Eccles. non alien.* At quælibet locatio in casu posito periculum hoc haberet: ergo quælibet talis locatio non valet; quia à principio inualidari debet, cùm à principio totum illud tempus comprehendat. Vide Molinam, & Vasquez *in locis supra citat.*

Cæterùm attenta Extrauag. Pauli II. *Ambitiosa*, 7
longum tempus hic (si res fructificet singulis annis, vt *cit. cap.* 17. *dub.* 1. dicebam) reputatur triennium, quia expresè ibi sub excommunicatione ipso facto incurrenda, aliisque grauissimis pœnis prohibentur bona Ecclesiæ vltra triennium locari: quamvis multi Doctores (vt *cit. cap.* 17. *dub.* 22. dicebam) putent, dictam Extrauag. in multis locis non esse vsu receptam, præsertim quoad pœnas, censuras, & locationem vltra triennium

triennium : quapropter in opinione illorum attendenda consuetudo locorum erit. At quoniam probabilius puto, quod vbique sit recepta, saltem quoad rem 8
prohibitam, & pœnam intrinsecam annullationis contractus appositam, si non quoad pœnas extrinsecas excommunicationis ; & officiorum priuationis, vti rectè tradunt Mol. *de iust. tract.2. disp.466. post medium*, Guttier. *lib.1. can.qq. cap.8. num.9.* Salzed. *pract. cap.71. circa fin.* Tolet. *lib.5. c.91. vers.3.* Quaranta *verb. Alienatio*, *num.48.* Rebellius *de obligat. iustit. 2. part. lib.14. quæst.5.* Cened. *collect.32. num.1.* & Barbosa *de potest. Episcop. 3. part. alleg.95. num.49.* vbi pro hac sententia refert plures Rotæ Romanæ decisiones. Propterea sit

## DVBITATIO II.

An si quis bona Ecclesiæ locet ad sex, vel nouem annos, clausula adiecta, quod sint tot locationes, quot sunt triennia, ita vt transacto primo triennio, pro tunc rem de nouo locet, valida sit locatio vltra triennium, tanquam non pugnans cum Extrauagante *Ambitiosæ*.

### SVMMARIVM.

1 *Locatio facta in titulo, licet in sententia Baldi, & aliorum valida sit, attamen secus est in sententia Auctoris.*

2 *Pactum, quo concedens obligatur sequentem successorem aliis præferre, & rem in emphyteusim eidem concedere, est nullum ; quia nihil aliud est quàm perpetuare emphyteuses per machinationem.*

3 *Conuentio supradicta præsumitur in fraudem legis locationes vltra triennium prohibentis, & consequenter est nulla.*

4 *Excipe, nisi sit aliter vsu receptum, vt Mediolani, vbi bona Ecclesiæ consueuerunt locari ad nouennium triplici locationis contractu.*

5 *Dicta de locatione multiplici extende ad locationem factam ad triennium cum pacto de locatione renouanda, si tamen sit inclusum dictum pactum in publica scriptura ; secus si priuatim efficiatur.*

6 *Promissio priuata non censetur neque formalis, neque virtualis locatio.*

7 *Promissio etiam de renouando locationem post triennium in scriptura publica redacta in sententia nonnullorum non venit sub prohibitione Extrauagantis.*

8 *Pactum in scriptura publica inclusum in sententia istorum non est locatio, neque alienatio, sed solùm obligatio personalis locandi, vel alienandi.*

9 *Beneficiarius in istorum opinione poterit se obligatione personali obligare ad dandam commoditatem percipiendi fructus ad multos annos, vel sua vita durante cuicumque voluerit.*

10 *Beneficiarius poterit liberaliter cedere alteri fructus sui beneficij pro vita sua durante, si per huiusmodi concessionem non transferat ius aliquod ad bona beneficij.*

11 *Item beneficiarius potest gratis cedere distributiones obligatione solum personali, sine obligatione reali, per quam transferat aliquod ius in rem.*

1 REspondetur, quod quamvis Baldus *in cap.1. §. si libellario, quibus modis feudum amit. & in l. volun-*
*tas, Cod. de fideicommiss.* & alij multi apud Manticam *de ambiguis conuentionibus lib.5. tit.5. num.19.* & apud Scortiam *in loco infra citando*, affirment ex eo, quia in tali casu dantur plures locationes triennales, & nulla earum est prohibita ; negandum sit, illam valere vltra triennium, etsi valeat per triennium, quia per triennium non prohibetur. Atque ita contra Baldum ; & alios innominatos *supra* citatos tenent communiter Doctores, quos citat, & sequitur Couar. *lib.2. var. cap.16. num.4.* Azor. *2. part. lib.9. cap.2. quæst.3.* Rebell. *de obligat. iust. lib.1. quæst.6.* Rodriguez *qq. Regul. quæst.7. art.1.* Mol. *de iust. disp.466. ad fin.* Vasquez *de reddit. cap.3. §.2. num.25.* Tuschus *tom.5. conclus.466.* Carocius *de locato, 3. part. §. de rebus Eccles. locandis, con.lus.5.6. & 9.* Riccius *decis.117. & 121.* Less. *lib.2. cap.24. dub.11. num.68.* Scortia *theorem.117.* Sà *verb. Conductio, num.13.* Sopranus apud Filliucium *tract.44. cap.2. quæst.5.* Valascus *de iure emphyt. quæst.29. num.15.* Lezana *in summ. part.1. cap.10. num.4.* Barbosa *de potest. Episcop. 3. part. alleg.95. num.17.* & alij apud Genuensem *loc.cit. num.10. & 15.* asserentes, hoc in Rota haberi pro indubitato : & probatur ex textu *in authent. de non alienand. §. quod autem*, qui loquens de emphyteusi, 2
quæ ad vitam accipientis, & duas alias concedi poterat, dicit, nullum esse pactum, quo concedens obligatur sequentem successorem aliis præferre, & rem in emphyteusim eidem concedere ; quia hoc nihil aliud est (inquit textus) quàm per reuolutionem, & machinationem perpetuari eius emphyteuses ; quod in nostro casu à fortiori locum habet ; quia per illam machinationem multiplicatæ locationis res Ecclesiæ ad longum tempus locatur, quod in Extrauag. Ambitiosæ prohibetur, & ex alio capite parum interest Ecclesiæ, quæ solum intendit, rem suam vltra triennium non locari, quod vnica locatione, vel pluribus locationibus id fiat ; quod certè efficitur, licet diuersis locationibus efficiatur. Adde, quod talis conuentio præ- 3
sumitur in fraudem legis, locationem vltra triennium prohibentis, & consequenter debet esse nulla, sicut & nulla est omnis alia conuentio in fraudem legis facta. Excipe, nisi sit aliter vsu receptum, vt Mediolani, vbi 4
bona Ecclesiæ consueuerunt locari ad nouennium triplici locationis contractu. Vide Bonacinam *punct.2. num.24.* & quæ dicebantur *cap. præ ed. dub.4. & 22.*

Cæterùm, quod dixi de locatione multiplici, idem 5
dicas de locatione facta ad triennium, cum pacto in scriptura publica, etiam distincta incluso, de locatione transacto triennio renouanda ; quia tunc virtualiter vltra triennium res Ecclesiæ locatur ; & quod sit, in fraudem legis fieri videtur, etiamsi fiat duabus distinctis publicis scripturis : secus si tale pactum in scriptura publica non includatur, sed priuatim efficiatur ; quia priuata promissio non censetur, neque for- 6
malis, neque virtualis locatio ; & sic ex vi illius nullo pacto dicetis vltra triennium locare, sed solum priuatim te locaturum promittere. Sic Baldus *in l. vlt. ff. ad legem fidiciam.* Azor. *2. part. lib.7. cap.10. quæst.6. & lib.9. cap.2. quæst.3.* Scortia *in selectis constit. epit.43. theorem.115.*

Quamvis contrarium quoad priorem partem dicti 7
sentiant probabiliter Mol. *disp.366. & 466. num.5.* vbi citat alterum Molinam : Riccius *decis.71.* vbi citat Crauetam, & alios : Quaranta *num.18.* vbi citat Rebuffum : Guttier. *lib.2. canonic. cap.13.* & Sopranus apud Filliucium *tract.44. cap.2. §.1. quæst.8. & §.3. q.3. n.29. & c.4. q.2.* ex eo, quia pactum etiam in scriptura 8
publica inclusum de locando, non est locatio, neque alienatio, sed solum obligatio personalis locandi, vel alienandi, sicuti promissio matrimonij non est matrimonium.

Quapropter in istorum opinione poterit beneficia- 9

rius obligare se obligatione personali ad dandam commoditatem percipiendi fructus ad multos annos, vel sua vita durante, cuicumque voluerit; quia per huiusmodi obligationem rem Ecclesiæ non alienat, cùm nullum ius in eam conferat alteri, sed solum ad eius
10 fructus præstandos personaliter obligatur. Item secundò poterit beneficiarius liberaliter cedere alteri fructus sui beneficij pro vita sua durante, si per huiusmodi cessionem non transferat ius aliquod ad bona beneficij, sed solum obligetur personaliter ad dandum alteri,
11 quod ex suo beneficio perceperit. Item tertiò, poterit gratis cedere distributiones obligatione solum personali, sine obligatione reali, per quam transferatur aliquod ius in rem, vel ad rem, vt si scilicet se obliget solùm ad cedendum, seu tradendum alteri fructus, vel distributiones, quæ ad ipsum de iure spectant: in quo sensu intelligendi sunt Doctores, qui docent, distributiones posse alienari. Vide præter Doctores suprà citatos, etiam Nauarrum *de alienat. n.1.*

## DVBITATIO III.

An si quis, facta locatione pro triennio, ante illud finitum locationem renouet, valida sit contractus renouatio?

### SVMMARIVM.

1 *Renouans locationem factam pro triennio post secundum annum, validè facit, quia tunc non præsumitur ex fraude procedere.*

2 *Renouatio facta ante secundum annum cœptum, & cum eadem persona, licet pensio varietur, est inualida, quia tunc præsumitur fraus, & verum est dicere rem Ecclesiæ vni esse locatam ad quinquennium.*

3 *Pensionis variatio non tollit integrè fraudis præsumptionem.*

1 REspondetur distinguendo: si renouet post secundum annum, valida est contractus renouatio; quia tunc is non præsumitur ex fraude procedere, neque primum contractum continuare, sed nouum inire,
2 & rem de nouo locare: censetur enim antiquus finitus, cùm parum pro nihilo reputetur. At si renouet ante cœptum secundum annum, & cum eadem persona, inualida est, tametsi pensio varietur; quia tunc præsumitur fraus, & quia tunc verum est dicere, rem Ecclesiæ vni esse locatam ad quinquennium, contra textum in Extrauaganti *Ambitiosæ.* Sic Molina *cit. disp.466. circa finem*, & consentit Valascus *de emphyt. q.29.n.15.* in casu, quo non varietur pensio; quamvis secus si varietur, sed minus rectè, quia pensionis variatio non tollit integrè fraudis præsumptionem,
3 neque impedit, quò minus dicatur, rem vltrà triennium eidem esse locatam.

## DVBITATIO IV.

An quis Ecclesiæ rem, quæ binis, vel ternis annis solet fructificare, validè vltra triennium locet?

### SVMMARIVM.

1 *Valida est locatio de re, quæ binis, vel ternis annis solet fructificare, itavt si fructificet annis alternis, possit illam locare per sexennium, si annis ternis per nouennium, & sic deinceps.*

2 *Trina fructuum collectio est quæ conductorem inuitare potest ad rem Ecclesiasticam conducendam.*

3 *Emphyteuta non cadit in commissum, si triennio non soluit pensionem annexam rei, quæ tantum triennio, vel biennio fructificat.*

4 *Singula triennia æquiualent singulis annis in casu, quo res fructificat ternis annis.*

REspondetur affirmatiuè, itavt si fructificet annis alternis, possit illam locare per sexennium; si fructificet annis ternis, possit locare per nouennium, & sic deinceps, &c. Ita dicebam *cap. præcedenti, dub.1.* & tradit ex communi Barbatia *in rubr. de rebus Eccles. non alien. n.52.* Less. *lib.2.cap.24.dub.11. n.69.* Scortia *theor.115.* Nauar. *in comment. de alien. rer. Eccles. n.21.& 22.* Azor. *2.part. lib.8. §. de locato, cap.2.* Sà *verb. conductio, n.14.* Sopranus ad Filliucium *tr.44. cap.1.q.3.* Guttier. *lib.1.can.cap.8.num.12.* Couar. *2.var. cap.16.n.9.* Quaranta *verb. alienatio rerum Eccles.n.18.* Vasquez *in opusc. de redditib. cap.2. §.2. dub.6. num.30.* Rebell. *de obligat. iust. lib.1. q.5.* Riccius *decis.115.* & Barbos. *de potest. Episc.op.3.p. alleg.65. num.4.* Et probatur, quia Pontifex in dicta constitutione non tam vi- 2
detur intendisse triennium temporis, quàm triennium fructuum, cùm trina fructuum collectio sit, quæ conductorem inuitare potest ad rem Ecclesiasticam conducendam, vt sic sterilitas vnius anni (si fortè contingat) aliorum annorum vbertate compensetur, aliàs paucos conductores res Ecclesiæ inuenire possent. Confirmatur, quia emphyteuta non cadit in commis- 3
sum, si triennio non soluit pensionem annexam rei, quæ tantùm triennio, vel biennio fructificat, teste Baldo *l.ead.Cod.locati*, Alexandr. *in l.diuortio, §.1.ff.soluto matrim.* Iason. *ibid.& l.2.C.de iur.emphyt.* & Couar. & Azor. *locis suprà cit.* Confirmatur secundò, quia in 4
casu, quo res fructificat alternis, vel ternis annis, meritò singula biennia, vel triennia æquiualent singulis annis.

## DVBITATIO V.

An si quis Ecclesiæ rem, quæ singulis annis fructificat, vltra triennium locet, valida sit locatio, saltem circa triennium, & an sit inualida qua parte excedit triennium?

---

## SECTIO I.

### Dubitationis Resolutio.

### SVMMARIVM.

1 *Locatio modo supradicto est inualida, etiam citra triennium, & simpliciter, & in totum vitiatur, nisi fortè contrahentes tacitè consentirent in triennium; tacitè enim esset duplex contractus, quia consentirent in sexennium.*

2 *Verbum (cadat) intelligendum est quod cadat à iure quod obtinere poterat, quia si nullus esset contractus, etiam pro tempore à lege permissus, non diceretur, ab eo cadat.*

3 *Dictio illa (omnino) indistinctè prolata, omnes annos videtur comprehendere.*

4 *Per*

4 *Per alienationem vltra formam præscriptam factam recipienti ius aliquod non acquiritur.*

5 *Negatiua, quoties adiungitur cum dictione (aliquod) etiam in qualibet minima parte verificatur.*

6 *Contractus cum pendet à voluntate duorum, si non valet, vt fit, neque valet, vt fieri poterat.*

7 *Electio Consiliarij ad triennium facta, neque valet ad annum, si statutum sit quod vltra annum fieri non possit.*

8 *Leges generaliter loquentes non censentur improbare quod aliis legibus est permissum.*

9 *Textus dicentes nullam esse locationem, intelligi debent non de triennali, quæ permissa est à lege, sed respectu temporis è lege reprobati.*

10 *Clementina 1. de non alienando loquitur non de locatione, sed de vera alienatione, quæ in totum est nulla.*

11 *Verbum illud (cadat) relatum* ex authent. de non alien. *significat emphyteutam cadere ab emphyteusi tempore vtili possessa.*

12 *Nemo dicitur cadere ab eo, quod non habet, nec potest habere.*

13 *Doctrina Bartoli citata intelligi debet quod locatio illa valeat de facto, quoad tempus à lege permissum; secus quoad tempus à lege reprobatum.*

1 REspondetur inualidam esse, etiam citra triennium, & sic simpliciter, & in totum vitiari, nisi tamen contrahentes tacitè consentirent in triennium, ita vt tacitè sit duplex contractus, nempe consentirent in sexennium verbi gratia, etsi hic contractus non valeret triennium. Sic docent Bartol. *in Authent. qui rem, de sacrosanctis Eccles. num.7.* Ias. *ibid. num.21.* Bartholomæus Socinus, Abbas, Felinus, Cardinalis, & alij, quos sequitur Couar. *2. var. cap.16. num.5.* Azor. *2. part. lib.7. cap.10. q.4.* & *lib.9. cap.2. quæst.4.* Mantica *de tacit. & ambig. conuent. tom. 1. lib.5. tit.5. in princip.* Valascus *de iure emphyt. quæst.29. num.15.* Gratian. *discept. forens. cap.162. num.22.* Vasquez *in opusc. de redditibus, cap.2. §.2. num.28. & 29.* Sopranus apud Filliucium *tract.44. cap.2. quæst.5.* Genuensis *in praxi, cap.60.* Bonacina *disput.3. de contractibus feud. quæst.8. punct.4. num.32.* Cald. Pereira *de resol. emphyt. cap.2. num.30.* Riccius *de. is.117. & 121.* Carocius *de locato 3. part. §. de rebus Eccles. locandis, concl.5.6. & 9.* Less. *de iust. & iur. lib.2. cap.24. dub.11. num.68.* Scortia *theorem.117.* Sà *verb. Conductio, num.13.* & decreuit Rota, sicut refert Farinacius *tom.1. part.1. decis.36.* contra Baldum *in Authent. si quas ruinas, Cod. de sacros. Eccles.* Paulum de Castro *in Authent. qui rem, Cod. de sacros. Eccles.* Imolam *in cap. ex parte, de feudis*: Alexandrum *consil.38. lib.2.* Decium *in cit. authent. qui rem,* Tiraquellum *lib.2. de retract. p.vlt. num.144.* Molinam *de iust. tract.2. disp. 467.* alterum Molinam *de primog. lib.1. cap.21. num.28.* Tuschum *verb. locatio, concl.406. in princ.* Rebellum *de obligat. iust. 2. part. lib.14. quæst.6.* Gamma *decis.390. num.3.* Quaranta *n.18.* Barbosam *de potest. Episc. 3. part. allegat. 95. n.15.* & alios innominatos apud Manticam *loco supra cit. n.19.* apud Scortiam *cit. theorem.117.*

Probatur non ex eo (vt probant aliqui) quia *in authent. de non alien. §. emphyteusim*, prohibetur dari emphyteusim vltra tres vitas, & subditur: *Aliter dari nullo modo permittimus, neque sic habere aliquod robur sinimus.* Et *in §. si verò in perpetuum*, dicitur: *Si verò in perpetuum quispiam emphyteusim accipere præsumpserit, quod non licet, temporalem quidem, non tamen secundùm huius nostræ legis obseruationem, etiam cadat quidem de emphyteusi, & quod datum est, maneat apud Ecclesiam.*

2 Quapropter si dicitur, *cadat*, intelligendum esse videtur, quod cadat à iure, quod verè obtinere poterat; quia si nullus esset contractus, etiam pro tempore à lege permissus, non diceretur, *ab illo cadat.* Item neque ex eo, quod in Extrauag. *Ambitiosæ*, dicitur, quod si locatio, vel alienatio fiat aliter, ac ibi præscribitur, nullius omninò sit roboris, ac momenti, & ex alio capite, dictio illa, *omninò*, indistinctè prolata, omnes annos videatur comprehendere. Item neque ex eo quod *in Clem. 1. de rebus Eccles. non alien.* dicitur, quod alienatione vltra formam præscriptam facta, recipienti ius aliquod non acquiratur; & ex alio capite quoties negatiua adiungitur cum dictione aliquod, etiam in qualibet minima parte verificetur, vt tradit Gloss. *Clement. 1. de foro compet.* Abb. & alij, quos refert Couar. *loco supra cit.* & Tiraquellus *in l. si vnquam, verb. omnia, num. 1. & 14.* Item neque ex eo, quia (vt docet Bart. *in l. 1. §. si quis ita, ff. de verb. obligat.* communiter receptus) cùm contractus pendet à voluntate duorum, si non valet vt fit, neque valeat vt fieri poterat, & quia (vt docet Romanus *consil.66.*) electio Consiliarij ad triennium facta, neque valeat ad annum, si statutum sit, quod vltra annum fieri non possit.

Responderi enim potest, rationes, & auctoritates istas intelligi non de toto tempore, etiam à iure permisso, sed solùm de tempore inutili, quia leges generaliter loquentes non censentur improbare quod aliis legibus est permissum; *l. sciendum, ff. qui satisdare cogantur, & l. decurionibus, Cod. de silentiariis, lib.12.* Quapropter cùm locatio triennalis permissa sit à lege, & reprobata ea, quæ diuturnior est; dici potest, quod textus dicentes, nullam esse talem locationem, intelligantur respectu temporis à lege reprobati, non item respectu temporis à lege permissi: & sic explicari potest *Authent. de non alien.* & Extrauag. *Ambitiosæ*, & Clement. 1. *eod. tit.* præterquam quod Clement. 1. loquitur non de locatione, sed de vera alienatione, quæ certum est, quod in totum sit nulla, cùm forma præscripta non seruatur. Verbum autem illud *Cadat*, relatum *ex Authent. de non alien.* significat emphyteutam cadere ab emphyteusi tempore vtili possessa, quod inde probatur, quia nemo dicitur cadere ab eo, quod non habet, nec potest habere, & sic si ex vi illius contractus emphyteuta neque habuit, neque potuit habere in aliquo tempore emphyteusim, sequitur dici non posse, quod ab illa cadat: ergo si cadit, signum est, quod emphyteusis fuerit ipsi debita pro aliquo tempore, scilicet tempore à iure permisso, quo transacto ab emphyteusi cadit. Accedit, quod ibi per modum pœnæ emphyteuta priuatur emphyteusi, & consequenter signum est, quod ex vi iuris obtinebat emphyteusim tempore à lege permisso.

Ad illud, quod dicitur ex doctrina Bartoli communiter recepta, responderi potest, quod locatio illa valeat de facto quoad tempus à lege permissum, tametsi non valeat quoad tempus vlterius à lege reprobatum, & sic quod de facto valeat actus quoad partem, eo modo quo fit. Fauet tamen aliquantulum doctrina Bartoli, & multò magis doctrina Romani responsioni nostræ.

Sed probatur ex eo, quia ex vi contractus contrahentes non consentiunt, nisi in locationem, & conductionem multorum annorum: non enim conductio triennalis est ita commoda, sicut sexennalis verbi gratiâ, vel nouennalis; quin potest illa esse damnosa: quapropter qui pro tempore diuturno conducit, minoris conducit, quasi pro breui tempore conduceret. At quoties contrahentes non celebrarent contractum eodem modo, tempore permisso, ac celebrant, cùm extra tempus permissum contrahunt, deficit consensus in contrahendo, & sic nequit fieri separatio eius temporis, quod est lege permissum, ab eo, quod lege prohibetur: quapropter non mirum, si inualidus sit contractus quoad totum tempus.

Quamvis si ipsi contrahentes tacitè consentirent in triennium, tunc ex hac parte valeret contractus, quia tunc implicitè esset duplex contractus, nempe in sexennium, vel nouennium, & si hic non valeret, in triennium.

## SECTIO II.

### Difficultates, earumque solutiones.

#### SVMMARIVM.

1 *Vtile per inutile non vitiatur quando sunt separabilia.*

2 *Donatio sine insinuatione facta vltra quingentos aureos, licet sit vnica donatio, solùm in excessu vitiatur, & firma remanet quoad quingentos aureos à iure sine insinuatione donari permissos.*

3 *Donans supra quingentos aureos voluntatem habet donandi quod est permissum, non sic locans vltra triennium.*

4 *Emphyteusis concessa ad tres generationes, valida est quoad tertiam permissam, inualida quoad reliquas.*

5 *Data emphyteusi alicui, eiusque duobus successoribus, cum pacto, quod illis deficientibus tertius obtenturus sit in emphyteusim, & omnibus aliis præferendus, deciditur Dominum emphyteusis obligatum non esse, duobus hæredibus cessantibus cæteris tradere.*

6 *Pactum additum emphyteusi reprobatur, at emphyteusis vitium non habet.*

7 *Quod in vna parte vitiatum est, in totum vitiatur.*

1 OBiicies, vtile per inutile non vitiatur, *ex regul. vtile, de regulis iuris in 6. & l. 1. §. sed si mihi, ff. de verb. oblig.* Ergo.

Respondetur, vtile per inutile non vitiatur, quando sunt separabilia, concedo; quando non sunt separabilia, nego. At in casu nostro non sunt separabilia, quia locans non eodem pretio locaret ad breue tempus, ac locaret ad longum.

2 Obiicies secundò, donatio sine insinuatione facta vltra quingentos aureos, tametsi vnica sit donatio, solùm in excessu vitiatur, & firma remanet quoad quingentos aureos à iure sine insinuatione donari permissos, *l. sancimus, in prin. ip. vers. si quid autem, Cod. de donation.* & docent Mol. *disput.* 278. & 467. Clar. *§. donatio, quæst.* 17. *num.* 2. Riccius *resol.* 102. *n.* 2. Rebellus *de obligation. iust. 2. part. lib.* 18. *q.* 6. *num.* 6. & Zeuallos *com. contr. com.* 222. *num.* 3. Ergo sic, &c. in casu nostro.

3 Respondetur, concedo antecedens: at nego consequentiam, & disparitas est, quia donans supra quingentos aureos, & sic plus, quàm sibi permittitur, voluntatem habet donandi, quod est sibi permissum: non sic in casu nostro, nisi contrahentes tacitè consentirent in triennium, vti dicebam.

4 Obiicies tertiò, emphyteusis concessa ad tres generationes valida est quoad tertiam permissam, inualida quoad reliquas, *auth. de non alien. §. quod autem, collat.* 2. vbi data emphyteusi alicui, eiusque duobus 5 successoribus, cum pacto quod illis deficientibus tertius successor obtenturus sit emphyteusim, & omnibus aliis præferendus, deciditur dominum emphyteusis obligatum non esse, duobus hæredibus cessantibus, cæteris tradere: & sic tacitè declaratur, traditionem emphyteusis primis hæredibus valere, extensionem tamen à lege improbatam non valere: ergo, &c.

Respondetur *in cit. Auth.* solum reprobari pactum 6 additum emphyteusi, non autem emphyteusim vitium habere, quia solùm ad tres vitas se extendit: at locatio in casu nostro non solùm se extendit ad triennium, sed etiam ad plures annos, & consequenter in vna parte vitiata in totum vitiatur. Quod si vrgeas, illud pactum, cùm simul effectum sit cum 7 emphyteusis contractu, virtute, & in effectu emphyteusim vltra tres vitas extendit, eáque de causa annullatur, & tamen non obstante hac extensione, firma remanet emphyteusis quoad tres vitas: ergo similiter locatio rei Ecclesiæ pro pluribus annis facta firma debet manere pro triennio. Respondetur, esse ibi virtute duplicem contractum, iuxta ea quæ suprà dicebamus.

## DVBITATIO VI.

### An si quis Ecclesiæ rem, quæ singulis annis fructificat, vltra triennium locet cum iuramento de non contraueniendo, firmetur locatio iuramento, ita vt ipsi non liceat ab ea recedere?

#### SVMMARIVM.

1 *Iuramentum non obligat ad peccatum, neque est vinculum iniquitatis, nec firmat locationem de re singulis annis fructifera, vltra triennium.*

2 *Extrauagans Ambitiosæ prohibet huiusmodi locationem sub peccato mortali, & excommunicatione, qua supponit peccatum mortale.*

3 *Pœna debet esse commensurata culpæ.*

4 *Excommunicatio maior grauis pœna est, gladius spiritualis, ac neruus Ecclesiasticæ disciplinæ.*

REspondetur ex probabiliori sententia Doctorum 1 negatiuè, quia iuramentum non obligat ad peccatum, neque est vinculum iniquitatis: ergo non firmat prædictam locationem. Antecedens patet. Consequentia probatur, quia Extrauagans *Ambitiosæ*, prohibet huiusmodi locationem sub peccato mortali, vt 2 ex communi tradit Caiet. *in sum. verb. Præcepti transgressio, §. pœna præceptorum.* Paludan. *in 4. dist.* 17. *art.* 2. Nauar. *cap.* 27. *num.* 9. Gabr. *in 4. distinct.* 18. *quæst.* 2. *coroll.* 2. Sot. *dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 2. *concl.* 1. Couar. *cap. alma, part.* 1. *§.* 9. Auila *de censur. part.* 2. *cap.* 5. *disp.* 1. *dub.* 2. & sumitur *ex cap. nemo Episcoporum, cap. nullus sacerdotum,* 11. *quæst.* 3. & Tridentino *sess.* 25. *cap.* 3. 3 *de reformat.* & probatur ratione, quia pœna debet esse commensurata culpæ, *cap. felicis, de pœnis in 6.* 4 Sed excommunicatio maior *grauis pœna est, gladius spiritualis*, ac neruus Ecclesiasticæ disciplinæ, teste eodem Tridentino *cit. cap.* 3. ergo grauem, seu mortalem culpam supponit.

## DVBITATIO VII.

### An valeat mandatum ad locandum vltra triennium?

#### SVMMARIVM.

1 *Constitutio prohibens alienationem rerum Ecclesiæ vltra triennium, includit etiam mandatum ad eas locandas.*

2 *Mandatum*

2 *Mandatum alicui datum locandi res Ecclesiæ, extenditur tantùm ad triennium, quo finito Procurator non potest absque nouo mandato in aliud triennium illas locare.*

3 *Mandatum si detur ad locandas res Ecclesiæ bis, vel ter, finitur primo triennio elapso.*

4 *Mandatum si Procuratori datum sit ad locandum vltra triennium simultaneè, non valere, secus autem si datum sit ad locandum successiuè.*

1 REspondetur (quamvis aliqui, vt Molina *de iust. tract.* 2. *d.* sp. 466. *in fin.* affirment, alij autem, vt Couar. 1. *var. cap.* 16. *num.* 6. Scortia *theor.* 115. & Azor. 2. *part. lib.* 9. *cap.* 2. *quæst.* 5. negent ex eo, quod fieret fraus legi, si facultas ad res Ecclesiæ locandas vltra
2 triennium daretur; & consequenter aiunt, quod Constitutio prohibens alienationem rerum Ecclesiæ vltra triennium includat etiam mandatum ad eas locandas, & sic quod si detur alicui mandatum, vt locet res Ecclesiæ, extendatur tantùm ad triennium, quo finito
3 procurator non poterit absque noua commissione in aliud triennium illas locare. Item si mandatum detur ad locandum res Ecclesiæ bis, vel ter, mandatum finiatur primo triennio elapso, & (citant Decium *consil.* 288.) distinguendum sic esse: nempe non valere mandatum, si procuratori datum sit ad locandum vltra triennium simultaneè; valere verò, si datum sit ad locandum vltra triennium successiuè; ita vt finita
4 prima locatione per triennium, possit procurator aliam, & aliam locationem eiusdem rei Ecclesiasticæ, provt sibi videbitur, per aliud, & aliud triennium successiuè facere: sic enim principalis non dat procuratori facultatem ad locandum rem Ecclesiæ vltra triennium, sed solùm dat facultatem ad locandum per plura triennia successiuè: quod non videtur iure prohiberi, quia sicuti principalis rerum Ecclesiasticarum administrator potest res illas pluribus locationibus triennalibus successiuis locare, sic poterit alteri id ipsum, vices suas committendo, concedere. Accedit, durum videri, quod quolibet triennio obligatus is sit mandatum renouare; valebit igitur in tali casu, quoad vsque non fuerit à principali reuocatum.

## DVBITATIO VIII.

### An possit Prælatus sua Constitutione particulari triennium per Extrauag. *Ambitiosæ*, concessum ad locandum coarctare?

#### SVMMARIVM.

1 *Prælatus potest coarctare triennium, quia ita potius fauet, quàm aduersetur Constitutioni Pauli II.*

1 REspondetur affirmatiuè, quia *in cit. Extrauag.* locatio triennalis solùm permittitur, & diuturnior prohibetur. Quapropter Constitutio Prælati coarctans locandi tempus, v. g. prohibens, ne vltra biennium fiat locatio, supradictæ Extrauaganti potius fauet, quàm aduersetur. Sic Doctores, quos citat, & sequitur Barb. *de potest. Episcop.* 3. *part. alleg.* 95. *numero* 18.

## DVBITATIO IX.

### Ad quænam bona Ecclesiastica prohibitio locationis vltra triennium extendatur?

#### SVMMARIVM.

1 *Prohibitio locationis vltra triennium extenditur ad omnia bona Ecclesiarum, Monasteriorum, & piorum locorum, si Episcopi auctoritate sint erecti.*

2 *Hospitalia, Collegia, Confraternitates, aliique pij loci, qui sine Episcopi auctoritate sunt erecti, non gaudent hoc priuilegio.*

REspondetur ex communi, extendi ad omnia bo- 1
na Ecclesiarum, Monasteriorum, & piorum locorum (si Episcopi auctoritate sint erecti) immobilia, & mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt. Sic dicebam *cap. præcedenti, dub.* 1. Et probatur, quia de his omnibus expresè loquitur Extrauag. *Ambitiosæ.*

Dixi, si Episcopi auctoritate sint erecti; quia Hospitalia, Collegia, Confraternitates, aliique pij loci, qui sine Episcopi auctoritate sunt erecti, quamvis 2
opera pia sint, non gaudent hoc priuilegio, sed possunt ipsorum bona vltra triennium sine solennitatibus à iure requisitis locari, & alienari. Sic Gamma *dec. vlt. num.* 9. Mascard. *de probat. concl.* 809. *n.* 11. Tusch. *lit. H. concl.* 163. *n.* 9. *& seqq.* Barbosa *de potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 75. *num.* 32. *&* 35. & alij, quos referebam *cap.* 29. *dub.* 20. quamvis aliqui contrarium sentiant: qua de re vide *cit. dub.* 20.

## DVBITATIO X.

### An etiam extendatur ad fructus, quorum Beneficiarius dominium habet?

#### SVMMARIVM.

1 *Beneficiarius potest fructus sui beneficij ad longum tempus, v. g. pro sua vita locare, & alienare.*

2 *In Extrauaganti* Ambitiosæ *prohibentur vltra triennium locari, & alienari omnia bona Ecclesiastica immobilia, & mobilia, quæ seruando seruari possunt, si illa sint bona, & fructus, qui spectent ad Ecclesiam. Secus est si sint bona, & fructus, qui spectent ad beneficiatum.*

3 *Respectus ne beneficiarius fame pereat, & sic ne Ecclesia defraudetur debito obsequij, est sufficiens congruentia ad prohibendum, ne locet vltra triennium fructus beneficij, sed non constat de prohibitione aliqua in esse.*

4 *Assignatur multiplex differentia inter fructus ad Ecclesiam pertinentes, & ad beneficiarium spectantes.*

REspondetur negatiuè, adeò vt beneficiarius pos- 1
sit illos ad longum tempus, v. g. pro sua vita, locare, & alienare. Sic dicebam, & probabam *suprà cap. præcedenti, dub.* 24. & docent Abb. *in cap.* 2. *de his, quæ fiunt a Prælatis, & in cap. veniens, de transact. num.* 1. Couar. 2. *var. cap.* 16. *num.* 6. *ad fin.* Gregor. Lopez *l.* 9. *verb. arrender, tit.* 7. *part.* 1. Mantica *de tacitis, & ambig. conuent. tr.* 1. *lib.* 5. *tit.* 3. *num.* 21. Mol. *de iust. lib.* 1. *tract.* 2. *disp.* 466. alter Molin. *lib.* 1. *de primog. cap.* 2. *num.* 27. Vasquez *in opusc. de reddit. cap.* 2. *§.* 2. *num.* 31. *& seqq.* Less. *lib.* 2. *de iust. & iur. cap.* 24. *dub.* 11.

*dub.*11. *num.*7. Azor. 2. *p. lib.*9. *cap.*2. *quæst.*7. Cenedus *ad decret. collect.*76. *num.*3. *& collect.*102. *num.*3. Redoanus *q.*6. §. *vlt. num.*4. Zerola *in praxi, verb. Alienatio*, §.3. *concl.*10. Scortia *theor.*115. Sopranus apud Filliucium *tract.* 44. *cap.*4. *quæst.*1. & alij quos referebam *cit. cap. præcedenti, dub.*24. Quamvis contrarium sentiant Armilla *verb. locatio, num.*5. Rodriguez 1. *p. cap.* 18. *num.* 5. Sà *verb. Conductio, num.* 13. Riccius *decis.*114. *num.*3. Boërius *decis.*224. *num.*2. Guttierrez *lib.*1. *canon. qq. cap.*88. *num.*14. Gamma *decis.* 390. *num.*6. *& decis.*156. *num.*2. Barbosa *de potest. Episcop. part.*3. *alleg.* 95. *num.*20. & Bonacina *de contractib. feudi, quæst.*8. *punct.*4. *num.*32. sed quod dixi, est multò probabilius ob rationes *in cit. dub.*24. adductas. Vide ibi.

Obiicies. In Extrauag. *Ambitiosæ*, prohibentur vltra triennium locari, vel alienari omnia bona Ecclesiastica immobilia, & mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt: ergo & prohibentur etiam fructus beneficiorum ad beneficiarios ipsos spectantes. Consequentia probatur, quia & tales fructus etiam bona Ecclesiastica dicuntur. Accedit, quod in dicta Extrauag. excipiuntur tantùm fructus, & bona, quæ seruando seruari non possunt, sed tales non sunt fructus beneficiorum nondum collecti, cùm hi dici non possint, quod seruari non possint: ergo non comprehenduntur sub exceptione facta.

2 Respondetur, distinguo antecedens: prohibentur vltra triennium locari, & alienari omnia bona Ecclesiastica immobilia, & mobilia, quæ seruando seruari possunt, si illa sint bona, & fructus, qui spectent ad Ecclesiam, concedo: si sint bona, & fructus, qui spectent ad beneficiatum, nego; quia citata Extrauag. *Ambitiosæ*, loquitur solùm de iis, quæ sunt generis prioris, non item de iis quæ sunt generis posterioris. Quod inde probatur, quia decisio omnis legis desumitur ex proœmio, cùm generale sit legi ex rubrica, sub qua ponitur, interpretationem accipere. Gloss. *in l.*1. *verb. Prætoris, Cod. ne liceat tertiò prouocare*, & ibid. Bald. & alij communiter Doctores, & diffusiùs Alex. *l.* 1. *ff. si certum petatur, num.* 3. At in proœmio certum est, quod Extrauagans tantùm de bonis, & fructibus Ecclesiæ loquatur, ibi: *Immobilia, & mobilia pretiosa Deo dicata, ex quibus Ecclesiæ reguntur, & ministri alimoniam vendicant.* Ergo, &c. Neque obstat, quod subdatur postea generalis prohibitio omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticorum, quia illa generalis prohibitio debet intelligi, sicuti dicebam, iuxta proœmium Constitutionis, quæ est solùm de rebus Deo dicatis, præterquam quod solùm bona & fructus Ecclesiæ antonomasticè res, & bona Ecclesiastica dicuntur.

Obiicies secundò, si beneficiarius posset fructus beneficij ad seipsum pertinentes ad longum tempus, pecunia anticipata, locare, & alienare, fieri posset, quod successu temporis debitis alimentis careret, & ob id Ecclesiam debito seruitio priuaret: ergo ne tale inconueniens sequatur, dicendum est, quod non possit illos ad longum tempus locare, & alienare, præsertim quia dicti fructus destinati sunt ad sustentationem beneficiati, *cap. de præbendis.*

3 Respondetur, congruentiam istam sufficientem esse, vt statuatur lex prohibens alienationem fructuum beneficiorum ad longum tempus, pecunia anticipata fieri. At dum talis lex condita, & promulgata non fuerit, poterit beneficiarius ad libitum, durante vita locare, & alienare.

Vnde sequitur, discrimen esse inter fructus ad Ecclesiam pertinentes, quorum beneficiarius solùm ad-
4 ministrationem habet, & inter fructus ad beneficiarium spectantes, quorum beneficiarius dominium obtinet; quia illi non possunt vltra triennium, hi verò possunt ad longum tempus, quin vita durante locari. Item secundò, quod si illi per triennium locentur, firma remanet locatio, tametsi locans moriatur, vel beneficium relinquat, quia illam locationem fecit nomine Ecclesiæ, quæ non cessat: at locatio istorum cessat cessante beneficiario locante, quia nomine proprio, & de iure proprio fecit; quod nomen, & ius cessat beneficiario cessante: cùm non potuerit in conductorem ius aliud transferre, quàm quod ipse habebat. Item tertiò, quod successor beneficiarius stare debet locationi priorum à prædecessore factæ, si facta fuerit per tempus à lege permissum: at stare non debet locationi posteriorum factæ, nisi fundi sint sati, & fructus pendentes, ac de proximo colligendi. Vide Couar. 2. *var. cap.*15. *num.*6. Molin. *cit. disp.*466. alterum Mol. *de primogen. lib.*1. *cap.*21. *num.*27. Bonac. *de contract. locat. & conduct. q.*7. *punct. vlt.* & Barbosam *in remiss. Concilij, sess.*25. *cap.*11. *de reformat.* Vide etiam quæ dicebantur *cap. præcedenti, dub.*24.

# CAPVT XIX.

## *De clausura Monialium, & prohibito ingressu intra Claustra Monasteriorum, tam mulierum, quàm virorum.*

## DVBITATIO I.

An, & qualiter clausura Monialium præcipiatur obseruari?

### SVMMARIVM.

1 *Clausura Monialium strictè obseruatur, neque earum quælibet extra claustra Monasterij cessante legitima causa, & licentia Ordinarij ad breue tempus egredi potest.*

2 *Constitutio Ecclesiastica introducens clausuram Monialium, in aliquibus locis recepta non fuit, qua de causa strictè obseruari præcipitur.*

RESPONDETVR, clausuram Monialium quæ Religionem quamcunque professæ sunt, strictè obseruari (ita vt nulla earum extra claustra Monasterij sui egrediatur, quocumque prætextu, etiam ad breue tempus, nisi ob legitimam causam ab Ordinario licentia obtenta fuerit) præcipitur à Bonifacio VIII. *cap. periculoso, de statu Regul. in* 6. Item quia Constitutio hæc in aliquibus locis recepta non fuerat, & in aliis in desuetudinem abierat, rigorosè obseruari præcipitur à Tridentino Concilio *sess.*25. *de Regular. cap.*5. *& 22.* non obstantibus quibuscunque statutis, & priuilegiis quacumque firmitate munitis, & quibuscumque præscriptionibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus. Item à Pio V. in motu proprio, qui incipit: *Decori, & honestati*, & altero qui incipit: *Circa Pastoralis officij*, vbi innouatur, & districtè obseruari præcipitur prædicta Bonifacij VIII. Constitutio, ac decretum Tridentini. Item tandem à Gregorio XIII. in Motu proprio, cuius initium: *Deo sacris Virginibus.*

## DVBITATIO II.

### An, & quo iure Monialibus clausura præcipiatur obseruari?

### SVMMARIVM.

1 *Clausura tantùm de iure positiuo Monialibus obseruari præcipitur, & cur.*
2 *Sanctus Augustinus Monialibus suæ regulæ professis concessit licentiam egredi ad balnea, & ad alias res necessarias, quantùm Canonicis suis: ex quo infertur clausuram tunc non fuisse seruatam.*
3 *Finis, ob quem clausura à summis Pontificibus præcepta fuit, dicitur honestas.*
4 *Prohibita solo iure humano non sunt mala ante prohibitionem.*
5 *Exitus à Monasteriis non decernitur fuisse malus ante iuris humani prohibitionem; sed prohibetur ad præcauenda pericula contra castitatem.*
6 *Præceptum clausuræ non potest aboleri contraria consuetudine in posterum inducenda.*
7 *Consuetudo contraria clausuræ potest alicubi prævalere, & decretis eam introducentibus non receptis eidem potest esse derogatum.*
8 *Opinio Llamas confutatur, quia ea admissa clausura esset de iure diuino, quòd negatur.*
9 *Sub voto obedientiæ comprehenditur quidquid secundum regulam præcipit superior.*
10 *Præceptum superioris iuxta regulam est merum ius positiuum, & consequenter consuetudo prævalere potest contra illud.*
11 *Pontifici obedientia debetur de iure diuino, at eiusdem præceptum non obligat nisi iure positiuo, & potest contraria consuetudine aboleri.*
12 *Decreta de clausura Monialium seruanda de facto, nondum in omnibus Monasteriis locum habent, existentibus adhuc alicubi Monasteriis clausuram non seruantibus.*
13 *Decreta ingressum in Monialium Monasteria prohibentia nondum vbique secundùm omnem prohibitionis modum recepta sunt.*
14 *Monialium aliquorum Monasteriorum consuetudo circa ingressum intra eorum sepia recensetur, & ad Episcopum spectat reformatio in non exemptas iure ordinario, in exemptas iure delegationis à Sede Apostolica.*
15 *Reformatio in Moniales exemptas, sed Religiosis subiectas spectat ad Prælatum Ordinis Generalem, vel Prouincialem.*
16 *Præceptum de clausura seruanda fundamentum habuit ex lege veteri, in qua etiam erant Virgines clausa Propheticam vitam agentes.*
17 *Maria Magdalena, & Martha eius soror cum aliis Virginibus in quodam Cœnobio simul vixisse perhibentur.*

1 REspondetur præcipi de iure positiuo tantùm, non item de iure naturali & diuino: moueor, quia dicta clausura nec ex sacris literis, nec ex traditione aliqua diuina deduci potest, nec in tribus votis Religionis includitur. Accedit, quod aliquot Moniales tempore Apostolorum, quin & tempore S. Augustini (sicuti colligitur ex eius epistola 109. vbi
2 Monialibus suæ sorori subiectis Regulam præscribens, tantam egrediendi facultatem ad balnea, & ad alias res necessarias concedit, quantam Canonicis Regularibus in sua regula) clausuram non seruabant: atque ita contra nonnullos tenent ex communi Nauarr. *Comment. 4. num. 39. vers. 14. & num. 42. vers. quibus tamen, de Regul.* Azor. *tom. 1. lib. 13. cap. 8. q. 2.* Manuel. *qq. Regul. tom. 1. q. 44. art. 1. in princip.* Llamas *cura. in Appendice*, quam in fine ponit, §. 1. & Vega *tom. 2. summ. cap. 86. cas. 119.*

Obiicies. Bonifacius VIII. *cit. cap. periculoso*, ait, 3
clausuram se præcipere, quia exitus è Monasterio sit periculosus, & noxius honestati Monialium: & Pius V. Motu proprio, *Decori, & honestati*, ait talem exitum esse scandalis, & periculis plenum, & Tridentinum *cit. cap. 22.* & Pius V. Motu proprio: *Circa Pastoralis officij*, derogant contrariæ consuetudini, etiam temporis immemorabilis: quod fieri non posset, si clausura iuris naturalis, & diuini non esset, siquidem solo iure humano prohibita non sunt mala ante prohibitionem, & aduersus talia vires obtinet consue- 4
tudo: ergo, &c.

Respondetur, nego consequentiam; quia hi textus 5
non decernunt exitum è Monasteriis fuisse ante iuris humani prohibitionem malum, sed per illud ius meritò interdici, ad pericula contra castitatem præcauenda, nec decernunt, tale præceptum contraria consuetudine in posterum inducenda aboleri non posse, 6
sed solùm consuetudinem iam inductam abrogant.

Hinc sequitur, posse alicubi consuetudine esse de- 7
rogatum dictæ clausuræ, dictisque omnibus decretis; cum esse possit quod non fuerint recepta, vel contraria consuetudine abolita: quia cum ex dictis clausura solùm iuris humani sit, potest contra ipsam contraria consuetudo prævalere: quapropter non ob- 8
stat, quod ait Llamas *loco cit. §. 2. ad fin.* contra hanc clausuram non potuisse consuetudinem, vel statutum Religionis vim vllo tempore habere, quia etiam ante iuris humani statuta vim habebat clausura, cum tacitè includatur in voto, tanquam necessaria ad castitatis promissæ obseruationem: non obstat, inquam, quia si hoc esset, clausura non esset solùm de iure positiuo, contra id, quod suprà dicebatur. Cæ- 9
terùm licet tacitè sub obedientiæ voto comprehendatur quidquid secundùm regulam præcipit Superior, 10
quod tamen iuxta illam præcipit ipse, est merum ius positiuum; consequenter consuetudo prævalere potest 11
contra illud. Sicuti iure diuino omnes tenentur obedire Pontifici: at quod præcipit Pontifex solo iure positiuo, obligat quidem; at potest consuetudine contraria aboleri.

Confirmatur, quia de facto prædicta decreta de 12
clausura Monialium seruanda, nondum in omnibus Monasteriis locum habent, cum adhuc hodie aliqua Monialium Monasteria reperiantur, in quibus clausura non obseruatur: sicut & alia decreta ingressum in 13
Monialium Monasteria prohibentia (de quibus dicetur *dub. 39. & sequent.* nondum vbique secundùm omnem prohibitionis modum recepta sunt; cùm adhuc 14
in aliquibus locis, vt in Germania, sint Monialium Monasteria aliqua, in quibus tam viri, quàm mulieres, ingredi solent domus intra sepia, quamvis extra claustra, seu habitationes proprias Monialium existentes; sæpè etiam facili de causa mulieres sæculares, & Religiosæ aliorum Ordinum ad ipsarum Monialium claustrales cellas admitti solent: cuius rei reformatio in Moniales non exemptas spectat ad Episcopum loci, tanquam Ordinarium; in exemptas verò, & Sedi Apostolicæ immediatè subiectas, spectat ad eundem Episcopum, tanquam ad eiusdem Sedis Apostolicæ delegatum; in exemptas tandem, & Religiosis subiectas, spectat ad Prælatum Ordinis Generalem, vel 15
Prouincialem, sicuti rectè adnotarunt Nauar. *comment. 4. de Regular. num. 47. & 60.* & Miranda *de Monialibus, quæst. 3.*

Cæterùm prædictum præceptum de clausura ser- 16
uanda fundamentum habuit ex lege veteri, in qua etiam erant virgines clausæ propheticam vitam de-

gentes,

gentes, vti colligitur ex Iudith 8. *vers.*5. Item *ex* 4. *Reg.*11. *vers.*2. item *ex* 2. *Machab.*3. *vers.*19. ibi: *Virgines, quæ conclusæ erant, præcurrebant ante Oniam.* Vide Abulensem 1. *Reg.*2. *quæst.*12. Canisium *lib.*2. *de Deipar. cap.*12. & Baronium *in apparat. ad Annal.* §. *si fidem adhibendam.* Fundamentum etiam habuit
17 ex primitiua Ecclesia, quia tunc temporis etiam Maria Magdalena, & soror eius Martha cum aliis virginibus in quodam Cœnobio simul vixisse testatur Mellitus in vita ipsarum, *cap.*9. & Tamburinus *de iure Abbatiss. disp.*18. *quæst.*3. *num.*1. & 2. vbi etiam refert plura concilia antiqua, in quibus talis Monialium clausuræ vestigium aliquod cernitur, etsi illa sub præceptum formaliter non fuerit, nisi per iura positiua adducta *in dub. præcedenti.*

## DVBITATIO III.

An & qualiter Monialibus iure positiuo potuerit præcipi strictior clausura, quàm ea, ad quam ex vi suæ professionis, aut regulæ tenebantur?

### SECTIO I.

#### Dubitationis Resolutio.

#### SVMMARIVM.

1 *Præceptum de clausura strictiori non inducit nouam austeritatem prorsus alienam à priori Regula; sed potius, etsi indirectè, pertinentem ad eam.*

2 *Clausura perpetua, & inuiolata, vtpote medium valde necessarium ad promissam castitatem exequendam, Monialibus eam etiam expressè non professis præcipi potuit, & ad eandem seruandam à Prælatis cogi possunt.*

1 REspondetur, quod huiusmodi præceptum non inducit nouam austeritatem, prorsus alienam à
2 prioti Regula, sed potius, etsi indirectè, pertinentem ad eam, cùm experientia compertum sit, Moniales vagari, promissæ castitati magnum præiudicium inferre. Consequenter meritò Monialibus (etiam iis, quæ eam expressè professæ non fuerant) clausura perpetua & inuiolata præcipi potuit, vtpotè medium valdè necessarium ad promissam castitatem exequendam, & sic ita, vt ad hanc clausuram seruandam à Prælatis cogi possent. Doctores, quos citat & sequitur Rosel. *verb. Lex, num.*5. Angel. *verb. Religiosus, num.*29. Silu. *verb. Religio* 6. *quæst.* 6. Nauar. *Comment.*4. *num.*40. *de Regul.* Angles 1.*part. quæst. vnic. de voto, art.*2. (vbi id potuisse fieri, putat esse de fide.) Vega *tom.*2. *cap.*86. *cas.*12. Azor. *tom.*1. *lib.*13. *cap.*8. *quæst.*2. *in fin.* & *cap.*11. *quæst.*19. Vasq. 1. 2. *quæst.*95. *art.*2. *disput.*154. *cap.*4. *num.*29. Bañez 2. 2. *quæst.*1. *art.*10. *dub.*6. *in fin.* Manuel. *tom.*1. *qq. Regul. quæst.*44. *art.*1. Galarza *de clausura Monial.* Bonacina *de clausura, quæst.*2. *punct.*1. & *de legib. disp.*1. *quæst.*1. *punct.*3. *num.*19. Lezana *verb. Clausura, num.*2. & alij passim, quibus ex antiquis adde Gloss. *in cap. vnic. de statu Regul.* & Archidiaconum, Dominicum Francum, & alios ibidem.

### SECTIO II.

#### Corollaria.

#### SVMMARIVM.

1 *Pontifex potest Monachis aliqualem clausuram præcipere, nempe vt cum hac, vel illa limitatione exeant, vel ne à suis Conuentibus vltra vnam dietam abeant sine ipsius licentia, inspecta tamen Monasterij necessitate.*

2 *Pontifex potest Monacho clausuram indicare: quod etiam fieri potest ab aliis superioribus ob eandem rationem.*

3 *Pontifex si sine strictiori clausura Regula, & Institutum alicuius Ordinis conseruari non potest in suo vigore, potest eandem pro vniuerso Ordine decernere. Idem dic de eo, penes quem residet potestas statuta religiosa condendi.*

4 *Prælati Ordinum ab Episcoporum iurisdictione exempti, quasi Episcopalem iurisdictionem in suos Regulares habent, & possunt condere constitutiones, sicut Episcopus condere potest statuta ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentia.*

5 *Doctrina Sanchez limitatè intelligitur quoad iurisdictionem Prælatis Regularibus debitam.*

6 *Prælati non exempti iurisdictionem aliquam statuendi in rebus non grauibus per consuetudinem possunt sibi comparare.*

7 *Prælati Ordinum potestatem habent statuta condendi; quamvis non omnes eamdem, sed pro diuersitate Ordinum, priuilegiorum, & consuetudinum.*

8 *Generalis cum Capitulo generali non potest ferre nouam legem, nisi sit ad trium votorum essentialium obseruationem necessaria, & cur.*

9 *Religiosi proprium velle non habent, sed id per obedientiæ votum in superioris voluntatem transtulerunt.*

10 *Limita transtulisse tantùm illud velle, vt superior tantùm præcipere possit quæ ad obseruationem Regulæ directè, vel indirectè conducunt.*

11 *Capitulares præter Regulam antiquam possunt facere nouum statutum, ex quo obligentur & ipsi, & Regulam professuri; non item Religiosi prius professi, qui capitulari statuto non interfuerunt.*

12 *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. Summus Pontifex non potest cogere Religiosos ad arctiorem viuendi modum, quam prima institutio forma postulat, nisi Regulæ reformatio ad trium votorum essentialium obseruationem necessaria sit, & cur.*

13 *Summus Pontifex potest præcipere Religiosis ob iustam causam id quod præcipit aliis clericis, licet in eorum regula non contineatur.*

14 *Religiosus professus regulam tempore quo accidentalia Religionis non erant in viridi obseruantia, non tenetur ad inusitatos rigores ipsius; secus verò si per Capitulum Religionis, vel per Summum Pontificem decernatur primæva eiusdem obseruantia, & cur.*

15 *Regulæ reformatio necessaria videtur ad Ordinis conseruationem, cum absque ipsa paucissimi ad perfectionem religiosam peruenire studeant.*

16 *Religiosi si Ordo ipsorum à Fundatoris sui institutis recedat, & paulatim ad deteriora cum Ecclesia, & ipsorum Religiosorum spirituali detrimento labatur, tenentur acceptare reformationem Regulæ factam*

*factam, vel à maiori parte Capituli, vel à summo Pontifice.*

17 *Constitutio Pij V. circa Franciscanos Conuentuales in Hispania degentes laudatur.*

18 *Sententia lata contra partem non citatam, dicitur iuri naturæ contraria.*

19 *Citatio à supremo Principe quo casu omitti possit.*

20 *Religiosus iussus à Prælato Religionis ieiunare, vel subire aliam corporis afflictionem, Regula id non disponente, tenetur obedire; si id iubeat in pœnam commissi delicti. Secus si ad magis merendum.*

21 *Religiosus tenetur obedire Prælato aliquid præcipienti in cautelam præcauendi recidiuam in aliquod peccatum, vel periculum imminens, saltem in casu, quo id valde conferat ad talem finem.*

22 *Prælato incumbit mediis opportunis præcauere spirituale subditi periculum.*

23 *Religiosus tenetur obedire Prælato aliquid præcipienti ob aliquam publicam necessitatem.*

24 *Superior potest ex iusta causa coarctare libertates, & immunitates in regula concessas.*

25 *Verba regulæ, & circumstantiæ indicant an superior possit libertates in regula concessas coarctare.*

26 *An Prælatus, seu superior possit coarctare, & coarctandi iusta causa subsit, in dubio standum est superioris iudicio. Idem dic de alio impedimento Religiosi.*

27 *Præceptum superioris in dubio habetur pro legis interpretatione.*

28 *Superior potest obligare priuatum tantùm ex iusta causa, quando ad exemplum aliorum & correctionem ipsius id expedire iudicaret, licet regula non obliget sub culpa, sed pœna tantum.*

29 *Generalis non potest præcipere Religiosis, quod eant ad instruendos Indos, vel alios populos valdè remotos, nec ad conuertendos infideles hæreticos, vel schismaticos.*

30 *Limita prædicta non procedere in Religiosis Societatis Iesu, quia speciali voto ad id se obligant.*

31 *Opinio Lopez, & Rodriguez, posse nempe Prælatum cuiuscumque Religionis præcipere Religiosis suis, quod Parochorum munus inter Indos obeant, refellitur.*

32 *Pius V. concessit, vt id munus obire possint, non tamen probat eos posse ad id obligari.*

33 *Pontifex non potest id præcipere Religiosis, qui non sint è Societate Iesu, quia cæteri non obligantur ex vi voti ad obediendum Pontifici in omnibus, quæ voluerit Pontifex.*

34 *Generalis cuiuscumque Religionis non potest præcipere Religioso, quod acceptet Episcopatum, & cur.*

35 *Religiosus tenetur tantum obedire Superiori in iis, quæ sunt secundùm regulam, & pertinent ad statum Religionis.*

36 *Is tantùm potest præcipere Religioso, vt acceptet Episcopatum, qui potest Episcopum confirmare.*

37 *Prælati nomine Pontifex etiam intelligitur.*

38 *Pontifex potest præcipere Religioso de quacumque Religione quod acceptet Episcopatum.*

39 *Potestas ciuilis potest ciues ad Reipublicæ munera capescenda cogere.*

40 *Pontifex potest præcipere Religioso non ratione voti obedientiæ, sed eo modo, quo potest idem præcipere Clericis sæcularibus in ordine ad commune bonum vniuersalis Ecclesiæ.*

41 *Generalis non potest præcipere Religioso, quod acceptet dignitatem extra Religionem, vel beneficium sæculare.*

42 *Opinio Imolæ, Ancharani, & Franchi non probatur, & quare.*

43 *Prælatus potest præcipere Religioso, quod acceptet superioris munus, vel quodcumque beneficium consuetum regi per regulares suæ Religionis.*

44 *Prælatus potest præcipere Religioso quod acceptet beneficium sui Monasterij, licet sit parui valoris, dummodo non cogatur relinquere alimenta necessaria à Monasterio sibi præstanda ad supplementum victus.*

45 *Prælatus potest præcipere Religioso, quod acceptet beneficium, licet sit manuale, & ad nutum amouibile, nisi iustam excusationis causam habeat.*

46 *Subditus iussus à Prælato ad acceptandum aliquod munus, debet detegere impedimentum, ad hoc vt cum eo dispensetur, & quatenus huiusmodi sit peccatum, tenetur ab eo declinare, & acceptare officium.*

47 *Subditus qui desperat posse se cohibere prauos motus, non tenetur obedire.*

48 *Subditus existimans se parum idoneum ad munera exequenda quoad scientiam, & alias qualitates extrinsecas, tenetur stare iudicio superioris.*

49 *Prælatus potest præcipere Religioso, quod tempore pestis deseruiat Religiosis domesticis in temporalibus.*

50 *Bonum commune præfertur priuato, etiam cum periculo vitæ.*

51 *Religiosus debilis complexionis, vel valdè vtilis bono communi Religionis, non tenetur obedire, si iussus sit seruire tempore pestis.*

52 *Neque tenetur Religiosus deseruire externis peste infectis, quia id est supra, non iuxta regulam.*

53 *Prælatus non potest præcipere Religioso, quod tempore pestis administret sacramenta extraneis, si tantùm ei incumbat vita contemplatiua; si verò vita actiua, potest præcipere in supplementum Parochorum.*

54 *Religiosorum munus est, esse Episcoporum, & Parochorum coadiutores in salute spirituali proximorum adiuuanda.*

55 *Prælatus potest præcipere Religioso quod in certo loco stet ad tempus, seu potest dare illum in pignus, vel in obsidem pro necessitate Monasterij; secus si id faciat pro pace reipublicæ, & cur.*

56 *Doctores in hac materia discordes recensentur.*

57 *Superiori accusato de aliquo delicto, etiam pendente accusatione obediendum est.*

58 *Iudici durante syndicatu reuerentia exhiberi debet non minus, quam durante officio.*

59 *Superior Religionis licet ipso iure incidat in pœnam priuationis, attamen eam non contrahit ante Iudicis declarationem, exceptis censuris, irregularitate, & pœnis testamentariis.*

60 *Glossa* in capite ex parte, de accusat. *declaratur.*

EX dictis sequitur primò, quod possit Pontifex aliqualem clausuram Monachis præcipere (nempe vt cum hac, vel illa limitatione exeant, vel vt non facilè à suis Conuentibus, vltra vnam dietam peregrinentur absque ipsius Pontificis licentia) si scilicet id ad bonam Monachorum gubernationem, & vt vota sua seruarentur, esset necessarium. In quo sensu verum est, quod aiunt quidam Doctores, posse Monachis à Pontifice clausuram indici, quod etiam fieri potest ab aliis superioribus ob eandem rationem. Vide Bañez, Bonacina, & Lezanam *locis supra cit.* vbi etiam recte subdunt, teneri Monachos, & quoscumque alios Religiosos, ad aliquem modum clausuræ, iuxta suam regulam,

decreta summorum Pontificum, & constitutiones Religionum.

3 Sequitur secundò, quod si strictior aliqua obseruatio, spectatis omnibus circumstantiis, ad Religiosæ vitæ reformationem, vtque vota Religionis essentialia, aliàque Religionis salubria statuta seruentur, necessaria videatur, possit Pontifex, quin & is, penes quem potestas residet statuta Religiosa condendi, talem nouam obseruationem pro vniuerso Ordine decernere; quia ex dictis talis obseruatio indirectè pertinet ad regulam, si absque ea non potest regula, & Institutum Ordinis in suo vigore conseruari, cùm Religiosus, quando regulam profitetur, implicitè se obligat ad ea omnia, sine quibus status Religionis suæ conseruari non potest.

4 Confirmatur, quia Prælati Ordinum ab Episcoporum iurisdictione exempti, quasi Episcopalem iurisdictionem in suos regulares habent: quapropter sicut Episcopus regularibus sibi subiectis ferre potest leges, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam pertinent, iuxta doctrinam S. Thom. *in 2. distinct. 44. quæst. 2. ad 3.* ita etiam Prælatus Ordinis exemptus, vel solus, vel cum Capitulo, facere poterit constitutiones, non quibus regula Ordinis notabiliter mutetur, sed tales, quæ ad regularem disciplinam, & pietatem augendam necessariæ, vel valde vtiles videntur; quales constitutiones etiam Episcopi clericis, & regularibus sibi subiectis ferre possunt, sicuti suprà dicebam: quare quod ait Sanchez *lib. 6. mor. cap. 2. num. 2.* iurisdictionem regularibus Prælatis solùm competere, vt compellant suos ad exequendam obligationem suorum votorum, id intelligi non potest de Prælatis exemptis; cum hi, non minus quàm Episcopi, Ecclesiasticam iurisdictionem summo Pontifici subordinatam habeant, ad subditorum suorum regimen necessariam: quin & Prælati non exempti iurisdictionem aliquam statuendi in rebus non grauibus per se consuetudinem, possunt sibi comparare: quare melius Doctores alij absolutè aiunt, quod Prælati Ordinum potestatem habent statuta condendi, quamvis non eandem, sed pro diuersitate Ordinum, priuilegiorum, & consuetudinum.

8 Sequitur tertiò, quod extra dictum casum (quo scilicet regulæ reformatio sit ad trium votorum essentialium obseruationem necessaria) non possit, neque Generalis cum Capitulo generali ferre nouam legem, quæ sub regula, quam regulares professi sunt, expressè, vel implicitè non continetur, seu per quam legem deducantur ad arctiorem viuendi modum, quem professi sint, cum id sit supra regulam; sic communiter Doctores. Angelus *verb. Religiosus*, §. 29. Syluest. *verb. Religio 6. quæst. 6.* Armilla *num. 10.* Vasquez 1. 2. *tom. 2. disp. 154. cap. 4. num. 25.* & Sanch. *lib. 6. mor. cap. 2. num. 18.*

9 Quamvis contrarium etiam quoad hunc casum dixerint Gl. *in regul. quod omnes, de regul. iuris in 6.* Innocent. *cap. super eo*, & ibid. Abb. *num. 6. de Regul.* Rosella *verb. Lex. num. 6.* moti ex eo, quod Religiosi proprium velle non habeant, sed id per obedientiæ votum in Superioris voluntatem transtulerint.

10 Ad quod argumentum facilè respondetur, si dicatur, quod Religiosi per votum obedientiæ non transtulerunt omne suum velle in voluntatem Superioris, vt quælibet ipse præcipere possit, sed solùm ea, quæ ad obseruationem regulæ, quam profitentur, seu promiserunt, directè, vel indirectè pertinent, vt dixit Sanct. Thom. *quodlib. 10. art. 10.* Non nego tamen, quod possint Capitulares nouum statutum facere, præter regulam antiquam, ita vt ipsi liberè consentientes tali statuto obligentur, sicut & alij postea professionem edituri, quibus regula mutata, & aucta, vt profiteantur, proponetur; non item Religiosi priùs professi, qui Capitulari statuto non interfuerunt, neque in illud vnquam consenserunt, quia *quod omnes tangit, debet ab omnibus* 12 *approbari, reg. 29. in 6.*

Quin sequitur, quod extra dictum casum (quo 13 scilicet regulæ reformatio sit ad trium votorum essentialium obseruationem necessaria) neque possit Summus Pontifex Religiosos cogere ad arctiorem viuendi modum, quàm prima instituti forma postulat; idque propter eandem rationem, cum speciale obedientiæ debitum, quo Religiosi in ordine ad summum Pontificem obstringuntur, proueniat ex ipsorum professione, & voto, quod est secundùm proprium regulæ institutum: quamvis quæ aliis clericis, vel Ecclesiasticis personis ob iustam causam à summo Pontifice præcipi possunt (verbi gratia vt Episcopatum acceptent, in graui Ecclesiæ necessitate, etiam cum proprio periculo, succurrant, & similia) ea quoque Religiosis præcipi possint, licet in ipsorum regula non contineantur: siquidem ipsi non tantùm vt Religiosi, sed etiam vt Christi fideles, vtque clerici, summo Ecclesiæ Pastori subiiciuntur. Vide Silu. *cit. quæst. 6.* Less. *de iustit. & iur. lib. 2. cap. 41. num. 76.* Azor. *tom. 1. lib. 13. cap. 11. quæst. 10.* & Sanchez *cit. cap. 2. num. 22.*

Sequitur quartò, quid respondendum sit ad illam 14 quæstionem: Si quædam Religionis accidentalia (verbi gratiâ stricta abstinentia, silentium, corporis afflictio, & similia) ab institutore regulæ præcepta sint, quæ tamen à tempore immemorabili, vel alio ad legem, seu regulam desuetudine abolendam sufficienti, obseruata non fuerint; vtrum vouens, seu professus regulam à primo instituto aberrantem, postea compelli possit ad rigorem instituti secundùm institutoris voluntatem amplectendum? Respondetur enim ex dictis, quod licet, si res absolutè, & secundùm se spectetur, talis vouens, seu professus compelli non possit ad amplectendam strictioris regulæ reformationem, sicuti docent Abb. *cap. super eo, de Regular.* Silu. *verb. Religio 3. quæst. 12.* Nauarr. *cap. 12. numero 50.* & Miranda *in Man. tom. 1. quæst. 25. art. 5. assert. 2. & 3. & quæst. 26. art. 10.* quia præsumptio est, quod vouens regulam Ordinis, obligare se voluerit, sicuti tunc eius obseruatio in vsu erat legitimè, & cum Prælatorum approbatione; tamen si temporis progressu videatur regulæ reformatio esse necessarium medium ad Ordinis obseruationem, possit Prælatus cum Capitulo, & multò magis Pontifex, omnes compellere ad regulæ reformationem acceptandam, cum illam implicitè promisisse censeantur, vt patet ex dictis.

Cæterùm regulæ reformatio necessaria videtur ad 15 Ordinis conseruationem, si cum præsenti obseruatione pauciissimi ad perfectionem Religiosam peruenire studeant, si cum scandalo sæcularium viuant, vt potiùs expedire videatur, Religionem dissolui, quàm ita continuari; si essentialia vota, verbi gratiâ quæ ad paupertatem Religiosam spectant, communiter non obseruentur. Quare cum plerumque, vt experientia 16 docet, si Ordo aliquis à Fundatoris sui institutis recedit, paulatim ad deteriora cum Ecclesiæ, & ipsorum Religiosorum spirituali detrimento tendat, fit quod plerumque professi reformationem regulæ à maiori parte Capituli, multò magis à summo Pontifice factam, acceptare teneantur, vti docent Vasquez *citato cap. 4. num. 5.* Azor. *tom. 1. lib. 3. cap. 11. q. 29.* & Sanchez *cit. cap. 2. n. 35.*

Sequitur quintò, quod potuerit Pius V. anno 1567. 17 constringere omnes Franciscanos Conuentuales, vel Claustrales in Hispania degentes, à suis Conuentibus eiici, & transire ad aliquem Mendicantium Ordinem,

dinem, qui multò arctior sua professione tunc erat, quia id erat necessarium, vt ij tria vota, quæ professi fuerant, obseruarent.

18 Neque obstat, quod sententia lata fuerit contra partem non citatam, & inauditam (quod est contra ius naturæ, & sic potestatem Pontificiam ipsam excedens, *cap. 1. de caus. possess.* ibi: *Necnon contra partem inauditam aliquid possumus definire*: & Clement. 2. *de sentent. & re iudic.* §. *cæterùm, vers. hæc* 19 *prædicta suppletio*:) nam id fecit Pontifex re maturius considerata, & perpensis scandalis in Hispania ortis, iisque probatis, & notoriis, in quo casu, posse citationem partis à supremo Principe omitti, testantur Baldus *in l. nec causas, num. 3. de appellat.* & Nauarr. *cap. 25. num. 10.*

20 Sequitur sextò, quod Religiosus iussus à Prælato Religionis ieiunare, verbi gratia die, qua regula non obligat, vel subire aliam corporis afflictionem, vltra contentas in regula, teneatur obedire, si id iubeat Prælatus in iustam transgressæ regulæ, vel alterius delicti commissi pœnam, secus si id præcipiat ad magis merendum, quia in priori casu eæ asperitates continentur implicitè, & indirectè in regula, quam professus fuit: at in posteriori casu sunt supra regulam. Vide Rosell. *verb. Obedientia, numero* 10. Angel. *verb. Religiosus, numero* 29. Silu. *verb. Religio* 6. *quæst.* 9. Tabien. *verb. Obedientia, quæst. 5. num. 6.* Cordub. *in exposit. Regul. S. Francisc. cap. 10. quæst. 2. dict. 6.* & Less. *lib. 2. cap. 41. num. 77. dub. 9.*

21 Item tenetur Religiosus obedire, si id præcipiat Prælatus in cautelam præcauendi recidiuam in aliquod peccatum, vel periculum imminens (saltem in casu, quo id valdè conferat ad talem finem) quia tunc non potest dici esse supra re-
22 gulam, sed pertinere indirectè ad regulam, cùm Prælato incumbat mediis opportunis præcauere spirituale subditi periculum: sic contra Doctores mox suprà citatos, docet Caietan. 2. 2. *quæst. 88. artic. 8. dub. it. vltim. vers. ad primum dicitur.* Angles *part. 2. quæst. vnic. de voto, artic. 2. difficult. 15.* & Vasquez 1. 2. *quæst. 95. art. 2. disp. 254. cap. 4. numero* 20.

23 Item similiter teneatur Religiosus obedire, si id præcipiat Prælatus ob aliquam publicam necessitatem, quia & hoc tunc omnibus, & per aliquod tempus præcipi, non est contra, sed iuxta regulam. Cordub. *reg. S. Francis. cap. 10. q. 3. punct. 6.* & Less. *de iust. & iur. lib. 2. cap. 41. dub. 9. n. 76.*

24 Sequitur septimò, quod possit Superior ex iusta causa libertates, & immunitates in regula concessas coàrctare contra regulæ, vel altioris Superioris præscriptum, si id Superiori in regula ex parte, vel ex toto facere non prohibeatur, quia tunc ex epicheia non est id contra regulam, vel eius limites excedens.

25 An autem id facere Superiori prohibeatur in regula: colligendum est ex verbis ipsius regulæ, & ex circumstantiis, sicut & in casu, quo Prælatus inferior limitaret licentiam, & immunitatem alicui subdito à Prælato superiori concessam, ob eandem rationem.

26 Cæterùm, in dubio an Prælatus, seu superior possit coarctare, & coarctandi iusta causa subsit, necne, standum est Superioris iudicio, sicut & in casu, quo subditus Religiosus valetudinarius, vel alio impedimento laborans, sit in debito, an teneatur ieiunare, abstinere à carnibus, officium recitare, &c. quapropter talis tenetur obedire Supe-
27 riori præcipienti, ne ieiunet, abstineat à carnibus, officium recitet, &c. Nec obstat, periculum fractionis legis, quia præceptum Superioris in eo dubio habetur pro legis interpretatione. Vide Cordub. *in Reg. S. Francisc. cap. 10. quæst. 2. dicto 6.* Sotum *de secret. memb. 3. quæstione 2. conclus. 1.* & Salas 1. 2. *quæstione 31. tractat. 8. disput. vnic. sect. 2. num. 155.*

Sequitur octauò, quod quando regula ex se non 28
obligat sub culpa, sed ad solam pœnam, licet non possit superior obligare in vniuersum ad obseruationem illius sub culpa mortali, nec etiam veniali; possit tamen ex iusta causa obligare priuatum, quando ad exemplum aliorum, & correctionem illius, qui minùs obedire consueuit, id expedire iudicaret: quamvis non possit propter vnius, vel duorum culpam totum conuentum sic obligare. Vide Vasq. *cit. disp. 154. cap. 4. n. 21.*

Sequitur nonò, quod non possit, neque Generalis, 29
præcipere Religiosis, quod eant ad instruendos Indos, vel alios populos valdè remotos, nec ad conuertendos infideles, hæreticos, vel schismaticos, quia est res difficillima, multisque animæ, & corporis periculis, etiam vsque ad martyrium, exposita, & sic excedens regulæ præscriptum. Lopez *part. 1. cap. 56.* Rodrig. 2. *tom. Summ. cap. 9. num. 5. & qq. Regular. tom. 3. q. 19. art. 7.* Cordub. *in exposit. Regul. S. Francisc. cap. 10. q. 2.* & Less. *de iust. & iur. lib. 2. cap. 41. dub. 9. num. 77.*

Excipiunt nonnulli Religiosos Societatis Iesv, 30
& rectè, quia hi speciali voto ad id se obligant; quapropter in his tale præceptum non est suprà, sed iuxta statutum ipsorum.

Excipiunt secundò Lopez *cit. cap. 56.* & Rodrig. *cit.* 31
*cap. 9. num. 6.* posse Prælatum etiam de aliis Religionibus extra Societatem Iesv præcipere Religiosis suis, quod Parochorum munus inter Indos obeant, sed minus rectè, propter eandem rationem, quam suprà dicebam, quod scilicet est id præter talium Religionum Institutum, & res periculis plena.

Non obstat, quod Pius V. concesserit, vt id 32
munus obire possint: nam id solùm probat licitum esse, tale munus obire, non tamen probat eos posse ad id obligari.

Quin sequitur propter eandem rationem, quod 33
neque possit Pontifex id præcipere Religiosis, qui scilicet non sint è Societate Iesv, siquidem ex vi voti, & professionis suæ non se obligant ab obediendum Pontifici in omnibus, quæ voluerit Pontifex; sed sicut aliis Prælatis regularibus in iis, quæ suam regulam non excedunt: quare solùm poterit id illis Pontifex præcipere eo modo, quo potest clericis sæcularibus, in eo scilicet casu; quo necessitas boni communis id expostularet, vti *suprà* dicebatur.

Sequitur decimò, quod non possit, neque Gene- 34
ralis de quacumque Religione, præcipere Religioso, quod accepret Episcopatum; quia potestas, quam habent Superiores Religionis, non ordinatur ad bonum commune Ecclesiæ, sed solùm ad bonum commune Religionis, vel bonum particulare Religiosi: sed Episcopatus non ordinatur per se, nec ad bonum Religionis, nec ad bonum Religiosi, sed ad commune bonum Ecclesiæ: ergo.

Accedit, quod Religiosus tantùm tenetur obe- 35
dire superiori in iis, quæ sunt secundùm regulam, & pertinent ad statum Religionis; at fieri Episcopum non pertinet ad statum Religionis, immò ab illo eximit, & absurdum est, posse Prælatum subdito præcipere id, per quod ab eius obedientia eximitur: ergo.

Accedit secundò, quia is tantùm potest id præci- 36
pere, qui potest Episcopum confirmare (per hoc enim potissimùm constituitur Episcopus) at confir-

mare solùm potest Pontifex: quare quando S. Thoma 2. 2. *quæstione* 85. *art.* 2. Richard. *quodlib.* 3. *quæstione* 21. S. Antonin. 3. *part. tit.*20. *cap.*2. §. 7. Angel. *verb. Electio*, *num.*3. Armilla *eodem verb. numero* 37. Silu. *quæst.*19. & Sot. *de iust. lib.*10. *quæst.* 2. *art.*2. tradunt, teneri Religiosum obedire Prælato
37 obliganti ad acceptandum Episcopatum, per Prælatum (inquit Sotus *loco cit. ad* 2.) intelligunt Pontificem.

38 Sequitur vndecimò, quod è contra possit Pontifex præcipere Religioso de quacumque Religione, quod acceptet Episcopatum, quia cùm cura totius Ecclesiæ sit penes Pontificem, est penes ipsum talis potestas præcipiendi. Confirmatur, quia potestas
39 ciuilis ex facultate gubernatiua, quæ in omni communitate necessaria est, potest ciues ad Reipublicæ munera capessenda cogere, *l. si magistratum*, *Cod. de decurionib. lib.* 11. *& toto tit. de excusat. muner. eod. lib.* & tradunt Cordub. *capite* 10. *quæst.* 2. *dub.* 7. Valent. 2. 2. *disput.*10. *quæstione* 3. *punct.* 3. *concl.* 6. Lopez 1. *part. capite* 56. *col.*2. Less. *lib.*2. *de iust. capite* 41. *dub.*9. *numero* 76. & Rodrig. *tom.*2. *sum. capite* 9. *num.*5. *& qq. Regul. tom.*3. *quæst.*19. *art.vlt.* ergo sic, &c.

40 Cæterùm potest Pontifex id præcipere Religioso, non ratione voti obedientiæ, sed eo modo, quo potest idem præcipere clericis sæcularibus, in ordine scilicet ad commune bonum vniuersalis Ecclesiæ, cuius cura spectat ad ipsum Pontificem, potestatem exercendo in omnes Christi fideles, vt patet ex dictis.

41 Sequitur duodecimò, quod non possit neque Generalis, præcipere Religioso, quod acceptet dignitatem extra Religionem, vel beneficium sæculare, vel etiam regulare alterius Religionis (quamvis vtrumque ex Pontificis dispensatione licitum sit,) quia id non est secundùm regulam, sed præter illam, nec ordinatur ad commune bonum Religionis. Nauarr. *comment.* 4. *de Regular. numero* 23. Manuel. Rodrig. *qq. Regular. tom.*1. *quæst.*34. & Less. *de iust. & iur. ca-*
42 *pite* 41. *dub.* 9. *num.*49. quare mihi non probatur, quod docent Imola *capite Raymuius*, *de testament. num.*71. Ancharan. *cap. si Religiosus*, *de elect. in* 6. *numero vlt.* & Franc. *ibid. num.*3. nempe non posse Religiosum dissentire sine Prælati licentia electioni de se factæ ad talia munera, ex eo quod, inquiunt ipsi, religiosus careat nolle: nam ex dictis potiùs dicendum est oppositum, quia aliàs posset cogi, & Religiosus habet nolle in iis, in quibus non tenetur obedire.

43 Sequitur decimotertiò, quod possit è contra Prælatus præcipere Religioso, quod acceptet Superioris munus, vel quodcumque beneficium consuetum regi per regulares suæ Religionis, quia id est secundùm regulam, & talis gubernatio spectat ad suam
44 Religionem. Nauarr. & Man. Rodrig. *in locis supra cit.* qui subdunt, & rectè, quod possit etiam Prælatus præcipere Religioso, quod acceptet beneficium sui Monasterij, licet sit parui valoris, dummodò non cogatur relinquere alimenta necessaria ad supplendum victum à Monasterio sibi præstanda. Subdunt secundò, & etiam rectè, quod possit præcipere
45 Religioso, quod acceptet beneficium, licet sit manuale, & ad nutum amouibile, nisi iustam excusationis causam habeat, quia scilicet malitiosè ipsi confertur, eo quod litigiosum sit, vt litem terminet, & ea terminata, ipsi auferatur.

46 Cæterùm si subditus à Prælato iussus, quod acceptet aliquod ex dictis muneribus, impedimento aliquo detineatur, dicendum est, quod vel tale impedimentum subditus ipse amouere potest, vt si habeat propositum perseuerandi in peccato, quod muneri admittendo obstaret, & tale impedimentum tenetur ipsi amouere, vt obedire possit; vel tale impedimentum non potest ipse, sed Prælatus (dispensando scilicet) amouere, vt si irregularitate, quam Prælatus potest dispensare, detentus sit, & tunc debet Prælato impedimentum manifestare, nisi aliunde dispensationem obtineat, & Prælato dispensante, debet obedire; vel tale impedimentum non potest, nec ipse Religiosus, nec Prælatus amouere, & tunc Religiosus non tenetur obedire. S. Thom. 2. 2. *quæst.*185. *artic.*2. *ad* 2. Turrecremata *capite olim*, *numero* 1. 47
*ad* 2. 8. *quæst.*1. S. Antonin. 3. *part. tit.*20. *cap.*2. §. 6. & Sot. *de iust. lib.*10. *quæst.*2. *art.*2. *ad* 2. qui subdit, & rectè, quod si subditus, adeo pronum ad praues motus se cognoscat, vt illos sedandos facilè non speret, non teneatur obedire, quia in moralibus quod est valde difficile, reputatur impossibile. Subdit secundò cum Syluestro *verb. Episcopus*, 48
*quæst.* 3. *dict.* 4. & etiam rectè, quod si subditus parum idoneum se iudicet quoad scientiam, & alias qualitates extrinsecas, quas Prælatus prudens, & probus nouit, tenetur odedire, quia in tali casu tenetur stare iudicio Prælati.

Sequitur decimoquartò, quod possit Prælatus præ- 49
cipere Religioso, quod tempore pestis deseruiat Religiosis domesticis, etiam in temporalibus, cibaria scilicet, & medicamenta necessaria iis subministrando, quia mutua ministeria ad conseruationem boni status spectantia (quale principale est infirmorum cura) non sunt supra, sed iuxta regulam. Caiet. *opusc. tom.*3. *tract.*9. *de vinculo obedientiæ*, *q. vnic.* & Rodrig. *qq. Regul. tom.*3. *q.*31. *art.*3.

Non obstat, quod inde Religioso periculum mor- 50
tis immineat, quia bonum commune præfertur priuato, etiam cum periculo vitæ, & sic tenetur obedire, sicut obedire tenetur sæcularis à Principe iussus ire ad bellum, etiamsi inde probabilissimum periculum mortis sibi imminere videat. Doctores communiter in tractatu de bello.

Excipe primò Religiosum, qui debilis sit comple- 51
xionis, vel facilior ad infectionem contrahendam, vel qui sit valdè vtilis bono communi Religionis, quia tunc, cùm sint alij, qui id facere possint cum minori contagionis, & boni communis periculo, non tenetur obedire, & Prælatus imprudenter hunc periculo exponit. Rodrig. *cit. q.*31. *art. vlt.* & Rutil. *de fuga temp. pest. lib.*1. *disp.*2. *q.*1.

Excipe secundò, si Prælatus præcipiat Religioso, 52
quod deseruiat peste infectis externis, quia id est suprà, non iuxta regulam, cum non spectet ad mutua status Religiosi conseruanda ministeria, nec status Religionis vllo modo ordinetur ad curam sæcularium in temporalibus habendam. Armilla *verb. Obedientia*, *n.*5. Tabien. *ibid. q.*5. *num.*6.

Sequitur decimoquintò, quod neque possit Præ- 53
latus præcipere Religioso, quod deseruiat peste infectis extraneis, etiam in spiritualibus, Sacramenta scilicet iis ministrando: & quidem si loquamur de Religioso Religionis, cuius Institutum non est vita actiua, nec iuuandis proximis vacare, qualis est Religio Carthusianorum, & similium, conueniunt Doctores, vti videre est apud Caiet. 2. 2. *quæst.* 26. *art.*5. *ad fin.* Bañez *ibid. quæst.* 33. *art.*3. *dub.*4. Nauarr. *capite* 24. *numero* 11. & Rodrig. *cit. quæst.*31. *art.* 3. quia id est opus eximiæ perfectionis alienum ab ipsorum Instituto: si verò loquamur de Religioso Religionis, cuius Institutum est vita actiua, & proximis iuuandis vacare, qualis est Religio Mendicantium, maior est difficultas, sed adhuc dicendum, quod non teneatur obedire, quando id sufficienter fieri potest per Parochos, vel per Sacerdotes, qui sumptibus Episcoporum vellent Parochis auxilium præstare,

præstare, quia id primò, & per se pertinet ad Parochos, quorum proprium munus est, Sacramenta suis Parochianis administrare, & pertinet in primis ad Episcopum curare, quod mediis Parochis, & aliis Sacerdotibus necessariis mercede conductis ei spirituali animarum necessitati subueniatur, quod si Parochi ei muneri obeundo non sufficiant, nec Sacerdotes ei muneri obeundo per mercedem inseruire reperiantur, tunc in subsidium tenetur Religiosus Religionis vitæ actiuæ obedire Prælato præcipienti; qui in tali casu non solùm præcipere potest, sed & tenetur præcipere, quia Religiosorum munus est esse Episco-
54 rum, & Parochorum coadiutores in salute spirituali proximorum adiuuanda; siquidem ob id eleemosynis fidelium sustentantur. S. Thom. 2.2. *quæstione* 187. *art.* 1. *ad* 3. *& quæst.* 188. *art.* 4. *ad* 2. *& 5. & opusc.* 18. *cap.* 16. *in fin.* & Rutil. *de fuga temp. pest. lib.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 1. *conclus.* 10. quapropter in tali casu subditus Religiosus Religionis vitæ actiuæ tenetur obedire, si tamen non sit, vt suprà dicebatur, Religiosus valdè vtilis, vel valdè subiectus infectioni, iuxta ea, quæ suprà dicebantur.

55 Sequitur decimosextò, quod possit Prælatus præcipere Religioso, quod in certo loco stet ad tempus, seu possit dare illum in pignus, vel in obsidem, si id faciat Prælatus pro vtilitate, vel necessitate Monasterij, secus si id faciat pro pace, vel simili causa Reipublicæ; quia potestas, quam habet Superior Religionis, ordinatur solùm ad bonum commune Religionis, non autem ad bonum commune Reipublicæ, ad quod ordinatur solùm potestas, quam habet Pontifex, & sic potest solùm Pontifex id præcipere, sicuti suprà toties dicebatur; atque ita docent Abb. *in cap. ex rescripto, n.* 8. *de iureiur.* Bart. & Socin. *de regul. iur.*
56 *reg.* 267. & ita concordantur cæteri Doctores, qui inter se quoad hoc differentire videntur; siquidem quod id possit facere Prælatus, negant Gloss. *cit. cap. ex rescripto, vers. obsides dari.* Bald. *ibid. num.* 1. Cardinal. *n.* 2. Imola *n.* 5. & Roman. *singul.* 505. *vers. nunquid Episcopus.* At affirmant Ioan. Andr. *in dict. cap. ex rescripto, num.* 9. Hostiens. *num.* 1. Felin. *num.* 3. Alex. de Næuo *num.* 33. Nauarr. *lib.* 3. *consil. tit. de Regular. consil.* 65. & Surdus *de alim. tit.* 8. *priuil.* 38. *n.* 26. *&* 27.

57 Cæterùm, an superiori accusato à subditis de aliquo delicto obediendum sit, pendente accusatione.

Respondetur affirmatiuè, idque ob bonum commune, quia alioquin communitas viueret sine capite, & confunderentur omnia; atque ita in terminis docent Abb. *in cap. ex parte, de accusat. n.* 4. Felin. *ibid. paulò post princip.* & Surdus *de aliment. tit.* 1. *quæst.* 127. *num.* 5.

58 Confirmatur, quia Iudici, durante syndicatu, reuerentia exhiberi debet, non minus, quàm durante officio. Bald. & Iason, quos citat, & sequitur Surdus *loco cit. num.* 6.

59 Confirmatur secundò, quia Superior Religionis incidens in aliquem casum priuationis ipso facto suæ superioritatis, non contrahit talem pœnam, etiamsi de crimine palam constet antequam per sententiam Iudicis declaretur, & sic subditi ante talem Iudicis sententiam non possunt illum expellere è gubernatione, sed tenentur ei obedire. Doctores, quos citat & sequitur Ioan. Valerus *in differentiis vtriusque fori, verb. Pœna, differ.* 20. & Diana *part.* 2. *Miscellan.* 3. *resol.* 67. Idemque de omni alia pœna dicas, quod scilicet ante sententiam Iudicis, etiamsi ipso iure, seu ipso facto sit inflicta, non contrahatur, exceptis censuris, irregularitate, & pœnis testamentariis; qua de re Caietan. *verb. Pœna*, communiter receptus, & nos dicemus *infrà dub.* 23. *per totam.*

Obiicies: Gloss. *cit. cap. ex parte, vers. alias*, videtur sentire oppositum: ergo.

Respondetur, nego antecedens: nam reuera solùm 60
ibi Glossa intendit dicere, quod interim desistendum non sit ab accusatione, idque ob bonum commune, ne delicta remaneant impunita; non autem quod interim ei in cæteris (idque etiam, vt suprà dicebam, ob bonum commune, ne communitas sit sine capite) obediendum non sit.

## DVBITATIO IV.

An, & qui sint limites, intra quos clausura Monialium contineatur, quousque Moniales prætergrediendo, clausuram violent?

### SVMMARIVM.

1 *Monialibus non licet habere ostium, per quod ex Monasterio interiori introiri possit in ipsarum Monialium Ecclesiam exteriorem.*

2 *Monialibus, etiam tertiariis, non licet egredi à ianua Monasterij, quæ est pro clausura Monasterij ipsius, etiam ad claudendam aliam vlteriorem ianuam, &c.*

3 *Locus clausuræ est qui continetur ianua clausa, ad quam secularibus non patet accessus.*

4 *Moniales ascendentes supra tecti tegulas, si intra eam partem, quæ Monasterium respicit, contineantur, clausuram non violant; secus si eam prætergressæ ad alienam tecti partem transeant.*

5 *Qui inuentus est super tegulas Ecclesiæ, habetur ac si inuentus esset in ipsa Ecclesia, quapropter gaudet immunitate.*

6 *Domus, & Monasteria pro eodem vsurpantur in motu Pij V. qui incipit*, circa Pastoralis.

7 *Monialis, siue iustè, seu iniustè à Monasterio egressa, & intra domum aliam priuatam inclusa, si ex hac egrediatur, clausuram non violat.*

8 *Domus Monasteriis contiguæ non comprehenduntur intra clausuram, intra quas conuersa professæ eleemosynis destinatæ morari debent.*

9 *Monialis, quæ se ponit in rota, & fecit illam voluere versus partem exteriorem, vbi non est clausura, licet in opinione nonnullorum violet clausuram, secus tamen est in sententia Auctoris.*

10 *In egressu ad clausuram, sicut & in ingressu ad illam datur paruitas materiæ.*

REspondetur, videatur de hac re Motus pro- 1
prius Gregorij XIII. qui incipit: *Deo sacris virginibus*, vbi sic ait: *Declaramus præterea, nullis Monialibus, etiam Tertiariis, licere habere ostium, per quod ex Monasterio introiri possit in ipsarum Monialium Ecclesiam exteriorem, in quam secularibus ad Missas & di-* 2
*uina officia patere solet accessus, sed esse omnino muro obstruendum. Nec itidem licere Monialibus, etiam Tertiarius, egredi à ianua Monasterij, quæ est pro clausura Monasterij ipsius, etiam ad claudendam aliam vlteriorem ianuam, quæ patere solet aditus secularibus venientibus ad rotam, vel ad crates, seu loca colloquiis destinata, quæ vulgò Parlatoria vocantur, vel ad pulsandam ipsam ianuam clausuræ: quæ loca cum saltem pro causis prædictis patere soleant secularibus, extra clausuram censeri debent etiam quo tempore clausa sunt.* Vide Nauarrum *comment.* 4. *num.* 44. *notab.* 4. *de Regular. & & lib.* 3. *cons. titul. de Regular. cons.* 66. *edit.* 1. Rodrig. *tom.* 1. *qq. Regular. quæst.* 44. *artic.* 3. & Lezanam *tom.* 1. *cap.* 25. *numero* 18. *& verb. Clausura, num.* 8. *& seqq.*

3 Hinc sequitur, quod locus clausuræ sit, qui continetur ianua clausa, ad quam sæcularibus non patet accessus; consequenter si locus, etiam Ecclesia, sit ciusmodi, in quem sæculares admittantur, esse censetur extra clausuram Monialium; ita vt si eò illæ exeant, clausuram violent. Bonacina *de clausura, quæstione* 1. *punct.*1. Gauantus *in Man. Episcop. verb. Monialium clausura, num.*10. *& seqq.* & Lezana *cit. num.*18.

4 Sequitur secundò, quod Moniales ascendentes supra tecti regulas, si intra eam partem, quæ Monasterium respicit, contineantur, clausuram non violent; secus, si eam prætergressæ alienam tecti partem transeant; quia cum prior pars ad Monasterium pertineat, est intra clausuram; non sic posterior, quæ alterius domus, non autem Monasterij pars est. Doctores *in locis suprà cit.* & alij quos citat, & sequitur Lopez de Texeda *in Controuers. moral. num.*1. *lib.*2. *controuers.* 14. *dub.* 8. *num.* 9. Quod inde confirmatur,

5 quia ex communi sententia Doctorum, qui inuentus est super tegulas Ecclesiæ, habetur ac si inuentus esset in ipsa Ecclesia; quapropter gaudet immunitate Ecclesiæ.

6 Sequitur tertiò, quòd cum Pius V. in Motu proprio, qui incipit: *Circa Pastoralis*, præcipit, ne Moniales Monasteriis, seu domibus propriis egrediantur, per domos ibi non intelligat alias Monasterij domos distinctas ab ipso Monasterio, sed intelligat ipsummet Monasterium, ita vt Monasteria, & domus pro eodem vsurpet: nam ly *seu*, sicut & *siue*, non sensum, sed sola verba disiungit, teste Abbate *cap. inter catera, num.* 4. *de rescriptis*, quem sequuntur Nauarr. *comment.*4. *num.*44. *notab.*4. *de Regular.* Rodrig. *qq. Regular. tom.* 1. *quæstione* 44. *artic.* 3. & alij passim.

7 Quapropter Monialis, siue iustè, siue iniustè è Monasterio egressa, & intra domum aliam priuatam inclusa, ex hac egrediatur, clausuram non violat, cùm domus hæc Monasterium non sit, sed aliud quid à Monasterio distinctum, & sic non egrediatur ex ambitu Monasterij. Nauar. *citat. Commentar.* 4. *num.*44. Bonacina *de clausura, cit. quæstione* 1. *punct.*2. & Lezana *cit. tom.*1. *cap.*25. *num.*18. Quod adeo verum est, vt intra clausuram non comprehendantur domus Mo-

8 nasteriis contiguæ, intra quas conuersæ professæ eleemosynis colligendis destinatæ morari debent, ob eandem rationem, quia hæ non sunt Monasterium, domus Regulares, seu locus clausuræ, sed sunt extra clausuram, ita vt inde conuersæ professæ egredientes (etiam ad inhonesta perpetranda) non violent clausuram, & eo licitè sæculares, non sic Moniales, ingredi possint sine violatione clausuræ. Nauarr. *loc. cit. num.*36. Bonacina *de clausura, quæst.*1. Tamburinus *de iure Abbat. disp.*19. *quæst.*5. *ad* 7. Lezana *tom.*1. *cap.*25. *num.*18. & *verb. Clausura, num.*8. vide etiam quæ dicentur *d. b.*16.

9 Quid autem dicendum sit de Moniali, quæ se ponit in Rota, & facit il'am volui versus partem exteriorem, vbi non est clausura, ipsa tamen Monialis non egreditur è Rota?

Respondetur, quod (licet prohabiliter teneant Comitolus *in respons. Moral. lib.*6. *quæst.*3. & Portellus *in dub. Regular. verb. Clausura Monialium, num.* 24. talem Monialem violare clausuram, & sic incurrere pœnas impositas contra violantes clausuram, ex eo, quia sic accessit ad locum, ad quem sæculares licitè accedunt, quod fieri expressè prohibetur in Bulla Gregorij XIII.) tamen probabiliùs negetur, saltem ratione paruitatis materiæ, esse quid notabile contra clausuram; quia talis Monialis in casu dicto non egreditur, saltem notabiliter, ex ambitu clausuræ, sed se habet, ac si esset in ostio clausuræ: quod non est saltem quid notabile, contra clausuram. Doctores quos citat, & sequitur Diana *p. m.* 3. *tract.*2. *resol.*52. Cæterùm quod in egressu è clausura, sicut & in ingressu ad illam, detur paruitas materiæ, dicam *infrà dub.*53. 10

## DVBITATIO V.

### Quænam Moniales clausura astringantur?

#### SVMMARIVM.

1 *Moniales professæ etiam Ordinum Militarium S. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, &c. astringuntur clausura.*

2 *Moniales cuiuscumque ordinis, etiamsi Hierosolymitanæ sint, comprehenduntur in decreto de clausura.*

3 *Moniales, quæ ante Tridentini Decretum clausuram seruare non consueuerant, astringuntur clausura.*

4 *Decreti Concilij de clausura potiùs mens quàm verba sunt attendenda.*

5 *Motus proprius Pij V.* & cap. periculoso, de statu Regul. in 6. *interpretatur.*

6 *Moniales conuersæ, & tertiariæ cuiuscumque Ordinis, vel Congregationis, si verè vtræque professæ sunt, astringuntur ad clausuram.*

7 *Conuersæ prædictæ, vbi est consuetudo, quod pro quæstu exeant à Monasterio, dummodo habeantur licentiæ necessariæ, & sint ætatis saltem* 40. *annorum, & non sint plures quàm octo, tolerari potest.*

8 *Mulieres in Congregatione modum aliquem viuendi religiosum vouentes, hortandæ sunt ad solenniter profitendum, & ex tunc ad clausuram tenentur. Quod si facere recusauerint, non licet in posterum aliquam in Congregationem admittere, sub pœna nullitatis professionis.*

9 *Moniales, quæ faciebant professionem ea conditione, vt clausura non obstringerentur, probabilius non sunt professæ.*

10 *Oblatæ non tenentur ad clausuram, quia non sunt verè Moniales, nec professionem emittunt.*

11 *Nouitiæ cuiuscumque approbatæ Religionis non tenentur ad clausuram, quia neque hæ sunt professæ.*

12 *Nouitiæ egredientes è Monasterio ex causa rationabili, non interrumpunt nouitiatum; secus si egrediantur sine causa, licentia, vel habitu.*

13 *Nouitia si egrediatur de licentia Abbatissæ, malè tamen concessa, adhuc tamen non interrumpit nouitiatum.*

14 *Nouitiæ dari non potest licentia egrediendi ad visendos parentes.*

15 *Professa ea conditione, vt in domo propria maneat, non tenetur ad clausuram.*

16 *Priuilegium obtentum à Monialibus aliquibus ante Concilium Tridentinum, & motum Pij V. viuendi intra conuentum in aliquibus locis honestis, non suffragatur.*

17 *Moniales, quæ vel ex regula, vel ex voto tenentur ad clausuram, peccant eam violando contra Regulam, vel votum, vel etiam contra præceptum Ecclesiasticum.*

RESpondetur, & dico primò, astringi Moniales professas, etiam Ordinum Militarium, S. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, &c. Probatur ex Trident. *sess.*25. *de Regular. cap.*22. ibi: *Hæc omnia, & singula* 1 *in*

*in superioribus decretis contenta observari S. Sydonus præcepit in omnibus Cœnobiis, de Monasteriis quarumcunque sanctimonialium, etiamsi illæ sub gubernio Militiarum, etiam Hierosolymitanæ viuant, & quocumque nomine appellentur, sub quacumque Regula, vel Constitutione.* At vnum ex decretis ibi contentis est de Monialium
2 clausura: ergo, &c. Probatur secundò ex cit. Motu proprio Pij V. ibi: *Cuiuscumque Ordinis, vel Militiarum, etiamsi Hierosolymitanæ sint*; quæ dictio *etiam*, in vtroque decreto significat, comprehendi etiam Religiosas, quæ sunt aliarum Militiarum & Religionum. Nauar. *n.* 44. Rodriguez *qq. Regul. tom.* 1. *q.* 44. *art.* 1. *& 3. & tom.* 3. *summ. in addition. in c.* 95. *concl.* 5. Portell. *in addit. ad dub. reg.* Lezana *verb. clausura, n.* 23. *& tom.* 1. *c.* 25. *num.* 17. Llamas *in append.* §. 1. *in fin.* & Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *c.* 12. *n.* 1. quidquid in contrarium quidam dubitarint.

3 Dico secundò, astringi etiam Moniales, quæ ante Tridentini decretum clausuram seruare non consueuerant: probatur ex Tridentino *loco cit.* vbi iubetur, in quibuscumque Monasteriis seruari omnia decreta illius sessionis 25. de Regularibus, inter quæ vnum est huius clausuræ, etiamsi à tempore immemorabili sit contraria consuetudo: quod & confirmat Pius V. *in cit.* Motu proprio, *Circa pastoralis*, ibi: *Etiamsi ex institutis, vel fundationibus earum Regulæ ad clausuram non teneantur, nec vnquam in earum Monasteriis, nec domibus, etiam ab immemorabili tempore seruata fuerit.*

Obiicies, *in cit. loco Tridentini*, dicitur: *Vniuersis Episcopis præcipit S. Synodus, vt in omnibus Monasteriis clausuram sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restitui, & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent.* At non dicitur violari, nec restitui, quod nunquam fuit: ergo.

4 Respondetur, mentem potius Tridentini, quàm verba illius spectari debere, *iuxta Regul. fin. de R. g. iuris in* 6. præsertim cum Tridentinum ibi vniuersis Monialibus clausuram præcipere intendat: & *cap.* 5. sic habeat: *Vbi id præceptum violatum est, non introducta clausura* (& hoc dicitur, clausura violata) *restituatur*, id est, instauretur, & reducatur ad clausuram debitam vi illius præcepti.

5 Instabis, *in cit. Motu, Circa pastoralis*, & *cap. periculoso in princip. de statu Regular. in* 6. dicitur: *Decernimus vniuersas Moniales, si tacitè, vel expressè Religionem professæ sunt*: ergo solæ Monia'es, quæ clausuram profitentur, videntur ad illam teneri.

Respondetur, ibi disponi de professis tacitè, vel expressè Religionem, ad excludendas Nouitias, & alias non professas; non autem de professis clausuram.

6 Dico tertiò, astringi etiam ad clausuram Moniales Conuersas, & Tertiarias cuiuscumque Ordinis, vel Congregationis, si verè vtræque professæ sint: Probatur, quia in dicto Motu Pij V. *Circa Pastoralis*, id expressè præcipitur, & docent. ex communi sententia Doctorum Nauar. *n.* 45. Rodrig. *quæst.* 44. *art.* 4. Llamas, Lezana, & Layman *in locis suprà cit.* quidquid in contrarium dixerit Corduba *in annotationib. verb. Clausura Monialium, notab.* 1. qui scripsit ante dictum Motum Pij V.

7 Cæterùm licet prædictæ Conuersæ, sicuti dicebam, ad clausuram teneantur, itavt non possint neque ad altare in Ecclesia exteriori ornandum egredi, provt declarauit S. Congregatio Episcoporum, & Regularium, 17. Octobr. 1592. nihilominus vbi fuerit consuetudo prædictas Conuersas è Monasterio egredi pro quæstu, tolerari potest, dummodo habeantur licentiæ necessariæ, & tales Conuersæ sint ætatis saltem 40. annorum, non sint formosæ, & foris non pernoctent, & non sint plures, quàm octo ad quæstum destinatæ; & si deinde non egeant, cessent à quæstu; provt etiam declarauit eadem sacra Congregatio apud Gauantum *in Manual. Episcop. verb. Monialium clausura, n.* 18. *& seqq.* qui *n.* 20. subdit, quid dicendum sit de Monialibus conuersis, si similiter egeant, & ego dicam *dub.* 16.

Dico quartò: Mulieres in Congregatione modum 8
aliquem viuendi religiosum vouentes, hortandas esse, quod solenniter profiteantur, & ex tunc ad clausuram teneri; quod si id facere recusarint, & voluerint in Congregatione viuere sine clausura, non licere eis aliquam in posterum in suam Congregationem admittere; sic expressè statuitur in citato Motu proprio Pij V. vbi & sic subditur: *Quod si contra huiusmodi hanc nostram prohibitionem, & decretum aliquas receperint, eas ad sic viuendum omninò inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet professiones, ac receptiones irritas decernimus, & nullas.* Quod intelligas de receptionibus in posterum contra hoc decretum factis, non item de receptionibus, quæ dictum decretum antecesserant; quia lex loquitur, & prospicit in futurum. Vide Nauarrum *n.* 45. & Rodriguez *tom.* 1. *q.* 44. *art.* 3.

An autem quædam Moniales, quæ faciebant pro 9
fessionem ea conditione, vt clausuræ non obstringerentur, verè essent professæ? Respondetur cum Miranda *in tract. de Monialib. q.* 1. *art.* 4. probabilius negatiuè; quia Motus Pij V. videtur irritasse, & annullasse simpliciter dictas professiones.

Ex dictis sequitur, ad clausuram non teneri Obla- 10
tas, quia non sunt verè Moniales, nec professionem emittunt, sed vel nullo voto obstringuntur, vel solum votis simplicibus. Nauar. *num.* 47. Zerola *in praxi Episcop. p. rt.* 1. *verb. Moniales, ad* 16. *quæst. dub.* 4. Azor. *tom.* 1. *l. b.* 13. *cap.* 8. *quæst.* 1. Lezana *tom.* 1. *cap.* 25. *num.* 17. Graff. 1. *part. decis. lib.* 4. *cap.* 33. Rodrig. *cit. q.* 44. *art. vlt.*

Sequitur secundò, ad clausuram neque teneri Noui- 11
tias cuiuscumque Religionis approbatæ, quia neque hæ sunt professæ, & textus omnes clausuram adhibentes loquuntur solum de tacitè, vel expressè professis. Doctores *supra cit.* & Graff. 1. *p. decis. lib.* 4. *c.* 23. *num.* 17. Rodrig. *cit. art. vlt. in fin.* & Nauar. *etiam lib.* 3. *consil. tit. de Regular.* 81. *&* 82. & *tit. de statu Monachorum, consil.* 6. & *consil.* 7. *n.* 1.

An autem egredientes è Monasterio interrumpant 12
Nouitiatum, & desinant esse Moniales?

Respondetur negatiuè, si egrediantur ex causa rationabili, v. g. morbi grauis curandi, & ex licentia Superiorum, & cum habitu; quia talis egressio cum his circumstantiis arguit vnionem, & permanentiam in Religione, saltem quoad effectum: secus si egrediantur sine causa, licentia, vel habitu; quia talis egressio è contra arguit retrocessionem ab obedientia, Religione, vel habitu. Sic S. Congregatio, quam refert, & sequitur Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 16. qui subdit, quod si Nouitia egrediatur de licentia Ab- 13
batissæ, malè tamen concessa, adhuc tamen per talem egressionem non interrumpatur Nouitiatus, quantum est ex vi iuris communis. Videri etiam poterit Barbosa *de potest. Episcop. alleg.* 101. *n.* 23. *&* 28. & Gauantus *in Man. Episcop. verb. Monialium clausura, n.* 13. qui refert 14
eandem S. Congregationem declarasse, non posse Nouitiæ dari licentiam egrediendi ad visendos parentes.

Sequitur tertiò, quod si hodie licitè aliqua profi- 15
teatur ea conditione, vt in domo propria maneat (provt permittitur *in cap. fin.* qui clerici, vel vouentes) neque ad clausuram teneri istam talem professam; quia cit. textus loquuntur de Monialibus in Congregatione viuentibus, vti constat ex Motu Pij V. ibi: *Mulieres quoque, quæ Tertiariæ, seu de Pœnitentia dicuntur, cuiuscumque Ordinis fuerint, in Congregatione viuentes.* Et docent Nauar. *comment.* 4. *n.* 45. & Graff *cit. c.* 23. *n.* 17.

16 Sequitur quartò, quod si quæ Moniales obtinuerint ante Tridentinum, & Motum Pij V. priuilegium Pontificium viuendi intra Conuentum in aliquibus locis honestis, tale priuilegium eis non suffragari; quia
17 omnia huiusmodi priuilegia sublata sunt per Tridentinum, & dictum Motum Pij V. suffragabitur tamen, si sit priuilegium obtentum post talia Decreta. Nauar. *cit. comment.4. num.53. notab. 2. & 3.* & alij passim.

Cæterùm, quid peccent Moniales clausuram non seruando.

Respondetur, quod quæ ad illam tenentur ex Regulæ statuto, vel ex voto, peccent contra Regulam, vel votum, & etiam contra præceptum Ecclesiasticum. Quæ verò ad illam non tenentur, nec ex Regulæ statuto, nec ex voto, peccent solùm contra præceptum Ecclesiasticum, propter textus scilicet *suprà* allegatos. Rodrig. *cit.quæst.44.art.2. ad 1.* ex communi sententia Doctorum.

## DVBITATIO VI.

### Ad quemnam spectet astringere Moniales ad clausuram?

#### SVMMARIVM.

1 *Episcopus in Monasteriis sibi subiectis auctoritate ordinaria, in exemptis auctoritate delegata, debet astringere Moniales ad clausuram.*
2 *Idem dic de Prælatis exemptis.*
3 *Lex interpretans in dubio intelligi debet iuxta legem, quam interpretatur.*
4 *Lex noua interpretans recipit omnes interpretationes veteris, etiamsi strictiùs loquatur.*
5 *Motus Pij V. qui incipit*, circa Pastoralis, *perpenditur.*
6 *Ex Tridentini Concilij dispositione etiam Monasteria Sedi Apostolicæ immediatè subiecta Episcoporum gubernio subiacent.*
7 *Declarationes Sacræ Congregationis Cardinalium faciunt opinionem satis probabilem; non tamen contrariam reddunt improbabilem.*
8 & 9. *Sæculares magistratus præstare debent auxilium brachij secularis, si opus fuerit eo vti ad cogendas Moniales ad clausuram sub excommunicationis non reseruatæ pœna ipso facto incurrenda, secus autem Principes, qui tamùm à Concilio Tridentino ad huiusmodi auxilium præstandum exhortantur.*
10 *Exhortatio non importat præceptum.*
11 *Nomine Magistratuum sæcularium veniunt etiam Ecclesiastici, si iurisdictionem sæcularem exercent.*
12 *Episcopi, & alij locorum Ordinarij non tenentur sub pœna peccati mortalis publicare quotannis decretum de clausura Monialium; sed sufficit si semel publicatum fuerit.*

1 Respondetur, quod quamvis aliqui, vt Zerola *loco supra cit. ad 4. & 8. quæst.* satis probabiliter sentiant, id in vniuersum spectare ad Episcopum, moti ex Trident. *sess.25. de Regular. cap.5.* vbi videtur talis facultas Episcopis concedi respectu omnium Monasteriorum etiam exemptorum, quæ Regularibus subiiciuntur, sic enim ibi habetur: *Bonifacij VIII. Constitutionem, quæ incipit Periculoso, renouans S. Synodus, vniuersis Episcopis sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, præcipit vt in omnibus Monasteriis sibi subiectis ordinaria; in aliis verò Sedis Apostolicæ auctoritate clausuram sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restitui, & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent, inobedientes, atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacumque appellatione postposita, compescentes.* Quod etiam sæpè declarauit S. Congregatio, teste Galleto *verb. Clausura, num.1.* Barbosa *ac cæter. & potest. Episc. allegat.102. num.6. & seqq. & in collect. verb. clausura*, Gauanto *verb. Monialium clausura, num. 47. 58. & seqq.*) nihilominus satis probabiliter etiam cum Nauarro *cit. Comment.4. num.60.* Llamas *in append. §.3.* Graff. *1. part. decis. libro 4. cap.23. num.6.* Miranda *tom.1. quæst.46. art.6.* Layman *lib.4. tract.5. cap.12. n.1.* Bonacina *de clausura, quæst.1. punct.6.n.1. & quæst.4. punct.2.* & Lezana *verb. Clausura, num.24.* etiam dici possit, quod spectet ad Episcopum auctoritate ordinaria astringere Moniales sibi subiectas, & auctoritate Apostolica astringere Moniales immediatè Sedi Apostolicæ subiectas, exemptas verò ab Episcopo, & 2 subditas aliis Prælatis exemptis astringere spectet ad ipsos Prælatos exemptos aliorum Ordinum.

Probatur primò ex *cap. periculoso, §. vlt. de statu Regul. in 6.* ibi: *Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis mandamus, quatenus eorum quilibet in ciuitate, ac diœcesi propria in Monasteriis Monialium sibi ordinariè iure subiectis, sua; in his verò, quæ ad Romanam immediatè spectant Ecclesiam, Sedis Apostolicæ auctoritate: Abbates verò alij, tam exempti, quàm non exempti Prælati Ecclesiarum, Monasteriorum, & Ordinum quorumcunque in Monasteriis huiusmodi sibi subiectis de Monialibus includendis quamprimùm commodè poterunt, prouidere procurent.* Quod Decretum non reuocat Tridentinum, quin innouare protestatur, & in- 3 terpretatur, & lex interpretans in dubio intelligi debet iuxta legem, quam interpretatur, & recipit omnes illius interpretationes, etiamsi lex noua interpretans 4 strictiùs loquatur, vt communiter Doctores.

Secundò, ex Motu proprio Pij V. *Circa Pastoralis,* 5 ibi: *Mandantes Patriarchis, &c. quatenus in Monasteriis Monialium sibi ordinario iure subiectis, sua; in his verò, quæ ad Romanam mediatè, vel immediatè spectant Ecclesiam, Sedis Apostolicæ auctoritate, vnà cum Superioribus eorumdem Monasteriorum clausuram seruari procurent.* Et paulò post: *Iuxta formam dictæ Constitutionis Periculoso, in Sacro Concilio Tridentino approbatam, & innouatam, quam etiam nos auctoritate præfata approbamus, & innouamus in omnibus, & per omnia, ac illam districtè obseruari mandamus.*

Tertiò, ex Tridentino *sess. 25. de Regular. cap.9.* vbi 6 statuitur, quod non Monasteria exempta Regularibus subiecta, sed quæ Sedi Apostolicæ sunt immediatè subiecta, ab Episcopis gubernentur.

Ad oppositа ex dicto Tridentino *cap.5.* patet ex 7 dictis, quæ sit mens ipsius Tridentini, ibi: Ad Cardinalium declarationes respondetur, quod de ipsis non constet authenticè; & quod faciant opinionem quidem satis probabilem, non autem quod reddant contrariam improbabilem, ob rationes dictas.

Cæterùm, si vt Moniales ad clausuram cogantur, 8 opus fuerit auxilio brachij sæcularis, id inuocandum erit, & præstandum à sæcularibus, vti constat ex Tridentino *cit. cap.5.* ibi: *Inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis, quod auxilium, vt præbeatur, omnes Christianos Principes hortatur S. Synodus, & sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda omnibus Magistratibus secularibus iniungit.*

Vnde fit, quod si Principes hoc auxilium sine iu- 9 sta causa denegent (licet peccent contra illam legem, cùm ex officio sibi iniuncto ad illud iustè petentibus præstandum teneantur, iuxta *cap.1. de offic. Ordinar. cap. Principes, de maior. & obed. cap. duo, & cap. si Imperator, distinct.96.* & docet Nauar. *Comment.4. num.46.* & alij passim) tamen non peccant contra hoc decre-

tum

10 tum Tridentini, sicuti contra ipsum peccant cæteri Magistratus sæculares, si scilicet requisiti præstare auxilium grauiter omittant, secus si non omittant grauiter, vt si verbi gratia mandent satellitibus, vt auxilium præstent; isti verò fingant auxilium præstare, sed non præstent, in quo casu, cum illi saltem mortaliter non peccent, excommunicationem non incurrent; quia diuersimodè de vtrisque loquitur Tridentini dictum decretum, siquidem Princeps ad huiusmodi auxilium præstandum exhortatur solum, & exhortatio non importat præceptum, *cap. quod præcipitur, 14. quæst. 1.* Cæteros autem Magistratus sæculares grauissimo præcepto sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ constringit. Quæ tamen reseruata Papæ non est, cùm in Tridentino Concilio nullum de reseruatione verbum reperiatur.

11 Nomine Magistratuum sæcularium veniunt omnes qui iurisdictionem sæcularem exercent, iuxta *l. eum qui, ff. de iurisd. omn. Iudic.* & videri potest Bart. *l. 1. ff. de offic. eius cui mandata est iurisdict.* Speculator *tit. de iurisdict. omn. Iudic.* Duardus *in Bull. Cœn. can. 19. quæst. 2. num. 2.* Et veniunt Magistratus sæculares cuiuscumque generis, & ordinis existant; quia illa dictio *omnibus*, est vniuersalis. Et nullum Magistratum sæcularem excludit, *l. Iulianus, & l. testamentum, in princ. ff. de legatis 3. & l. hoc articulo. ff. de hæred. instituend.* Quapropter veniunt Prætores, Iudices, Ciuitatum Rectores, prouinciarum Præfecti, & quicumque alij, qui Regibus, & Principibus (cum hi ex Nauarro *comment. 4. num. 70. de Regular.* & Sanch. *lib. 6. moral. cap. 15.* vt potè ius proprio iure dicentes, & superiorem in temporalibus non agnoscentes, non vocentur Magistratus, sed Reges, & Principes) in exercenda iurisdictione sæculari sunt inferiores.

Quod adeò verum est, vt etiam veniant Ecclesiastici, si hi etiam exercent iurisdictionem sæcularem, seu exercent iurisdictionem titulo sæcularis potestatis, vt si à Principe sæculari Præsides, vel alicuius Magistratus sæcularis, à quo ciuitas, vel prouincia gubernatur, Consiliarij constituantur; quia tunc Ecclesiastici etiam veniunt nomine Magistratus sæcularis, cum Trid. Concilium non respexerit ad circumstantiam personæ præcisè, sed ad qualitatem muneris, & officij, à quo Magistratus sæcularis nomen desumitur.

An autem teneantur Episcopi, & alij locorum Ordinarij sub pœnâ peccati mortalis quotannis decretum hoc de clausura Monialium publicare?

Respondetur negatiuè, stante quod Motum Pij V. incipientem, *Decori*, vbi id fieri præcipiebatur in vir-
12 tute S. Obedientiæ, attemperauit postea ipsemet Pius V. in altero Motu incipiente: *Circa Pastoralis*, & Gregorius XIII. in suo Motu, qui incipit: *Deo sacris*, vbi solum publicationem præcipiunt, non addito, quoties ea fieri debeat, consequenter sufficit, quod semel id decretum publicatum fuerit, & ita seruatur in praxi. Vide Nauarrum *Comment. 4. de Regular. n. 54. & 58.*

## DVBITATIO VII.

### Ad quemnam spectet dare licentiam egressus è clausura, & causam egressus approbare.

### SVMMARIVM.

1 *Ad Episcopos spectat in omnibus quibuscumque Monialium Monasteriis dare licentiam egressus è clausura, & causam egressus approbare.*

2 *Ad Episcopos coniunctim cum Superioribus Regularibus spectat dare licentiam egressus è clausura, & causam approbare.*

3 *Moniales si egressæ fuerint sine licentia Ordinarij à clausura, & Superiores Regulares si licentiam dederint, censuris Ecclesiasticis ab ipsismet Ordinariis puniri poterunt.*

4 *Confectij opinio reprobatur asserentis solum in tribus casibus requiri Episcopi, & Superioris Monasterij coniunctim licentiam egrediendi.*

5 *Opinio Rodriguez refellitur, & cur; neque enim Superiores Regulares in Monasteriis nullius Diœcesis, siue locorum Ordinariis possunt dare licentiam egrediendi à clausura.*

6 *Abbatissa, cum præcepto clausuræ obstringatur, sicut cæteræ Moniales, non potest dare licentiam egrediendi à clausura.*

7 *Motus Pij V. qui incipit (Decori & honestati) non est vbique vsu receptus, vbi tamen vsu receptus est, non potest Superior Regularis sine Ordinario dare licentiam egressus, secus tamen est, vbi motus prædictus non est vsu receptus.*

8 *Abbatissa licentia non sufficit; & cur.*

9 *Licentia egrediendi è Monasterio debet esse in scriptis, sicut & ingrediendi in ipsa.*

REspondetur, quod (quamvis Nauar. *lib. 3. consil. 48. num. 9. tit. de Regular. & consil. 5. num. 6. tit. de Statu Monach.* Graff. *1. part. decis. lib. 4. cap. 23. num. 6.* Llamas *in append. §. 5.* Miranda *de Monialibus, quæst. 3. art. 6. concl. 1.* Rodriguez *tom. 1. quæst. 46. art. 6.* Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 12. num. 1.* sentiant licentiam hanc dare, & causam egressus approbare, spectare ad Episcopum in Monasteriis sibi, vel Sedi Apostolicæ subiectis, at in Monasteriis exemptis, quæ Regularibus subiiciuntur, spectare ad Superiores Regulares, vt suprà de clausura Monialibus indicenda ad mentem eorumdem Doctorum satis probabiliter dicebatur) tamen probabilius sit, generaliter in omnibus quibuscumque Monialium Monasteriis spectare ad Episcopum, & meritò, quia plus est dare licentiam egressus, quàm ad clausuram Moniales astringere (vnde patet disparitas ad fundamentum oppositum:) tum quia Tridentinum *sess. 25. de Regular. cap. 5.* generaliter ait: *Nemini autem Sanctimonialium liceat post professionem exire à Monasterio, etiam ad breue tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda*: tum quia Pius V. in Motu proprio, qui incipit: *Decori, & honestati*, postquam decidit, nulli Monialium licere egredi, nisi ex causa magni incendij, vel infirmitatis, lepræ, vel epidemiæ, subdit: *Quæ tamen infirmitas, præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiamsi prædicta Monasteria ab Episcoporum, & Ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita, & expressè in scriptis approbata sit.* Quapropter in 2 Monasteriis exemptis, quæ subduntur Regularibus, requiri Superioris Monasterij, & Episcopi licentiam coniunctim, docent Nauar. *Comment. 4. Regular. numero 60.* Azor. *tom. 1. lib. 13. cap. 9. quæst. 1.* Zerola *in praxi Episcop. part. 2. verb. Moniales, dubitat. 8.* (qui sic testatur de praxi,) Capuccinnus *in Annotat. ad Compendium priuilegiorum Mendicantium, verb. Clausura Monialium, ad fin.* & Doctores, quos citat, & sequitur Tamburinus *de iure Abbat. disput. 20. quæst. 5.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat. 102. num. 69. & seqq.* Nouarius *in Lucerna Regular. verb. Episcopus quoad Regulares, num. 7.* qui testatur, se declarasse S. Congregationem in vna Viterbiensi, 26. Iunij 1626. Peirinus *tom. 1. priuileg. Minim. in Constit. 6. Pij V. num. 22.* & Lezana *tom. 1. cap. 25. num. 21.* vbi refert alteram S. Congregationis declarationem

1

in

in his verbis : *Moniales subiecta iurisdictioni Regularium exemptorum, si sine licentia Ordinarij egressa fuerint è Monasteriis, debent ipsæ, & ipsarum superiores, de quorum licentia de Monasteriis egressæ fuerint, per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris remedia ab eorum Ordinario puniri, non obstantibus quibuscumque priuilegiis*, &c. 3

Dices, Motum Pij V. requirere in Monasteriis exemptis, quæ subduntur Regularibus Superioris Monasterij, & Episcopi licentiam coniunctim in iis tribus casibus, quos ibi Pontifex enumerat, non autem in aliis casibus : & ideò in aliis casibus sufficere tantum licentiam Superioris Monasterij. Sic nonnulli Doctores, inter quos Confectius *de priuileg. Ordinum Mendicantium, tit. 20. cap. 4.*

Sed contrà, quia absurdum est dicere, Pontificem requirere in Monasteriis exemptis (quæ subduntur Regularibus) Superioris Monasterij, & Episcopi licentiam coniunctim in iis tribus casibus, qui ab ipsomet Pontifice, tanquam iusti, approbantur, & sic certis ; & non requirere vtriusque, sed tantum Superioris Monasterij licentiam in aliis casibus, qui per similitudinem, vel extensionem à Doctoribus tanquam iusti approbantur, & sic non certis, sed dubiis. 4

Dices secundò, Motum Pij V. intelligi de Monasteriis exemptis, quæ subduntur non solum Generalibus, & Prouincialibus habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem, sed etiam subduntur Superioribus Monasterij inferioris talem iurisdictionem quasi Episcopalem non habentibus : consequenter in talibus Monasteriis non sufficere Superioris immediati licentiam, sed requiri etiam licentiam, & approbationem Generalis, vel Prouincialis (cum hi quoad iurisdictionem sint Episcopi Monialium sibi subiectarum) non tamen item Episcopi : sic Rodriguez *cit. quæst. 46. art. 6.*

Sed contrà, quia absurdum est dicere, Pontificem ibi per Episcopum, & Ordinarium intelligere Generalem, vel Prouincialem iurisdictionem quasi Episcopalem habentes ; sicut constat ex iis verbis : *Præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiamsi prædicta Monasteria ab Episcoporum, & Ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiamur* : nam cum ibi dicatur : *Præter alios Ordinum Superiores*, clarè Pontifex omnes Superiores, & non solùm immediatos includit : & cum subdatur, *Per Episcopum, seu alium loci Ordinarium*, clarè Pontifex non intelligit Superiorem Regularem ; non enim Superior Regularis dicitur loci Ordinarius : tum quia sequeretur, quod in his Monasteriis requireretur præter licentiam Generalis, vel Prouincialis licentia Superioris immediati, seu localis ; cum Pontifex ibi requirat licentiam Episcopi, & Superioris Monasterij, quod tamen Rodriguez non admittit. Et verè (remotis Religionis Constitutionibus, quæ sic statuant) non est ratio, cur solum Generalis, vel Prouincialis hanc licentiam dare possit, & non possit Superior immediatus, seu localis ; cum & hic iurisdictionem quasi Episcopalem habeat, sicut & ille ; quamuis non item possit Abbatissa, vtpotè quæ præcepto clausuræ obstringitur, sicut & cæteræ Moniales : sic Doctores communiter, quos citat, & sequitur Rodriguez *loco cit. quæst. 46. art. 2.* & Sanchez *de matrimon. lib. 8. disput. 3. num. 9.* 5 6

Dices tertiò, Motum Pij V. non esse vsu receptum, & ideo per non vsum vires obligandi amisisse. 7

Sed contrà, quia licet id verum sit in aliquibus locis, vt in Hispania, teste Rodriguez *quæst. 47. art. 11.* & Lezana *cit. num. 21.* non tamen verum est in omnibus locis, sicuti patet ex dictis suprà. In locis tamen, in quibus prædictus Motus Pij V. vsu receptus non est, concedo, quod quoad Monasteria exempta non sit opus licentia Episcopi, sed sufficiat licentia Generalis, aut Prouincialis, aut Superioris localis, iurisdictionem quasi Episcopalem habentis. Nauar. & Azor. *locis supra cit.* Suar. *tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 9. n. 13.* Llamas *in Append. §. 5.* Miranda *de Monialib. quæst. 3. art. 6. concluf. 1.* & Bonacina *de clausura, quæst. 1. punct. 8. num. 1.*

Ex dictis sequitur, quod non sufficiat licentia Abbatissæ ; quia ipsa etiam clausuræ præcepto obstringitur, sicut Moniales ; tum quia Motus Pij V. loquitur de Superioribus Ordinum, ibi : *Præter alios Ordinum Superiores.* Doctores quos citat, & sequitur Rodriguez *tom. 1. qq. Regular. quæst. 46. art. 2.* & Bonacina *num. 1. cit.* 8

Sequitur etiam, quod licentia egrediendi è Monasterio debeat esse in scriptis, quia sic expressè iubet Pius V. in dicto motu, *Decori, & honestati* : tum quia cùm Tridentinum *dict. sess. 25. de Regularibus, cap. 5.* exigat licentiam ingrediendi in Monasteria Monialium in scriptis esse, signum est, quod multò magis exigat in scriptis esse licentiam egrediendi ex illis ; cum longè grauius quid sit, Monialem egredi ex Monasterio, quàm personam sæcularem ingredi in illud. Nauar. *quæst. 3. art. 6. concluf. 2.* & Suar. *de Relig. libro 1. cap. 9. num. 16.* 9

Cæterùm, an si licentia non sit in scriptis, vel saltem verbotenus obtenta : item si non sit legitima, sed fraude, vel fauore impetrata, Monialis egressus è Monasterio sit illicitus, & censuris subiectus, dicam *infrà dubit. 37. & 55.*

## DVBITATIO VIII.

### An dare licentiam egressus è clausura, & causam egressus approbare, spectare possit etiam ad Vicarium?

## SECTIO I.

### Dubitationis Resolutio.

### SVMMARIVM.

1 *Vicarius Generalis, & Vicarius foraneus potest dare licentiam egressus è clausura, & causam egressus approbare.*

2 *Episcopus potest sibi solùm reseruare dare licentiam egrediendi è clausura, & potest etiam eam committere Vicario foraneo, & cuinam maluerit.*

3 *Nomine Ordinarij in omnibus decretis venit Vicarius Generalis, non item foraneus.*

4 *Vicarius Generalis habet vnam, eamdemque iurisdictionem, & constituit vnum, & idem Tribunal cum Episcopo.*

5 *Clausuram Monialium inducere spectat ad Episcopos vt Sedis Apostolicæ Delegatos, non item quod Moniales è clausura egredi non possint ; quia Concilium loquitur simpliciter de Episcopo, & consequenter extendi etiam potest ad Vicarium.*

6 *Vicarius Generalis Capituli, sede vacante potest circa clausuram Monialium quidquid potest Vicarius Episcopi ; idem dic de Vicario cuiuscumque Prælati iurisdictionem quasi Episcopalem habentis, & de Vicario Generalis Ordinum militarium.*

7 *Prælati iurisdictionem quasi Episcopalem habente possunt in Monasteriis exemptis quidquid possunt Episcopi.*

§ *Capitulum*

8 *Capitulum Sede vacante probabilius est quod possit in Monasteriis exemptis circa clausuram, quidquid poterat Episcopus.*

1 REspondetur affirmatiuè, si loquamur, non de Vicario foraneo, sed de Vicario Generali. Armendariz *in addit. ad recopilat. legum Navarræ, lib.2. de Relig. num.*109. Barbosa *de offic. & potest. Episc. allegat.*102. *num.*38. Lezana *verb. Clausura, num.*24. Et probatur, quia licet Tridentinum *sess.*25. *de Regular. cap.*5. iubeat, licentiam esse ab Episcopo approbandam, hîc nomine Episcopi venit Vicarius, si non foraneus (nisi huic talem facultatem commiserit) sal-
2 tem Generalis (nisi huic dictam facultatem abstulerit, eam sibi reseruando.) Siquidem Pius V. in Motu proprio, *Decori, & honestati*, loquens de eo, qui talem licentiam dare debeat, explicuit Episcopi, aut alium loci Ordinarium: nomine autem Ordinarij in
3 omnibus decretis venit Vicarius Generalis, non item foraneus. Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *de matrimon. lib.*3. *disputat.*29. *num.*35. Iacob. Sbrozius *de Vicario Episcopi lib.*2. *quæst.*55. *num.*9. licet sibi contrarius videatur *quæst.*201. *num.*4. Bonacina *de clausur. quæst.*1. *punct.*8. *num.*2. Layman. *lib.*4. *tr.*8. 5. *cap.*12. *num.*1. & Diana *part.*3. *tractatu* 2. *resol.*48. tum quia quotiescumque Tridentinum loquitur de Episcopo, & res non est aliena ab eius Vicario generali, & non excipitur idem eius Vicarius Generalis, de facto nomine Episcopi comprehendit Vicarium Generalem. Glossa, Felinus, & alij Doctores, quos citat; & sequitur Sanchez *loco supra cit. num.*16. tum quia Vicarius Generalis habet vnam, eandemque iurisdi-
4 ctionem, & constituit vnum, & idem tribunal cum Episcopo, consequenter habet sibi subiectas Moniales, quas auctoritate propria subiectas habet Episcopus. Nauar. *lib.*3. *cons.*6. *& consil.*9. *num.* 2. *de statu Monach.* & Llamas *in Append.* §.5. vbi idem docet de Monialibus subiectis immediatè Pontifici; licet in his possit esse aliqua difficultas, quia in ordine ad has egressus licentiam dare, & causam approbare, competit Episcopo, vt delegato ex auctoritate Sedis Apostolicæ delegata, in quo casu nihil posse videtur Vicarius, licet Generalis. At quidquid sit de hac ratione, dici tamen potest, Concilium dare quidem facul-
5 tatem Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, ad inducendam clausuram in Monasteriis Sedi Apostolicæ subiectis; sed cum præscribit, quod Moniales clausura egredi non possint, loquitur simpliciter de Episcopo, cuius iurisdictio competit etiam Vicario Generali, nisi excipiatur, vel nisi res aliena sit ab eius officio, sicuti *supra* dicebam.

6 Quod dixi de Vicario Generali Episcopi (quod scilicet possit egressus licentiam dare, & causam approbare) idem dico de Vicario Generali Capituli Sede vacante, & cuiuscumque Prælati iurisdictionem quasi Episcopalem in diœcesi aliqua habentis, & de Vicario Generali Ordinum Militarium, quia hi etiam nomine Ordinarij veniunt: Doctores, quos refert, & sequitur Sanchez *citat. disput.*29. *num.*45. Barbosa 3. *part. allegat.*102. *num.*28. *ad finem*, Bonacina, & Layman *in locis supra citat.* Idemque dico de Prouisore nominato à Capitulo. Barbosa, & Lezana vbi suprà, & Tamburinus *de iure Abbat. disput.*23. *quæst.*2.

7 Item quod dixi de Episcopo (quod scilicet possit, etiam Monialibus Sedi Apostolicæ immediatè subiectis, licentiam dare) idem dico de omnibus Prælatis iurisdictionem prædictam quasi Episcopalem habentibus; quia hi quoad iurisdictionem sunt Episcopi in sua diœcesi. Sanchez, & Layman *locis citatis.*

8 An autem hoc idem possit dici de Capitulo Sede vacante.

Respondetur quod licet negandum videatur, quia Capitulum Sede vacante non succedit in iurisdictionem Episcopo delegatam, tanquam Sedi Apostolicæ delegato, Doctores quos citat, & sequitur Sanchez *de matrimon. lib.*8. *disput.* 2. *num.*12. tamen adhuc, hoc non obstante, probabilius sit oppositum: sic Sanchez, & Layman *supra*, & probatur, quia Moniales hæ non debent esse sine Prælato, ad quem confugiant. Qua ratione motum Tridentinum Concilium *sess.*25. *de Regular. cap.*9. & qua ratione motus Pontifex *in cap. periculoso*, & in Motu *Decori, & honestati*, præceperunt, eas esse sub cura Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis; quæ necessitas etiam militat in Capitulo Sede vacante, cum sæpe diu vacet, & sæpe contingant similes occasiones in Monialibus.

---

## SECTIO II.

### Corollaria.

### SVMMARIVM.

1 *Vicarius Generalis est Iudex Ordinarius subditorum Diœcesis.*

2 *Vicarius Generalis potest Diœcesanorum omnium confessiones audire, eorumque matrimonis validè assistere, & eiusmodi facultates etiam aliis sacerdotibus delegare.*

3 *Vicarius Generalis potest in foro externo contentiosas causas cognoscere, præcipere, iudicare, atque etiam excommunicare.*

4 *Vicarius Generalis (attento iure communi) non potest concedere meras, & voluntarias gratias, cuiusmodi sunt collatio beneficiorum, dispensatio in irregularitatibus ex occulto delicto, denunciationibus, matrimoniis, &c.*

5 *Episcopus non prohibetur tribuere Vicario Generali maiorem facultatem, quam is habeat de iure communi.*

6 *Nulla consuetudine introduci potest, vt à Vicario Generali ad Episcopum appelletur.*

7 *Appellatio esse non potest ab eodem ad eumdem.*

8 *A Vicario Foraneo, seu Decano rurali potest appellari ad Episcopum.*

9 *Vicarij Generalis iurisdictio, mortuo, vel deposito Episcopo exspirat.*

10 *Delegati Iurisdictio ob mortem delegantis statim exspirat quoad negotia cœpta.*

11 *Vicarius Generalis mortuo Episcopo non potest exercere iurisdictionem, nisi sit à Capitulo confirmatus.*

12 *Vicarij Generalis iurisdictio extinguitur, vel per mortem Episcopi, vel per mandati reuocationem: per mortem statim, per reuocationem verò, si ei fuerit legitimè intimata.*

13 *Vicarij Generalis acta, & literæ dimissoriæ ab eo datæ valent etiam mortuo Episcopo, si communiter eius mors ignoretur, licet mors Episcopi præcesserit.*

14 *Iurisdictio Vicarij Generalis suspenditur solum, non autem omnino amittitur per Episcopi excommunicationem, vel suspensionem.*

15 *Delegati iurisdictio non cessat ob excommunicationem delegantis, si causa integra non sit, sed cœpta.*

16 *Vicarius propriè dictus Episcopi, Prælati, Præsidis, vel Rectoris, ab ipsis constitutus ad exercendam iurisdictionem, pro eorum arbitrio deponitur, secus est, si Vicarius datus sit in subsidium Principalis Prælati.*

17 *Vicarij*

17 *Vicarij Foranei, seu rurales, in quibusdam locis ab Episcopis constituti, ita vt eorum Dignitas, seu officium perpetuum sit, deponi non possunt, nisi ob graue delictum depositione dignum.*

1 EX dictis (quod scilicet Vicarius Generalis sit Iudex Ordinarius subditorum diœcesis, quamvis ex Episcopo, cuius vicem gerit, & personam repræsentat, iurisdictionem exercens, sicuti etiam constat *ex c. Romana, de appellat. in 6. & cap. 2. de consuet. in 6.*)
2 sequitur primò, quod Vicarius Generalis possit diœcesanorum omnium confessiones audire, eorumque matrimoniis validè assistere, atque eiusmodi facultates etiam aliis sacerdotibns delegare: Doctores apud
3 Sanchez *de matrimon. lib. 3. disp. 29.* Item possit in foro externo contentiosas causas cognoscere, præcipere, iudicare, atque etiam excommunicare. Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *loco cit.* & Suarez *de censur. disput. 20. sect. 1.* Quamvis non possit, attento iure communi, concedere meras, & voluntarias gratias, cuiusmodi sunt collatio beneficiorum, dispensatio in irregularitatibus ex occulto delicto, denunciationibus
4 matrimonij, & similibus: Doctores, quos citat & sequitur Gars. *de beneficiis part. 5. c. 8. num. 46.*

5 Dixi, *attento iure communi*, quia tametsi iura decernant, quantanam iurisdictio Vicario Generali competat, non tamen prohibetur Episcopus suo Vicario, tam in foro interno, quàm externo, contentioso, ac voluntario tribuere maiorem iurisdictionem, quàm iure ordinario is habeat, sicuti praxis declarat, & tradunt communiter Doctores apud Garsiam *loco cit. n. 62.* & Sanch. *de matrim. lib. 3. disp. 7. quæst. 3.*

6 Sequitur secundò, quod nulla consuetudine introduci possit, vt à Vicario Generali ad Episcopum appelletur, *cap. 2. de consuetud. in 6.* iuncta glossa *verb. Officiali*, quia ex dictis, & *cit. cap. 2.* vnum eorum est tribunal, vna iurisdictio, & veluti vna persona, & *appellatio esse non potest ab eodem ad eundem*, ait glos. *cit.*
7 8 *cap. Romana, de appellat. in 6.* Quamvis à Vicariis non Generalibus, & ab Episcopo delegatam iurisdictionem in certa parte diœcesis habentibus (qui in Clement. 2. *de rescript. iuncta glos.* Foranei, & Decani rurales vocantur) ad Episcopum appellari possit; quia hi diuersum tribunal habent, & diuersi iudices habentur: glos. *in cit. cap. 2. de consuetud. in 6.* & Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *cit. lib. 3. disp. 29. num. 9.* & Gars. *cit. cap. 8. num. 26.*

9 Sequitur tertiò, quod mortuo, vel depositio Episcopo, Vicarij Generalis iurisdictio statim expiret, licet causa cœpta sit. Couar. *in pract. qq. cap. 8. num. 4.* Sanchez *disput. 30.* Molin. *tract. 2. disput. 10. num. 2.* cum glossa communiter recepta *in Clement. vlt. de procurator. verb. contestata*, quamvis iurisdictio delegati ob
10 mortem delegantis statim similiter non expiret quoad negotia cœpta, *cap. gratum, de offic. delegati.* Ratio est, quia sicuti dicebam, Vicarij Generalis idem est cum Episcopo tribunal; delegati autem diuersum, & inferius.

11 Sequitur quartò, quod post mortem Episcopi Vicarius Generalis iterum à Capitulo confirmandus sit, vt deinceps iurisdictionem exercere possit, sicut ex communi docet Sanchez *cit. disput. 30.* Differt autem
12 Vicarij iurisdictionis extinctio, quæ fit per mortem, ac quæ fit per reuocationem facultatis, seu mandati; hæc enim extinctio posterior non habet effectum suum, nisi fuerit ipsi Vicario legitimè, nomine scilicet Episcopi, intimata; iurisdictionis autem extinctio, quæ fit per mortem, vel depositionem Episcopi, ipsi iuri innititur; ideóque etiam ignorante Vicario, locum habet, nisi publicus error, seu publica ignorantia comitetur ad titulum coloratum iam existentem, iuxta *l. Barbarius, ff. de offic. Prætor.* & docent Doctores, quos citat Sanchez *loco suprà cit.* & Gars. *de benefic. part. 5. cap. 8. num. 176.* Quapropter licet mortuo, vel depositio Episcopo exspiret de facto potestas Vicarij, etiam causa integra, sicuti suprà dicebam, & docent. Ioan. Andreas, Dominicus, & Hostiensis *in cap. 1. de offic. Vicarij in 6.* valent tamen acta Vicarij, 13
& literæ dimissoriæ ab eo datæ, si communiter mors Episcopi ignoretur, vti rectè docet Henriq. *lib. 3. de pœnit. cap. 13.* Quin neque desinunt illæ literæ valere, etiamsi postea, re integra, sciatur, mortem Episcopi fuisse priorem, vt idem Henriquez docet *lib. de ordine, cap. 22.* & Sanchez *lib. 3. de matrimon. disput. 20. num. 59.*

Sequitur quintò, quod per Episcopi excommuni- 14
cationem, vel suspensionem suspendatur solum, non autem omninò amittatur iurisdictio Vicarij Generalis. Sanchez, & Garsias *in locis suprà cit. argum. cap. 1. de officio Vicarij in 6.* Quare retinet in tali casu Vicarius officium suum, licet non possit illud exercere, tametsi causa cœpta fuerit. Sanchez *ex communi cit. disput. 30. num. 6.* In quo etiam differt à delegato; cum huius iu- 15
risdictio non cesset ob excommunicationem delegantis, si causa integra non sit, sed cœpta. Abb. *in cap. licet vndique, num. 8. de offic. delegat.* & Auila *de censur. part. 2. cap. 6. disp. 6. dub. 4.*

Sequitur sextò, quod quicumque propriè dictus 16
Episcopi, Prælati, Præsidis, vel Rectoris Vicarius, qui ab vno istorum, vt loco ipsius iurisdictionem exerceat, constituitur, ab eodem omninò pendeat, vt plerumque pro arbitrio deponatur. Doctores *in l. solent. §. sicut, de offic. Proconsul.* Abb. *Clement. 2. num. 7. de rescript.* Rodriguez *tom. 3. qq. Regular. quæst. 77. art. 2.* Quamvis aliorum, qui minus propriè Vicarij dicuntur (qui scilicet in subsidium principalis Prælati, Abbatis, Prioris, vel Rectoris, ex Ordinis Constitutione, vel consuetudine, vt proprium, atque ordinarium munus exerceant, constituuntur, & vocari solent subpriores, Vicerectores, Viceguardiani, &c.) iurisdictio, & officium, mortuo, vel depositio principali, non exspiret. Nauar. *Comment. 3. de Regul. cap. nullam 18. quæst. 2. num. 22. §. ad prius*, Molin. *de iustit. tom. 5. disput. 20. num. 14.* & Sà *verb. Religio, num. 66.* Quin 17
& Vicarij foranei, seu rurales ita in quibusdam locis ab Episcopis constitui consueuerunt, vt eorum dignitas, seu officium perpetuum sit, & quasi ordinariam iurisdictionem obtineant; ideóque priuari, seu deponi non possint, nisi propter delictum graue, & depositione dignum. Hojeda *de incompatib. benefic. part. 2. cap. 10. num. 18.* & Tholos. *lib. 15. Syntagmat. cap. 37. num. 5.*

## DVBITATIO IX.

### An ad licentiam Moniali dandam, quod possit egredi è clausura, requiratur causa grauis.

### SVMMARIVM.

1 *Moniali non potest dari licentia egrediendi à clausura absque causa graui, scilicet magni incendij, infirmitatis, lepræ, aut epidemiæ.*
2 *Egredi è clausura est res grauis, & multis scandalis, ac Monialium castitatis periculis plena.*
3 *Legitimæ causæ nomine ab Episcopo approbandæ ex Concilio Tridentino non intelligitur quæcumque ab Episcopo approbata, sed tantum expressa in cap. periculoso.*
4 *Magnum incendium non excluditur in cap. periculoso.*

5 Causa

5 *Causæ expressæ in citatis iuribus data capacitate, & commoditate Monasterij ad medendum, & cessante contagionis alio periculo, non sunt sufficientes.*

6 *Exitus non licet si possit occurri incendio, vel ruinæ imminenti, vel hostium impetui, non egredientibus Monialibus è suis Monasteriis.*

7 *Superior curare debet, vt Monialis egressa propter morbum foris, non maneat plusquam cura patiatur.*

1 REspondetur affirmatiuè: patet ex *cap. periculoso, de statu Regul. in 6.* ibi: *Itaque nulli earum tacitè, vel expressè professa quacumque ratione, vel causa (nisi fortè tanto, & tali morbo euidenter aliquam earum laborare constaret, quod non posset cum aliis absque graui periculo, seu scandalo commorari) Monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas concedatur.* Item ex Tridentino *sess. 25. cap. 5. de Regular.* vbi innouatur *dict. cap. periculoso*, & subiunguntur hæc verba: *Nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda.* Item ex Motu Pij V. *Decori, & honestati*, ibi: *Ordinarius nulli Abbatissarum, Prioryssarum, aliarumve Monialium de cætero, etiam infirmitatis, seu aliorum Monasteriorum, etiam eis subiectorum, aut domorum, parentum, aliorumve consanguineorum visitandorum, aliáve occasione, & prætextu, nisi ex causa magni incendij, vel infirmitatis,* 2 *lepræ, aut epidemiæ, &c. a Monasteriis exire, sed nec in prædictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare liceat.* Et meritò sic in his iuribus statuendum est, quia reverà è clausura egredi est res grauis, multis scandalis, ac Monialium castitatis periculis plena. Vide Nauarrum *comment. 4. de Regular. n. 40. & 48.*

3 Cæterùm, licèt *cap. periculoso*, & Motus Pij V. strictiùs loqui videantur, quàm loquitur Tridentinum (cùm Tridentinum dicat, sat esse causam legitimam arbitrio Episcopi approbandam, & *cap. periculoso*, ac Motus Pij V. causas determinent, solumque Episcopo veritatem earum approbandam committant) & ideò correctio quædam iuris esse videatur; præsertim quia Motus Pij V. auxit postea causas egressus expressas *in cit. cap. periculoso*, cùm, etsi lepra, & epidemia expressa in motu Pij V. comprehendatur sub morbo contagioso expresso *cap. periculoso*, tamen incendij causa addita in Motu Pij V. non comprehendebatur sub dicto morbo contagioso. Nihilominus dicendum est, quod non sit iuris correctio, sed declaratio, quia Tridentinum ibi ait, se innouare *cap. periculoso*, & Pius V. *in suo Motu*, dicit: *Inhærentes decreto Sacri Concilij Tridentini de clausura Monialium disponenti, ac aliis nostris literis super huiusmodi clausura editis*, scilicet Motui alteri suo incipienti, *Circa Pastoralis*, vbi in omnibus, & per omnia innouat, & iubet obseruari disposita *in cit. cap. periculoso*, & consequenter dicendum est, quod Tridentinum nomine legitimæ causæ ab Episcopo approbandæ, non intellexerit quamcumque causam, quæ Episcopo legitima videatur, sed intellexerit solum causas expressas in capitulo *periculoso* (quod innouare prorsus intendebat) & solum istarum veritatem approbandam arbitrio Episco- 4 pi commiserit. Itemque dicendum est, quod Motus Pij V. declarauerit, magnum incendium non excludi in *cap. periculoso*, cum incendium causis ibi expressis sit causa similis, quin vrgentior, & maius vitæ periculum Monialibus iniiciens.

5 Ex dictis sequitur, quod nec etiam ipsæ causæ expressæ in citatis iuribus legitimæ, seu sufficientes sint ad egressum, si Monasterium ita sit capax, vel ea sit ei morbo medendi commoditas, vt nullum adsit contagionis aliarum Monialium periculum, quia *in cap. periculoso*, per Tridentinum, & Motum Pij V. in-



nouato expressè dicitur: *Si non possit cum aliis absque graui periculo commorari:* ergo, &c. probatur ratione, quia in tali casu cessat egrediendi necessitas, quæ huius concessionis causa fuit, & ita docet Rodriguez *tom. 3. qq. Regul. quæst. 31. art. 1.* quatenus ait, licere ex his omnibus causis exitum propter ineuitabile aliarum Monialium periculum; ita etiam Collector priuilegiorum Mendicantium, *verb. Clausura Monialium, casu 1. in fin.* Llamas *in append. §. 10.* & Lezana *tom. 1. cap. 25. num. 20.* quatenus aiunt, non licere exitum, si possit occurri incendio, vel ruinæ minanti, vel hostium impetui non egredientibus Monialibus è suis Monasteriis.

Quapropter vt Superior egrediendi licentiam iustè concedat, debet videre, non solum adesse morbum, sed etiam adesse Monasterij commoditatem ad medendum, absque periculo infectionis aliarum Monialium: debet etiam curare, quod Monialis sic legitimè iam è Monasterio egressa, tamdiu solum extra Monasterium moretur, quamdiu solum ad morbum curandum extra illud morari ipsi fuerit necessarium, sicuti expressè dicitur in dicto Motu Pij V. *Decori, & honestati*, in vltimis verbis. 6 7

## DVBITATIO X.

An hic epidemiæ nomine veniat morbus contagiosus grauis quicumque, vel solum morbus contagiosus pestiferus, seu pestis propriè dicta?

### SVMMARIVM.

1 *Epidemia nomine venit morbus contagiosus quicumque grauis, qui scilicet plurimos inuadit, & populariter grassatur, licet pestiferus non sit, seu maiorem partem eorum, quos afficit, sicut pestis, non occidat.*

2 *Lepra adiungitur ad epidemiam, qua nihil pestis, sed solum infectionis aliarum periculum habet.*

3 *Nomine epidemiæ solùm pestis intelligeretur si authenticè constaret de quadam Sacra Congregationis declaratione.*

REspondetur, quod (quamvis Guttierrez *qq. Canon lib. 1. cap. 14. num. 7. & 8.* Zecchius *de Republic. Eccles. tit. de Regular. cap. 3. num. 15. vers. 9.* Llamas *in Appendice, §. 1. in fin.* Sorbus *in Compend. Mendicant. verb. ingressus Monasteriorum Monialium, in 6.* Diana *tractat. 15. miscellan. resolut. 23.* sentire videantur, quod veniat solum morbus contagiosus pestiferus, qui scilicet non solum quamplurimos inuadit, sed etiam maiorem partem eorum, quos afficit, occidit) dicendum tamen sit oppositum, quod præter pestem veniat morbus contagiosus grauis quicumque, qui scilicet plurimos inuadit, sed populariter grassatur, licet pestiferus non sit, seu maiorem partem eorum, quos afficit, sicut pestis, non occidat: sic Nauar. *Comment. 4. de Regularib. num. 48. notab. 4.* Rodriguez *tom. 1. qq. Regular. quæst. 49. art. 8. ad fin.* Layman. *lib. 4. tract. 5. cap. 12. num. 1.* Lezana *tom. 1. cap. 25. numero 20.* Gauantus *in Man. Episcop. verb. Monialium clausura, num. 7. & seqq.* Cened. *collectan. 31. ad Sextum Decretalium, num. 2.* & probatur, quia iura in exceptione causarum prospiciunt communi morbo Monialium, ne propter vnam inficiantur aliæ; & ideo gratiâ communis huius infectionis vitandæ ex vnius Monialis intra Mona- 1

sterium retentione, concedunt exitum: ergo non de sola peste, sed de omni alio morbo contagioso, licet non pestifero, loquuntur; & meritò, quia alioquin iura non satis rectè Monialium clausuræ prospicerent; quandoquidem si Moniali laboranti morbo contagioso, licet non pestifero, exitum non concederent, oporteret, vel mulieres sæculares in clausuram intromitti, vt Moniales infirmas curarent, vel plures Moniales morbi contagione laborantes è clausura emitti, vt medicinis adhibitis, reconualescerent.

2 Confirmatur, quia ad epidemiam adiungitur lepra, quæ nihil pestis, sed solum infectionis aliarum periculum habet.

Confirmatur secundò, quia non est, cur hic nomen genericum epidemiæ restringatur solum ad specificum, vt scilicet solum significet morbum contagiosum pestiferum, seu veram, & propriè dictam pestem; cum id cederet in correctionem *cap. periculoso*, (quod tamen innouant, & in omnibus, & per omnia confirmant Tridentinum *sess.25. cap.5. de Regular.* & Motus Pij V. *Circa Pastoralis*) siquidem cum *in dicto cap. periculoso*, dicatur: *Nisi fortè tanto, & tali morbo euidenter earum aliquam laborare constaret, quòd non possit cum aliis absque graui periculo, vel scandalo commorari*; sequitur, quod ibi concedatur egressus ob quemcumque morbum non permittentem absque graui periculo, Moniales alias cum infirma commorari (qualis non est solum morbus contagiosus pestiferus, seu vera, & propriè dicta pestis.) Quapropter si Motus Pij V. nomine epidemiæ solùm veram pestem, exclusis aliis morbis contagiosis (præter lepram, quam ibi quoque excipit) intelligeret, restringeret, atque adeo corrigeret textum *capituli periculoso*, quod dicendum non est, vt patet ex dictis; ponenda tamen esset in praxi sententia opposita, si constaret authenticè de quadam Sacræ Congregationis declaratione in contrarium, quam refert Diana *resol.23.*

## DVBITATIO XI.

### An Moniali præter tres, epidemiæ, lepræ, & incendij causas expressas concedi possit egressus è clausura propter alias causas similes, vel vrgentiores?

### SVMMARIVM.

1 *Cessantibus causis expressis in motu Pij V. non potest Monialibus concedi licentia egrediendi è clausura.*

2 *Casus exceptus tunc extenditur ad similes, quando lex excipiens non vtitur dictione aliqua taxatiua.*

3 *Negatio, cum sit malignantis naturæ, quidquid post se inuenit, destruit, eiusque oppositum ponit.*

4 *Bulla Gregoriana de immunitate non extenditur ad casus similes, seu grauiores.*

5 *Causæ exhæredationis filiorum non possunt extendi ad alias similes, seu grauiores.*

6 *Capitulum finale de reuocandis donationibus non habet locum nisi in expressis.*

7 *Casus exceptus extenditur ad similes in materia fauorabili, non item in materia odiosa.*

8 *Clausura introducta est ad spiritualem monialium salutem, perfectamque votorum Regularium obseruantiam.*

9 *Sacra Cardinalium Congregatio fertur declarasse tres epidemiæ, lepræ, & incendij causas non extendi ad similes, nec vrgentiores.*

10 *Causæ tres prædictæ, quod sint extendibiles ad similes, & vrgentiores, est satis probabilis sententia Doctorum.*

11 *Dictio taxatiua ad mentem nonnullorum Doctorum non excludit probabiliter casus similes, in quibus eadem, vel vrgentior ratio militat.*

12 *Minorum prædia ob solum es alienum vigore legis distrahi possunt, & non obstante particula taxatiua, ampliatur ex glossa etiam ad casus similes.*

13 *Filij possunt exhæredari ob causas non expressas etiam in Auth. vt cum, de appellat. cognosc. §. aliud quoque, si eæ sint similes, seu vrgentiores.*

14 *Textus in l. finali, C. de reuocandis donationibus, extenditur etiam ad causas non expressas, si sint æquè graues, vel grauiores.*

15 *Promotis ad duos minores ordines, Lectoris, & Cantoris, ex dispositione legis tantùm liberum est vxorem ducere, at ex interpretatione extenditur etiam in alios duos ordines minores.*

16 *Bulla Clementis Octaui de largitione munerum extenditur ad casus ibi non exceptos, modò sint similes exceptis, seu grauiores.*

17 *Lex quantumcumque odiosa, & pœnalis extensionem admittit ad casus similes, si alioquin lex illa redderetur elusoria, vel si talis extensio cederet in fauorem animarum, Ecclesiæ, & similium.*

18 *Licentia egrediendi è clausura, etiam in causis similibus recensitis.*

19 *Casus similis videtur bellum præsertim cum Infidelibus, cùm timeri possit detrimentum Monialium, nisi in locum tutum se recipiant.*

20 *Item videtur imminens torrentis, vel fluminis impetus, aut monasterij ruina.*

21 *Item translatio Monasterij ad alium locum de Episcopi consensu.*

22 *Monialium translatio Apostolica Sede inconsulta fieri non potest.*

23 *Abbatissa potest egredi ad recipiendum iuramentum fidelitatis à Domino temporali in aliquo casu omninò necessario.*

REspondetur negatiuè, quia Motus Pij V. decernit, nulla alia occasione, & prætextu, præterquam illius triplicis infirmitatis, exitum licere: ergo apertè quamcumque ad alios casus extensionem excludit: consequentia probatur, quia tunc solum casus exceptus extenditur ad similes, quando lex excipiens non vtitur dictione aliqua taxatiua: at in casu nostro cit. Motus Pij V. vtitur dictione taxatiua rigidiori, dicens: *Nulla alia ratione*; & negatio, cùm sit malignantis naturæ, quidquid post se inuenit, destruit, eiusque oppositum ponit: ergo, &c. 1 2 3

Confirmatur primò, quia (sicuti dicebam *cap.6. dubitat.8. & dubitat.24. section.3.*) ideo casus in Bulla Gregorij XIV. de reis immunitate Ecclesiæ non gaudentibus excepti, extendi non possunt ad casus similes, quin neque ad grauiores. 4

Confirmatur secundò, quia cum *in Authent. vt cum, de appellat. cognosc.* enumerentur filiorum, exhæredationis causæ, & subiungatur ibi, ex nullis aliis causis illos exhæredari licere, non licet causas exhæredationis filiorum extendi ad alias similes, quin neque ad vrgentiores: Vigilius §. *igitur*, *num.6. Instit. de inoffic. testament.* Gregor. Lopez *l. Regia 8. tit.7. part.6.* Molin. *tom.1. de iustit. disput.176. col.17. vers. certè mihi*, & Eman. Suarez *addit. ad Gomez. tit.1. var. cap.11. litera O.* 5

Confirmatur tertiò, quia cum *in cap. fin.* de reuocandis donationibus decidatur, ex solis causis ibi enumeratis 6

meratis posse donationem reuocari, non potest illa reuocari ex aliis causis similibus. Mol. *tom.2. de iust. disp.*281. Rebell. *de institit. part.2. lib.*18. *tract. de promiss. & donat. q.9. n.*8. & alij.

7 Confirmatur quartò, quia ex Bart. *in l. si constante, quæst.9. num.*44. *ff. solut. matrimon.* & aliis, quos citat,
8 & sequitur Villagut. *de extensione legum quæst.6. tit. de extensione legum taxatiuarum, num.* 1. casus exceptus extenditur ad similes in materia fauorabili, non item in materia odiosa: at sic est in casu nostro, cum clausura sit ad spiritualem Monialium salutem, perfectamque Doctorum regularium obseruantiam valde necessaria.

9 Atque ita, quod scilicet in casu nostro tres epidemiæ, lepræ, & incendij causæ non extendantur ad similes, nec ad vrgentiores causas, fertur sæpius declarasse Sacram Cardinalium Congregationem, & tradunt Zerola *in praxi Episcop. 1. part. verf. Moniales, ad 16. quæst. dub.2.* & *part.2. verb. Moniales, in fin.* Additionat. ad Nauarrum *lib.3. consil.72. in fin. de Regular.* Guttierrez *qq. canon. quæst.*14. Miranda *de Monialib. quæst.3. art.4. conclus.1.* & Riccius *in praxi decis.*545.

10 Quamvis (vt fatear) ex satis probabili sententia Doctorum affirment Suarez *de Relig. lib.1. cap.9. n.3. & seqq.* Nauar. *comment.4. de Regular. num.*48. Guttierrez *lib.1. cap.*14. *num.9.* Rodriguez *tom.1. quæst.*49. *art.3. & 5.* Llamas *in Append.* §.11. Layman. *cit. capite* 21. *num.*1. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat.*102. *num.*22. Lezana *tom.5. cap.*25. *num.*20. Scortia *theor.* 227. Tamburin. *de iure Abbat. disput.*20. *quæst.*2. Cened. *Collectan.*31. *ad Sextum Decretal. num.*2. Azor. *tom.1. lib.*13. *cap.*8. *quæst.*1. *ad fin.* Sorbus *in annotat. ad Compendium Mendicantium, verf. Ingressus Monas-*
11 *steriorum Monialium, num.*6. Bonacina *de clausura, quæst.*1. *punct.*9. *num.*8. Ceruantes *l.*6. *Tauri, num.*59. quia dictio taxatiua probabiliter ad mentem aliorum Doctorum non excludit casus similes, in quibus eadem, vel vrgentior ratio militat, vt colligitur ex tex-
12 tu, *iuncta glos. in l. ob æs alienum, num.*11. *Cod. de prædiis, & aliis rebus Minor.* vbi decidit, ob solum æs alienum posse prædia Minorum distrahi; & tamen
13 glos. ibi: *Verf. alienum*, communiter recepta tradit, id fieri quoque posse ob similes alias causas. Item secundò ex Authent. *vt cum, de appellat. cognosc.* §. *aliud quoque*, vbi decidit, ob solas causas ibi expressas posse filium exhæredari, & tamen multi Doctores
14 (quos citat, & sequitur Couar. *cap. Raynutius, n.*16. *de testament.* Gomez *tom.1. variar. cap.*11. *num.*12. Iulius Clarus *lib.*4. *recept. sentent.* §. *testamentum, q.*41. Molin. *lib.1. de primog. cap.9. num.*33. & 34. & Nauar. *Comment.*4. *num.*48. *de Regularib.*) aiunt, posse etiam exhæredari ob causas similes, vel vrgentiores. Item tertiò *ex l. fin. Cod. de reuocandis donat.* vbi decernitur, ob solas causas ibi dictas posse reuocari donationem; & tamen multi Doctores (quos citat, & sequitur Molin. *cit. cap.9. num.*32. Gomez. *loco citat. cap.*4. *num.*14. Clar. *cit. lib.*4. §. *donatio, quæst.*1. Less. *de iustit. & iure lib.2. cap.*18. *dubit.*14. *num.*104. & Syluester *verb. donatio* 1. *quæst.*13. *num.*17.) docent, id fieri etiam posse ob alias æquè graues, vel grauiores. Item quartò ex *Canon.*27. *Apostol.* & Nouella Iustiniani *collat.*4. *sub tit. de nuptiis*, §. *sed etsi quis*, vbi dicitur, solis clericis promotis ad Ordines minores
15 Lectoris, & Cantoris integrum esse vxorem ducere; & tamen certum est, esse integrum aliis promotis ad alios duos Ordines minores, eo quod in his eadem sit prorsus ratio. Item quintò ex Bulla
16 Clementis VIII. quæ incipit: *Religiosa Congregationis*, vbi prohibetur Religiosis munera dare, præterquam in casibus ibi exceptis; & tamen multi Doctores (quos sequitur Sousa de largitione munerum Religiosis interdicta, *num.*38.) docent, id etiam posse fieri in aliis similibus casibus, in quibus sit eadem, vel vrgentior ratio: ergo si in his casibus adeo odiosis, & pœnalibus, ex probabili sententia aliquorum admittitur extensio ad alios casus similes, multò magis ex probabili admittitur in casu nostro; cum licet clausuram (vtpotè valdè necessariam ad spiritualem Monialium salutem, perfectamque votorum regularium obseruantiam) relaxare sit odiosum, non sit tamen odiosum, illam relaxare in casibus exceptis, & similibus (vbi bonum aliarum commune periclitatur) cum alioquin inde maius detrimentum possit clausuram pati, sicuti dubitatione præcedenti dicebatur. Atque ex his responderi posset ad fundamenta, quæ pro nostra sententia priori adducebam: vide quæ dicebantur *citat. cap.*16. *dubitat.*37. *num.*10. *& seqq.* vbi probabam, quod lex, 17
quantumcunque odiosa, & pœnalis, extensionem admittat ad casus similes: si alioquin lex illa redderetur elusoria, vel si talis extensio cederet in fauorem animarum, vel si cederet in fauorem Ecclesiæ, vel si tandem essemus in materia licet secundariò odiosa, fauorabili tamen primariò, quiá finis primarius, non secundarius attendi debet.

Vide etiam Sacræ Congregationis declarationem apud Barbosam *in Collectan. Bullar. verb. Monialium clausura circa egressum, n.*4. ad Nuntium Hispaniarum anno 1594. directam, quæ licèt expressè sic habeat: *Monialibus licentiam concedere exeundi à clausura non licet Ordinariis in aliis, quamtumvis grauibus casibus in Constitutione Pij V. non contentis, nisi in casu lepræ, magni incendij, & epidemiæ; nomine autem epidemiæ quicunque morbus popularis contagiosus intelligitur*: hac tamen declaratione non obstante, Ioan. Maria Nouarius *in Lucerna Regular. verb. Clausura, num.*10. *& seqq.* affert quandam allegationem Vrbano VIII. directam, quæ probat in 18
causis similibus posse Monialibus licentiam egressus è Monasterij clausura concedi: casus autem similes, in quibus eis dicta licentia concedi potest, sunt. Primus, si sit bellum, præsertim cum infidelibus, 19
& timeri possit detrimentum Monialium, nisi in locum tutum se recipiant. Nauar. *Comment.* 4. *num.*48. *de Regular.* Azor. *lib.*13. *cap.*8. *quæst.*1. Lezana *tom.*1. *cap.*25. *num.*20. Barbosa *de offic. & potestat. Episcop. allegat.*102. *num.*22. & ego dicam *infrà dubitat.*13. Se- 20
cundus, si immineat magni torrentis, vel fluminis impetus, aut Monasterij ruina. Barbosa *loco suprà citat.* Scortia *in select. Constitut. Pontific. theorem.* 228. & Tamburinus *de iure Abbatiss. disputat.*20. *quæst.* 2. *numero tertio.* Tertius, si transferatur Mo- 21
nasterium in alium locum de Episcopi consensu, præsertim ex causa rationabili, sicuti colligitur ex Tridentino *sess.*25. *cap.*5. *ad finem*, & docent Rodriguez *tom.*1. *quæst.*49. *art.*5. Sorbus *verb. Clausura, casu* 6. Miranda *de Monialibus quæst.*3. *art.*2. Barbosa *de offic. & potest. Episcop.* 3. *part. allegat.*102. *num.*27. & Bonacina *de clausura, quæst.*1. *punct.*9. *num.*8. quamvis quoad hoc extet apud Barbosam *loco suprà cit. verb. Monialium translatio* 8. declaratio quædam Sacræ Congregationis in vna Barcinonensi anno 1615. talis tenoris: *Monialium translatio Apostolicæ Sede inconsulta fieri non potest.* Item altera apud eundem Barbosam vbi suprà in vna Vlyssipponensi, anno 1615. in his verbis: *Moniales transferri non possunt in Monasteria nouiter erecta, nisi eadem Monasteria auctoritate Apostolica extracta fuisse prius constiterit, ipsaque præuia ri-* 22
*sitatione earumdem Monialium capacia, eisque accommodata, atque ita absoluta reperta fuerint, vt cementariis, aliisque fabris nulla ædificationis causa in ipsa*

23 *postea ingrediendi necessitas relinquatur.* Vide etiam quæ dicentur *dubit.*14. *&* 19. Quartus est, si Abbatissa egrediatur ad recipiendum iuramentum fidelitatis à Domino temporali in aliquo casu omninò necessario, de quo dicam *dubit.*15. *in fine.*

## DVBITATIO XII.

### An Moniali concedi possit egressus è clausura propter morbum Gallicum, S. Lazari, ignem S. Antonij, vel similem alium morbum contagiosum?

SVMMARIVM.

1 *Moniali laboranti morbo contagioso, vt gallico, Sancti Lazari, ignis sancti Antonij, & alicuius similis, dari potest licentia egrediendi è clausura, si moraliter loquendo, non posset intra Monasterium curari sine graui periculo contagionis aliarum.*

1 REspondetur ex dictis Dubit. præcedenti ex satis probabili sententia Doctorum affirmatiuè, si moraliter loquendo, non posset Monialis intra Monasterium curari sine graui periculo contagionis aliarum Monialium, quia in his casibus etiam locum habet ratio boni communis, & hi casus sunt similes lepræ expressæ in Motu Pij V. Sic contra Zerolam, & alios suprà citatos, docent Llamas *in Appendice,* §. 10. Layman *cit. num.*1.

## DVBITATIO XIII.

### An Moniali concedi possit egressus propter belli, præsertim ab hæreticis, vel infidelibus imminentis timorem?

SVMMARIVM.

1 *Moniali satis probabiliter, si moraliter loquendo timetur fore, vt nisi se in locum tutum recipiat, patiatur detrimentum, potest dari licentia egrediendi è clausura.*

1 REspondetur etiam ex dictis satis probabiliter, affirmatiuè, si moraliter loquendo, timetur fore, quod moniales, nisi in locum tutum se recipiant, detrimentum patiantur; quia & in hoc casu locum habet ratio boni communis, & est casus omninò similis. Sic contra Zerolam *verb. Moniales, ad* 16. *quæst. dubit.* 2. & alios suprà citatos docent Nauarr. *Comment.* 4. *num.*48. *de Regular.* Guttierrez *capite* 4. *num.*9. Azorius *tom.*1. *lib.*13. *cap.*8. *quæst.*1. *ad fin.* Layman. *citat. num.*1. Lezana *tom.*2. *cap.*25. *num.* 20. Bonacina *de clausura, quæst.* 1. *punct.*9. *num.*7. Cened. *collectan.* 31. *ad Sextum Decretal. num.*2. & Barbosa *de offic. & potestat. Episcop.* 3. *parte, allegat.*102. *num.*20.

## DVBITATIO XIV.

### An Moniali concedi possit egressus, vt sit Abbatissa alterius Monasterij, vbi etiam de aliis casibus.

SVMMARIVM.

1 *Moniali probabiliter, vt sit Abbatissa alterius Monasterij, eiusdem Religionis tamen, & habitus, dari potest licentia egressus.*

2 *Religiosum assumi in Prælatum alterius Religionis, vel habitus prohibetur expressè.*

3 *Moniali conceditur egressus à Concilio Tridentino, dummodo in Monasterio, in quo facta est Abbatissa, non reperiatur Monialis idonea cum dotibus, & qualitatibus ibi requisitis ad munus prædictum exercendum.*

4 *Moniali concedi potest egressus, vt sit Magistra Nouitiarum in alio Monasterio, eiusdem tamen Ordinis, & habitus, quin vt præsit Portæ, vel Rotæ, vel alteri muneri.*

5 *Monialis finito officio potest de consensu vtriusque Monasterij ad prius Monasterium redire, etiamsi socia, cum qua egressa fuerit, redire non velit.*

6 *Locorum Ordinarij, & Superiores Regulares non possunt transferre Moniales de Monasterio ad Monasterium, nisi obtenta facultate ab Apostolica Sede, vel à S. Congregatione.*

7 *Translatio Monialium, quando ex iusta causa fieri debet, facienda est in Aurora, & deduci debent à personis grauibus, & honestis, & sanguine eis proximioribus.*

8 *Moniali concedi potest egressus, si sit necessaria ad fundandum nouum Monasterium.*

9 *Item ad reformandum aliud Monasterium eiusdem ordinis, & habitus.*

10 *Item si sine strepitu non possit corrigi timore Cognatorum.*

11 *Item in pœnitentiam criminis, vt de simoniacè recepta, & recipiente statuitur, quod in aliud Monasterium includatur.*

12 *Contraria sententia, quæ nititur in declarationibus Sacræ Congregationis, si eæ authenticè constent, non est improbabilis, non tamen reddit oppositam improbabilem.*

13 *Monialis quacumque causa transferatur, ali debet à Monasterio, à quo transfertur.*

14 *Monialis si transeat ad aliam Religionem de consensu Religionis à qua transit, deferre debet secum dotem, & alia bona, quæ ad ipsam spectant, secus si ex propria voluntate.*

15 *Monialis si transeat de vno Monasterio ad aliud eiusdem Ordinis, dotem portare non debet.*

REspondetur etiam ex dictis probabiliter affirmatiuè, si fiat Abbatissa alterius Monasterij, sed eiusdem Ordinis, & habitus (nam Religiosum assumi in Prælatum alterius Religionis, vel habitus prohibetur expressè *in Clement.* 1. *de elect.*) quia & in hoc casu etiam agitur de bono Religionis communi, ad quod spectat probam Prælatam habere. Accedit, quod non sit egressus omninò è clausura. Accedit secundò, quod Tridentinum *sess.* 25. *cap.*11. *de Regularibus, cum in cap.*5. clausuram commendauerit, concedit egressum, si in proprio Monasterio non reperiatur Monialis ad Abbatissæ munus 1 2 3

nus idonea dotibus, seu qualitatibus ibi requisitis, atque sic contra Zerolam *part.2. verb. Monales, dub.8.* S. Congregationis declarationes pro sua sententia afferentem, Azorium *cit. quæst.1.* Sayrum, Barbosam, Tamburinum, Lezanam, Dianam, Castellium, & Gauantum in locis *infra* citandis, docent glossf. *in cap. periculoso, in princip. verb. perpetua, de statu Regular. in 6.* Ioan. Andr. *ibid. num.5.* Francus *in fin.* Dominicus *num.11.* Sylvester *verb. Religio 7. q.16. dict.2.* Nauarr. *lib.2. consil.48. num.3. de statu Monachor. & Comment.4. num.48. notab. 4. de Regular.* Collector priuilegiorum Mendicant. *verb. Clausura Monialium, cas.3.* Guttierrez *qq. Canon. lib.1. cap.14. n.10. & 11.* Rodriguez *qq. Regul. tom.1. quæst.49. art.5. coroll.2.* Layman & Llamas *supra cit.* Hieronym. Rodriguez *in Compend. qq. Regular. resol.26. num.28.* Portell. *in addit. ad dubia Regular. verb. Monial. num.1.* Villalobos *in summa tom.2. tractat.35. differ. 45. num.9.* Sorbus *verb. Clausura, casu 6.* Miranda *de Monialib. quæstione 3. art.2.* & Bonacina *de clausura, quæst.1. punct.9. num.10.*

4 Ex dictis sequitur, quod Monali egressus concedi etiam possit, vt sit Magistra Nouitiarum in alio Monasterio, eiusdem tamen Ordinis, & habitus, vt suprà dicebatur, quin & vt præsit portæ, vel rotæ, vel alteri muneri, quod ad bonum Religionis, vel Monasterij commune spectat; quia ex recta horum munerum administratione pendet etiam bonum Religionis, vel Monasterij commune: atque adeo sunt casus similes exceptis. Collector priuilegiorum Mendicantium,

5 Layman, Bonacina, Sorbus, & Rodriguez *in locis suprà cit.* (vbi rectè subdunt, quod finito officio, possit Monialis de consensu vtriusque Monasterij ad prius Monasterium redire; etiamsi socia, cum qua egressa fuerat, redire non velit) quamvis contrarium tradat Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Monialium translatio* 8. ex S. Congregationis Episcoporum Regula-

6 rium declaratione in vna Tortonensi 1603. in his verbis: *Moniales ab vno Monasterio non transferant locorum Ordinarij, vel Superiores Regulares in Monasteria recenter erecta pro nouitiarum in ea introducendarum institutione, nisi ob ema à Sede Apostolica, vel à S. Congregatione Spe ali facultate.* Vide Barbosam *loco cit. & de offic. & pot. Episcop. allegat.102. num.26.* & Armendariz *in addit. ad recopilat. legum Nauarræ, lib.2. tit.18. lib.7. de Religios. num.100.* vbi referunt alteram

7 eiusdem S. Congregationis declarationem huius tenoris: Moniales, vbi ad aliud Monasterium ex iusta causa transferendæ sunt, translatio debet fieri in aurora, vt illæ à paucis conspici possint, atque à personis grauibus, & honestis, & sanguine eis proximioribus deducantur.

8 Sequitur etiam, quod egressus concedi possit, si is ad nouum eiusdem Ordinis Monasterium fundandum necessarius sit, quia & in hoc casu etiam militat eadem ratio de bono communi Religionis, vel Monasterij, atque adeò & hic casus etiam est similis exceptis, Collector priuilegior. Mendicant. *casu 2.* Rodriguez *tom.1. quæst.49. art.5.* Nauar. *lib.3. consil.48. de Regular.* Confectius in priuilegia Mendicantium, *tit.10. cap.4.* & Layman, *cit. num.1.*

9 Sequitur etiam, quod idem dicendum sit ob eamdem rationem, si egressus Moniali necessarius sit ad aliud eiusdem Ordinis, & habitus Monasterium reformandum. Collector, Layman, & Rodrig. *in locis cit.*

10 Sequitur etiam, quod idem dicendum, si Monialis egressus necessarius sit causa correctionis eiusdem Monialis, si scilicet in eodem Monasterio timore cognatorum, vel alia simili causa corrigi commodè non possit; quia Monialem sine strepitu corrigere spectat etiam ad bonum commune Religionis, vel Monasterij: sic Collector *casu 4.* Sorbus *casu 9.* Nauar. *loco cit.* Rodriguez *art.5. coroll. 2.* Portell. *in dub. Regular. verb. Clausura Monialium, num.22.* Bonacina *de clausura, quæst.1, punct.9. num.12.* & Miranda *de Monialibus, quæst.3. art.2. & 3.*

Sequitur etiam, quod idem dicendum ob eandem 11
rationem in casu, quo iure cautum est, quod Monialis in pœnitentiam criminis (vt de simoniacè recepto, & recipiente statuitur *in cap. quoniam, de simonia*) in aliud Monasterium includatur, præsertim quia talis iuris correctio nusquam apparet: Doctores *suprà citati.*

Quamvis iuxta ea, quæ dicebam *dub.11.* Suar. *de* 12
*relig. lib.1. cap.9. num.6.* Zerola *in prax. Episc. part.2. verb. Moniales, dub.8. & 12.* Barbosa *de potestat. Episcop. allegat.102. num.25.* & in collectan. Bullarum, *verb. Monialium* 8. Tamburin. *de iure Abbat. disputat.21. quæst. 3. num.4.* & Lezana *verb. Clausura, num.16. & tom.1. cap.25. num.20.* Dian. *part.3. tract.2. resol.99. & 127.* Castellin. *de elect. cap.17. num.6.* & Gauantus *in Man. Episc. verb. Monialium clausura, num.4.* in omnibus his casibus sentiant oppositum, dicantque, siue causa nouæ fundationis, siue causa reformationis, siue causa correctionis, siue causa Prioratus, vel alterius officij non licere egressum, sed in omnibus dictis casibus consulendam esse Sedem Apostolicam, & afferunt pro tali sententia S. Congregationis declarationem in his verbis: *Monialem nulli mihi subiectam ex vno Monasterio ad aliud transmittere possum. locorum Ordinarij, vel Superiores Regulares, & ex causa seditionis, vel incorrigibilitatis, vel criminis perpetrati.* Et alteram declarationem in simili forma Procuratoribus Generalibus Ordinum intimatam: ad quas tamen declarationes cum Portello *in Respons. Moral. tom.2. casu 31* dici posset, non constare de eis authenticè; atque adeò eas ad summum facere opinionem satis probabilem, non autem omninò certam, vt oppositam reddant improbabilem. At quidquid sit de hoc, illud tamen certum est; quod si Monialis transfertur ad aliud Monasterium, siue causa correctionis, siue causa pœnitentiæ, ali debeat à Monasterio, à quo transfertur. Rota *decis.109. num.2. & seqq. & in recentior.* & Doctores quos citat, & sequitur Tamburin. *de iure Abbat. disp.21. quæst.1. num.11.*

Cæterùm, an in casu, quo Monialis transfertur ad 13
aliud Monasterium, vel ad aliam Religionem, deferre secum debeat dotem, & alia bona, quæ ad ipsam spectant?

Respondetur, si transit de vna Religione ad aliam, 14
& cum consensu Religionis, à qua transit, deferre debet: quia *ex l. si is qui, ff. de iure dotium*, dos esse debet vbi onera matrimonij sunt; tum quia dos datur pro Moniali, accessoriè ad personam, & sic veluti sub tacita conditione, donec in Religione illa perseuerauerit, sicuti dos in matrimonio carnali traditur viro sub conditione, donec matrimonium durauerit: sic Bald. *in Nouell. de dote, part.1. num.10.* Socinus *consil.222. num.3.* Tapia *Authent. ingressi, verb. sua, 6. num.10.* Sicque ex Tamburino *de iure Abbat. disp.21. quæst.6.* decisum videtur in vna Barcinonensi, 10. Aprilis 1615. quatenus ibi inter conditiones necessarias pro translatione Monialis vna requiritur, quod dotem soluat à cæteris Monialibus præstari solitam.

At deferre non debet, si transit ex voluntate propria, & Religionis, ad quam transit, quia in tali casu, cum prior Religio non consentiat, non debet dote iam sibi acquisita priuari; præsertim quod cum posterior Religio volens Monialem admittat, hoc incommodum sibi imputare debet: & in hoc sensu intelligo Nauarrum, & Rodrig. quos citat, & sequitur Sanchez *lib.7. moral. cap.32. num.12.*

Dixi, quod deferre debet in priori casu, *si transit de* 15
*vna Religione ad aliam*; quia si solum transit de vno

Monasterio ad aliud eiusdem Religionis, adhuc in priori casu, ex probabiliori sententia Doctorum deferre non debet; quia inter Monasteria eiusdem Religionis est maior conuenientia, & quasi implicita conditio, vt ad inuicem admittatur Monialium transitus, quando sic expedire visum fuerit, accedente præsertim voluntate Superioris, quæ necessaria est in his casibus; & etiam in hoc sensu intelligo id, quod Barbosa *de officio, & potest. Episcop. allegat.* 102. *n.* 26. ex Armendar. *in Addit. ad recopilat. leg. Nauarræ lib.* 2. *tit.* 18. *lib.* 7. *de Relig. num.* 100. *&* 105. refert decisum de dote relinquenda Monasterio, à quo receditur.

## DVBITATIO XV.

An Moniali concedi possit egressus, vt visitet Monasteria sibi subiecta? Vbi etiam an recipiat iuramentum fidelitatis à Domino temporali?

### SVMMARIVM.

1 *Moniali concedi non potest egressus, vt visitet Monasteria sibi subiecta, quia id decentius, & commodius præstari potest per Prælatos regulares.*

2 *Abbatissæ, seu Priorissæ solum conceditur licentia egrediendi in casibus, in quibus conceditur cæteris Monialibus.*

3 & 4 *Abbatissæ non potest egressus licentia concedi in casu, qui possit commodè, & facilè expediri, seu præstari per alios, & è contra.*

5 *Abbatissæ concedi potest licentia egrediendi ad recipiendum iuramentum fidelitatis à Domino temporali, si fieri non possit per Procuratorem.*

6 *Textus in cap. periculoso, §. verum quando de statu Regular. in 6. nullibi apparet correctus, quinimmò per Pium V. omninò confirmatus.*

7 *Abbatissa potest auctoritate iuris egredi è clausura, si superior sine iusta causa licentiam deneget, & euidenter constet de iniustitia ipsius.*

8 *Abbatissa in dubio stare debet iudicio superioris.*

1 REspondetur ex dictis negatiuè, quia licet Monasteria visitare spectet bonum commune Religionis, id tamen non per Abbatissam, sed per Prælatos Regulares decentius, & commodius præstari potest; sic Archidiac. *in cap. periculoso, num.* 1. *de statu Regular. in* 6. Ioan. Andr. *ibid. num.* 1. *&* 2. Dominic. *num.* 6. *& seqq.* Ancharan. *num.* 2. *notab.* 3. Franch. *num.* 4. *notab.* 6. & probatur ex Motu Pij V. qui incipit: *Decori, & honestati*, vbi Pontifex expressè prohibet huius rei causa egressum Abbatissis, & Priorissis cuiuscumque Monasterij, ibi: *Seu aliorum*
2 *Monasteriorum, etiam eis subiectorum*; & solum licentiam egressus eis concedit in casibus, in quibus conceditur aliis Monialibus, & obtenta licentia, quæ requiritur ad egressum aliarum Monialium. Nauar. *Comment.* 4. *num.* 47. *Notab.* 2. *&* 3. *de Regular.*

3 Ex his sequitur, quod Abbatissæ non possit egressus licentia concedi in casu, qui possit commodè, & facilè expediri, seu præstari per alios, verbi gratia ad significandum cæmentariis vbinam, & quantumnam debeat esse Ecclesiæ ædificium, vel qua forma construendum, necnon ad inuisendum, num illud sibi placeat. Doctores, quos citat, & sequitur Bonacina *de clausura. quæst.* 1. *punct.* 9. *num.* 5.

4 Sequitur secundò, quod è contra Abbatissæ, quin & cæteris Monialibus, possit egressus licentia concedi in casu, quo non possit per alios præstari, verbi gratia si Monasterium ex iusta causa de loco ad locum mutetur; præsertim quia & in tali casu de bono communi Monialium tractatur. Collector priuilegiorum Mendicant. *verb. Clausura Monialium, casu* 6. & Rodriguez *tom.* 1. *quæst.* 49. *art.* 5. *coroll.* 3. & fauet Tridentinum *sess.* 25. *de Regularib. cap.* 5. quatenus ibi statuit, quod Monasteria sita extra Vrbis mœnia, ad alia loca intra Vrbem reducantur, si sic Episcopis, & aliis Superioribus visum fuerit. 5

An autem Abbatissæ egressus licentia concedi possit in casu, quo ratione feudi, quod habet Monasterium, iuramentum fidelitatis ab aliquo Principe, vel domino sæculari præstari debet, nec potest effici, vt is illud per procuratorem velit præstare?

Respondetur affirmatiuè; quia in hoc casu agitur 6 de bono communi Monialium, cùm fieri possit, quod iuramento non præstito, feudum in præiudicium Monasterij deperdatur; tum quia expressè statuitur *in cit. cap. periculoso, §. verum quando, de statu Regular. in* 6. quod exire possit Abbatissa decenter, & honestè comitata, vt iuramentum dictum suscipiat, statim, eo suscepto, reditura ad Monasterium: neque huius *cap. periculoso*, correctio vsquam apparet; quinimmò Pius V. in Motu proprio, *Circa Pastoralis*, omnia *in dicto capite contenta* confirmat. Lezana *tom.* 1. *cap.* 26. *num.* 10. *& verb. Clausura, num.* 13. Bonacina *de claus. quæst.* 1. *punct.* 9. & Sylvester *verb. Religio* 7. *quæst.* 16. *dict.* 2. vbi rectè subdit, quod si Superior sine iusta causa licentiam deneget, possit Ab- 7 batissa auctoritate iuris egredi: quod intellige, si euidenter de iniustitia Superioris constet, non item in dubio, quia in dubio Abbatissa stare debet iudicio Superioris, cum huius, & non Abbatissæ, sit causas egressus discutere, & approbare, & cum in facto Superioris delictum non præsumatur. 8

## DVBITATIO XVI.

An Moniali concedi possit egressus, vt petat Eleemosynas necessarias Monasterio?

### SVMMARIVM.

1 *Moniali conuersæ, & non professæ conceditur licentia egressus pro quæstu Monasterij, ex dispositione Pij V. & si professa est concedenda, sit annorum 40. & in domibus contiguis extra Monasterium habitet.*

2 *Conuersæ professæ, si Monasterium habeat, computatis laboribus, sufficientes redditus pro sustentatione, sunt reducendæ intra clausuram.*

3 *Conuersæ, quæ mittuntur ad petendas eleemosynas, non debent esse plures quàm octo, & quas conditiones habere debeant.*

4 *Conuersis professis non prohibetur exitus ad audienda sacra, & percipienda sacramenta.*

5 *Conuersæ, quæ egrediuntur de domibus contiguis, quæ non sunt Regulares, sed extra Monasterium, etiam ad inhonesta perpetranda, non peccant contra clausuram.*

6 *Monasteriis Monialium pressis necessitate debetur dimidium omnium eleemosynarum à quibuscumque vbicumque terrarum quacumque dispositione Panperibus faciendarum, nisi sint in pauperes certos erogandæ, nec sint ad vsus alios, quam sustentationem, destinatæ.*

7 *Gregorij XIII. præceptum de dicta dimidia eleemosynarum*

*synarum non est perpetuum, sed est temporale, donec durat necessitas.*

8 *Non possunt admitti, & recipi ad professionem plures conuersæ, quam sint necessariæ ad petendas eleemosynas pro Monasterio; secus tamen seruatur in praxi.*

1 REspondetur, de hac re extat Motus proprius Pij V. incipiens, *Circa Pastoralis*, vbi Pontifex, quando Monialibus deest victus necessarius, & commodè per alios eleemosynas illæ petere non possunt, statuit, vt eleemosynæ per conuersas non professas petantur, & si professæ fuerint, sint annorum 40. & in domibus contiguis extra Monasterium degant, nec aliarum Monialium clausuram ingrediantur, nisi in casibus ex ipsarum Constitutionibus permissis, nec ex iis domibus exire valeant ad petendas eleemosynas absque Ordinarij, vel ipsarum Superioris licentia. Quem Motum Pij V. declarauit postea 1572. Gregorius XIII. in Motu proprio *Deo sacris virginibus*,

2 ibi: *Cæterùm quod attinet ad conuersas professas, quas Pius V. per prædictas literas sub certis conditionibus ibi contentis permisit posse manere extra Monasteria pro colligendis eleemosynis, eisdem locorum Ordinarijs iniungimus, vt quibus Monasteriis prædictarum Monialium, quotidianis laboribus computatis, vel alia qualibet ratione, de sufficienti subuentione, & de sustentatione sufficienter prouisum esse cognouerint, easdem conuersas sub eadem clausura cum aliis Monialibus reducant, nec è suis Monasteriis amplius exire permittant.* Et Zecchius *de Republica Ecclesiastica, tit. de Regularib. cap. 3. num. 15.* refert S. Cardinalium Congregationem declarasse anno 1573. ad petendas has eleemosynas, non plures

3 conuersas, quàm octo, mittendas esse, quæ binæ incedant, nec disiungantur, & sint vitæ probatæ, excedentesque annos 39. nec pernoctent extra Vrbes, vbi Monasteria habent, nisi de Episcopi licentia, & tunc simul dormiant. Vnde constat Gregorium XIII. in dicto suo Motu hanc facultatem sustulisse, cessante prædicta necessitate, non autem ea durante. Lezana *tom. 1. cap. 25. num. 17.* Gauantus *in Man. Episc. verb. Monialium clausura, num. 18. & seqq.* Rodriguez *tom. 1. quæst. 44. art. 4.* & Nauarr. *comment. 4. num. 56.* qui

Subdit primò, quod dum Pius V. in suo Motu prohi-

4 bet conuersis professis exitum ex domibus illis contiguis ad petendas eleemosynas absque Ordinarij licentia, non prohibeat exitum ad audienda sacra, & percipienda sacramenta, quia Pontifex de solo priori exitu loquitur.

Subdit secundò, quod eæ domus contiguæ non sint

5 domus regulares, quia sunt extra Monasterij clausuram: quare si inde egrediantur, etiam ad inhonesta perpetranda, non peccant peccato contra clausuram, sicuti dicebam *dubi. 4. in fine.*

Subdit tertiò *lib. 2. consil. 16. num. 2. de Regularib.*

6 (quidquid dubitauerit *cit. Comment. 4. num. 54.*) quod dum Gregorius XIII. in Motu suo volens exitum harum conuersarum ad petendas eleemosynas impedire, subueniendo aliter prædictæ Monasteriorum necessitati præcipiat, vt dimidium omnium eleemosynarum à quibuscumque vbicumque terrarum, quacumque lege, dispositione, vel obligatione pauperibus faciendarum, detur Monialium Monasteriis prædicta necessitate pressis, quæ sunt in locis, in quibus illæ erogandæ sunt; idque sine alio peculiari iussu Pontificis, vel alterius, & sine vlla petitione Monialium, vel quorumcunque aliorum, dummodo duplex conditio concurrat: vna ne illæ eleemosynæ sint in pauperes certos erogandæ. Altera, vt licet pauperibus incertis erogandæ sint, non tamen sint ad vsus alios, præterquàm ad pauperum sustentationem destinatæ. Ita vt dimidia hæc eleemosynarum pars debeatur Monialibus, quoties vel pauperibus incertis, & ad vsus incertos eleemosynæ sunt destinatæ, vel quando sunt destinatæ pauperibus incertis ad eorum alimenta; non debeatur autem quando pauperibus certis sunt destinatæ, vel quando incertis, ad vsus tamen certos ab ipsorum alimentis distinctos, quia sic apertè disponit Gregorius XIII. in dicto suo Motu, *Deo sacris virginibus.*

Subdit quartò *cit Comment. 4. num. 55.* quod tale Gre- 7
gorij XIII. præceptum sit perpetuum, sed temporale, dum scilicet prædicta Monialium necessitas durat, quia sic apertè etiam ait idem Gregorius XIII. in eodem dicto suo Motu, *Deo sacris virginibus.*

Cæterùm Pius V. in suo Motu, *Circa Pastoralis*, 8
prohibet in posterum receptionem conuersarum, etiam ad professionem emittendam, ibi: *De cætero, nullæ aliæ conuersæ professæ recipi amplius, etiam de consensu suorum Superiorum possint. Quod si aduersus hanc nostram prohibitionem receptæ fuerint, illarum receptio nulla, irrita, & inanis sit, prout ex nunc illam irritam facimus.* Quem Motum Pij V. sic explicat Gregorius XIII. in suo Motu, *Deo sacris virginibus*, ibi: *Conuersas verò non professas, & profiteri nolentes, dimisso habitu domum remittant, nec alias in futurum; nisi professionem sint suo tempore emissuræ, atque sub perpetua clausura in Monasterio huiusmodi recipi permittatur. Quod autem idem Pius V. statuit, de cætero nullas alias Conuersas professas recipi amplius, etiam de consensu suorum Superiorum posse; ita esse intelligendum declaramus, præter illas Conuersas, quæ extra Monasterium in domibus contiguis degerent.* Ex quibus sequitur, quod ad habitum, & professionem deinceps solum possint recipi Conuersæ, quæ necessariæ sint ad petendas Monasterio eleemosynas, & in domibus ei contiguis habituraæ; & non aliæ. Quamuis consuetudine receptum nunc sit, vt & hæ aliæ admittantur, dummodo legitimam postea professionem emittant; & meritò, quia decet, quod in Monialium Monasteriis, sicut & in Monasteriis virorum, quædam admittantur ad Chorum, quædam aliæ ad ministeria inferiora; idque tum ob Communitatis bonum, tum vt fœminæ probæ, sed dotem non habentes, adhuc Religionem ingredi possint, si non vt sint Choro deputatæ, saltem vt sint Conuersæ, & inseruiant inferioribus Monasterio necessariis ministeriis: præsertim cum & istarum receptio nihil obstet clausuræ; quam vterque Pontifex in vtroque Motu proprio maximè seruandam procurat. Vide quæ dicebantur *dub. 6. concl. 3.* Suar. *de Relig. lib. 1. cap. 8. num. 19.* Nauarrum *loco suprà cit. numer. 56.* & Rodrig. *tom. 1. quæst. 44. art. 4.*

## DVBITATIO XVII.

### An Moniali concedi possit egressus ob morbum, quantumvis periculosum, si contagiosus non est? vbi etiam de aliis vrgentiis.

### SVMMARIVM.

1 *Moniali concedi non potest egressus ob morbum quantumvis periculosum, si contagiosus non sit, licet salus eiusdem desperetur.*

2 *Casus exceptus cum dictione taxatiua admittit extensionem ad casus similes, vel vrgentiores; non autem ad casus dissimiles, & minus vrgentes.*

3 *Bonum commune Religionis præponderare debet bono priuato cuiuscumque particularis Monialis.*

4 *Carthusiani satis probabiliter in suis infirmitatibus, etiam cum periculo vitæ, ad abstinentiam ab esu carnium obstringuntur.*

5 *Moniali, si morbus non sit contagiosus, neque concedi potest licentia, vt se transferat ad Monasterium eiusdem Ordinis, cuius situs salubrior sit.*

6 *Lex Ecclesiastica non obligat cum periculo vitæ, si non inuoluit aliquod bonum commune, secus autem si inuoluit.*

7 *Monialis, ne occidatur, potest egredi è clausura.*

8 *Monialibus cuiusdam Monasterij de facto concessit Gregorius XIII. liberum egressum, quotiescumque morbo periculoso laborarent.*

9 *Priuilegium particulare non debet extendi ad generale.*

10 *Monialis morbo non contagioso, sed periculoso laborans, si sine Summi Pontificis dispensatione egrederetur è clausura, peccaret, nec Prælatus inferior licentiam huiusmodi concedere potest.*

11 *Monialis potest è clausura egredi, si periculum vitæ sibi certò immineat ob graues molestias, & vexationes, quas iniustè patitur.*

12 *Monialis grauida effecta non potest exire, etiam ad saluandam famam, vt fœtum foris edat, sine legitima Summi Pontificis, vel alterius superioris licentia.*

13 *Monialis non potest sine legitima licentia Summi Pontificis egredi ad habendam curam nepotum, & omnium auxilio carentium.*

14 *Item neque ad habendam curam consanguineorum infirmorum.*

15 *Item ad succurrendum in extrema necessitate parentibus, vel filiis, etsi alij satis probabiliter contrarium sentiant.*

16 *Item neque ad visendos parentes, consanguineos, vel alios infirmitatis causa, vel alio prætextu.*

17 *Item neque ad implendam aliquam conditionem impositam in legato ipsi Moniali relicto.*

1 REspondetur negatiuè, etiamsi adeò periculosus sit, vt ea non egressa, desperetur eiusdem salus.

2 Probatur, quia licet casus exceptus cum dictione taxatiua admittat forsan, vti suprà dicebam, extensionem ad casus similes, vel vrgentiores, non tamen ex communi sententia Doctorum admittit ad casus dissimiles, vel minus vrgentes, vt est in casu nostro, cùm non agatur de bono communi Monialium (ne scilicet contagiosus morbus vnius cæteras inficiat) sed de bono particulari vnius tantum Monialis. Confirmatur, quia cum morbi non contagiosi sint frequentes (siue veri, siue putatiui) in Monialibus, & in ipsis sit ardens desiderium egrediendi è Monasterio, & medici sint faciles ad attestationem de grauitate morbi faciendam, aperiretur via, vt eis passim egressus concedatur, in maximum clausuræ propter commune Religionis bonum

3 statutæ detrimentum; cum ex alio capite bonum

4 commune Religionis præponderare debeat bono priuato cuiuscumque particularis Monialis: quapropter Carthusiani propter eandem rationem satis probabiliter in suis infirmitatibus, etiam cum periculo vitæ, ad abstinentiam ab esu carnium obstringuntur, & meritò, quia sicuti experientia testatur, rarissimè egressus è clausura, sicut & esus carnium, sic ad pristinam salutem recuperandam conducunt, vt inde pendeat, tanquam ex causa necessaria, mortis periculi vitatio.

Atque ita contra Nauarrum *comment. 3. n. 49. & 50. de Regul.* Llamas *in Append. §. 10.* Azorium *tom. 1. lib. 13. cap. 8. q. 1. ad fin.* Graff. *1. part. decis. lib. 4. cap. 23. num. 17.* Sorbum *in annotat. ad Compend. Mendic. verb. Ingressus Monasteriorum Monialium, num. 6.* Dianam *part. 3 tr. 2. resol. 105.* Suar. *de Relig. tom. 4. tract. 1. lib. 1. cap. 9.* Peirinum *tom. 2. const. 6. Pij V. §. 4. num. 247.* Mariam Nouarium apud Riccium *in praxi, tom. 4. resol. 193. num. 3.* ex probabiliori sententia Doctorum docent Guttierrez *qq. canonic. lib. 1. cap. 14. n. 7. & seqq.* Cened. *collect. 11. ad Sextum Decretal. num. 12.* Zerola *p. 1. verb. Moniales, in fin.* (vbi testatur sic declarasse S. Cardinalium Congregationem) Collector priuileg. Mendicant. *verb. Clausura Monialium, casu 5.* Corduba *in eius addition. ad fin. vers. Notandum*, Granad. *in part. 2. controu. tract. 3. part. 1. disp. 8. sect. 5. num. 13.* Faustus *in thesaur. Relig. lib. 6. q. 163.* Miranda *de Monialib. quæst. 4. art. 4.* Barbosa *de potest. Episc. part. 3. allegat. 102. n. 20.* Rodrig. *qq. Regular. tom. 1. quæst. 49. art. 3.* Tamburin. *de iure Abbat. disp. 19. quæst. 5.* Lezana *tom. 1. cap. 25. num. 20. & verb. Clausura, num. 11.* Bonacina *de clausura, q. 2. punct. 9.* Seortia *epit. 94. theorem. 228.* & Layman. *lib. 4. tract. 5. cap. 12. num. 1.*

Quod intellige, etsi petatur egressus ad aliud eius- 5
dem Ordinis Monasterium, cuius situs salubrior sit; quia adhuc in hoc egressu locum habet non publica omnium Monialium, sed priuata vnius tantùm Monialis necessitas, & sic non est casus similis exceptis, sed leuior, & minus grauis.

Obiicies: lex Ecclesiastica non obligat cum peri- 6
culo vitæ.

Respondetur, distinguo antecedens, si non inuoluit aliquod bonum commune, concedo; si inuoluit (vt in casu nostro de seruanda clausura, adeo ad spiritualem Monialium salutem, perfectamque votorum Regularium obseruantiam, necessaria) nego: quapropter, vti dicebam, Carthusiani laudabiliter, vt seruent statutum suum, se abstinent, etiam cum periculo vitæ, ab esu carnium, quod vtrumque eo magis verum est, quia nec ex egressu, nec ex esu carnium pendet certò mortis periculi vitatio, vti suprà etiam dicebam.

Obiicies secundò, si quis velit Monialem occidere, 7
potest Monialis ad vitandum mortis periculum egredi: ergo etiam in casu nostro. Consequentia probatur, quia materialiter, & impertinenter se habet, vtrum periculum immineat ab extrinseco, vel ab intrinseco, cum in vtroque casu tuendæ vitæ ius naturale locum habeat.

Respondetur concedo antecedens; at nego consequentiam, quia primus casus est rarissimus, & sic non aperit viam ad causas egressus fingendas, clausuramque violandam; & præterea infert, vtpote ab extrinseco, certissimum periculum vitæ: at secundus casus est frequentissimus, & sic valde aperiret viam facilitati egrediendi, clausuramque violandi; & præterea infert, vtpote ab intrinseco, periculum vitæ, quod Moniali egressa non cessat, sed ipsam comitatur.

Obiicies tertiò: Gregorius XIII. teste Nauarro, de 8
facto concessit cuiusdam Monasterij Monialibus liberum egressum, quotiescumque morbo ita periculoso, vt ad tuendam vitam egressus iudicio Medicorum fuerit necessarius, laborarent: ergo.

Respondetur: distinguo antecedens, concessit, de- 9
clarando, nego: concessit, peculiare priuilegium impertiendo, concedo: quapropter ad alias personas, quàm ibi expressas extendi non potest, nec debet, *l. ius singulare, ff. de legibus.* Accedit, quod licet ea censeatur causa, vt Papa in lege sua Ecclesiastica dispenset, non tamen sequitur, quod sit etiam iusta causa, vt Prælatus inferior contra legem Ecclesiasticam sui Superioris egressum concedat; & sic retorquetur argumentum, siquidem potius ex his infertur, dispensationem

tionem Pontificis esse necessariam, & sine ista peccare
10 mortaliter Monialem, quæ propter morbum lethalem, scilicet non contagiosum egrederetur: Non nego tamen, quod si quis sententiam contrariam, vtpote non omninò improbabilem, secutus egrediendi in tali casu licentiam concesserit, excusari possit à pœnis. Vide Rodrig. *tom.1.q.49.art.5.in fine.*

11 Ex dictis sequitur primò, quod possit Monialis è clausura egredi, si periculum vitæ sibi certò immineat ob graues molestias, & vexationes, quas iniustè patitur, & habere non potest Episcopum, vel superiorem, à quo subleuetur. Tamburin. *de iure Abbat. disp.19.q.5.ad* 8. quia hoc est veluti ab extrinseco occidi.

12 Sequitur secundò, quod è contra non possit sine legitima Summi Pontificis, vel alterius Superioris licentia egredi, si grauida effecta velit ad saluandam famam exire, vt fœtum foris edat, & sic suum delictum absconsum retineat, nisi simul alioquin periculum vitæ sibi immineat. Tamburin. *loc.supra cit.ad* 12. & Lezana *verb. Clausura, n.1.*

13 Sequitur tertiò, quod multò minus possit sine legitima licentia Summi Pontificis egredi ad habendam curam nepotum, & omni auxilio carentium. S. Congregatio apud Armendariz *in addit.ad recopilat. legum Nauarræ, lib.2.tit.*18.*lib.7.de Relig.n.*105. apud Marzillam *sess.25.cap.5.* & apud Barbosam *in collectan. Bullar. verb. Monialium clausura circa egressum.*

14 Idemque dico de egressu ad habendam curam consanguineorum infirmorum. Tamburin. *vbi supra,ad* 13. & Bonacina *cit.q.1.punct.9.n.*4. *&* 5.

15 Idemque dico de egressu ad succurrendum in extrema necessitate parentibus, vel filiis; etsi alij satis probabiliter contrarium sentiant; cùm in tali casu quammaximè vrgeat ius naturæ, & obligatio cha-
16 ritatis. Ad quod tamen fundamentum facilè responderi potest ex dictis suprà. Idemque multò magis dico de egressu ad parentes, consanguineos, vel alios infirmitatis causa, vel alio prætextu inuisendos; idque tum ob dictam rationem, tum ob dictum Motum Pij V. vbi id expressè prohibetur, ibi: *Vt domorum, parentum, aliorumque consanguineorum visitandorum.*

17 Idemque etiam multò magis dico de egressu ad adimplendam aliquam conditionem impositam in legato ipsi Moniali relicto: quapropter declarauit S. Congregatio in vna Camerinensi mensis Martij 1634. solui debere cuidam Moniali legatum 60. scutorum ei relictorum, etiamsi ratione sui status assistere non potuisset cuidam processioni cum veste alba, sicut legatum requirebat.

## DVBITATIO XVIII.

### An Moniali concedi possit egressus, si adeo incorrigibilis sit, vt in nullo Monasterio eius correctio speretur?

### SVMMARIVM.

1 *Moniali adeo incorrigibili, vt in nullo Monasterio eius correctio speretur, concedi non potest licentia egressus inconsulto Summo Pontifice, licet in vigore iuris contrarium videatur.*

2 *Monialis incorrigibilis carceri potius, ne alias infi.iat, tradi debet, quàm cum tanto scandalo, & præiudicio boni communis è Monasterio eiici.*

1 REspondetur, quod (quamvis in rigore iuris, ex *cap. cum ad Monasterium, & cap.fin. de statu Monach.* affirmandum videatur; cum eadem prorsus ratio, scilicet ne *Morbida facta pecus totum corrumpat ouile*, sit de religiosis fœminis, ac de viris; præsertim quia Moniales non magis ac viri votis Religionis adstringuntur, nec præcepto clausuræ ligantur, nisi quamdiu manent in Monasterio, sicuti & præcepto delationis habitus Religiosi omnes non ligantur, nisi quamdiu manent in Religione: & fauere videtur priuilegium quoddam Innocentij III. pro Cistercien sibus apud Hieronymum Rodrig. *in compend. qq. regular.resol.57.num.3* tamen negandum sit (saltem inconsulto Pontifice) vtpotè quid nouum, & inusitatum, atque adeo scandalum generans. Accedit, quod ansam Monialibus daret, vt se incorrigibiles fingant, ad hoc vt Monasterium deserant, in magnum præiudicium boni communis; & Moniales ex delicto suo commodum reportarent: quapropter potius in tali casu Monialis incorrigibilis, carceri (ne alias inficiat) 2
includi deberet, quàm cum tanto scandalo, & præiudicio boni communis è Monasterio eiici. Bonacina *de clausura, q.1.punct.9.n.*14. Barbosa *in Collectan. Doctor. in cap.ne Religiosi, de regularitate.* Lezana *tom.1.cap.25. n.*17. *& verb. Clausura, n.*15. Gauant. *in Man. Episcop. verb. Monialium clausura, n.*23. Ricciulus *de iure personar.extra grem.Eccles. vagant. lib.*8.*cap.5. n.*8. idque ex altera Sacræ Congregationis declaratione in vna Redonensi 1617. & altera 1630. ex Rotæ decisione in vna Vlyssiponensi 1625.

## DVBITATIO XIX.

### An Moniali concedi possit egressus vt ad strictius Monasterium transeat.

### SVMMARIVM.

1 *Moniali concedi potest egressus, vt ad strictius Monasterium transeat, contra nonnullos Doctores asserentes id solum statutum esse pro viris, non pro fœminis.*

2 *Ad bonum commune Monialium spectat posse ad perfectiorem vitam transire.*

3 *Transitus ad arctiora Monasteria de iure antiquo concedebatur, nec per ius nouum apparet sublatus.*

4 *Textus in cap. licet, de Regularibus, quamvis de solis Religiosis viris loquatur, quoad rationes tamen aque procedit in Monialibus, & sic in vtrisque eadem debet esse iuris dispositio.*

5 *Monialis potest seruatis seruandis transire de vna Religione ad aliam, & in Religione, ad quam transit, debet facere nouitiatum, & emittere professionem.*

6 *Textus in cap.vnico, §. confirmatus, in fine, de Religiosis domibus in 6. loquitur de translatione locali, non personali.*

7 *Opinio Rodriguez improbatur.*

REspondetur quod (quamvis Azor. *tom.1. lib.13.* 1
*cap.*8.*q.1.* & alij negent, moti ex eo, quia *cap. licet, de Regularib.* vbi transitus ad Religionem strictiorem permittitur, loquitur solum de viris Religiosis, non item de fœminis; & quia *cap. vnic. in princip. de statu Regular. in* 6. Tridentinum *sess.25. de Regularib. cap.*4. & Bulla Pij V. incipiens: *Decori, & honestati,* Monialibus permittunt exitum) tamen ob triplicem 2
illam causam, epidemiæ, lepræ, & incendij, affirmandum sit; quia ad bonum commune Monialium spectat, posse ad perfectiorem vitam transire, nec præsumitur Pontifex velle Spiritui sancto ad perfectiorem

fectiorem vitam excitanti resistere, & aditum ad perfectionem intercludere; tum quia olim dictus transi-
3 tus concedebatur (vt patet ex *c.*1. 20. *q.*4. & docent ibi Gloss *verb. Virgines*, & *in ci. cap. vnic. verb. Perpetua*, Archidiac. *num.*1. *D minic. num.*11. Abb. *cap. fin. num.*7. *de statu Monachor.* Additionator ad Abb. *in cap. non est, lit. C. ad fin. de Regul.* Silu. *verb. Religio* 4. *q.*16. *dict.*2. & Greg. Lopez *l.*9. *verb. Religiosos, tit.*7. *part.*1.) ergo & hodie concedi poterit; cum nusquam appareat talis iuris antiqui correctio; *siquidem cit. cap. vnic.* Tridentinum, & Bulla Pij V. loquuntur solum in ordine ad
4 vacandum, non autem in ordine ad vitam Religiosam strictiorem amplectendam; *& cit. cap. licet*, quamvis de solis Religiosis viris loquatur, quoad rationes tamen æquè procedit in Monialibus; & sic in vtrisque eadem debet esse iuris dispositio; atque ita etiam post Tridentinum sentiunt Mandes *in signatur. grat. verb. Licentia, col.*9. *vers. quæ dicta sunt*, Tapia *Auth. ingressi, verb. ingressus, cap.*9. *num.*37. *C. de sacrosc. Eccles.* Rodrig. *tom.*3. *q.*52. *art.*6. & Zerola 1. *part. verb. Moniales, in fin.*

Confirmatur, quia apud Ricciullum *in tract. de iure personar. extra grem. Eccles. vacant. lib.*8. *cap.*5. *num.*4. Sacra Congregatio in vna Nannetensi 1613. & in vna Redonensi 1617. sic expressè decernit, quod scilicet non obstante etiam rigorosa clausura Monia-
5 lium, possit adhuc Monialis, seruatis seruandis, transire de vna Religione ad aliam: at in casu, quo transeat, debet in Religione, ad quam transit, Nouitiatum facere, & professionem emittere. Rota *decis.*109. *num.*2. *& seqq. in recent.* & Tamburin. *disp.*21. *quæst.*1. *num.*11.

6 Obiicies, *in cap. vnicum*, §. *confirmatos, in fin. de Religiosis domibus in* 6. decernitur, quod nullus Ordo ad alium, vel Conuentus ad Conuentum se, ac loca sua totaliter transferat absque licentia Sedis Apostolicæ: ergo.

Respondetur, nos loqui de translatione personali, non locali; in textu autem cit. sermo est de translatione, quæ cum loco, seu applicatione bonorum facienda est: ita Rodrig. & Zerola *in locis cit.* contra Azorium 1. *p. lib.*13. *q.*1.

7 Cæterùm quod ait Rodrig. *loco suprà cit.* (requiri ad talem egressum, ob clausuram in Tridentino, & in Bulla Pij V. Monialibus indictam, Superiorum, & Ordinarij licentiam, quam inquit, tenentur illi concedere) mihi non probatur, sed dicendum satis esse eam (sicuti dicetur de Religiosis viris) petere, etsi non obtineatur; quia Tridentinum, & Bulla Pij V. non loquuntur in hoc casu, vt dicebamus.

## DVBITATIO XX.

### An Monialis ad tempus legitimè egressa teneatur statim redire?

### SVMMARIVM.

1 *Monialis ad tempus legitimè egressa, nempe ob morbum, vel alium casum permissum, tenetur sanitate obtenta, vel negotio finito ad Monasterij clausuram redire.*

2 *Verbum* (è vestigio) *sonat statim, vel continuò.*

3 *Concessa specialiter, & contra ius suis terminis sunt continenda, & expedita concessionis causa redeundum est ad ius commune.*

4 *Monialis egressa legitimè, si in redeundo ad Monasterium sit morosa per moram breuem, v. g. vnius, vel alterius diei, non violat præceptum clausuræ.*

5 *Monialis egressa legitimè, si finito negotio aliò diuertat per moram vnius, vel alterius diei, v. g. ad visendam imaginem, consanguineam, amicam, &c. non violat præceptum clausuræ.*

Respondetur affirmatiuè, v.g. egressa ob morbum, 1
vel alium casum permissum tenetur, sanitate obtenta, vel negotio finito, ad Monasterij clausuram redire. Sic Collector priuileg. *verb. ingredi*, §.34. Rodrig. *q.*49. *art.*9. *in princip.* Miranda *de Monialibus, q.*1. *art.*5. *ad finem*, Barbosa *de offic. & potest. Episcop.* 3. *p. alleg.*102. *n.*58. Bonacina *de clausura, q.*1. *punct.*9. *n.*31. Layman. *lib.*4. *tract.*5. *c.*12. *n.*1. & Lezana *tom.*1. *cap.*25. *n.*22. & patet, quia cessat tunc causa concessionis egressus; tum quia dum *in cap. periculoso*, §. *verum quando, de statu Regular. in* 6. conceditur exitus Abbatissæ causa recipiendi iuramentum fidelitatis, subditur: *Quamprimum fieri poterit, seu fidelitatis præstito sacramento, ad ipsum Monasterium è vestigio reuersura*, vbi Glossa *verb. è vestigio*, explicat, statim, vel continuò; & Ioan. Andr. ibi *num.*3. Archidiac. *n.*3. Anchar. *n.*4. & cæteri Canonistæ 2
inde dicunt, quod concessa specialiter, & contra ius suis terminis sint continenda, & expedita concessionis causa, redeundum sit ad ius commune: tum quia in Bulla, *Decori, & honestati*, postquam præterquam ob 3
triplicem infirmitatem ibi declaratam, prohibetur egressus Moniali, subditur: *Sed nec in prædictis casibus extra illa Monasteria, nisi ad necessarium tempus, stare licet.*

Hoc autem præceptum, cùm simus in moralibus, 4
moraliter (sicuti cum dicitur de obligatione ad restituendum, vel ad residendum, &c.) intelligendum est, ita vt per moram breuem, verbi gratia vnius, vel alterius diei, Monialis illud non violet. Accedit, quod sic etiam colligitur *ex cit. capite periculoso*, §. *verum quando*, vbi cum Pontifex præcepisset è vestigio finito negotio, reditum ad clausuram, subdit: *Sic quod in fraudem residentiæ, siue moræ claustralis nihil fiat omninò*: quibus verbis clarè significat, eam solam dam- 5
nari moram, quæ sit alicuius momenti, quæque cederet in clausuræ fraudem, non autem quæ sit vnius, vel alterius diei, vt si Monialis, finito negotio, per vnum, vel alterum diem alicubi moretur, vel ad clausuram rediens, in itinere aliò diuertat, ad visendam imaginem, cognatam, vel amicam; quia hoc, moraliter loquendo, non est in clausuræ fraudem, vti dicebam, & videri possunt Rodrig. *tom.*1. *quæst.*47. *art.*11. Gutierrez *qq. Canon. lib.*1. *cap.*14. *in fine*, Bonacina, & Lezana *in locis suprà cit.* & quæ dicentur *infrà dub.*51.

## DVBITATIO XXI.

### An Moniali, si necessitas exeundi manifesta sit, & Superior tunc pro licentia petenda adiri non possit, liceat, eo inconsulto, egredi?

### SVMMARIVM.

1 *Monialis necessitate cogente, si non sit aditus ad superiorem pro obtinenda licentia, potest eo inconsulto egredi.*

2 *Necessitas legem non habet, & per epicheiam censeri potest casus necessitatis exceptus.*

3 *Monialis non præsumitur necessitate cogente, coarctari à superiore ad seruandam clausuram.*

4 *Monialis necessitate cogente egressa sine superioris licentia tenetur eidem significare suum egressum, si duret, & ipsa possit.*

5 Superior

5 *Superior, si durat egressus Monialis, & causam ipsius non approbet, potest illum emendare, secus est si Monialis iam rediit ad Monasterium.*

1 REspondetur affirmatiuè, quia necessitas legem non habet, & per epicheiam censeri potest, ta-
2 lem casum non comprehendi in decretis Concilij, & Pontificum, quia in tali casu non præsumitur Supe-
3 rior velle Monialem ad clausuram obligare: atque ita docent Dominic. *in cit. cap. periculoso, in fin.* Franc. *ibid. num.*4. Sylu. *verb. Religio 7. quæst.*16. *dict.*1. Collector priuilegior. Mendicant. *verb. Clausura Monialium, casu* 1. Llamas *in appendice*, §.10. Rodriguez *quæst.*49.*art.*2. Layman *loco supra cit.* Bonacina *de clausura, quæst.*1. *punct.*8. Lezana *tom.*1. *cap.*25. *num.*21. Zecchius *de Reuubl. Ecclesiast. tit. de Regular. cap.*3. *num.*15. qui rectè subdit, quod teneatur postea hæc
4 Monialis id Superiori significare. Quod intellige, si possit, & duret egressus; quia cum adhuc ille duret, potest Superior illum emendare, si causam, cuius co-
5 gnitio pertinet ad ipsum, non approbat. At non tenetur, si iam egressus cessauit, vt quia iam Monialis rediit ad Monasterium, quia tunc Superioris facultate, & approbatione amplius non indiget, sicuti quid simile dicitur de Religioso, qui cum ratihabitatione Superioris iam aliquid cognouit. Vide Bonacinam *loco supra cit.*

## DVBITATIO XXII.

### An, & quæ pœnæ Moniali clausuram violanti, & ei fauentibus infligantur.

#### SVMMARIVM.

1 *Moniali clausuram violanti, & ei fauentibus duplex pœna infligitur. Prior excommunicatio Pontifici reseruata, posterior priuatio dignitatum, & officiorum.*

2 *Sententia Rodriguez reiicitur, & cur.*

1 REspondetur, de hac re sic statuit Pius V. in dicto Motu suo, qui incipit, *Decori, & honestati: Aliter autem, quam (vt præfertur) egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, necnon comitantes, ac illarum receptatrices personas, siue laicas, aut sæculares, vel Ecclesiasticas, consanguineas, vel non, excommunicationis maioris latæ sententiæ vinculo statim eo ipso absque aliqua declaratione sub adiere, à quo præterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolui nequeant: & insuper tam egressas, quam præsidentes, & alios Superiores prædictos eis licentiam huiusmodi concedentes, dignitatibus, officiis, & administrationibus per eas, & per eos tunc obtentis, priuamus, & illas, & illos ad obtenta, & ab alia in posterum obtinenda inhabiles decernimus.*

2 Itaque ex dictis duplex pœna infligitur. Prior excommunicatio Pontifici reseruata, quæ generalis est contra Moniales aliter ac in Motu Pij V. conceditur, egressas, & contra licentiam egrediendi aliter ac in dicto Motu conceditur, concedentes, comitantes, ac receptantes. Posterior, priuatio dignitatum, administrationum, officiorum tunc obtentorum, & inhabilitas ad illas, & ad alia in posterum obtinenda, & hæc non est ita generalis, sicut excommunicatio, (quia solum afficit Moniales egressas, & præsidentes, & alios Superiores licentiam egrediendi concedentes) & non est Pontifici reseruata, sicuti patet ex contextu, & tradunt Doctores apud Lezanam *verb. Clausura, num.*21.

Cæterùm, quod docet Rodriguez *tom.*1. *quæst.*49. *art.* 5. (Moniales sic egressas contrahere excommunicationem aliam latam in Tridentino *session.*25.*cap.*5. *de Regularib.*) mihi non probatur, quia Tridentinum nec ibi, nec alibi excommunicationem infert contra Moniales egredientes, sed solum contra Monialium clausuram sine legitima causa egredientes.

## DVBITATIO XXIII.

### An dictæ pœnæ eo ipso ante omnem Iudicis sententiam, etiam criminis declaratoriam, in foro conscientiæ contrahantur?

## SECTIO I.

### Dubitationis Resolutio.

#### SVMMARIVM.

1 *Exceptis censuris, & irregularitate, pœnæ aliæ latæ contra violantes clausuram, & quoscumque alios, non contrahuntur ante sententiam criminis declaratoriam.*

2 *Pœna, præsertim quæ non potest absque aliqua hominis actione executioni mandari (etiamsi feratur ipso iure, vel ipso facto, & nulla expectata Iudicis sententia) non obligat in foro conscientiæ ante condemnationem.*

3 *Nemo subit pœnam, nisi per sententiam criminis reus condemnetur.*

4 *Verba (ipso iure, ipso facto) intelligenda sunt de declaratione pœnæ, non autem criminis.*

5 *Lex debet esse iusta, & hominum moribus, & fragilitati accommodari.*

6 *Leges pœnales quatenus præceptum continent, diriguntur ad subditos; quatenus pœnam infligunt, referuntur ad Indices, vt eas in transgressores exequantur.*

7 *Pœnæ latæ in motu Gregorij XIII. de datis, & promissis pro iustitia, vel gratia contra transgressores sui motus non contrahuntur ante Iudicis sententiam, saltem criminis.*

8 *Pœnæ latæ in motu proprio Clementis VIII. de largitione munerum Religiosis interdicta, non contrahuntur in foro conscientiæ ante criminis sententiam.*

9 *Idem dic de Clericis non deferentibus habitum clericalem.*

10 *Idem dic de Clericis sodomiam exercentibus, contra Nauarrum.*

11 *Lex imponens taxam alicui rei venali, & imponens contrauenientibus pœnas, non obligat ante criminis sententiam, licet ante omnem sententiam teneantur restituere excessum pretij.*

12 *Beneficiatus potest retinere beneficium, donec declaretur delictum, propter quod beneficio priuatus est, nisi forte in lege dicatur, pœnam in foro conscientiæ statim soluendam esse.*

13 *Rector Ecclesiæ sine solennitatibus requisitis alienans rem Ecclesiæ non tenetur abdicare beneficia ante criminis latam sententiam.*

14 *Idem dic de Prælatis, qui Monasteria Monialium contra*

*contra motum Gregorij XIII. ingrediuntur, & de Religiosis mulieres intra septa monasterij admittentibus.*

15 *Superior Religionis incidens in casum ipso facto priuationis superioritatis, etiamsi publicè constet, in dictam pœnam non incurrit absque Iudicis declaratione.*

16 *Hæretici, & alij quorum bona ipso iure confiscantur, non tenentur ad pœnam ante criminis sententiam.*

17 *Bona hæretici, & aliorum à die commissi criminis obstringuntur reali obligatione, ita vt ad quemcunque transierint, à fisco vindicari possint vna cum fructibus extantibus.*

18 *In delictis hæresis, & similibus sententia fertur etiam contra defunctum, & pœna iuris fictione retrotrahitur ad diem commissi delicti, fitque executio confiscationis perinde ac si tunc sententia lata fuisset.*

19 *Fiscus bona fidei possessori, verbi gratia emptori, cui res alienata fuit post delictum commissum, si defunctus, cum fiscus succedit, ditior factus sit, tenetur pretium restituere.*

20 *Recipiens donationem à criminoso adhuc non tenetur bona fisco reddere; nisi à Iudice repetantur, licet sciuerit pœnam confiscationis à donatore incursam esse.*

21 *Recensentur pœnæ, quæ in foro conscientiæ non obligant ante Iudicis sententiam criminis declaratoriam.*

22 *Clausula*, absque vllo superioris decreto, vel ministerio, vel sententia, absque vlla declaratione, absque vlla sententia, ante vllam sententiam, *quid importent.*

23 *Reus non tenetur exequi in se pœnam sui delicti, non solùm in pœnis priuationis, sed in aliis, in quibus actio talis exigitur.*

1 REspondetur negatiuè (si loquamur de pœnis, exceptis censuris, & irregularitate, de quibus dicam sectione sequenti ad primum) quia lex pœnalis, præsertim quæ non potest absque aliqua hominis actione executioni mandari (etiamsi feratur ipso iure, vel ipso facto, & etiam nulla expectata Iudicis sententia, vt est in casu nostro) adhuc tamen ante sententiam, seu condemnationem, saltem criminis, in foro conscientiæ non obligat; ex eo quia vsu, & consuetudine (quæ optima legum exigitur interpres) receptum est, quod nemo subeat pœnam, nisi per Iudicis sententiam, saltem criminis, reus condemnetur, ita vt si in lege subdantur verba *ipso iure, vel ipso facto, nulla expectata Iudicis sententia, seu declaratione*, intelligenda sint illa de sententia, seu declaratione pœnæ, non item criminis, & meritò, quia alioquin lex humana esset nimis dura; cum tamen vt lex sit iusta, debeat esse (sicuti communiter Theologi, & Canonistæ *in cap. erit, cap. in istis, dist.* 4. docent) hominum moribus, & fragilitati accommodata: nam valdè alienum à moribus, & natura hominum est, quod idem cogatur esse reus, Iudex & iustitiæ executor, & sæpe sui criminis occulti proditor, & accusator: quapropter dicendum, quod leges pœnales, quatenus præceptum continent, diriguntur ad subditos, vt eas obseruent; quatenus verò pœnam infligunt, præcipuè referuntur ad Iudices, vt eam in transgressores exequantur, & secundariò ad subditos, vt iustæ executioni obtemperent, si pœnam soluere à Iudice iubeantur. Sic contra Abbatem *in cap. dilecti, de arbitris*, Castrum *lib.* 2. *de lege pœnali, cap.* 8. & 9. Saytum *in Claui Regia, lib.* 3. *cap.* 10. Merollam *tom.* 1. *disp.* 1. *cap.* 2. *diffic.* 10. *n.* 253. Bonacinam *de clausura, quæst.* 1. *punct.* 4. *num.* 7. & 9. *punct.* 3. *num.* 2. Graffis 1. *part. decis. lib.* 4. *cap.* 23. *n.* 11. & quosdam alios tenent Caiet. 2. 2. *quæst.* 61. *art.* 3. & *in summ. verb. Pœna*, Sot. *de iust. lib.* 2. *quæst.* 61. *art.* 3. Silu. *verb. Pœna, quæst.* 25. Nauar. *cap.* 23. *num.* 66. & *lib.* 3. *consil.* 8. *de donat. edit.* 2. & *in exposit. Bullæ, de datis & promissis, num.* 44. Corduba *lib.* 1. *q.* 36. Azor. *tom.* 8. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 1. Mol. *de iust. & iur. tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 96. *num.* 14. (vbi dicit esse sententiam communiter inter Theologos, & Iurisperitos.) Couar. *in* 4. *decret. part.* 2. *cap.* 6. §. 8. *num.* 12. Vasq. *in* 1. 2. *tom.* 2. *disp.* 168. *num.* 15. Salas *de legib. disp.* 15. *sect.* 2. *num.* 38. Lorca *in* 1. 2. *disp.* 24. *de legib.* Becan. *in part.* 2. *tract.* 3. *cap.* 2. Sanchez *de matrim. lib.* 9. *disp.* 30. & *lib.* 2. *mor. cap.* 22. *num.* 7. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 66. Sousa *in Exposit. Motus Clementis VIII. de largit. muner. num.* 102. Molfesius *in summa, tom.* 1. *tract.* 9. *cap.* 9. *n.* 35. Suar. *de legib. lib.* 5. *cap.* 5. & 6. Villalob. *in summ. tract.* 2. *diffic.* 26. *num.* 2. Ioan. de la Cruz *part.* 1. *dub.* 3. *de legib.* & alij passim.

Hinc sequitur, quod (licet Gregorius VIII. in Motu suo de datis, & promissis pro iustitia, vel gratia statuat contra dicti sui Motus transgressores, ibi: *Eos omnes omni beneficio ipso iure priuamus, ac priuatos esse declaramus, ac inhabiles ad illa, & ad alia esse volumus.*) Hæ pœnæ tamen ante Iudicis sententiam, saltem criminis, non contrahantur. Nauarr. *in dicti Motu Gregor. XIII. Exposit. num.* 41. Sousa, & Mol. *in locis suprà cit.* quod maximè procedit in priuatione officij administrationis, & dignitatis tunc obtentorum; cum ea sit pœna ad sui executionem aliqua hominis actione egens. 8

Sequitur secundò, quod (licet Clemens VIII. *in Motu proprio de largit. muner. Religiosis interdicta*, rigidioribus verbis vtatur, ibi: *Omnibus, & singulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, & officiis eo ipso priuatus, ac ad illa, & alia in futurum obtinenda inhabilis in perpetuum, & incapax existat, & hoc absque vllo Superioris decreto, aut ministerio*) hæ pœnæ tamen similiter in foro conscientiæ ante criminis sententiam non incurrantur. Nauarr. *cit. n.* 44. & alij Doctores, quos citat, & sequitur Sousa *in dicti Motus Clementis VIII. explicat. cit. num.* 102. & Molfesius *supra.*

Sequitur tertiò, quod idem dicendum sit de pœnis oppositis in Bulla Sixti V. contra Clericos non deferentes habitum clericalem: Doctores, quos citat, & sequitur Molfesius *loco suprà cit.* 9

Sequitur quartò, quod idem etiam dicendum sit de pœnis appositis in Bulla Pij V. contra Clericos sodomiam exercentes. Sayrus *de censur. lib.* 7. *cap.* 12. *n.* 24. Sanch. *de matrim. lib.* 7. *disp.* 46. *num.* 18. Auil. *de cens. part.* 7. *disp.* 4. *dub.* 7. *concl.* 7. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 5. *n.* 1. *in gloss. lit. F.* Azor. *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 19. *q.* 5. Suar. *de censur. disp.* 31. *sect.* 4. *num.* 22. Filliuc. *tom.* 1. *tractatu* 17. *num.* 127. Homobon. *part.* 2. *tract.* 11. *cap.* 12. *quæst.* 26. Florian. *de casibus reseru. part.* 2. *cas.* 7. §. 1. *n.* 8. Bonacina *de matrim. quæst.* 4. *punct.* 11. *num.* 2. Zanard. *part.* 2. *præcept.* 6. *cap.* 9. & Finel. *de casib. reseru. cas.* 9. *num.* 6. Quidquid in contrarium sentire videatur Nauarr. *cap.* 27. *num.* 250. 10

Sequitur quintò, quod lex imponens taxam alicui rei venali, & imponens contrauenientibus pœnas, non obliget hos ad pœnas, saltem ante criminis sententiam; etsi ante omnem prorsus Iudicis sententiam teneantur restituere excessum pretij. Doctores, quos refert, & sequitur Villalob. *loco suprà cit. n.* 3. 11

Sequitur sextò, quod beneficiatus possit (donec declaretur delictum, propter quod beneficio priuatus est) beneficium retinere, nisi fortè in lege dicatur, pœnam in foro conscientiæ statim subeundam esse. Surd. *decis.* 247. & Azor. *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 6. Qua de re vide tamen quæ nos *infra dicemus sect. sequentibus.* 12

Sequitur

13 Sequitur septimò, quod Rector Ecclesiæ sine solennitatibus requisitis alienans rem Ecclesiæ, abdicare beneficia ex vi Bullæ Pauli II. *Ambitiosæ*, non teneatur, saltem ante criminis latam sententiam. Sanch. *lib.2. Mor. cap.22.n.20.* Nauar. *cit.c.27.n.110.* Henriq. *lib.13. c.56.n.41.* Graff. *in decis. part.1.lib.2.c.11.n.41.* & Diana *cit. resol.66.*

14 Sequitur octauò, quod idem dicendum sit de Prælatis, qui contra Motum Gregor. XIII. *dubia quæ emergunt*, Monasteria Monialium ingrediuntur; & de Religiosis, qui contra Motum Pij V. mulieres intra septa Monasterij admittunt. Doctores, quos refert & sequitur Rodrig. *in explicat. decti Motus Pij V.n.32.* & Suarez *de Relig. tom.4.lib.1.cap.7.n.10.* & nos dicemus *dub.68. & 79.*

15 Sequitur nonò, quod superior Religionis incidens in casum ipso facto priuationis superioritatis, non incurrat (etiamsi publicè constet de crimine) in dictam pœnam, donec per Iudicem in eam incurrisse declaretur: quapropter interim non poterunt subditi eum è gubernatione expellere. Doctores, quos citat, & sequitur Ioan. Valer. *in differ. vtriusque fori, verb. pœna, differ.20.n.42.*

16 Sequitur decimò, quod hæretici, & alij, quorum bona ipso iure confiscantur, non teneantur, saltem ante criminis sententiam, illa fisco restituere. Doctores communiter, quos citat, & sequitur Sanchez *loco cit. cap.20. num.7.* & Sanctarellus *de hæres. cap.11. dub.1. num.6.*

Quapropter pœna confiscationis bonorum, quæ ipso iure incurritur ob crimen hæresis, iuxta *cap. cum secundum leges, de hæres. in 6.* ob crimen læsæ Maiestatis, iuxta *l.5. & vlt. Cod. ad legem Iuliam Maiestatis*, & ob similia crimina, non eo sensu intelligi debet, quasi reus à lege condemnatus, bonorum suorum dominio, vel possessione ante criminis sententiam priuatus sit, vt
17 ea retinere, vel validè alienare non possit, sed fisco deferre debeat sui ipsius accusator, Iudex, aut vindex; at debet intelligi in sensu, quo à die commissi criminis ante omnem Iudicis sententiam, bona ipsius rei reali obligatione, veluti vinculo, astringantur fisco, vt ad quemcumque possessorem, quocumque titulo, contractus, hæreditatis, vel legati perueniant, tali oneri obstricta maneant, vt post Iudicis sententiam condemnatoriam, vel declaratoriam criminis, rescisso contractu, testamento, vel legato, vindicari, ac fisco applicari possint, vnà cum fructibus extantibus, vel quatenus possessor inde ditior factus fuerit; sic præter Sanchez, & Sanctarellum *supra* citatos docent ex communiori sententia Caietan. 2.2. *q.61. art.3.* Sot. *de iust. lib.2. quæst.6. art.6.* Couar. *in 4. decret. part.2. cap.6. §.8.* Azor. *tom.1. lib.5. cap.7. quæst.1.* Corduba *lib.1. qq. quæst.36.* Less. *de iust. & iure, lib.2. cap.29. num.63.* Victor. *relect. de Indis, num.8.* Med. *Cod. de eleemosyna, quæst.4. in princip.* Silu. *verb. hæresis, 1. quæst.6. & 8.* Nauar. *cap.28. num.66.* Simanca *tit.9. num.17.* Gomez *3. resol. cap. vlt.* Vasq. *disp.170. cap.3.* Bañez 2.2. *q.12. art.1.* Suar. *lib.5. de legib. cap.5. num.9.* & Mol. *de iust. tract.2. disp.95.* contra Abbatem *cap.1. de constit. & cit. cap. dilecti de arbitris*, Castrum *cit. lib.2. de lege pœnali, cap.10. & 11.* &
18 Grassis *1. part. decis. lib.4. cap.23.* Quare licet in his grauissimis delictis sententia feratur, etiam in defunctum, iuxta *l. vlt. Cod. ad leg. Iuliam Maiestatis, & cap.2. de præscript. in 6.* iunct. Gloss. *verb. hæretici*, Abb. *in cap. vlt. de hæreticis, in fin.* & Couar. *cit. §.8. num.7.* tamen iuris fictione retrotrahitur ad diem commissi delicti, fisque executio confiscationis, perinde ac si tunc sententia lata fuisset.

19 Aduerte tamen hìc, quod fiscus bonæ fidei possessori, verbi gratia emptori, in quem post delictum commissum à defuncto res alienata fuerit (si exter, vel quatenus inde defunctus, cui fiscus succedit, ditior factus fuerit (pretium restituere teneatur, Gomez *3. resol. cap.2. n.2.* Vasq. *disp.172. cap.2. n.2.* Sanch. *lib.2. Mor. al. cap.22. num.68.* Simanca *de Cathol. Instit. cit. tit.9. num.19. & seqq.* & videri etiam poterit Nauar. *lib.3. consil.8. num.3. de donat.* & Vasq. *disp.171. cap.3.* vbi subdunt, quod tametsi aliquis sciens, pœnam bono- 20
rum confiscationis ipso iure propter commissum crimen incursam esse, donationem a criminoso recipiat, adhuc non teneatur bona fisco reddere, nisi à Iudice repetantur.

Breuiter itaque dico, quod pœnæ, quæ in dictis, 21
vel in aliis Summorum Pontificum, vel S. Congregationis constitutionibus imponuntur, verbi gratia priuationis vocis activæ, & passiuæ, priuationis officiorum, dignitatum, administrationum bonorum, &c. item inhabilitatis ad prædicta, vel alia quævis obtinenda ipso facto, vel ipso iure, vel eo ipso incurrendæ, non obligant in conscientia ante Iudicis sententiam, ad minus declaratoriam transgressionis talis legis; quia sicuti dicebam, sic in praxi receptum est, etiam apud doctos, & timoratos viros, vt scilicet non se credant obligatos esse tales pœnas subire, nisi post dictam Iudicis sententiam, ad minus declaratoriam criminis; quia sic est conforme naturæ legis humanæ, quæ debet esse facilis, & accommodata fragilitati humanæ, cum tamen contrarium (scilicet quod dictæ pœnæ contrahantur ante dictam Iudicis sententiam) sit valde durum, & rigidum, & fragilitati humanæ dissonum, & difforme.

Quando tamen dictæ pœnæ imponuntur, non so- 22
lum sub illis terminis, *ipso facto, ipso iure, vel eo ipso* incurrendæ, sed etiam cum addito, *absque vlla declaratione, ante omnem declarationem, absque vllo superioris decreto, vel ministerio, vel sententia*, &c. tunc licet probabile sit, quod statim incurrantur, & obligent etiam in conscientia ante quamcunque declarationem, vel sententiam: quia nihil aliud videntur intendere Pontifices, & legumlatores, dum his terminis vtuntur, nisi quod nulla expectetur declaratio, vel sententia ad illas (sicut ad censuras, & irregularitates) in vtroque foro incurrendas, alias superflue adderent ly *absque vlla declaratione, absque vlla sententia, ante vllam sententiam*, &c. Suar. *lib.5. de legib. cap.8.* Vasq. *loco cit.* & alij; nihilominus ob rationes dictas probabile etiam est oppositum, & sic quod per ly *absque declaratione, absque sententia, vel ante declarationem, vel sententiam*, &c. solum denotetur non requiri (ad hoc vt dictæ pœnæ incurrantur, etiam in foro conscientiæ) sententiam, vel declarationem talis pœnæ, sed ante istam incurri, non tamen denotetur, non requiri declarationem, vel sententiam criminis commissi, hoc enim semper requiritur, vti dicebam, quia sic temperatur rigor istarum legum, vt scilicet non teneatur reus exequi in se pœnam sui delicti: quod maximè verum est in pœnis, non quidem puræ priuationis (in quibus exequendis non exigitur aliqua actio 23
hominis, vt sunt inhabilitas, &c.) sed in aliis, in quibus actio talis exigitur. Vide Bonacinam *de clausura quæst.1. punct.4. n.7. & de leg. disp.1. q.1. punct.7. §.2. n.9. & de contractib. disp.3. quæst.8. punct. vlt.* Sousam *in expos. Motus Clementis VIII. de largit. muner. cit. n.102.* Dianam *part.3. tract.2. resol.66.* & Peyrinum *tom.1. priuileg. Minim. in constit.6. Iulij II. n.19.*

## SECTIO II.

### Difficultates, earumque solutiones.

### SVMMARIVM.

1 *Affertur ratio, cur censuræ & irregularitas statim ante vllam Iudicis sententiam, etiam in foro conscientiæ incurrantur.*

2 *Leges pœnales, præsertim Ecclesiasticæ, interdum statim ipso facto post commissum crimen, ante omnem Iudicis sententiam, efficiunt reum inhabilem ad acquirendum, vel ad vtendum acquisito.*

3 *Tales sunt censuræ Ecclesiasticæ, excommunicatio, suspensio, & interdictum, quæ fuerint latæ sententiæ.*

4 *Censuræ quando sunt ferendæ sententiæ non incurruntur, nisi per Iudicem sit lata sententia.*

5 *Irregularitas propter crimen contracta obligat ante Iudicis sententiam in foro conscientiæ.*

6 *Impedimenta canonica matrimonij ex crimine contracta obligant statim.*

7 *Inhabilitas acquirendi dominium bonorum incertorum ante omnem Iudicis sententiam obligat ad restituendum pauperibus, & sibi ipsi etiam applicando partem aliquam, stante paupertate.*

8 *Inhabilitas ad suffragium, tam actiuum, quàm passiuum ob crimen incurritur ante Iudicis sententiam saltem criminis.*

9 *Inhabilitas acquirendi redditus beneficij ob omissionem horarum canonicarum contrahitur ante Iudicis sententiam.*

10 *Idem dic de non emittente professionem fidei intra duos menses post adeptam possessionem alicuius beneficij curati, Canonicatus, seu dignitatis in Ecclesia Cathedrali, contra Sanchez & alios.*

11 *Leges tam Imperiales, quàm Pontificiæ imponentes pœnam ipso iure, & ante iudicis sententiam obligantes, non tam rigorosè interpretantur vt statim verbi gratia reus excidat dominio, sed quod Iudicis sententia retrotrahatur ad diem commissi delicti.*

12 *Verbum ipso iure, vel ipso facto accommodatur pœnæ secundùm capacitatem ipsius pœnæ, & verbum (ante sententiam Iudicis) intelligitur ad summum ante sententiam pœna, non item ante sententiam criminis.*

13 *Pœna testamentaria de facto contrahitur in foro conscientiæ ante vllam Iudicis sententiam, non ex eo quod infligitur sine executore, sed quia voluntas testatoris sic disposuit.*

14 *Vxor relicta domina, & vsufructuaria quamdiu castè vixerit, adueniente casu castitatis omissa tenetur in conscientia de consumptis.*

15 *Idem dic si prohibita transire ad secundas nuptias non seruet hanc conditionem impositam.*

16 *Pœna conuentionalis in foro conscientiæ ante Iudicis sententiam contrahitur.*

17 *Pœna testamentaria potius conditionis, quàm pœnæ rationem habet.*

18 *Assignatur disparitas inter pœnam conuentionalem & legalem.*

19 *Pœnam conuentionalem probabile est in foro conscientiæ soluendam non esse antequam debitor talis pœnæ per sententiam Iudicis ad eam compellatur, & cur.*

20 *Is cuius bona sunt confiscanda, si fraude, vel mendaciis id impediat, non tenetur ad restitutionem in foro conscientiæ.*

21 *Reus impediens sententiam confiscationis non facit contra iustitiam commutatiuam, sed solùm contra veritatem & obedientiam, & iustitiam legalem, quarum virtutum violatio non obligat ad restitutionem.*

22 *Quisque sicut habet summum ius ad tuendam vitam, ita habet summum ius ad tuenda bona, quæ sunt instar vitæ.*

23 *Hæreticus, qui fraude, mendaciis, vel falsis testibus se defendit, & impedit sententiam, & bonorum confiscationem, non tenetur ad restitutionem.*

24 *Adultera, quæ per adulterium ipso iure dotem amittit, non tenetur eam viro tradere ante sententiam Iudicis.*

25 *Vir possidens dotem vxoris adulteræ, non tenetur eam vxori repetenti restituere, quia potest ei adulterij exceptionem opponere.*

26 *Idem dic de eo, cuius bona ob non solutum vectigal sunt ipso iure fisco commissa.*

27 *Idem dicendum etiam est de custodibus non accusantibus in casu, quo constituta sit pœna in eos, qui certo loco venantur, lignantur, &c. secus si agatur de damno dato.*

28 *Lex pœnalis, & commissoria non est facta vt Respublica, vel alter pœnis locupletetur, sed solùm vt leges seruentur, & subditi officium suum præstent.*

29 *Custodes stipendio conducti si non accusant damnificantes, peccant contra officium, & sic contra iustitiam.*

30 *Ciuis impediens militem Principis iustè de mandato ipsius expilantem bona ciuitatis, non tenetur ad restitutionem.*

31 *Testes impedientes falso testimonio sententiam, & confiscationem bonorum, non tenentur ad restitutionem, & cur.*

32 *Idem dic de Procuratore fiscali, si in dictis casibus non accuset, & de Iudice, si non condemnet.*

OBiicies, tota ratio, cur censuræ, & irregularitas 1
statim ante vllam Iudicis sententiam, etiam in foro conscientiæ, incurrantur est, quia sunt pœnæ priuatiuæ, nulla hominis actione ad sui executionem indigentes: ergo idem saltem de inhabilitate (cum & hæc sit eiusdem naturæ ac sunt censuræ, & irregularitas) dicendum erit.

Respondetur: nego antecedens & causalem, sed tota ratio doctrinæ est, quia (sicut infrà dicetur) Tridentinum clarè indicat, & vsus, & consuetudo iam explicuit, quod censuræ, & irregularitas, etiam in foro conscientiæ, nulla prorsus expectata Iudicis sententia contrahantur, non sic autem inhabilitas, licet & hæc etiam sit pœna priuatiua, & nulla hominis actione ad sui executionem indigens, sicut sunt censuræ, & irregularitas. Doctores, quos refert & sequitur Sanch. *lib.9. de matrim.disp.30.num.1.& seqq.* & *lib.2.mor.cap.6.*

Itaque leges pœnales, præsertim Ecclesiasticæ, in- 2
terdum statim ipso facto post commissum crimen, ante omnem prorsus Iudicis sententiam, efficiunt reum inhabilem ad acquirendum, vel ad vtendum acquisito; ita vt in conscientia, infamia tamen sui remota, abstinere teneatur: atque ita præter Sanchez *loco suprà cit.* docent Caiet. 2. 2. *quæst.62. art.3.* Nauarr. *cap. 23. numero 67.* Sotus *de iust. & iur. lib.1. quæst. 3. art.6.* Castrus *lib. 2. de lege pœnali*, Mol. *de iust.tom.1.tract.2. disp.96.* Suar. *lib.5. de legib. cap.8.* Sà *verb. Pœna, num.1.* Rodrig. *tom.1.qq. Regul. q.6. art.16.* & alij communiter.

Primò in censuris Ecclesiasticis, excommunica- 3
tione, suspensione, & interdicto, quæ fuerint latæ sententiæ, vt si dicatur, *quod ipso facto, ipso iure, aut eo ipso sint incurrenda*: tunc enim statim, non solùm in foro exteriori,

exteriori, sed etiam in interiori conscientiæ obligant; ita vt ante omnem prorsus Iudicis sententiam teneatur transgressor legis ad illas obligantis, illas subire; quia sic est communis praxis totius Ecclesiæ; tum quia sic videtur supponere Tridentinum Con-
4 cilium *sess.24. cap.6.* nam dum ibi concedit Episcopis facultatem absoluendi ab eis, quando sunt occultæ, videtur supponere clarè eas incurri, etiamsi non sint deductæ ad forum exterius. Quamvis quando dictæ pœnæ non sunt latæ sententiæ, sed ferendæ (vt si dicatur *sub pœna excommunicationis, suspensionis, interdicti*, &c. vel dicatur, *Excommunicabitur, suspendetur, excommunicetur, suspendatur, &c.*) non incurrantur, donec per Iudicem sit lata sententia, quia sic etiam è contra in isto casu est communis praxis totius Ecclesiæ.

5 Secundò in irregularitate propter crimen contracta.

6 Tertiò in matrimonij impedimentis canonicis ex crimine contractis.

7 Quartò in inhabilitate acquirendi dominium bonorum incertorum, quæ ex furto, rapina, vel vsura possidentur, & propriis dominis restitui non possunt: hæc enim pauperibus (etiam non exceptis ipsis possidentibus, si reuera pauperes sunt) ante omnem Iudicis sententiam erogari debent, iuxta *cap. cum tu, de vsuris*, & meritò, quia ex se sunt aliena, & non propria.

8 Quintò in inhabilitate ad suffragium, tam actiuum, quàm passiuum, quæ interdum ipso facto infligitur: sic Suar. *lib.5. de legib. cap.9.* & Bonacina *de clausur. quæst.1. punct.4. n.7.* quamvis Sot. *lib.1. de iust. quæst.6. art.6. ad 4.* Mol. *cit. disp.96.* & Sanchez *cit. disp.30. n.2.* negent, inhabilitatem dictam ipso facto inflictam ob crimen, ante sententiam saltem criminis incurri, iuxta ea quæ suprà dicebantur.

9 Sextò in inhabilitate acquirendi redditus beneficij ob horas canonicas non recitatas; iuxta Concil. Lateranense sub Leone X. ibi: *Beneficiorum suorum fructus non faciant suos.* Et paulò post: *Tanquam iniuste perceptos erogare teneantur.* Item ob residentiam intermissam, iuxta Tridentinum *sess.24. cap.1. de reformat.* ibi: *Eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse.* Similis etiam videtur esse
10 pœna, quæ in eodem Tridentino *citat. sess.24. cap.12. de reformat.* prouisis de beneficio curato, vel Canonicatu, vel Dignitate Ecclesiæ Cathedralis imponitur; vt (nisi intra duos menses post diem possessionis adeptæ, fidei professionem fecerint) fructus suos non faciant: sic Azor. *tom.2. lib.7. cap.1. quæst.1.* & Bonacina *loco suprà cit.* Quamvis Sanchez *cit. lib.2. mor. cap.6. num.11.* & alij putent, etiam ad hoc opus esse Iudicis sententiam, & condemnationem, vt beneficiatus ita perceptos fructus restituere cogatur, iuxta ea etiam quæ suprà dicebantur.

11 Confirmantur omnia suprà dicta, quia licet dubium non sit (quod supremus Princeps ex plenitudine potestatis subditos ob crimen graue, vel pernicioſum, ipsa lege lata, absolutè spoliare possit dominio, vel iure iam acquisito, ita vt ante omnem Iudicis sententiam teneatur reus positiuam pœnalem actionem in seipsum exercere, abdicando se dominio, ac iure iam acquisito, sicuti videre est apud Suar. *cit. lib.5. cap.5. & seqq.*) tamen adhuc negari non potest, non satis constare, tales leges, seu Imperatorias, aut etiam Papales hactenus ita rigorosè latas, vel ita rigorosè vsu receptas esse; quamvis enim aliquando explicitè dicatur, vt v. g. pœna priuationis, vacationis officij, vel beneficij ipso iure, ac facto contrahatur, adhuc tamen id benignius explicari poterit, vt scilicet reus non statim excidat dominio, seu iure retinendi officium, vel beneficium, modò illud per se, vel per alium administret, sed vt lata postea à Iudice sententia criminis, idem operetur ob iuris dispositionem, ac si tempore commissi criminis lata fuisset; sicuti suprà dicebatur etiam de pœna confiscationis bonorum, & tradunt Caiet. 2. 2. *quæst.61. art.3.* Couar. 4. *decret. part.2. cap.6. §.8. num.8.* Nauar. *comment. de datis, & promissis, notab.31. num.44.* Auila *de censur. part.1. dub.7.* Sanch. *lib.2. moral. cap.26.* Less. *de iust. & iur. cap.35. dub.26. in princip.* Sà *verb. Pœna, num.1.* & Suar. *de relig. tom.1. tract.3. lib.4. de simon. cap.43. num.13.* vbi 12
hanc regulam generalem, & communiter receptam tradit: *Quando aliquis per pœnam priuatur re sua, non obligatur ad executionem ante sententiam criminis*: & licet addatur verbum, *ipso iure*, vel *ipso facto*, tale verbum accommodatur pœnæ secundùm capacitatem ipsius pœnæ; & licet addatur verbum, *ante sententiam Iudicis*, tale etiam verbum accommodatur, vt intelligatur, ad summum ante sententiam pœnæ, non item ante sententiam criminis.

Obiicies secundò, pœna testamentaria de facto con- 13
trahitur in foro conscientiæ ante vllam Iudicis sententiam: ergo & pœna legalis.

Respondetur disparitas est, quia quod dicitur in antecedente verum est, non ex eo, quia pœna testamentaria infligitur sine executore, sed ex eo, quia iam euenit casus, in quo voluntas testatoris sic disposuit; quapropter & reliqua à testatore disposita in aliis casibus non egent declaratione Iudicis, cum casus illi eueniant, ita disponente testatore, v. g. si vxor relicta sit domina, & vsufructuaria, quamdiu caste vixerit, 14
adueniente casu castitatis omissæ, desinit marito succedere in illis bonis sic sibi dispositis; & consequenter tenetur in conscientia de consumptis, postquam desiit castè viuere, etiamsi nullus Iudex humanus ad hoc compellat: similiter in casu, quo maritus reliquerit illam dominam, vel vsufructuariam, nisi transierit 15
ad secundas nuptias, desinit in conscientia, siue clam, siue publicè nubat, esse domina vel vsufructuaria; etiamsi nullus Iudex, nullus executor inhibeat: quorum omnium vna communis est ratio, quia scilicet ventum est ad casum, in quo testator noluit bona sua ad illam transire, ac per hoc tunc vxor nullum ius habet in illis bonis, quæ solùm ex voluntate testatoris habebat, quidquid iuris in illis habebat. Itaque di- 16
citur, quod pœna testamentaria potius conditionis, quàm pœnæ rationem habeat, & sic manifestè patet ad argumentum disparitas.

Obiicies tertiò, saltem pœna conuentionalis (si sit 17
post moram culpabilem, & notabilem, verbi gratiâ supra decem dies, & moderata iuxta mensuram culpæ) in foro conscientiæ ante Iudicis sententiam contrahitur: ergo & pœna legalis.

Respondetur: concedo antecedens: at nego con- 18
sequentiam; & disparitas est, quia pœna conuentionalis debetur ex vi pacti inter contrahentes initi, non sic pœna legalis, & iudicialis: hæc enim non debetur similiter ex vi pacti, & promissionis rei, sed solùm ex lege, vel præcepto Iudicis delictum punientis. Silu. *verb. Pœna, num.14.* Mol. *de iust. & iur. disp.97.* Paludanus *in 4. dist.47. quæst.1. art.2.* Petr. Nauar. *de restit. lib.2. cap.2. num.236.* Layman. *lib.3. tract.4. cap.30. num.6.* & Couar. *in epit. 4. Decret. 2. p. cap.6. §.8. numero 11.* qui tamen rectè subdunt, quod sicut pœna legalis, & iudicialis non debetur ante sententiam Iudicis, ita conuentionalis (etiam circunstantiis suprà dictis existentibus) non debeatur ante exactionem partis, quæ hic Iudicis vicem supplet: esset enim etiam nimis durum, & hominum moribus non accommodatum, quod solutio talis pœnæ debeatur ante exactionem partis, quamvis sit æquum, quod debeatur parte exigente ante sententiam Iudicis, quia debetur ex pacto: quare sicuti Iudici iubenti non licet in vlla

pœna resistere, ita licet parti exigenti pœnam conuentam denegare.

19 Respondetur secundò: nego antecedens, quia probabile etiam est, neque pœnam conuentionalem in foro conscientiæ soluendam esse, antequam debitor talis pœnæ per sententiam Iudicis ad eam compellatur, sicuti contra Doctores suprà citatos sentiunt Adrian. *quolib.6.art.1.concl.2.illat.3.* Lopez *de contract. lib.3. cap.31. & cap.34.* Nauar. *cap.23. num.68.* Vasq. *disp.173. cap.1. & num.3.* & Sanch. *de matrim. lib.1. disp.37.* & ratio esse potest, quia mens contrahentium, & pœnam apponentium esse videtur (nisi aliud exprimant), vt cogere possint secum contrahentem ad seurandam fidem, & vt ius habeant compellendi eum ad pœnæ solutionem, si fefellerit. Accedit, quod cùm pœna sit contra voluntatem, ipsius conditio naturalis postulare videtur, quod non debeatur, nisi debitor ad eam soluendam cogatur.

20 Obiicies quartò, sequeretur, quod si is, cuius bona ob crimen iustè sunt confiscanda, vel diripienda, fraude, vel mendaciis id impediat, neque ad restitutionem in foro conscientiæ teneatur.

Respondetur: Concedo totum, quia huiusmodi occupatio bonorum constituta est in pœnam criminis, & pœna ex dictis non debetur ante sententiam, saltem declaratoriam criminis: immò probabiliter neque debetur ante ipsius pœnæ constitutiuam sententiam, qua iubeatur ipsa pœna soluta, quia sic, & non in maiori rigore, videntur leges receptæ: quapropter etiam tali sententia non secuta probabiliter adhuc neque debetur pœna, nisi in casu, quo lex ad illam obliget ante sententiam Iudicis.

Instabis, non deberi per modum pœnæ ratione criminis initio commissi, at deberi saltem per modum compensationis damni ratione doli, quatenus mendaciis impediendo reus iudicij cursum, & sententiam iniustè, impediuit commodum, quod inde erat fisco obuenturum, & ad quod fiscus ius habebat, maximè si crimen sit, saltem semiplenè, probatum: quia tunc reus tenetur veritatem fateri, consequenter & damnum iniustè illatum compensare: sic Sot. *de iust. lib.1. q.6.art.6.* & Mol. *disp.95. §.duo sunt.*

21 Respondetur: nego antecedens, quia opus illud, quo reus sententiam impedit, non est contra iustitiam commutatiuam, sed solùm contra veritatem, & obedientiam, & iustitiam legalem, quarum virtutum violatio non obligat ad restitutionem: non enim posita semiplena probatione, tenetur reus lege iustitiæ commutatiuæ veritatem fateri, sed lege obedientiæ, & iustitiæ legalis, & religionis si iurauit.

Accedit, quod etiamsi opus illud, quo impedit, esset contra iustitiam in ordine ad ferendam sententiam (vt si minaretur Iudici, ne sententiam ferat, vel actori, ne in causa pergat) non esset tamen contra iustitiam in ordine ad ista bona, quatenus scilicet fiscum, vel actorem ab istis consequendis impedit: tum propter

22 rationes iam suprà dictas: tum quia sicut quisque habet summum ius in tuenda vita, ita etiam habet summum ius in tuendis bonis, quæ sunt instar vitæ, cum absque illis vita sit inuita; quapropter sicut is, qui non sinit, sibi eripi vitam, ob crimen iustè eripiendam, non facit contra iustitiam, vt ad restitutionem vllam teneatur, etiamsi alteri inde maximum commodum erat secuturum; ita nec is, qui non sinit sibi eripi bona, ob crimen iustè eripienda, faciet contra iustitiam, vt ad restitutionem aliquam obstringatur, etiamsi fisco inde maximum emolumentum erat peruenturum, & quamvis faciat reus contra iustitiam in Iudicem armis resistendo, vel minando illi, hæc tamen iniuria contra iustitiam in Iudicem, non est in illum, cui erat pœna applicanda, quia ille ius ad eam non habebat, nisi post sententiam Iudicis positam: imò sententia Iudicis posita non habet ius, vt reus sponte bona sua ei tradat, aut cum illis non fugiat, cum ad nihil horum per Iudicis sententiam sit condemnatus, sed solùm per ministros publicos ea occupet, & auferat, qua quidem occupatione facta & eorum professione pacifica consecuta, reus non amplius ius habet illa subripiendi, vel vi auferendi, cum iam illorum dominium, & possessionem per sententiam Iudicis positam amiserit; quapropter si postea auferret, ad restitutionem teneretur.

Ex his sequitur, hæreticum, qui fraude, mendaciis, 23
vel falsis testibus se defendit, & impedit sententiam, & bonorum confiscationem, ad restitutionem non teneri, quia non facit fisco iniuriam, vel saltem talem, quæ restitutioni sit obnoxia.

Sequitur secundò, idem dicendum de adultera, quæ 24
per adulterium ipso iure dotem amittit: non enim tenetur eam viro tradere ante sententiam Iudicis. Vnde etiamsi falsis probationibus se defendat, aut falsò probet, etiam virum adulterasse, sicque sententiam diuortij impediat, non tamen ad restitutionem tenetur. Similiter si à sententia iniquè appellet, nam appellatio 25
sententiam suspendit. Quamvis si vir dotem possideat, non teneatur eam vxori repetenti restituere, quia potest ei adulterij exceptionem opponere, sicuti colligitur *ex cap. plerumque, de donat. inter virum, & vxorem.*

Sequitur tertiò, idem dicendum de eo, cuius bona 26
propter non solutum vectigal, vel propter res prohibitas, vel exportatas, sunt ipso facto addicta, seu commissa fisco, vel alteri, quia cum & hoc fiat in pœnam criminis, requirit etiam sententiam Iudicis, vnde si is sententiam impediat, vel ita agat, vt crimen constare non possit, ad restitutionem non tenetur. Similiter si cum rebus suis, priusquam occuparetur, fugiat: quamvis teneatur soluere vectigal, si iustum erit, quia huiusmodi vectigal non est constitutum in pœnam, sed in iustam compensationem ratione gubernationis, vel securitatis, quam Princeps in beneficium communitatis præstat.

Sequitur quartò, idem dicendum de custodibus 27
dissimulantibus, vel non accusantibus, in casu, quo constituta sit pœna in eos, qui certo loco venantur, lignantur, piscantur, vel certas merces important, vel exportant, aut vectigal non soluunt, quia ex dictis pœna non debetur ante sententiam: tum quia (licet hic forsan non agatur de solutione pœnæ, sed de damno dato, vel commodo contra officium neglecto) custodes non tenentur ex iustitia accusare, vt dominus, vel Respublica pœnis ditetur, sed solùm vt damna impediantur, & vectigalia soluantur; cum officium ipsorum sit, non pœnas, sed vectigalia procurare, & res suæ custodiæ creditas indemnes præstare. 28
Accedit, quod lex quoque pœnalis, & commissoria non est facta, vt Respublica, vel alter pœnis locupletaretur, sed solùm vt leges seruentur, & subditi officium suum præstent.

Atque ita docent Nauar. *cap.25. num.34.* & Silu. *verb. Restitutio 3. quæst.5.* quamvis contrarium sentiant Sot. *de iust. & iur. lib.1. quæst.6. art.6. ad 4.* Petr. Nauarr. *de restit. lib.3. cap.4. num.142.* & Salon. *quæst.62.art.7. controuers.* moti ex eo, quia custodes non accusando, 29
vel non apprehendendo, sunt causa damni suis dominis, à quibus stipendiū accipiunt: nam cum domini hoc ipso, quo quis contra legem huiusmodi pœnalem delinquit, ius acquirant ad pœnam, tenentur ipsi hoc ius non negligere; quod si negligant, peccant contra officium, & sic contra iustitiam: quapropter tenentur de damno secuto. Sed ad istorum Doctorum fundamenta solutio patet ex dictis.

Sequitur quintò, idem dicendum in casu, quo miles 30
iustè vrbem aliquam concessu Principis expilat, quia fit hoc etiam in pœnam criminis, cuius omnes ciues præ-

sumuntur

sumuntur participes. Vnde etiamsi mendaciis, fraudibus, vel etiam vi militem quis ciuium impediat, ne res ipsius miles diripiat, non tenetur ciuis ad restitutionem.

31 Sequitur sextò, idem dicendum de testibus, qui falso testimonio impediunt sententiam, & consequenter confiscationem bonorum, quia ex dictis fiscus, vel actor non habet ius ad bona occupanda, nisi post sententiam Iudicis posita: quapropter, hac non posita, non fit iniuria fisco, vel actori ex hac parte, tum quia principalis author, & qui mandat, ad restitutionem non tenetur: ergo neque tenebuntur secundarij, qui illum iuuant, seu cooperantes, & adiuuantes: tum quia ab huiusmodi testibus fiscus, detecta falsitate, non solet exigere compensationem damni, quod bona rei ipsi non obuenerint, sed solùm solet illos punire, tanquam periuros: ergo signum est, quod non censeat sibi ab illis factam iniuriam restitutioni obnoxiam.

32 Sequitur septimò, idem dicendum de Procuratore Fiscali, si in dictis casibus non accuset. Idemque de Iudice, si in iisdem casibus non condemnet, quod scilicet neuter istorum ad pœnæ compensationem fisco, vel actori teneatur.

---

## SECTIO III.

### Aduertenda.

### SVMMARIVM.

1 *Defendens se falsis testibus in casibus supradictis, tenetur ad expensas litis: ledens aliquem ad expensas medicorum, & non soluens iustum vectigal, ad illius solutionem.*

2 *Pactum, quod pignus incidat in commissum, licitum est, & mora solutionis interueniente, etiam cessante pacto licitum est pignus detrahere postquam ter denunciatum est debitori, vt soluat.*

3 *Creditor, si pignus distrahat, non potest (saltem in foro externo) neque per interpositam personam illud emere.*

4 *Pœna triplex est, legalis, iudicialis, conuentionalis, & quæ singula sint.*

5 *Pœna legalis benigniorem interpretationem admittit quam pœna conuentionalis, & iudicialis.*

6 *Parochus, qui ex lege pœnali tenetur fieri sacerdos intra annum, alias vacet beneficium, non contrahit talem pœnam anno non elapso.*

7 *Pœna conuentionalis (sicut iudicialis) constituta, nisi ad certum tempus aliquid peractum fuerit, tempore culpabiliter elapso contrahitur.*

8 *Pœna ante tempus contracta peti non potest nisi tempus statutum aduenerit.*

9 *Assignatur aliud discrimen inter pœnam statutam ab homine, & statutam à lege, & quodnam sit.*

10 *Obligatio pœnalis dicitur conuentionalis, & ab homine proueniens, & ideo si is, qui nouit, sit in mora culpabili, v. g. ingrediendi Religionem, vel prorogationem, vel dispensationem obtineat à Summo Pontifice.*

11 *Reus postquam per Iudicis sententiam condemnatus est ad pœnam honestam, & non nimis acerbam, debet illam per seipsum exequi.*

12 *Reus damnatus ad pœnam pecuniariam debet eam soluere, quamvis expectare possit donec exigatur. Limita nisi Iudex expresè iubeat, quod reus sine alia admonitione pecuniam per se afferat.*

13 *Damnatus ad carcerem, vel ad exilium debet eò se conferre, & ibi manere.*

14 *Damnatus ad abstinentiam, vel sui ipsius flagellationem moderatam, & non infamem, debet eam præstare.*

15 *Reus postquam per Iudicis sententiam condemnatus est ad pœnam mortis, mutilationis, vel flagellationis publicæ, & infamis, debet ad illam cooperari, indirectè tamen, & per accidens; secus directè, & per se.*

16 *Damnatus ad venenum bibendum non tenetur obedire, quia qui venenum sciens bibit, non minùs directè, ac positiuè ad sui occisionem concurrit, quàm si liquidum, ac feruens plumbum hauriat.*

18 *Directa, & positiua sui ipsius occisio non potest neque iustè executioni mandari.*

18 *Damnatus ad mortem inedia patiendam, non tenetur cibum sibi clanculum contra Iudicis voluntatem subministrantem recusare, sed licitè potest illum acceptare.*

19 *Damnatus ad mortem inedia patiendam potest cibum recusare, si illi clam offeratur, quia non concurrit actiuè ad mortem suam, sed eam fortiter sustinet amore iustitiæ.*

ADuerte tamen, quod si in aliquo ex dictis casibus aliquod damnum iniustè inferat is, qui res suas tuetur, teneatur ad restitutionem, v. g. si falsis testibus se defendat, teneatur ad expensas litis; si resistendo lædat, teneatur ad expensas medicorum; si vectigal iustum non soluat, teneatur ad solutionem illius, &c. Idemque dic de adiuuantibus, & cooperantibus. 1

Aduerte secundò, quod licitum sit pactum, vt si debitor in mora soluendi fuerit, verbi gratia si pensionem, vel censum biennio non soluerit, pignus, vel hypotheca statim distrahi possit, atque inde accepto debito, quod reliquum est, debitori restituatur; sicuti colligitur *ex dictis sect. præcedenti, ad tertiam difficultatem, & ex leg. si conuenit, ff. de pignor. act.* Quin etiamsi nihil conuentum fuerit de pignore distrahendo, adhuc illud distrahi poterit biennio post moram, & interpellationem debitoris, *l. vlt. Cod. de iure dominy.* Item etsi conuentum fuerit, vt pignus distrahi non possit, adhuc postquam ter denunciatum est debitori, vt soluat, bienniumque interim elapsum est, pignus distrahi poterit, *cit. l. conuenit*, & docet Gloss. ibi, Silu. *verb. Pignus, quæst.* 10. & Nauarr. *cap.* 27. *num.* 205. Quamvis si creditor pignus distrahat, non possit (saltem in foro externo) ipsemet, neque per interpositam personam illud emere, *l. & qui, Cod. de distract. pignor.* 2 3

Aduerte tertiò, quod (cum ex dictis etiam *suprà loco cit.* ad tertiam difficultatem,) detur triplex pœna, vna legalis, quæ lege propter culpam decernitur: alia iudicialis, quæ à Iudice in particulari causa imperatur: tertia conuentionalis, quæ per partium contrahentium consensum, soluenda ab eo, qui verbi gratia à contractu recesserit, vel in mora culpabili fuerit restituendi debitum, statuitur, *leg. si pacto, Cod. de pactis*, & *in cap. significante, de pignoribus*) inter hæc pœnarum genera discrimen, præter assignatum suprà, aliud sit, quod scilicet benigniorem aliam interpretationem admittat pœna legalis, quàm conuentionalis, & iudicialis, sicuti notant Bart. & alij passim *in l. cùm stipulatus, ff. de verb. obligat.* & Sanchez *lib.* 4. *mor. cap.* 22. *numero* 25. Nam si lege pœnali decretum fuerit, quod ad certum tempus aliquid peractum sit, alioquin pœna contrahatur (verbi gratia nisi Parochus intra annum sacerdos factus fuerit, ipsius beneficium vacet, *cap. licet canon, de elect. in* 6.) talis pœna, priusquam annus integer 4 5 6

7 elapsus sit, non contrahitur, *cap. commissa, eod. tit. in 6.* At verò pœna conuentionalis (sicut & iudicialis) constituta, nisi ad certum tempus aliquid peractum fuerit, statim (cum tantùm temporis culpabiliter elapsum est, vt in reliquo tempore illud perfici certò non possit) incurritur, *citat. leg. cum stipulatus*, & docet Gloss. *in leg. in illa stipulatione, ff. eod.*
8 vbi tamen rectè subdit, & sumitur *ex leg. hoc iure, & leg. si ita stipulatus essem, ff. eod.* quod licet in hoc casu ante tempus pœna contracta sit, peti tamen illa non possit, donec tempus statutum aduenerit: quapropter
9 in effectu discrimen, præter assignatum supra, hoc aliud est inter pœnam statutam ab homine, & statutam à lege, quod si ante lapsum tempus (quando iam opus perfici non posse certum est, terminus prorogatur, non contrahitur pœna legalis, sed pœna conuentionalis permanet; quippe quæ ante prorogationem temporis incursa est, sicuti colligitur *ex cit. l. cùm stipulatus*, & docent communiter Doctores, quare
10 mitius agitur cum lege, quàm cum homine, ait Gloss. *in l. Celsus, ff. de recept. arbitr.* & videri potest Sanch. *loco suprà cit. num.26.* vbi propterea idem docet de voto pœnali; quippe cuius obligatio quasi conuentionalis est, & ab homine prouenies: quapropter si quis votum edidit, v. g. Religionis ingrediendæ, nisi intra certum tempus, v. g. biennium, aliquod opus perfecerit, postea verò, cum illud, culpabili mora interposita, in reliquo biennij tempore perficere non possit, temporis prorogationem, vel dispensationem à summo Pontifice impetrat; non ideo pœna hæc adiecta, & iam contracta, censeri debet sublata, si eius mentio specialis facta non sit.

11 Aduerte quartò, quod reus postquam per Iudicis sententiam condemnatus est ad pœnam honestam, & non nimis acerbam, debeat illam per seipsum exequi, quia quisque subditus superiori suo iusta, & moraliter possibilia imperanti obedire debet. S. Th. 2. 2. *q.62. art.3.* Caiet. *ibid. & q.69. art.3. ad* 4. Nauarr. *comment.4. de Regul. num.63.* Dricdo *de libert. Christ. cap.6.* Suarez *de legib. lib.3. cap.10. num.15.* Salas *disp.15. sect.7.* & Castrus *lib.2. de lege pœn. cap.5.*

12 Hinc damnatus ad pœnam pecuniariam debet eam soluere, quamvis expectare possit, donec exigatur; sicuti *supra cit. sect. superiori* dicebam, & docent Nauarr. *cap.23. n.66.* & Salas *loco cit. n.82.* Excipe, nisi Iudex expressè iubeat, quod reus sine alia admonitione pecuniam per se afferat.

13 Secundò, damnatus ad carcerem, vel ad exilium, debet eò se conferre, & ibi manere. Doctores *in locis supra citatis.*

14 Tertiò, damnatus ad abstinentiam, vel sui ipsius flagellationem moderatam & non infamem, debet eam præstare. Sot. *de iust. lib.1. q.6. art.6.* Suar. *de legib. lib.5. cap.10. num.17.* Vasq. *disp.173. cap.3.* & est in vsu in quibusdam Religionibus, & Tribunali Officij S. Inquisitionis.

15 Aduerte quintò, quod reus, postquam per Iudicis sententiam condemnatus est ad pœnam mortis, mutilationis, vel flagellationis publicæ, & infamiæ, debeat ad illam cooperari, indirectè tamen, & per accidens, quatenus id conueniens, vel necessarium est ad publicæ iustitiæ pœnam perferendam, ne legitimæ potestati resistere videatur; quare damnatus ad furcam debet scalas conscendere, damnatus ad gladium debet collum præbere.

Quamvis non debeat ad illam cooperari directè, & per se, quia directè, & per se in seipsum pœnam tam acerbam, vel ignominiosam exercere (vt seipsum in publico foro flagellare) est quid nimis à natura hominis alienum, & præceptum moraliter impossibile. Sotus, Suarez, & Vasquez *in locis suprà cit.* Quapropter rectè dixit S. Thom. *2.2. quæst.96. art.4. ad 2.* Sot. *lib.5. quæst.6. art.4. in fin.* Driedo *cit. art.6.* & Castrus *lib.2. de lege pœn. cap.3.* quod reus interdum à Iudice damnatur ad agendum, nempe in mitioribus pœnis pecuniæ, vel carceris; interdum verò ad patiendum, nempe in grauioribus, mortis, mutilationis, vel captiuitatis perpetuæ.

Hinc damnatus ad venenum bibendum non tenetur obedire, quia qui venenum sciens bibit, non minus directè, ac positiuè ad sui occisionem concurrit, quàm si liquidum, & feruens plumbum bibat, vel gladio se confodiat: at directa, & positiua sui ipsius occisio non potest neque iustè executioni mandari, neque iustè imperari: ergo, &c. Caiet. *cit. q.69. art.4.* 16 17
*ad 7.* Sot. *cit. q.6. art.4.* Couar. *1. resol. cap.14. num.8. in fin.* Sayr. *lib.7. cap.9. num.26.* Salon. *quæst.96. art.4.* Quamvis contrarium doceant Victoria *relect. de homic. num.30.* Cordub. *lib.1. q.36.* Aragon. *2.2. q.69. art.4.* & Sà *ve b. Iudicialis in reo, num.12.* Quapropter reus conformare se poterit probabili sententiæ Iudicis ita præcipientis, non tamen ad id obligatur, cum sit præceptum inhumanum, & ex alio capite facilè possit aliud supplicium decerni.

Secundò damnatus ad mortem inedia patiendam, 18
non tenetur cibum sibi clanculum contra Iudicis voluntatem subministratum recusare, sed licitè potest illum acceptare, & comedere, quia minus difficile est mortem subire, si vitare illam facilè possit: sic contra Dried. *lib.2. de libert. Christ. cap.6. dub.1.* tradunt S. Th. 2. 2. *quæst.96. art.4.* Henric. *quodlib.9. quæst.26.* Salon. *ibid.* Sotus *de iust. lib.5. quæst.6. art.4.* & Sà *loc. suprà citat. num.11.*

Quamvis possit illum recusare, quia non concurrit 19
actiuè ad mortem suam, sed eam fortiter sustinet amore iustitiæ: sic contra Caietanum, Aragonium. Castrum *locis suprà cit.* Couar. *num.20.* & Vasquez *disp.174. cap.4.* tenent Sotus, & Sayrus *locis etiam suprà cit.* Maior. *in 4. dist.15. q.22.* Toletus *lib.5. cap.6.* & Petr. Nauarr. *de rest. lib.2. cap.3. n.72.*

## SECTIO IV.

### An reus captus possit licitè fugere?

### SVMMARIVM.

1 *Reus captus potest ante sententiam Iudicis licitè fugere, quia carcer in tali casu non se habet per modum pœnæ, sed solùm per modum custodiæ.*

2 *Reus potest etiam post sententiam mortis, mutilationis, vel cuiuscumque alterius similis mali grauis licitè fugere, & cur.*

3 *Reus potest ad euitandas pœnas vincula, & carceres licitè perfringere, & quare, etiamsi damnatus sit ad perpetuos carceres, ad triremes, vel ad seruitutem.*

4 *Limita nisi iuramento, vel voto ad ibi permanendum sit obstrictus.*

5 *Religiosus iustè ad perpetuum carcerem damnatus fugere licitè non potest, quia ratione voti obedientiæ tenetur Prælato obedire in omnibus, quæ sunt secundùm regulam, & accessoria ad regulam.*

6 *Opinio, quod reus post sententiam latam non potest licitè fugere à carcere, non est improbabilis.*

7 *Reus etiam ad grauissimam pœnam damnatus, quamvis possit licitè fugere, potest etiam licitè non fugere, sed amore iustitiæ Iudicis sententiæ se conformare.*

8 *Reus in omni casu, in quo licitè potest fugere, eiusque rei causa compedes, & carceres effringere, potest etiam*

*etiam per alium licitè adiuuari consilio, & instrumentis, nisi obstet lex specialis, vel specialis obligatio ratione officij.*

9 *Nemo potest ad violandum custodiam reo cooperari principaliter, quia publicam custodiam violare est res per se grauis, ac proinde soli reo permissa.*

10 *Reus potest effringere licitè carceres ad fugiendum, etiamsi in eo custodiantur multi alij, qui possint cum damno alterius fugere, quia vtitur iure suo.*

11 *Reus fugiens à carcere grauiùs punitur, & maximè ratione præsumpti delicti.*

1 REspondetur, & dico primò, potest ante sententiam Iudicis licitè fugere (nisi promiserit, vel iurauerit non fugere) quia ante sententiam Iudicis nullum habet manendi præceptum: ideoque in hoc casu carcer non se habet per modum pœnæ, sed solum per modum custodiæ: quare si negligenter custodiatur, custodis hæc culpa est, reus autem iure, ac libertate sua vtitur: sic ex communi Couar. 1. *resolut. cap.2. num.11. & seqq.* Driedo *cit. cap.6.* Vasquez *disput.174. cap.2.* Less. *de instit. & iure lib.2. cap.31. dubitat. 5.* Nauar. *comment. 4. de Regularib. num.63.* Aragon 2. 2. *quæst.69. art.4.controuers.2.concl.1.*

2 Dico secundò, potest etiam post sententiam mortis, mutilationis, vel cuiuscumque alterius similis mali grauis licitè fugere, quia nimis dura, & ab hominum naturali inclinatione aliena videtur in tali casu persistentia in carcere, si facile reus inde se liberare possit. S. Thom. *cit. quæst.96. art.4. ad 2.* Caietan. *ibid.* Couarr. Driedo, Toletus, Aragonius *in locis supra cit.* & Sylu. *verb. fugere.*

3 Quinimmò potest adhuc funem, vincula, & carceres licitè perfringere, quia cui concessus est finis, concessa sunt etiam media ad finem necessaria, sic contra Henricum *citat. quæst. 26.* Maiorem *in 4. dist.15. quæst.22.* Couarr. *loco supra citat. num.14.* Simancam *de Cathol. Instit. tit.16. num.28.* & Syluestrum *loco cit. & verb. accusatio, num.12.* docent Caietanus, & Driedo *locis citat.* Sotus *lib.5. quæst.6. art.4.* Nauar. *cap.17. num.102.* & videri etiam poterunt Salonius *locis citat. conclus.4.* Suarez *lib.5. de legibus, cap.10. num.16.* & Less. *num.39.* qui hanc fugiendi licentiam extendunt etiam ad casum, quo quis damnatus fuerit ad perpetuum carcerem, ad triremes, vel ad seruitutem, quia etiam nimis dura, & à naturali inclinatione aliena videtur esse obligatio persistendi in perpetua, vel durissima custodia, captiuitate, vel seruitute, si inde facilè reus se eximere possit.

4 Excipe, nisi quis iuramenti, vel voti, vel specialis promissionis vinculo ad permanendum ibi obligatus sit; qua ratione Religiosus iustè ad perpetuum carcerem damnatus fugere licitè non potest, quia ratione voti obedientiæ tenetur Prælato obedire in omnibus, quæ sunt secundum Regulam, & accessoria ad Regulam (sicuti diffusè dicebam *supra dubit.3. per totam*) Suarez *lib.5. de legib. cap.10. num.17.* & videri etiam poterit Nauar. *citat. comment.4. de Regular. num.64.* qui tamen vniuersim negat, posse reum post sententiam latam è captiuitate fugere: quod etiam docent non improbabiliter Sotus *de instit. & iur. lib.5. quæst.6. art.4.* Vasquez *disput.174. cap.1. in fin.* & ex parte Sanchez *lib.6. moral. cap.8. num.12.* At quod dixi est multò probabilius.

7 Conueniunt tamen (vt videre est apud Angelum *verb. fugere*, Syluestr. *ibid.* Caietan. *cit. art.4. quæst 6.* Sotum *cit. quæst.6. art.4.* Couar. *in cit. cap.2. num.9.* & Vasquez *cit. disput.174. cap.3.*) communiter Doctores in eo, quod reus, etiam ad grauissimam pœnam damnatus, quamvis possit licitè fugere, possit etiam licitè non fugere, sed amore iustitiæ Iudicis sententiæ se conformare: quin & licitè potest mortem commeritus vltrò Iudici se sistere, & occasionem iustitiæ exercendæ subministrare, quia sicuti alius Iudici licitè suadere potest, vt publica auctoritate reum ad iustam mortem condemnet motiuo iustitiæ; ita etiam licitè poterit ipse reus ex eodem motiuo iustitiæ. Less. *de iustit. & iur. lib.2. cap.9. dub.6. num.28.* & Petr. Nauar. *de restit. 2.p. cap.3. num.75.*

8 Dico tertiò, in omni casu, in quo reus licitè potest fugere, eiusque rei causâ compedes, & carceres effringere, poteris etiam tu licitè ad id reo consilium, & instrumenta subministrare; quia licet ordinariè tibi opem alteri ferre ad id, quod ille licitè facere potest, nisi obstet lex specialis id prohibens, vel specialis obligatio ratione officij; qua ratione licitè non potest Iudex, custos, & quicumque alter iustitiæ minister reum adiuuare, vt è carcere fugiat. Caiet. *cit. art.4. ad quæst.5.* Salonius *ibid. comm.3.* Vasquez *disput.174. cap.3.* Driedo *cit. cap.6.* & Sà *loc. supra cit. num.9.*

9 Quamvis licitè non possit ad violandam custodiam reo principaliter cooperari; quia publicam custodiam violare, est res per se grauis, ac proinde soli reo, ratione grauissimæ necessitatis suæ declinandæ permissa, non item alteri, si id agat vt causa principalis. Quod dixi, quia si id agat vt instrumentum, verbi gratia, si seruus iussu domini in custodia simul cum domino manens, carcerem, & compedes effringat, id licitè poterit facere; quia quod quis potest per seipsum, potest etiam per alterum, vt instrumentum suum, efficere.

Obiicies: Fuga rei cedit in detrimentum custodis, & Reipublicæ, cum etiam alij in carcere detenti possint effugere: ergo reus non potest licitè è carcere fugere.

10 Respondetur: transeat antecedens: at nego consequentiam; quia id reus potest permittere, cum vtatur iure suo, *Regal. ff.55. nullus videtur dolo facere, qui iure suo vtitur.* Et custos, & Respublica sibi imputent, si non didicerint cautius agere.

Obiicies secundò, *in l.1. ff. de effractoribus*, dicitur supplicium sumendum de iis, qui è carcere, foribus effractis, vel conspiratione facta, erumpunt: ergo.

11 Respondetur: loquitur ibi Iurisconsultus in foro externo, non interno: vel loquitur etiam in foro interno, secutus opinionem oppositam non omninò improbabilem, quam tenent Henricus, Maior, Couarr. Sylu. & Simanca, vti *supra* dicebam, vel tandem Iurisconsultus ibi dicit, *supplicium sumendum de iis, qui*, &c. ratione delicti præsumptionis grauis, quam generat rei fuga, carcerisque effractio, præterquam quod interest Reip. tales, quamvis minus noxios, aliquantò grauius puniri propter bonum publicum, vt publica custodia inuiolata permaneat.

## DVBITATIO XXIV.

An, & quid nomine dignitatum, administrationum, & officiorum (quibus Motus Pij V. incipiens, *Decori, & honestati*, Monialeſ absque legitima licentia egredientes, ac facultatem egrediendi concedentes priuat) intelligatur?

### SVMMARIVM.

1 *Nomine dignitatum, administrationum, & officiorum intelliguntur Generales, Prouinciales, & Superiores*

*periores locales, vt Abbas, & Abbatissa, Prior, & Prioriſſa, &c. non item alia officia, quæ coniunctam non habent administrationem.*

2 *Nomine Dignitatum, administrationum, & officiorum intelligitur etiam officium Visitatoris, Commissarij Generalis, & Vicarij Monachorum, vel Monialium, non autem officium Diffinitoris, vel Discreti in Religione Capuccinorum.*

3 *Nulla simonia (etiam realis) id est vtrinque consummata, inducit pœnas iuris (in quibus est etiam pœnalis restitutio accepti) nisi in Religionis ingressu, ordine, & beneficiis.*

4 *Committens realem simoniam in sacramentis conferendis, vel accipiendis, & in aliis similibus spiritualibus vendendis, peccat grauiter, sed non tenetur pœna excommunicationis, suspensionis, aut inhabilitatis.*

5 *Committens simoniam mentalem peccat grauiter, sed non contrahit excommunicationem, &c.*

6 *Iurisdictio Ecclesiæ solum se extendit ad opera externa punienda.*

7 *Committens simoniam in Religionis ingressu, ordine, & beneficiis, etiam conuentionalem, siue purè conuentionalem, siue mixtè, non incurrit excommunicationem.*

8 *Excipe simoniam confidentialem in beneficiis, quæ pœnas iuris induxit, etiamsi non sit completa ex vtraque parte.*

9 *Simonia confidentialis, nisi sit simul realis, licet ipso facto inducat excommunicationem, tamen probabiliter nec inhabilitatem ad beneficia, nec priuationem beneficij in foro conscientiæ ipso facto inducit, sed solum in foro externo.*

10 *Idem dic de simonia, quæ committitur siue in electione Pontificis, siue in examine ad Parœcias.*

11 *Electio Pontificis etiam per simoniam facta, si alioquin à duabus tertiis partibus Cardinalium legitimè facta sit, non est ipso iure irrita.*

12 *Simonia realis probabiliter non obligat ad restituendum spirituale simoniacè acceptum, præterquam beneficium; obligat tamen ad restituendum temporale simoniacè acceptum, etiam ante sententiam, ob Religionis ingressum, Ordinem, & beneficium.*

13 *Simonia, quæ fit in sacramentis, vel aliis spiritualibus exceptis recensitis in opinione nonnullorum Doctorum, non obligat simpliciter ad restituendum pretium simoniacè acceptum.*

14 *Simonia non obligat ad restitutionem de iure naturæ, sed solum de iure positiuo.*

15 *Doctores pro vtraque sententia afferuntur, & primò pro affirmatiua, quod officia regularia pari passu cum beneficiis eant in materia simoniæ, sed negatiua præsertim in officiis amouibilibus est satis probabilis, & cur.*

16 *Conferens, vel acquirens beneficium per simoniam realem, pœnas iuris incurrit, secus tamen est in Prælaturis, & officiis Regularium.*

17 *Vendens iuspatronatus, licet sit quidem simoniacus, & peccet mortaliter, non tamen est excommunicatus, nec alias simoniaci pœnas incurrit.*

18 *Canonici, si Sede vacante in electione Vicarij conueniant, vt salarium, & emolumenta ex officio prouenientia inter omnes diuidantur, sunt simoniaci, & peccant mortaliter, non tamen sunt excommunicati, & aliis simoniæ pœnis affecti.*

19 *Vicariatus, licet sit quid spirituale, non tamen est beneficium.*

20 *Opinio Soti asserentis, quod omnis simoniacus incurrat excommunicationem, non probatur.*

21 *Verba (quomodolibet dando, vel recipiendo) posita in Extrauaganti 2. de simonia, intelliguntur tantum de Religionis ingressu, Ordine, vel beneficio.*

22 *Nomine officiorum Ecclesiasticorum in cit. extrauaganti intelliguntur beneficia.*

23 *Permutans, vel paciscens propria auctoritate beneficia, simoniam committit, secus est de permutante, vel paciscente propria auctoritate Prælaturas, vel officia Regularia, mutuas preces, mutua sacrificia, mutuam operam in audiendis confessionibus, &c.*

24 *Non est iniuria rei sacræ si cum alia sacra componatur, sed cum temporali.*

25 *Simonia non est si duo adulti paciscantur, vt se mutuò baptizent.*

26 *Regulares, si inter se conueniant, seu paciscantur, elige me in Prouincialem, & ego eligam te in Priorem, grauiter peccant, sed à simonia excusantur.*

REspondetur, intelligi (quidquid in contrarium dixerit Lezana *tom.1. cap.10. num.32.*) dignitates, administrationes, & officia habentia coniunctam Superioritatem quandam, vt esse Generalem, Prouincialem, aut Superiorem localem, vt Abbatem, vel Abbatissam, Priorem, vel Prioriſſam, &c. non item intelligi etiam alia officia, vt esse Confessorem, Concionatorem, Theologiæ Lectorem, Pharmacopœæ, vel sacristiæ Præfectum, &c. Probatur, quia Sixtus V. sic quendam suum Motum (priuantè Regulares illegitimè natos dignitatibus, gradibus, & officiis) explicat altero suo posteriori Motu: ergo idem à simili dicendum est etiam in casu nostro, præsertim cum pœnæ semper sint restringendæ, quapropter & Motum Clementis VIII. de largitione munerum vtentem iis verbis sic etiam explicant Sousa *in exposit. illius, num.101.* & alij‖Doctores, quos sequitur Filliucius, & Bonacina *de clausura, quæst.1.punct.4.num.6.* & Motum Pij V. & Gregorij XIII. interdicentium ingressum fœminarum in Monasteria virorum, similiter sub pœna priuationis officij in admittentes, sic etiam explicant Rodriguez *in exposit. eius Motus Pij V. num.21.* & Sorb. *verb. Ingressus Monasteriorum Monial. num.8.* qui rectè subdunt, nomine dignitatum, administrationum, & officiorum intelligi etiam officium Visitatoris, Commissarij Generalis, & Vicarij Monachorum, vel Monialium; non autem officium Diffinitoris, vel Discreti in Religione Capuccinorum, quod tamen non dicas de Definitoribus, & Consultoribus nostræ Clericorum Regularium Theatinorum Religionis; cum hi superioritatem quandam coniunctam habeant. 1 2

An autem officium Generalis, Prouincialis, aut Superioris localis includatur sub nomine beneficij ad incurrendas pœnas simoniæ? 3

Suppono, nullam simoniam (etiam realem, id est, vtrimque consummatam, per traditionem scilicet pretij, & rei spiritualis) inducere pœnas iuris (in quibus, præter excommunicationem, suspensionem, & inhabilitatem, est etiam pœnalis restitutio accepti) nisi in religionis ingressu, Ordine, & beneficiis, vti docent Sylu. *verb. Simonia, quæst.19.* Nauar. *cap.23. num.111.* Tannerus *in 2.2. S. Thom. disput.3. quæst.8. dub.4. num.45.* Gordon. *tom.2. lib.8. quæst.9. cap.3. §.1. num.8.* Sanchez *in opusc. tom.1. lib.2. cap.3. dub.117. num.3.* & alij passim.

Vnde si quis in aliis Sacramentis conferendis, vel accipiendis, in consecrationibus, benedictionibus, dispensationibus, in pensione vendenda, vel emenda, vel redimenda, in Vicaria temporali conferenda simoniam (etiam realem) committat, grauiter quidem peccabit, non tamen contrahet pœnas iuris 4

iuris, id est, pœnam excommunicationis, suspensionis, aut inhabilitatis, &c.

5 Idemque secundò dicas, si committat simoniam mentalem (quæ absque externo aliquo contractu tacito, vel expresso peragitur) etiam in Religionis ingressu, Ordine, & beneficiis, vt ex Extrauag. *cum detestabile, de simonia, & c. final. eod. tit. in Decretalibus*, docent communiter Doctores. Quod adeo verum est, vt plerique Doctores satis probabiliter sentiant, Ecclesiam non posse simoniam internam (quæ scilicet nullo mo-
6 do in opere externo ex natura rei deprehendi potest) punire, eo quod ipsius iurisdictio solum ad opera externa præcipienda vel vetanda, & consequenter ad illa solum punienda se extendat.

7 Idemque tertiò dicas, si committat (etiam similiter in Religionis ingressu, ordine, & beneficiis) simoniam conuentionalem, siue purè conuentionalem, id est, neutra ex parte completam, siue conuentionalem mixtam, quæ completa est ex altera tantum parte, vt quodammodo constet ex reali, & conuentionali (vt si pactione inita conferatur beneficium, altera parte nondum soluente pretium, vel è contra, si soluatur pretium, nondum collato beneficio, cuius simoniæ species est simonia confidentialis, qua quis paciscitur cum eo, cui confert, vel renuntiat beneficium, vt illud cum suis fructibus, vel eorum portione cedat alteri, verbi gratia nepoti, vel fratri, &c.) itavt pœnas iuris (id est excommunicationem, suspensionem, & inhabilitatem, &c.) in dicto casu non incurrat, incurrat tamen eas, si committat simoniam in Religionis ingressu, Ordine, vel beneficiis realem (id est, quando pactio ex vtraque parte completa est, saltem inchoatè, vt si collatio Religionis ingressus, Ordinis, vel beneficij facta sit, & pretij pars soluta (sicuti patet ex cit. Extrauag. *Cum detestabile*, ibi: *Qui conuentione facta quomodolibet dando, vel recipiendo simoniam commiserint*: & ex Tridentino *sess. 21. cap. 1.* ibi: *Tam dantes, quàm accipientes*, & contra Caietanum *verb. Simonia*, Sotum *de iustit. & iur. lib. 9. quæst. 8. art. 5.* & quosdam alios docent Sylvest. Nauar. *in locis suprà citat.* Couarr. *in Clement. si furiosus, part. 1. §. 2. num. 7. & part. 2. §. 3. num. 4.* Vgolin. *tab. 4. cap. 6.*

8 Excepta solum simonia Confidentiali in beneficiis, quæ simonia pœnas iuris dictas inducit, etiamsi non sit completa ex vtraque parte, sed tantum ex vna parte (si enim ex neutra parte completa est, adhuc illas non inducit, vt rectè insinuat Nauar. suprà, & colligitur ex ipsa bulla cit. cum ibi significetur, beneficium debere esse simoniacè receptum) quamvis Tannerus *in 2. 2. S.*
9 *Thom. disput. 5. q. 8. dubit. 4. n. 99.* sentiant, quod & simonia confidentialis ista, licet quidem ipso facto inducat excommunicationem, non tamen probabiliter non inducat, nec inhabilitatem ad beneficia, nec priuationem beneficij (nisi eadem simonia simul realis sit) in foro conscientiæ ipso facto, sed solum in foro externo, ideo-
10 que post sententiam declaratoriam criminis, qui Doctor *loco cit.* subdit, quod probabiliter hoc idem locum habeat in simonia, quæ committitur, tam in electione
11 Pontificis, quàm in examine ad parœcias: subdit secundò, quod probabiliter electio Pontificis, etiam per simoniam facta, si alioquin à duabus tertiis partibus Cardinalium legitimè facta sit, non sit ipso facto irrita.
12 Subdit tertiò, quod & probabiliter nec simonia realis obliget ad restituendum spirituale simoniacè acceptum, præterquam beneficium; obliget tamen ad restituendum temporale simoniacè acceptum, etiam ante sententiam, quamvis ex probabili etiam opinione satis sit ante sententiam illud restitui ei, à quo acceptum est: idque si loquamur de simonia in Religionis ingressu,
13 Ordine, & beneficiis: nam si loquamur de alia simonia (quæ sit in aliis spiritualibus, vel sacramentis) multi Doctores (quos citat, & sequitur Turrianus *in disput. select. centur. 5. Theolog. dubit. 59.*) sentiant, quod simpliciter non obliget ad restituendum pretium simoniacè acceptum: supponunt enim simoniam non obligare 14
ad restitutionem ex iure naturali, sed solùm ex iure positiuo, quod non obligat ad restitutionem, nisi in simonia quoad Religionis ingressum, Ordinem, & beneficia, & modo, quo supra dicebatur. His positis.

Respondetur, quod (quamvis affirment propter Ex- 15
trauag. 2. *de simonia*, Raynerius *in Catal. censur. cap. 9. excommun. 12.* Caiet. *verb. Excommunicatio, cap. 75.* Nauarr. *cap. 27. num. 116.* Suarez *tom. 5. disput. 22 section. 5. num. 24. & disput. 31. sect. 4. num. 45.* Less. *de iustit. & iur. lib. 2. cap. 35. dubitat. 25. num. 137.* Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 2. cap. 3. dubitat. 104. num. 5. & 11. & dubitat. 107. num. 3.* Peregrin. *in Constitut. part. 3. cap. 1. litera I. §. 2. vers. 7.* loquens de Consultoribus, Definitoribus, & præpositis nostræ Religionis, Reginaldus *lib. 23. cap. 12. num. 182.* Portell. *in dubitat. Regularib. tom. 2. verb. Simonia, num. 5.* Hieronym. Rodriguez *in Compend. qq. Regular. resolut. 129. numero 5.* Gordon. *in summa tom. 2. lib. 7. quæstione 13. cap. 4. numero 70.* Sebastianus à Bononia *in tractat. de elect. parte 2. cap. 1. dubitat. 58. num. 18.* Tamburin. *de iure Abbat. tom. 2. disputat. 10. quæst. 5. num. 3. & 4.* & alij, quia huiusmodi officia sunt beneficia Regularia) nihilominus negent (præsertim in officiis amouibilibus, pendentibus scilicet ex arbitrio delegantis: vt sunt in nostra Religione Clericorum Regularium Theatinorum Vicarius, qui pendet ad libitum ex voluntate Superioris localis) satis probabiliter Azor. *part. 3. lib. 12. cap. 21. quæst. 6.* Peirinus *de Relig. subdito, tom. 1. quæst. 1. cap. 31. §. 9. dict. 21.* Barbosa *in Collectan. tom. 3. lib. 5. Extrauag. 2. num. 9.* Bonacina *tom. 1. de simonia, disputat. 1. quæst. 7. §. 2. num. 2.* quia si Pontifex *in d. Extrauaganti 2. de simonia*, per beneficia non voluisset intelligere solum ea, quæ propriè beneficia vocantur, sed quælibet alia regiminis spiritualis, & sic Regularium officia, clariùs in illa Extrauaganti locutus fuisset: quapropter cum simus in materia pœnali, verba non sunt amplianda, sed potius restringenda; & non valet argumentum à pari, vel à maiori ad minus, sed proprietati verborum standum est; & nomine officiorum Ecclesiasticorum, quod aliquando in dicta Extrauaganti ponitur, non intelliguntur quælibet officia Ecclesiastica, sed solum beneficia proprie dicta, sicuti colligitur ex verbis antecedentibus, & consequentibus; siquidem Pontifex, vt omnia beneficia generaliter comprehenderet, vsus est dictis verbis, cum fieri possit, vt aliquod beneficium alicubi officium vocetur.

Ex hac posteriori sententia satis probabili sequi- 16
tur, quod (licet pœnas iuris incurrat, qui beneficium acquirit, vel beneficium confert, aut procurat alteri per simoniam realem, eligendo, præsentando, postulando, instituendo, confirmando, vel commendando, &c.) non tamen pœnas iuris incurrit, qui per simoniam realem idem efficit in Prælaturis Regularibus, vt Generalis, Prouincialis, aut Superioris localis, sicut nec pœnas iuris incurrit, qui idem efficit in officiis Ecclesiasticis non regularibus, quæ non sunt beneficia, neque in pensionibus, vel Vicariis temporalibus, quia de his clarè dicta Extrauag. non loquitur, vt conueniunt Doctores.

Quapropter rectè dixit Sanchez *loc. suprà cit.* quod 17
vendens iuspatronatus, licet sit quidem simoniacus, & peccet mortaliter, non tamen sit excommunicatus, nec alias simoniaci pœnas incurrat, quia iuspatronatus non est beneficium. Similiter si Canonici, Sede vacante, conuenirent, vt quicumque ex ipsis eligeretur Vicarius Capituli, diuiderer cũ cęteris salarium, & emo-

lumenta

lumenta ex officio prouenientia, omnes quidem essent simoniaci, & peccarent mortaliter, non tamē essent excommunicati, & aliis simoniæ pœnis affecti, quia licet
19 Vicariatus sit quid spirituale, non tamen est beneficium. Quidquid in contrarium dixerit Sot. *de iustit.*
20 *lib.9.quæst.8.art.2. ad fin.* tenens, quod omnis simoniacus incurrat excommunicationem per dicta in Extrauag. 2. de simonia, ibi: *Qui quomodolibet dando, vel recipiendo simoniam committit.* Et infrà: *In beneficiis, & officiis Ecclesiasticis*, &c. ex quibus verbis deducit ipse, quod comprehendatur omnis simonia: ad hoc enim
21 respondetur, illa verba: *Quomodolibet dando, vel recipiendo*, intelligi pro Religionis ingressu, Ordine, vel beneficio, quia de hac tantum simonia Pontifex ibi loquitur, & per officia Ecclesiastica intelligi beneficia,
22 sicuti suprà dicebam, & tradunt Doctores, quos citat Sanchez loco citato.

23 Sequitur secundò, quod (licet simoniam iuris humani committat, qui propria auctoritate permutat, vel paciscitur beneficia, quia id sic fieri expressè prohibetur in beneficiis, *cap. quæsitum, & c. cum olim, de pactis*) non tamen simoniam committit, qui similiter propria auctoritate permutat, vel paciscitur Prælaturas, vel officia Regularia, sicut nec simoniam committunt, qui commutant, vel paciscuntur mutuas preces, mutua sacrificia, mutuam operam in audiendis confessionibus, & similibus, & officiis: item nec qui commutant, vel paciscuntur globulos benedictos, & Rosaria, etiam habita ratione sanctitatis, & benedictionis, quia ex natura rei, remoto iure positiuo prohibente (vti contingit solum in beneficiis) non est iniuria rei sacræ, si cum alia sacra componatur, sed solum si componatur cum temporali: vnde nec erit simonia, si duo adulti paciscantur, vt se mutuò bapti-
24 zent. S. Th. *in 4. dist.25. quæst.3. art.3. ad 8.* Sot. *de*
*iustit. lib.9. quæst.5. art.2.* Durand. *distinct.25. quæst.5.*
25 *num.9.* Victoria *de Simonia, num.17.* Sanch. *in opuscul. tom.2. lib.2. cap.3. dub.44. num.3.* & Toletus *lib.3. c.78.* contra Richardum *in 4.distinct.25.circa tertium princip. quæst.1.* Adrianum *quodlib.9. ad 4. confirmationem, lit. E.* Sylvestrum *verb. Simonia, quæst.16. in fin.* Armil. *eod. verb. num.42.* Tabien. *num.46.* Lopez *part.1. cap.259.* & Petrum Nauarrum *de restitut. lib.2. cap.2. num.86.*

26 Quapropter excusat Sanch. *loc. cit. num.4.* à simonia (etsi aliunde propter damnum Communitatis grauiter peccent) Regulares, si inter se conueniant, seu paciscantur: *Elige me in Prouincialem, & ego eligam te in Priorem*, quia licet hæc sint officia spiritualia, non tamen sunt beneficia, & ex alio capite iura dum prohibent commutationem beneficiorum, cum sint iura pœnalia, non debent extendi, sed potius restringi, *sicuti suprà dicebatur.*

## DVBITATIO XXV.

### An, & quando Moniales egredientes è clausura pœnas Motus Pij V. incurrant?

### SVMMARIVM.

1 *Moniales clausuram violant, & censentur è Monasterio egredi, si ad Ecclesiam suam, vel ad spatium, quod est inter Portam Monasterij clausam, & alteram sæcularibus patentem, egrediantur, & ita incurrunt pœnas contra violantes clausuram impositas.*

2 *Limita dummodo egressus non sit culpa venialis ratione paruitatis materiæ.*

3 *Excommunicatio, & pœnæ tam graues non imponuntur, nisi ob culpam grauem.*

4 *Moniales non incurrunt dictas pœnas, si licitè sine licentia superioris ob periculum in mora adeundi illum, egressæ fuerint, postea ad Monasterium regressæ Superiorem non moneant.*

5 *Moniales iustè egressæ è Monasterio, si finita causa egressus, statim non regrediantur, sed diu culpabiliter extra monasterium morentur, vel vagentur, non incurrunt dictas pœnas.*

6 *Pœnæ statutæ in motu Clementis VIII. de largitione munerum contrahuntur tantùm à largientibus, non autem à recipientibus.*

7 *Moniales conuersæ professæ existentes in Domibus Monasterio contiguis ad petendas eleemosynas, non incurrunt dictas pœnas, etiamsi ob inutilia, quin ob praua opera ex illis egrediantur.*

REspondetur, quod licet videatur, quod non in- 1
currant, nisi egrediantur è septis Monasterij, non autem si egrediantur è sola clausura strictè sumpta, verbi gratia ad Ecclesiam suam, vel ad spatium quod est inter Monasterij portam clausam, & alteram sæcularibus patentem, per quam hi ingrediuntur (ex eo, quod in Motu dicto Pij V. dicitur, *A Monasteriis exire, nec extra illa, nisi ad necessarium tempus stare.* Et paulò post: *Aliter egredientes, & comitantes, ac receptatrices personas*;) tamen contrarium dicendum sit, quia Pius V. dictas pœnas statuit in Moniales clausuram violantes, sed Moniales clausuram violant, & censentur è Monasterio egredi, si ad Ecclesiam suam, vel ad spatium, quod est inter portam Monasterij clausam, & alteram sæcularibus patentem, egrediantur, vt explicuit Gregorius XIII. in suo Motu, *Deo sacris virginibus*: ergo Moniales sic egredientes incurrunt dictas pœnas, dummodo egressus non sit culpa venialis, ratione paruitatis materiæ (vt dicam infrà dubit.52.) sed mortalis, quia excommunicatio, & 2
pœnæ tam graues non imponuntur, nisi ob culpam 3
grauem, cum pœna debeat culpæ proportionari.

Ex his sequitur, quod Moniales (quidquid dixerit 4
Zecchius *de Repul. Ecclesiastica tit. de Regularib. cap.3. num.15.*) non incurrant dictas pœnas si licitè sine licentia Superioris, ob periculum in mora adeundi illum, egressæ postea ad Monasterium regressæ Superiorem non moneant in casu, quo deberent illum monere, iuxta ea quæ dicebam *dubit.21.* quia pœnæ inferuntur contra Moniales iniustè egredientes: hæ autem in dicto casu non iniustè, sed iustè egrediuntur.

Sequitur secundò, quod neque Moniales (quidquid 5
dixerit Llamas *in append. §.10.*) incurrant dictas pœnas; si iustè egressæ, finita causa egressus, statim non regrediantur, sed diu culpabiliter extra Monasterium morentur, vel vagentur, quia licet hæ vi Motus Pij V. mortaliter peccent, & clausuram violare dicantur, si finita causa egressus statim non redeant, *sicuti dicebam dub.20.* tamen quia dictus Motus, quando descendit ad pœnas infligendas, non generaliter loquitur contra ipsius Motus violatores, sed strictè contra solas Moniales illegitimè egredientes, & eis fauentes, fit quod dictas pœnas (cùm vtpotè odiosæ, sint restringendæ) non incurrant dictæ Moniales, quia licet hæ post egressum illicitè morentur, non tamen iniustè è Monasterio egredi dicuntur. Vide, quæ dicentur *dubit.51.*

Confirmatur à pari, quia (cùm Clemens VIII. in 6
Motu suo de largitione muner. Religiosis prohibita, interdicat Religiosis munerum largitionem, & quibuscumque aliis receptionem absque conditionibus ibi positis,

positis ; postea verò , quando in transgressores pœnas inducit, solius largitionis mentionem faciat ) fit, quod dictas pœnas non incurrant recipientes , sed solum largientes , vt videre est apud Sousam *in exposit. dicti Motus Clementis VIII. num.*100. ergo sic à pari in casu nostro.

7 Sequitur tertiò , quod neque Moniales Conuersæ professæ existentes in domibus Monasterio contiguis ad petendas eleemosynas , incurrant dictas pœnas , si ob inutilia, quin ob praua opera committenda ex illis egrediantur , quia cum domus illæ non sint regulares, nec intra clausuram ( sicuti dicebam *dubit.*16. ) non dicuntur è Monasterio,vel clausura egredi.

## DVBITATIO XXVI.

### An pœnas Motus Pij V. incurrant Episcopi, Religiosi,& quicumque alij in dignitate constituti, si Monialis illicito egressui cooperentur ?

### SVMMARIVM.

1 *Episcopi , Religiosi , & quicumque alij in dignitate constituti , Monialem iniustè egressam comitantes, vel recipientes,& Episcopi illicitam licentiam concedentes incurrunt pœnas prædictas.*

2 *Clericorum nomine in materia odiosa non veniunt Episcopi , nec Clerici in dignitate constituti , vt Ecclesiæ Cathedralis Canonici , item nec Regulares.*

1 REspondetur , quod quamvis videatur , quod illas non incurrant Episcopi Religiosi , & alij in dignitate constituti , Monialem iniustè egressam comitantes , vel recipientes , nec Episcopi illicitam egressus licentiam concedentes , ex eo , quia dictus Motus Pij V. incipiens : *Decori , & honestati* , dum pœnis subiicit comitantes , vel recipientes , &c. sic ait : *Necnon comitantes , ac illarum receptatrices personas , siue laicas , aut sæculares , vel Ecclesiasticas*, vbi nullam Episcoporum , religiosorum , vel aliorum in dignitate constitutorum mentionem facit ;
2 & ex alio capite , nomine clericorum in materia odiosa non veniunt Episcopi , nec clerici in dignitate constituti , vt Ecclesiæ Cathedralis Canonici , nec Regulares,vtpotè in Superiore quodam ordine ad alios Clericos , Abb. *in rubr. de vita & honest. clericor. numero* 4. Rosella *verb. clericus, in princip.* Angelus,Silu. & Tabiena *eod.verb.*

Accedit quod *ex cap. periculoso , de sent. excommun. in 6.* licet Episcopi contrahant quidem excommunicationem , non tamen contrahunt suspensionem , nisi de ipsis fiat expressa mentio : nihilominus dicendum sit oppositum. Ratio est,quia Motus Pij V. generaliter subiicit pœnis comitantes , vel recipientes, &c.& postea, ne quis se posset exemptum ab eis existimare ( eo quod sit secularis,Ecclesiasticus, vel consanguineus ) expressit omnes istos , non quasi velit, quod generaliter dixerat, restringere ; sed vt clariùs, ne quis aliquo ex his prætextibus possit se excusare , loquatur. Episcopi etiam , si iniustè egrediendi licentiam concesserint , suspensionem ab officio , quam in tali casu Motus Pij V. contra ipsos infligit , contrahunt ; quia de ipsis expresè mentionem facit dictus Motus ; cum enim in principio dixisset, quod Episcopi, & Religionis Prælati sit egressus licentiam concedere , in fine postea hac censura afficiens iniustam egrediendi licentiam concedentes,subdit: *Insuper tam egressas,quàm præsidentes , & alios superiores prædictos eis licentiam huiusmodi concedentes*, &c. quibus verbis clarè comprehendit Episcopos & Superiores Regulares , de quibus in principio mentionem fecerat. Atque ex his patet responsio ad opposita.

## DVBITATIO XXVII.

### An , & quando pœnas Motus Pij incurrant Monialem illicitè egressam comitantes,vel recipientes ?

### SVMMARIVM.

1 *Comitantes , vel Recipientes Monialem illicitè egressam, ita vt faueant huiusmodi egressui, vel perseuerantiæ in illo , seu sint causa efficax huiusmodi egressus , vel perseuerantiæ in illo , cooperando Monialis delicto,contrahunt dictas pœnas.*

2 *Recipientes hæreticos, non tamen vt hæredicos,nec hæresi fauendo,non incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ.*

3 *Excommunicatio Bullæ Cœnæ non incurritur ab Hæretici receptatore , auxiliatore , vel defensore , nisi malus effectus sequatur.*

4 *Comitantes , vel recipientes Monialem post illicitum egressum, vt eius honori, & castitati consulant,non incurrunt dictas pœnas.*

5 *Comitantes , vel recipientes Monialem illicitè egressam , nulla necessitate ducti , sed solum vrbanitatis gratiâ , non incurrunt dictas pœnas , dummodo non faueant illicito egressui , vel perseuerantiæ in illo.*

6 *Comitantes , vel recipientes quomodocumque Monialem Nouitiam egressam , non incurrunt præfatas pœnas.*

REspondetur , quod incurrant , si comitentur , 1
vel recipiant , ita vt faueant huiusmodi egressui , vel perseuerantiæ in illo , seu sint causa efficax huiusmodi egressus , vel perseuerantiæ in illo , cooperando scilicet Monialis delicto. Nauar. *comment.*4. *num.*51.*de Regularib.*Graff. 1.*part. decis.lib.*4. *c.*23.*n.*17. Azor.*tom.*1.*lib.*13. *c.*8.*quæst.*1.Zerola *part.*1. *verb. Moniales, ad* 16.*quæsit.dub.*1.Rodrig.*qq.Regular.tom.*1.*q.*49. *art.vlt.*Zecchius *de Republ.Ecclesiastica , tit.de Regular. cap.*3.*num.*15. Llamas *in Append.*§ 11.*in fin.* Bonacina *de claus.quæst.*1. *punct.*4. Lezana *tom.*1. *cap.*25. *num.*19.
Et probatur, quia pœnæ sunt potius restringendæ , 2
quàm amplicandæ ; tum quia ob dictam rationem excommunicationem in hæreticorum receptatores latam non incurrunt , nisi qui recipiunt hæreticos , vt hæreticos , fauendo scilicet aliquo modo hæresi ; ergo & excommunicationem hic latam non incurrent , nisi qui comitantur , vel recipiunt Monialem iniustè egressam , fauendo scilicet similiter aliquo modo delicto Monialis. Consequentia patet à pari : antecedens docent Caietanus *verb. Excommunicatio , cap.*1. & Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 10. *num.*5. qui contra Sayrum *in Thes.lib.*3.*cap.*5.*num.*4.& Grassis *part.*1.*decis.lib.*4. *c.*18. *num.*34. subdunt & rectè , talem excommunicationem in Bulla Cœnæ neque in tali casu incurri ab hæretici receptatore , auxiliatore , vel defensore , nisi malus effectus sequatur , scilicet vt hæreticus ob tale ipsi auxilium præstitum manus iudicis euadat,vel hæresim magis diffundat,quia cum excommunicatur aliquid faciens principaliter, accessoriè autem mandans , consulens, vel fauens, isti excommunicationem non contrahunt, nisi secuto effectu ; sed dicta excommunicatione

excommu

excommunicantur hæretici principaliter, accessoriè autem, & secundum quandam extensionem ipsorum receptatores, fautores, & defensores: ergo isti non incurrunt excommunicationem, nisi ex fauore, vel auxilio ab ipsis præstito malus effectus sequatur.

4 Ex his sequitur, quod pœnas non incurrant, qui Monialem comitantur, vel recipiunt post egressum illicitum, vt eius honori, & castitati consulant; præsertim quia tales potius actum meritorium, quàm peccaminosum exercent. Doctores *in locis supra cit.*

5 Sequitur secundò, quod pœnas neque incurrant, qui Monialem illicitè egressam comitantur, vel recipiunt etiam nulla necessitate ducti, sed solum causa vitandi inurbanitatem, vel causa amicitiæ, aut cognationis, dummodo non faueant illicito egressui, nec perseuerantiæ in illo. Llamas & Rodrig. *suprà*, quamvis Nauarrus *in cap. statuimus, num.51.* (quem sequi videtur Miranda *de Monialibus, q.3. art.3.*) huic sententiæ se subscribere non audeat.

6 Sequitur tertiò, quod pœnas neque incurrant, qui Monialem Nouitiam egressam comitantur, vel recipiunt quomodocumque, etiam cooperando illius delicto; quia Motus Pij V. loquitur solum de egressu illicito professarum. Nauar. *n.47.* & Zerola *dub.4.*

## DVBITATIO XXII.

### An, & quis possit in isto casu absoluere ab excommunicatione?

### SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus ob violationem clausuræ non potest absolui, nisi à Summo Pontifice, & ex commissione ipsius id possunt etiam Romæ Pœnitentiarij; quamvis si sit occulta excommunicatio, possit etiam Episcopus contra nonnullos Doctores.*

2 *Decreta Generalis Concilij ob eorum grauitatem, & præsertim Tridentini non censentur derogata, nisi habita in bullis Pontificum speciali derogatione.*

3 *Episcopus potest absoluere ab hæresi, si sit occulta virtute Tridentini, quia in Bulla Cœnæ decreto Concilij non est derogatum, secundùm probabilem opinionem.*

4 *Priuilegium absoluendi ab omni censura, etiam Sedi Apostolicæ reseruata, Regularibus concessum, extenditur ad censuras, quæ futuro tempore à Pontifice sibi reseruabuntur.*

5 *Priuilegium indefinitè concessum, si alteri non est onerosum, sed est merum beneficium Principis, amplè est accipiendum, & ad futura etiam extendendum.*

6 *Declarationes Sacræ Congregationis Cardinalium asserentes Episcopos non posse absoluere in casibus Bullæ Cœnæ occultis, non constant authenticè, & ideo standum est consuetudini in contrarium.*

7 *Confessarius quilibet approbatus potest ab eadem excommunicatione supradicta absoluere, licet publica, virtute tamen cruciata semel in vita, & semel in morte.*

8 *Confessarius quilibet priuilegiatus potest ab eadem excommunicatione supradicta toties quoties absoluere; quia Religiosi habent priuilegium absoluendi toties quoties ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, præterquam à contentis in Bulla Cœnæ.*

9 *Nonnullæ particulares limitationes afferuntur alibi recensitæ ab Auctore.*

10 *Violatio Immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Constitutionis Gregorianæ reseruatur Episcopis.*

11 *Item violatio clausuræ ad malum finem.*

12 *Item pugna in duello, & cætera infrà.*

13 *Percussio Clerici iuxta Canonem si quis suadente.*

14 *Simonia realis scienter contracta.*

15 *Confidentia Beneficialis.*

REspondetur, & dico primò, potest solum Pontifex; quia expressè eam sibi reseruat, consequenter ex commissione ipsius possunt etiam Romæ Pœnitentiarij; quamvis si sit occulta, possit etiam Episcopus virtute decreti Tridentini *sess.24. de reform. cap.6.* vbi Concilium omnes casus occultos Episcopis concedit. Quidquid in contrarium dixerit Graff. *in pract. lib.4. cap.5. num.17.* Riccius *in praxi, tom.1. resol.544. num.5.* Chappeauilla *de casib. reserv. cap.14. q.3. diffic.2.* Zecchius *de casib. reserv. cas.10. num.1.* & Zerola *verb. Moniales, ad 8. quæsit.* dum aiunt, non posse Episcopum ab hac excommunicatione; quamvis occulta, absoluere, moti ex eo, quod non possit Episcopus virtute illius concessionis absoluere à casibus quos post Tridentini publicationem sibi Pontifex reseruauit, atque quod sic declarauerit S. Congregatio Cardinalium. 1

Ad hoc enim respondetur, negando assumptum: nam cum in iis reseruationibus non fiat expressa mentio de Tridentino, censeri debet propter eius grauitatem ei in illis derogatum non fuisse, quia decreta Concilij generalis ita matura deliberatione sancita sunt, vt vim clausulæ derogatoriæ ad alia decreta posteriora non contineant, nisi de illis in istis specifica mentio fiat, in qua re Concilium Tridentinum videtur non debere esse deterioris conditionis cæteris generalibus Conciliis, sicuti docet Henriq. *lib.7.c.26.n.3.* Viualdus *in Candelabr. part.3. cap.12.n.23.* & videri etiam potest Menoch. *consil.294.n.11.& 12. vol.3.* Guttier. *in l. nemo potest, de leg.1. n.173.* Couar. *lib.4. variar. cap.16. num.6.* Caualc. *part.1. decis.29. num.16.* & Parisius *lib.2. cons.2. num.30.* quos citat, & sequitur Diana *part.2. tract.5. resol.35.* 2

Confirmatur, quia hæresis reseruata est in Bulla Cœnæ post Tridentinum, & tamen adhuc in opinione satis probabili multorum Doctorum potest Episcopus (etiam per alium) ab illa (si sit occulta) absoluere, virtute eiusdem Tridentini, ex eo, quod ipsi expressè non derogetur in Bulla Cœnæ quoad casus occultos in ipsa contentos, de quibus, dando facultatem Episcopis, loquitur Tridentinum, sicuti *lib. de Parlamentis, dub.4. sect.19. subsect.35.* dicebam. 3

Confirmatur secundò à pari, quia priuilegium absoluendi ab omni censura, etiam Sedi Apostolicæ reseruata, Regularibus concessum extenditur ad censuras, quæ futuro tempore à Pontifice sibi reseruabuntur, iuxta Doctores, quos citat, & sequitur Rodrig. *tom.1. qq. Regular. q.20. art.8.* & iuxta doctrinam Glossæ *in cap. quia circa, de priuileg.* quod scilicet priuilegium indefinitè concessum, si alteri non est onerosum, sed est merum beneficium Principis, amplè sit accipiendum, & ad futura extendendum. 4 5

Et ad id, quod dicitur de Cardinalium declarationibus, respondetur de illis non constare authenticè, sicuti nec constat authenticè de alia declaratione, approbante Gregorio XIII. (quam refert Sanctarellus *in tract. de hæres, cap.5. dub.1. num.1.*) in qua dicitur quod in delictis occultis materiæ clausuræ derogatum fuerit dicto decreto per constitutionem Pij V. quapropter dictæ declarationes non obstant: & ideo, quod si casus sit occultus, etiam in materia clausuræ, possit Episcopus absoluere ob rationes dictas; vel saltem quia oppositum est iam consuetudine receptum, tenent Doctores, quos citat, & sequitur Bonacina *de clausura, q.1. punct.5. num.1. & de censur. disp.1. q.3. punct.1.* 6

*punct.1.num.1.& disp.2.qu.ast.6.punct.1.n.40.* Diana *p.3. tract.2.resol.66.* Lezana *verb.Clausura,n.20.* & generaliter de omnibus casibus, etiam post Tridentinum reseruatis, tenent Tolet.*lib.1.cap.41.n.7.* Candidus *tom.1. Disquisit. Moral. disquisit.3. art.28.* & Merolla *tom.1. dis.1. cap.2. diff.10. n.527.* Quod non solum est verum respectu sæcularium, & Monialium Episcopis subditarum, sed etiam respectu Regularium exemptorum, & Episcopis non subditorum. Vide quæ dicentur *infrà dub.69.81.& 82.*

7 Dico secundò, item potest ab eadem excommunicatione supradicta, licet publica, absoluere quilibet approbatus Confessarius virtute Cruciatæ, semel in vita, & semel in mortis articulo; quia expresse dicta Bulla concedit Confessariis approbatis hanc facultatem sic absoluendi, quando censuræ sunt reseruatæ. Sorbus *verb.Ingressus in Monasteria Monialium, n.11.* Rodrig. *in Exposit. Motus Pij V. contra fœminas ingredientes in virorum Monasteria, n.3.* Lezana *verb.clausura, n.20.*& Diana *cit.resol.66.*

8 Dico tertiò, item potest ab eadem excommunicatione supradicta,licet etiam publica,absoluere quilibet priuilegiatus Confessarius toties quoties; quia Religiosi habent priuilegium absoluendi toties quoties ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, & ab omnibus pœnis, & censuris consurgentibus ex iis, præterquam contentis in Bulla Cœnæ, & specialiter reseruatis ab Episcopo. Sorbus, & Rodrig. *in loc. cit.* Lezana *tom.1.c.18.n.29.& 36. & cap.19.num.15.& cit. verb. clausura, num.20.* Bonacina *de clausura, quæst.1. punct.5. num.2.* Tamburinus *de iure Abbat. disput.19. quæst.5.n.3.* & nos *supra cap.14.dub.18.sect.17.& lib.de Parlament. dub.4. sect.19. subsect.31. & 32.* dicebamus.

9 Cæterùm quid dicendum sit quando excommunicatio ista deducta est ad forum externum, seu contentiosum, & sic denunciata? vide *infra cit.dub.alt.& cit. lib.de Parlamentis, dub.4.sect.19. subsect.22. pag.133.& seqq.* Item quid dicendum sit de quinque casibus, in ordine ad quos Religiosis reuocata fuerunt priuilegia ex Decreto S. Congregationis sub Clemente VIII. in quo præter casus Bullæ Cœnæ, & quos sibi specialiter reseruant Episcopi, reseruantur etiam Pontifici, reuocatis Religiosorum priuilegiis,violatio immunita-
10 tis Ecclesiasticæ in terminis Constitutionis Grego-
11 rij XIII. Secundò violatio clausuræ Monialium ad
12 malum finem. Tertiò prouocantium, & pugnantium
13 in duello, iuxta decretum Tridentini,& Constitutionis
14 Gregorij XIII. Quartò, percussionis clerici, iuxta
15 *Can. si quis suadente*, 17. *q.4.* Quintò, simoniæ realis scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Vide *dub.69.*

## DVBITATIO XXIX.

### An, & quis possit in isto casu dispensare à priuatione officiorum, & inhabilitate ad illa?

### SVMMARIVM.

1 *Pœna priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa ob violatam clausuram non contrahuntur, nisi post Iudicis sententiam.*

2 *Pœna prædictæ si incurrantur ante Iudicis sententiam, si res sit occulta, potest ab ipsis Episcopus dispensari virtute Tridentini.*

3 *Superior Religionis etiam localis ex priuilegio potest in dictis casibus dispensare.*

4 *Clericis ministrantibus infirmis concessum fuit à Gregorio XIV. huiusmodi priuilegium.*

5 *Superiores Ordinis Prædicatorum, & consequenter omnium Mendicantium, gaudent eadem prorsus facultate erga alios Regulares subditos, qua gaudent Episcopi virtute Tridentini, ex indultu Pij V.*

6 *Superior Religionis non potest alteri delegare facultatem recensitam (stante clausula per seipsum) apposita in dicta concessione.*

7 *Confessarius approbatus virtute bullæ Cruciatæ non potest in his pœnis dispensare.*

8 *Nomine censuræ veniunt solum excommunicatio, suspensio, & interdictum.*

9 *Regulares possunt absolui ab hac, & similibus inhabilitatibus à suis Confessariis per Prælatos deputatis semel in vita, dummodo per integrum annum qualibet hebdomada semel recitent pœnitentiales cum Litaniis, vel si sint impediti, suppleant in sequenti.*

10 *Confessarius habens priuilegium absolnendi ab omnibus casibus reseruatis, & a censuris, & pœnis consurgentibus ex eis, potest absoluere toties quoties in foro conscientiæ à prædictis priuationibus, & inhabilitatibus.*

11 *Superior Religionis etiam localis an possit ex priuilegio cum subditis etiam in foro externo in pœnis dispensare, est discrimen inter Doctores, pars verò negatiua est probabilior.*

SVppono ex dictis *supra dub.23.* has pœnas hîc non incurri absque Iudicis sententia, & sic non dari casum, quo res sit occulta, cum iam ad forum externum, seu contentiosum deducta sit, Iudicisque sententia accesserit ex suppositione; quia tamen vt *cit.dub.23.* dicebam, nonnulli sentiunt oppositum; ideo hoc supposito. 1

Respondetur in opinione dicentium, has pœnas incurri sine Iudicis sententia,si res sit occulta,potest dispensare Episcopus; quia in inhabilitate contracta ob delictum occultum potest Episcopus dispensare cum suis subditis, virtute Tridentini *sess.24. de reformat. c.6.* sicuti ex communi dicebamus *cit. lib.de Parlament.dub.4. sect.19.subsect.33.* Quin & in eodem casu contra Graffium *p.1.lib.4.c.23.n.12.* ex priuilegio potest Religionis Superior,etiam localis(cum hic quoque in suos subditos habeat iurisdictionem quasi Episcopalem)dispensare similiter cum suis subditis; sicuti potest Episcopus cum suis. Vide apud Lezanam *tom.1.c.10.n.35. & c.18. n.35.* priuilegium Gregorij XIV. Clericis ministrantibus infirmis concessum, ibi: *Necnon cum iis, si opus fuerit, etiam cum ratihabitione,& absterſione inhabilitatis, & infamiæ maculæ dispensare.* Vide etiam Motum Pij V. qui incipit: *R mani Pontificis*, apud Rodrig. *tom.1.qq. Regul. q.61.art.9. ad finem*, vbi Pontifex expresse concessit omnibus Superioribus Ordinis S. Dominici, & consequenter omnium Ordinum Mendicantium, & fruentium eorum priuilegiis, vt erga suos Regulares subditos gaudeant eadem prorsus facultate, qua gaudent Episcopi in suos virtute Tridentini *sess.24. c.6. de reformat.* Vide etiam Rodrig. *loco cit. q.24.art.17.& in exposit. dicti Motus Pij V. n.36.* Sorbum *verb. Ingressus in Monasterium,n.11.* Henriq.*lib.14.c.19.n.2.* Peyrinum *tom.1.priuileg.Minim.in const.6. Iulij II. n.24.* Dianam *p.3.tract.2.resol.66.* Portellium *in dub.Regul. verb.clausura Monialium,n.28.* Bonac. *de clausura, q.1.punct.5.&* Lezanam *cit.cap.10.n.35. & cit.cap.18.n.46. & cap.25. num.19. & verb.Clausura, n.21.* qui rectè subdunt, has pœnas hic non esse Pontifici reseruatas, vti patet ex ipso contextu. 2

Aduerte tamen, quod Religionis Superior non pos- 6
sit hanc facultatem alteri delegare, quia Pius V. in eo priuilegio expresse ait, vt Religionis superior per

seipsum id possit. Vide Sorbum, & Rodrig. *locis supra citatis.*

7 Aduerte secundò, quod approbatus Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ non possit in his pœnis dispensare; quia dicta Bulla Cruciatæ solum absolutionem à censuris concedit, & ex alio capite priuatio hæc, & inhabilitas non sunt censuræ, sed quædam aliæ diuersæ rationis pœnæ, *cap. quærenti, de verb. signif.*

8 vbi expresè dicitur, nomine censuræ comprehendi solum excommunicationem, suspensionem, & interdictum. Vide Dianam *cit. resol. 66.* Sorbum *loc. cit. vers. dicitur tertiò*, & Rodrig. *in cit. exposit. Motus Pij V. n. 35.* qui subdunt, quod per priuilegium tamen Eugenij IV. (vt videre est apud compendium priuilegiorum Mendicantium, *verb. absolutio extraordinaria quoad fratres,*

9 §. 3. & 4.) possint Regulares à suis Confessariis per Prælatos deputatis absolui ab hac & similibus inhabilitatibus semel in vita; dummodo per integrum annum recitent qualibet hebdomada semel Psalmos pœnitentiales cum Litaniis; & quod si legitimo impedimento detenti aliqua hebdomada id facere omiserint, possint supplere hebdomada anni sequentis.

10 Aduerte tertiò, quod per priuilegium absoluendi ab omnibus casibus reseruatis, & à censuris, & pœnis consurgentibus ex eis (vti dicebam *dub. præced. ad fin.*) possit etiam Confessarius habens tale priuilegium, absoluere toties quoties in foro conscientiæ à prædictis priuationibus, & inhabilitatibus: præsertim quia prædictæ priuationis, & inhabilitatis pœnæ impositæ contra violantes prædictum Motum Pij V. non sunt Pontifici reseruatæ, sicuti suprà dicebam. Vide Doctores *suprà cit.* & quæ nos dicebamus *lib. de Parlament. dub. 4. sect. 19. subsect. 31. & 32. per tot.* & dicemus *infrà dub. vlt.*

11 An autem Religionis Superior, etiam localis, possit ex priuilegio cum suis subditis, etiam in foro externo, in pœnis dispensare?

Affirmant Rodriguez *tom. 1. qq. Regul. q. 24. art. 17.* Cruz *lib. 1. de statu Relig. cap. 6. dub. 15. concl. 6.*

Negant verò probabiliùs (cum quoad hoc non videatur apparere euidens vllum Pontificium priuilegium) Peirinus *loco suprà cit. num. 25.* Lezana *cit. c. 10. n. 36.* & Bonacina *de clausur. quæst. 1. punct. 5. n. 5.* Quod à fortiori in omnium sententia verum est, si secuta fuerit Iudicis sententia.

## DVBITATIO XXX.

### An, & quis, & sub quibus pœnis prohibeatur ingredi Monasterium Monialium?

### SVMMARIVM.

1 *Quinam prohibeantur ingredi Monasteria Monialium sub pœna excommunicationis latæ sententiæ sine licentia.*

2 *In casu necessitatis si quis Monasterium ingredi debeat, est ei obtinenda licentia in scriptis ab Episcopo, vel à Prælato ordinis.*

3 *Reges, Imperatores, eorumque vxores, filij, & filiæ, non prohibentur ingredi septa Monasterij Monialium, contra Merollam.*

4 *Infantes nondum vsum rationis habentes non comprehendantur in motu Gregorij XIII. contra ingredientes clausuram, nec Moniales eos recipientes, dummodo speciale præceptum non extet in oppositum.*

5 *Infans tam masculus quàm femella in dubio si septennis sit, præsumitur vsum rationis adeptus esse, comprehendi prædicta prohibitione, peccare mortaliter, & excommunicationem incurrere, si ignorantiâ non excusetur.*

6 *Vsus rationis an masculo, vel fœminæ citius adueniat est dissensio.*

7 *Amentes etiam perpetui comprehenduntur in dicta prohibitione, non quidem per seipsos, qui peccare non possunt, sed respectu Monialium, quæ non possunt admittere puberes.*

8 *Moniales liciè à suo Monasterio egressæ non includuntur in dicta prohibitione, & liberum est Abbissæ ipsas absque alia superioris licentia admittere, præsertim si sint eiusdem ordinis, & habitus, & iter faciant; secus si ingrediantur ex pura recreatione, vel causa inuisendæ amicæ.*

REspondetur, prohiberi quemlibet cuiuscumque 1
generis, conditionis, sexus, vel ætatis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne ingrediatur intra septa Monasterij Monialium sine licentia propter casum aliquem necessitatis, in scriptis obtenta ab Epi- 2
scopo, vel à Prælato Ordinis, cui Monasterium exemptum subiectum est, *cap. periculoso, de statu Regular. in 6.* ibi: *Nulli aliquatenus inhonestæ personæ, nec etiam honestæ, nisi rationabilis, & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia, ingressus, vel accessus pateat ad easdem Moniales.* Item Tridentino *sess. 25. c. p. 5. de Regular.* addita excommunicatione, ibi: *Ingredi intra septa Monasterij nemini liceat, cuiuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda; dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis.* Item Motu proprio Gregorij XIII. qui incipit, *Vbi gratiæ*, ibi: *Et alias ponas aliter ingredientibus, & Monialibus, quæ ingredientem admittunt.* Item tandem Motu proprio Pij V. qui incipit: *Circa Pastoralis*, vbi innouantur, & confirmantur omnia contenta *in dicto cap. periculoso.* Vide Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. c. 10.* Bonac. *de claus. q. 4. punct. 1. & seqq.* Nauarrum *cap. 28.* Cordubam *in summ. q. 60.* Lezanam *tom. 1. c. 25. num. 24.* & Gauantum *in Man. Episcop. verb. Monialium clausura, n. 46. & seqq.* An autem hæc iura vbique secundum omnem prohibitionis modum recepta sint? vide *suprà dub. 2. in fine.*

Petes: An comprehendantur Reges, Imperatores, 3
ipsorumque vxores, filij, & filiæ?

Respondetur contra Merollam *tom. 1. disput. 1. diff. 3. n. 470.* & Bonac. *de claus. q. 4. punct. 1. n. 4.* negatiuè, quia Gregorius XIII. dum in cit. Motu proprio prohibet ingredi personas cuiuscumque conditionis, subdit: *Licet illæ personæ Comitissæ sint*; quibus verbis manifestè excludit personas altioris Ordinis. Vide Rodrig. *tom. 1. q. 48. art. 1.* & alios, quos citat, & sequitur Diana *part. 3. tract. 2. resol. 67.*

Obiicies, Tridentinum prohibet ingredi personas cuiuscumque generis: ergo.

Respondetur, Tridentinum prohibere modo, quo prohibet Gregorius XIII. non autem simpliciter. Quod inde patet, quia Tridentinum etiam prohibet ingredi personas cuiuscumque ætatis, & tamen non comprehendit infantes, vt mox *infrà* dicetur.

Petes secundò, an comprehendantur infantes non- 4
dum vsum rationis habentes?

Respondetur etiam (dummodo speciale præceptum non extet in oppositum) negatiuè; idque non solum quoad ipsos (quod certum est, cùm vtpotè vsum rationis non habentes, nec culpæ, nec censuræ contrahendæ capaces sint;) sed etiam quoad Moniales, quæ eos intra clausuram admittunt, & quoad quoscumque alios, qui huius ingressus sunt causa.

Ratio

Ratio est, quia licet Tridentinum *loc.cit.* verbis prohibeat ingredi personas cuiuscumque ætatis, eius tamen mens est comprehendere tantùm eos, qui vsum rationis habent; siquidem eius prohibitionis finis est, ne Moniales perturbentur, & ad peccatum excitentur, quod non contingit ex solo ingressu, vel admissione infantium; & sic ex communi docet Nauar. *cap.*28. *addit.*2.*ad num.*143. *& comment.*4.*num.*56. Henriq. *lib.*4. *de pœnit.cap.*5.*num.*2. *& lib.*13.*de excommun.cap.*42.*n.*3. Suar. *de Relig.tom.*2.*lib.*6.*cap.*16.*num.*4. Miranda *tom.*2. *quæst.*2.*art.*1.*concl.*1. Riccius *in prax.decis.*648. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg.*102. *num.*32. Bonac. *de clausur.q.*4.*punct.*1. *num.*5. Granad. *in* 2.2. *S.Thom.contr.*7. *tract.*3. *part.*1. *disp.*6. *sect.*5. Ioan. de la Cruz *de statu Relig.lib.*1. *cap.*5.*dub.*2.*concl.*3. Hieronym. Rodriguez *in Compend.qq.Regular.resol.*26.*n.*7. Merolla *tom.*1. *disp.*1. *diffic.*7.*num.*408. Diana *part.*3. *tract.*2.*resol.*57. Rodrig. *in exposit. Motus Pij V. & qq. Regul. tom.*1.*q.*46. *art.*1. Sorb. *part.*2. *verb.ingressus in Monasteria Monial.num.*2. Zerola *part.*1. *verb.Moniales, ad* 8. *quæsit.* Llamas *in append.*§.8. Layman *lib.*4.*tract.*5.*cap.*12.*n.*2. Naldus *verb. clausura, num.*4. Lezana *eod.verb.num.*23. & Azor. *tom.*1. *lib.*13.*cap.*8. *quæst.*5. quidquid dubitare videantur Paulus Fusch. *de vtilitate, & regim. Eccles. lib.*2.*cap.*19.*n.*25. Vgolinus *de potest. Eccles. cap.*21.§.3.*num.*3. & Corduba *in sum. q.*60. *in fin. edit.*2. propter S. Congregationis declarationes, quas refert Lezana *tom.*2. *cap.*25. *n.*24. Comitolus *in Respons. Moral. lib.*6. *q.*19. Gauantus *in Manual. Epis. verb. Monialium clausura, n.*31. & Scortia *in select. Constit. Theorem.*336. Nam declarationes istæ reuera intelliguntur solum de pueris constitutis in ea ætate, vt possint Monialibus occasionem peccandi præbere.

5 Cæterùm in dubio, an infans vsum rationis adeptus sit, & sic comprehendatur hac prohibitione? Respondetur, si septennis sit, præsumitur adeptus esse, & sic comprehendi hac prohibitione, atque adeo ingrediendo peccare, & excommunicationem incurrere, si ignorantiâ non excusetur; secus si septennis non sit, quia cum vsus rationis communiter, completo septennio, adueniat (vt communiter notant Doctores apud Cordubam *q.*69. *ad fin.* & Bonac. *de matrim.q.*1.*punct.*4.*n.*3.)
6 in dubio ante talem ætatem non præsumitur. Quod intelligas non solum de infante masculo, sed etiam de infante fœmella; quidquid dicant aliqui sentientes, in fœmella vsum rationis postponi per annum, & sic ei licere ingressum vsque ad octauum annum inclusiuè: alij verò teneant vsum rationis in fœmella præuenire per annum, & sic ei licere ingressum solum vsque ad sextum annum similiter inclusiuè; nam dicta hæc nulli solidæ rationi fundantur.

7 Petes tertiò: An includantur amentes?

Respondetur, quod (licet nonnulli, vt videre est est apud Azor. *cit.cap.*8.*q.*5. sentiant, includi amentes, si lucida interualla habeant, quia tunc peccare, & censuras contrahere possunt; secus si perpetuò amentes sint, quia tunc idem iuris de ipsis est, ac de infantibus, cum vtrique nec peccare, nec censuras contrahere possint: nihilominus dicendum sit, etiam perpetuò amentes includi, si pubertatem consecuti sint, non quidem vt ipsi peccent, & excommunicationem contrahant (cùm tales peccati, & excommunicationis, ob defectum vsus rationis, incapaces sint) sed admittentes, & quicumque talis ingressus causa sunt, vtpotè prohibitioni huic contrauenientes. Ratio est, quia talium, licet perpetuò amentium ingressu Moniales conturbari, & ad peccatum excitari possunt. Nauar. *comment.*3.*n.*155. Rodriguez, Llamas, & Zerola *loc. supra cit.* Suarez *de Relig.lib.*1.*cap.*10.*num.*5. Miranda *in tract. de Monialib. q.*2.*art.*1.*con.*1.1.*ad fin.* Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg.*102. *num.*32. Bonac. *de claus. quæst.*4. *punct.*1. *num.*17. Tamburin. *de iure Abbat. disput.*22. *quæst.*5. Lezana *verb. clausura, num.*23. *& tom.*1. *cap.*15. *num.*24.

Petes quartò, an includantur Moniales licitè è suo 8
Monasterio egressæ?

Respondetur negatiuè, itavt liberum sit Abbatissæ, istas absque alia Superioris licentia admittere, quia cum sit valde decens honestati Monialis egressæ, eam admitti, non videtur, mentem Pontificis fuisse, eam etiam ab ingressu, vel admissione ad clausuram excludere; præsertim si Monialis sit eiusdem ordinis, & habitus, ac sunt Moniales Monasterij, quod ingreditur, quia tunc tali Monasterio non censetur extranea: quod tamen intellige, si ex causa ingrediatur; vt si iter agens eò accedat in hospitium admittenda, & maxime si ibi in alia domo commodè pernoctare non possit; secus si ingrediatur ex pura recreatione, vel causa inuisendæ amicæ, aut consanguineæ, & maximè si sit diuersi Ordinis, & habitus, cum eas possit per crates inuisere, & alloqui. Vide Llamas *in append.* §.11. *in fin.* & alios, quos citat Bonacina *de clausura, q.*4. *punct.*1. *num.*3. quamvis ipse nostram sententiam non sequatur quoad Monialem diuersi Ordinis, & habitus; ex eo quod talis censeatur extranea Monasterio: sed quod dixi, est etiam probabile, cum ad oppositam istam rationem facilè pateat responsio ex dictis.

## DVBITATIO XXXI.

### An, & quid veniat nomine Monasterij Monialium?

#### SVMMARIVM.

1 *Nomine Monasterij Monialium venit spatium illud, quod intra Monasterij ianuam semper clausam continetur, modò clausuræ deputatum sit.*

2 *Recipiens se intra Monasterij ianuam, quæ semper claudi solet etiam ad vnum, vel duos pedes, incurrit secundum probabiliorem opinionem pœnas latas contra violatores clausuræ.*

3 *Item recipiens se intra viridarium, vel vineam, vel chorum; secus si se sistat in ianua ex parte exteriori, quæ sæcularibus patet.*

4 *Spatium nondum clausuræ deputatum non venit nomine Monasterij.*

RESpondetur, venire spatium illud, quod intra 1
Monasterij ianuam semper clausam continetur, modo clausuræ deputatum sit. Vnde Monasterium ingredi dicitur, & consequenter pœnas ingredientium Monialium Monasteria contrahit, qui se recipit intra 2
Monasterij ianuam, quæ semper claudi solet, etiamsi fortè ad vnum, vel duos pedes intra illam se recipiat, iuxta communiorem, & probabilem opinionem, vt infrà *dub.*53. dicam. Item qui se recipit intra viridarium, 3
vel vineam Monialium septam, & intra clausuræ limites contentam, vel intra chorum Monialium; secus si se sistat in ianua ex parte exteriori, quæ sæcularibus patet, & ad quam Monialis seipsam sine clausuræ violatione recipere non potest: quapropter sine clausuræ violatione potest persona sæcularis, & Monialis simul esse in ianuæ illius limine, si scilicet à parte exteriori sit sæcularis, ab interiori autem sit Monialis; quia in tali casu neutra persona suos limites transgreditur, cum pars exterior sit extra clausuram, interior autem intra illam. Vide Rodrig. *tom.*1.*q.*46.*art.*1. Suar. *tom.*4. *de relig.cap.*10.*n.*6.

4 Dixi, *modò clausuræ deputatum sit*, quia si spatium illud nondum clausuræ deputatum, & addictum est, non venit nomine Monasterij, itavt ingressus ad illud interdictus sit, vti accidit, dum Monasterium construitur, & ædificatur, & clausuræ nondum subiectum est; sic declarauit S. Cardinalium Congregatio 1584. teste Coriolano *part.2.casu 3.q.2.num.29.* & Sorbo *verb.Ingredi, n.11.*

## DVBITATIO XXXII.

### An, & quis possit concedere licentiam ingrediendi Monasteria Monialium?

#### SVMMARIVM.

1 *Episcopus concedere potest licentiam ingrediendi clausuram Monasterij sibi subiecti auctoritate etiam delegata: idem etiam potest superior Regularis in Monasterio sibi subiecto.*
2 *Eius est licentiam concedere, cuius est clausuram Monialium indicere.*
3 *Cui ligandi facultas competit, soluendi etiam facultas competere consueuit.*
4 *Res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur.*
5 *Superior ille est, qui Monasterio præest.*
6 *Episcopus non potest concedere licentiam ingrediendi clausuram Monasterij subiecti Regularibus.*
7 *Episcopus vbi est introducta consuetudo, potest dare licentiam ingrediendi clausuram Monasterij subiecti Regularibus, & etiam licentiam eorum registrare, seu approbare; secus tamen est præcisa consuetudine.*
8 *Declarationes Sacræ Congregationis circa hoc recensentur, & conciliantur.*

1 REspondetur, quod (quamvis aliqui probabiliter teneant, posse solum Episcopum, etiam quando Monasterium non est ipsi, sed Regularibus subiectum, ex Tridentino *sess.25. de Regular. c.5.* vbi Concilium disiunctiuè loquitur, asserens eam licentiam ab Episcopo, vel Superiore concedendam esse; ita Zecchius *de Republ.Ecclesiastica, tit.de Regular. c.2. n.15.* vbi ait sic declarasse S. Cardinalium Congregationem; & Zerola *verb. Moniales, ad 8.quæsit.vers.4.ad fin.* vbi dicit sic se vidisse Neapoli obseruari; nihilominus probabile etiam sit, dictam licentiam concedere posse Episcopum auctoritate ordinum (quando Monasterium est sibi subiectum) auctoritate delegata (quando est subiectum immediatè Sedi Apostolicæ) Prælatum verò Regularem concedere posse, quando
2 Monasterium est subiectum Regularibus. Ratio est, quia eius est licentiam concedere, cuius est clausuram Monialibus indicere, vt rectè dixit Monachus *in cap. periculoso, de statu Regular.in 6.num.1.&* 2.Franch.*ibid. num.5.* Dominicus *n.10.* Bonacina *de clausura, quæst.4. punct.2.* Lezana *verb.clausura,num.24.& tom.1. cap.25.*
3 *num.25.* Et ratio est, quia cui ligandi facultas competit, soluendi etiam facultas competere consueuit, iuxta illud: *Res per quas causas nascitur, per easdem dis-*
4 *soluitur.* At Episcopi est in priori duplici Monasterio tantùm clausuram indicere, & egressus licentiam in casibus necessariis concedere; Superioris Regularis autem in posteriori Monasterio, sicut ex probabili sententia *suprà dub.6.& 7.* dicebam: ergo idem dicendum in casu nostro de concedenda ista licentia ad ingressum.

Confirmatur, quia sic habetur ex *cit.cap.periculoso*, quod per Tridentinum *eod. cap.5.* non corrigitur, sed innouatur, & confirmatur, ibi: *De illius, ad quem pertinuerit, licentia*, vbi Archidiac. *num.2.* Ioan. Andr. *num.2.* Anchar.*num.3.* & alij passim explicant, Supe- 5
riorem hunc esse, qui Monasterio præest: at Episcopus solum præest potestate ordinaria Monasteriis sibi subiectis, & potestate delegata subiectis immediatè Sedi Apostolicæ, iuxta Tridentinum *cit.sess.25.de Regularib.cap.9.* & nullo pacto præest Monasteriis, quæ 6
subduntur Regularibus: ergo solum in iis prioribus, non autem in istis posterioribus Monasteriis concedere potest ingressus licentiam, atque ita tenent Nauar. *cap.28.addit.2. ad num.143. cap.25.& comment.4. n.60. de Regularib.* subdens, sic declaratum esse à Pio V. Azor.*tom.1.lib.13.cap.8.quæs.7.* Graff.*1.part. decis.lib.4. cap.23. num.6.* Llamas *in append. §.5.* Confectius *in priuileg. Mendicant. tit.20. cap.6.* Lezana *tom.1. cap.25. n.25.& tom.2.cap.1.n.22.& verb. clausura,n.24.* Suarez *de Relig.lib.1.cap.10.num.11.* Miranda *de Monialib.q.2. art.2.concl.1.* Barbosa *3.part.alleg.102.num.40.* Bonac.*de clausura, quæst.4.punct.2.n.3.* & Rodrig.*tom.1.qq.Regul. quæst.46.art.2.*

Confirmatur secundò, quia licet nonnullæ Cardi- 7
nalium Declarationes (quas refert Lezana *cit. verb. clausura, num.24.* & Suar. *tom.4. de Religion. tract.8. lib.1.cap.10.num.15.*in his verbis: *Vbi post Tridentinum fuerit consuetudo introducta, vt Episcopus det hanc licentiam in Monasteriis Regularibus subiectis, obseruanda est: vbi autem fuerit consuetudo introducta, vt Episcopus habeat superintendentiam aliquam super concessione talium licentiarum, verbi gratia, quod debeant apud ipsum registrari, obseruanda similiter est, quamvis Episcopus non possit tunc licentiam improbare*) velint standum esse consuetudini, tamen præcisa saltem consuetudine, apud Tamburinum *de iure Abbat. disp.23. quæs.1.* & Lezanam *loco suprà cit.* sacra eorundem Cardinalium Congregatio in aliis declarationibus decreuit, *licentias ingrediendi intra sepia Monialium ex vera tantùm necessitate concedere quoad Monasteria Regularibus subiecta spectare tantum ad ipsum Superiorem Regularem*, qui Superior Regularis quandoque est generalis, quandoque est Prouincialis, vel ipsorum Vicarius, quandoque est Prælatus Conuentualis, iuxta statuta, vel morem Religionum, & Monasteriorum ipsarum Monialium; siquidem licentiam ingressus hanc concedere est illius, cuius est clausuram Monialibus indicere, quod ad dictos Prælatos spectare solet, sicut *dub.6.* dicebam. Quapropter

Ad oppositа, & primò ad id, quod affertur ex Tri- 8
dentino, quod loquatur disiunctiuè. Respondetur, Concilium disiunctiuè loqui, vt denotet, licentiam Episcopi necessariam esse, & sufficere respectu Monasteriorum prioris generis; licentiam autem Superioris Regularis similiter necessariam esse, & sufficere respectu Monasteriorum posterioris generis. Et ad id, quod subditur de quibusdam aliis Cardinalium declarationibus in oppositum, respondetur iuxta dicta, illas ad summum intelligi, vbi sic est consuetudo loci introducta, præsertim quia sic concordantur inter se prædictæ declarationes, alioquin sibi contrariæ, & quia Romæ huiusmodi licentia non conceditur à Prælatis Religionum, sed à Prælato ad curam Monialium specialiter per Summum Pontificem deputato.

Cæterùm, an possit etiam concedere licentiam ad ingressum Capitulum Sede vacante, Vicarius Episcopi, vel Vicarius Capituli Sede vacante, vel cuiuscumque alterius iurisdictionem quasi Episcopalem habentis? dic vt dicebam *suprà dub.8.*

## DVBITATIO XXXIII.

An possit concedere licentiam ingrediendi Prælatus Regularis Conuentualis.

### SVMMARIVM.

1 *Prælatus Regularis conuentualis potest concedere licentiam ingrediendi clausuram Monastery Monialium sibi subiecti, dummodo a suis superioribus Generalibus eidem ablata non sit talis facultas.*

2 *Generalis, vel Prouincialis non potest dare licentiam ingrediendi Monasterium Monialium auctoritate Pontificia soli Prælato conuentuali subiectum, quamvis tempore visitationis possit inquirere, an abusus fuerit dicta facultate.*

3 *Ingressus intra Monasteria Monialium absque speciali Pontificis licentia fratribus Minoribus in eorum Regula interdicitur.*

4 *Regula prædicta cum nullum Monasterium excipiat, intelligitur de Monasteriis quarumcunque Monialium.*

5 *Generalis nihil potest fratribus Minoribus concedere, quoad ingressum in Monasteria Monialium, propter Nicolai III. declarationem.*

6 *Cardinales, & Episcopi, vel alij habentes priuilegium ingrediendi Monasteria Monialium cum sociis, non possunt assumere pro sociis fratres Minores, si de ipso non fiat mentio in dicto priuilegio.*

7 *Fratres Minores ex indultu Leonis X. vocati à Prælatis Ecclesiarum, aut à Prælatis Religiosis, aut à Visitatoribus habentibus curam aliquorum Monasteriorum Monialium ad hoc vt visitent prædicta Monasteria, &c. possint ingredi.*

8 *Limita quod si illi fratres subditi fuerint, obtinere prius debent licentiam à suis superioribus.*

9 *Prælati Conuentuales ad hunc ingressum non indigent licentia Prouincialium.*

10 *Concessio prædicta non est reuocata per motum Gregorij XIII. qui incipit, Vbi gratia.*

11 *Priuilegium personale non dicitur solum eo quod persona particulari concedatur, sed etiam quia conceditur certo personarum generi.*

12 *Priuilegium relatum ad personas dicitur personale, & relatum ad locum, Ciuitatem, Religionem, Monasterium, vel Collegium est reale.*

13 *Fratres Minores vt ingrediantur Monasteria Conceptionis, & S. Clarę ipsis subiecta præter casus in Regula Monialium concessos, indigent Sedis Apostolicæ licentia.*

14 *Opinio Rodriguez, nempè sufficere legitimam causam, & superioris licentiam, stante decreto Sacri Concilij Tridentini satis non probatur, & cur.*

15 *Ingressus permissus an non intelligatur secundum consuetudinem legitimè introductam.*

1 REspondetur, quod (quamvis nonnulli, vt Suar. & Confectius *in locis supra cit.* negent, tenentes, posse talem licentiam concedere solum Generales, Prouinciales, & alios quibus ipsi commiserint) tamen affirmandum sit, si talis Prælatus Regularis Conuentualis sit Superior illius Monasterij Monialium, & à Superioribus immediatis, vel Constitutionibus ablata non sit ipsi facultas. Ratio est, quia iura absolutè, & generaliter tradunt id ad Superiorem pertinere.

*Thom. Delbene de Immunit. Eccl.* Pars II.

Et hoc adeò verum est, quod si auctoritate Pontificia Monasterium soli Prælato Conuentuali subiectum sit, non possit Generalis, vel Prouincialis licentiam ingressus ad tale Monasterium concedere; cùm in tali casu ipsi nullam iurisdictionem, in illud Monasterium habeant: quamvis possint quidem, dum visitant, inquirere, an Prælatus ille iustè facultatem ingrediendi concesserit; quia per hoc non exercent iurisdictionem in Monasterium illud, sed in Religiosum sibi subiectum, de cuius criminibus omnibus (cùm sit ipsis subditus) inquirere possunt, sicut & de aliis subditis. Idemque propter eandem rationem dicas de Episcopo respectu Clerici sæcularis, cui soli Monasterium aliquod subditur. Vide Rodrig. *cit. q.46. art.5.* & Bonac. *de clausura, quæst.4. punct.2.n.5.* 2

Aduerte tamen hic, quod Fratribus Minoribus interdicatur in sua Regula ingressus absque speciali Pontificis licentia, his verbis: *Præcipio Fratribus vniuersis, ne ingrediantur Monasteria, præter illos, quibus à Sede Apostolica concessa est licentia specialis.* Quam Regulam declarauit Gregorius IX. (vt refert Collector *priuilegiorum Mendicantium, verb. Ingressus in Monasteria Monial. num.1.*) intelligi de Monasteriis quarumcunque Monialium, cùm Regula nullum excipiat. Et (quamvis postea Alexander IV. & Innocentius IV. dictam declarationem Gregorij IX. coarctauerint ad sola Monasteria S. Dominici, & S. Clarę, & Gregorius X. decreuerit, quod Fratres Minores possint declaratione Alexandri IV. & Innocentij IV. vti ex sui Generalis dispensatione) tamen quia tandem Nicolaus III. decreuit, standum esse declarationi Gregorij IX. qua Pontifex declarauit, in quælibet Monialium Monasteria ingressum Fratribus Minoribus esse interdictum, sit quod nihil iam possit Generalis in hoc casu concedere, propter hanc vltimam Nicolai III. declarationem. Videatur idem Collector *loc. cit. num.9.* & 10. Rodrig *quæst.46. art.3. in princip.* Miranda *de Monialib. q.2. art.3. concl.1.* & Bonac. *de claus. q.4. punct.2. num.7.* qui propterea rectè inferunt, Cardinalem, Episcopum, vel alium habentem priuilegium ingrediendi Monasteria Monialium cum sociis, quos secum assumere voluerit, non posse assumere Fratres Minores; cùm isti, vt dicebam, non possint ingredi Monasteria Monialium absque speciali Sedis Apostolicæ licentia; & in prædicto priuilegio, vt suppono, non fiat mētio de ipsis Fratribus Minoribus. 3 4 5 6

Concessit tamen Leo X. dictis Fratribus Minoribus, quod vocati à Prælatis Ecclesiarum, aut à Prælatis Religiosis, aut à Visitatoribus habentibus curam aliquorum Monasteriorum Monialium, ad hoc vt visitent prædicta Monasteria, vel exerceant omnia alia, quæ in Monasteriis sibi subiectis exercent, vel ad hoc, vt intrent cum ipsis Prælatis, vel Visitatoribus ad videndum officinas, & totum Monasterium interius, possint ingredi non obstantibus suæ Regulæ prohibitionibus, & declarationibus, dummodo, si Fratres illi subditi fuerint, impetrent suorum Superiorum licentiam: sic Bonacina *vbi supra*, & Rodrig. *loc. cit. q.47. art.8.* vbi rectè notant duo. Primum, Prælatos Conuentuales ad hunc ingressum nō indigere licentia Prouincialium, quia concessio loquitur de Fratribus, qui ita subditi sunt, vt nullum superioritatis munus obtineant; cum si illud obtinent, possint sibimetipsis dispensare, sicuti possunt cum aliis, vti dicetur *dub.34.* Secundum, concessionem hanc non esse reuocatam per Motum Gregorij XIII. qui incipit: *Vbi gratia*, in quo reuocantur omnes facultates ingrediendi Monasteria Monialium, cùm ibi non fiat expressa mentio de priuilegio quibuscūque personis concesso, & sic de omni priuilegio personali (non enim priuilegiū personale solū dicitur, quod personæ particulari conceditur, sed etiā quod cōceditur certo 7 8 9 10 11

certo personarum generi, vti constat ex *l.quia tale, ff.*
12 *solut.matrim.*) Nec de priuilegio reali, quale est hoc concessum toti Religioni Fratrum Minorum, siquidem priuilegium relatum ad personas dicitur personale, at relatum ad locum, ciuitatem, Religionem, Monasterium, vel Collegium, est reale, & ideo perpetuum, vt ad posteros in perpetuum transeat; vti rectè
13 tradunt Doctores, quos citat, & sequitur Suarez *de legib.lib.*8. *cap.*3.*num.*4. Socinus *in leg.*2. *ff. de rebus dubiis, num.*4. Rodrig.*tom.*1.*quæst.*47.*art.*8. *ad fin.* Bonac. *de clausura quæst.*4. *punct.*2.*num.*8. & Barbosa *in cit.leg. quia tale*, & constat *ex leg. forma*, §. *quamquam, ff. de censib.* vbi Gloss. rationem reddit; quia licet partes illius communitatis quotidie mutentur, semper tamen manet eadem communitas, vel idem populus, *l.proponebatur, ff.de iudiciis.*

14 Aduerte secundò, quod ad ingressum in Monasteria Conceptionis, & S. Claræ Fratribus Minoribus subiecta, præter casus in talium Monasteriorum Monialium Regula concessos, exigatur Sedis Apostolicæ licentia, vti refert idem Collector *cit. vers. Ingressus in Monasteria Monialium, num.*2. *& seqq.* vbi tamen varias Pontificum concessiones, & reuocationes affert: quapropter Rodriguez *tom.*qq. *Regular. quæst.*46. *art.*3.
15 & 6. post longam de hac re discussionem concludit, standum esse decreto Tridentini *sess.*25. *de Regular.c.*5. vbi generaliter concedit ingressum in Monasteria ex legitima causa, & Superioris licentia. At (quia Tridentinum *eadem sess.*25.*cap.*22. ait: *Si qui verò Regulares, tam viri, quam mulieres sunt, qui sub arctiori Regula, vel statuto viuunt, eos ab eorum instituto, & obseruantia S. Synodus amouere non intendit*) quod dicit Rodriguez mihi satis non probatur, nisi id iam per aliquod posterius priuilegium, vel legitimè introductam consuetudinem in vsu positum sit; itavt quid dicendum sit de Fratribus Minoribus, & de Monasteriis Conceptionis, & S.Claræ, quoad ingressum, attendi semper debeat consuetudo legitimè introducta. Rodriguez *cit. art.*3. *&* 6. Miranda *de Monialib. q.*2. *art.*2. *&* 3. Cassarubius *in Compend.priuileg. Mendicant. verb. ingredi Monasteria Monial.num.*2. *& seqq.* Bonacina *de clausura, q.*4. *punct.*2. *num.*6. *&* 7. Tamburinus *de iure Abbat. disp.*23. *q.*4. & Lezana *verb. clausura, num.*24.

## DVBITATIO XXXIV.

### An possit concedere licentiam ingrediendi Abbatissa?

### SVMMARIVM.

1 *Abbatissa licet sit verè sui Monasterij superior, non tamen potest dare licentiam ingrediendi Monasterium; quia etiam ipsa, sicut aliæ Moniales, tenetur præcepto clausuræ.*

2 *Grauitas præcepti clausuræ exigit, vt facultas concedendi licentiam in Monasteria ingrediendi non committatur prudentia mulieris.*

3 *Abbatissa, vel quicumque alius, neque ex commissione Prælati potest hanc licentiam concedere.*

4 *Abbatissa, vel Confessarius potest facultatem ingressus concedere ex superioris potestate sibi attributa in casibus frequenter occurrentibus, cum ad superiorem aditus sæpè non pateat.*

1 REspondetur, quod (quamvis cum Nauarro *cap.*28. *addit.*2. *ad num.*143. *cap.*25. affirmandum videatur, quia tam Tridentinum, quàm *cap. periculoso* aiunt, id spectare ad Superiorem, cùm ex alio capite Abbatissa verè sit sui Monasterij Superior, *cap. dilecta, de excessib. Prælat.* & *cap. attendentes*, §. *statuimus, de statu Monachor.* & constat ex facultate, quam potest concedere ad vsum, & dispositionem bonorum temporalium) negandum tamen sit; quia illius Superioris tantum est hanc licentiam concedere, cuius est Monialibus clausuram indicere: at hoc non est Abbatissæ (cùm ipsa clausuræ præcepto teneatur, sicut & cæteræ Moniales) ergo. Accedit, quia sic videtur exigere grauitas rei, & indicare vterque textus suprà adductus, quod scilicet id non committatur pru- 2
dentiæ mulieris. Monach. *in dict.cap.periculoso, num.*1. *&* 2. Dominic. *ibid.num.*10. Franch. *num.*5. Nauar.sibi contrarius *comment.*4. *num.*59. *de Regular.* Rodrig. *cit. q.*46.*num.*2. *& seqq.* Azor.*lib.*13.*cap.*8.*q.*6. Confectius *tit.*20. *cap.*6. Bonac. *de clausur. q.*40. *punct.*2. *num.*5. & Suar.*tom.*4. *de Relig.tract.*8.*lib.*1. *cap.*10. *num.*14. Sub- 3
dens, quod Abbatissa, vel quicumque alius, neque ex commissione Prælati possit hanc licentiam concedere.

An autem possit Abbatissa facultatem ingressus 4
concedere in casu repentinæ necessitatis, dicam *infrà dub.*36.

Interim dico, posse Abbatissam, vel Confessarium facultatem ingressus concedere ex Superioris potestate sibi attributa in casibus frequenter occurrentibus, cùm ad Superiorem aditus sæpè non pateat. Nauar. *loc.cit.num.*60. Rodrig. *vbi suprà in fin.* Graff.1.*p.decis. lib.*4. *c.*23. *n.*6. & Bonacina *cit. num.*5. contra Suar.*cit. num.*14.

## DVBITATIO XXXV.

### An possit ingredi sine licentia alterius in casibus necessariis qui potest aliis in iis casibus licentiam concedere?

### SVMMARIVM.

1 *Qui potest aliis in casibus supradictis concedere licentiam ingrediendi Monasteria Monialium, potest etiam ea pro se vti, si opus fuerit.*

2 *Concedens licentiam ex officio aliis ingrediendi Monasteria non debet esse deterioris conditionis quàm alij, sed debet vti in ingressu duabus conditionibus, hoc est, vt id faciat in casibus necessariis, & à paucis, iisque senioribus, ac Religiosis viris comitatus.*

3 *Deputatus ad officium dandi huiusmodi licentiam, licet sit delegatus, vtitur eadem facultate, secus si sit facultas commissa ad peculiares Confessarios, vt ad ordinarios Monialium, & is non sit ex iis.*

4 *Causa limitata limitatum producit effectum, & facultas non excedit limites suos.*

5 *Per paucos in motu Gregorij XIII. intelliguntur tres, necnon quatuor, vel etiam quinque.*

6 *Per Religiosos intelliguntur etiam sæculares Religiosis moribus dotati, & etiam matronæ graues, & vitæ exemplaris.*

REspondetur, quod (quamvis Collector priuile- 1
giorum *verb. accedere ad Monasteria Monial. quæst. vlt. in annotationibus Cordubæ circa finem, vers. quoad illa duo*, neget ex eo, quia nemo potest secum dispensare, tamen affirmandum sit; quia oppositum est multò probabilius, cùm ipse non esse debeat deterioris conditionis, quàm alij; sicuti probabam

*cap.*15.

2 *cap.*15. *dub.*17. tum quia Gregor.XIII. in Motu proprio, qui incipit: *Dubiis, quæ emergunt*, id clarè decidit, ibi: *Declaramus præterea, tam sæculares, quam Regulares, quibus cura, & regimen Monasteriorum Monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi Monasteria prædicta, ita demùm vti posse, si id faciant in casibus necessariis, & à paucis, iisque senioribus, ac religiosis personis comitati.* Ergo ex officio facultatem habet vtendi licentia, quam quis potest concedere aliis, seruatis dictis conditionibus, vt scilicet non ingrediatur, nisi à paucis, iisque senioribus, ac religiosis viris comitatus. Nauar. *lib.*3. *consil. tit. de statu Monachor. cons.*6. & 9. Corduba *in annot. verb. accedere ad Monasteria Monial. quæst. vlt.* Rodrig.*cit.q.*46.*art.*5. *in princip.* Llamas *in append.* §.7. Azor.*cit.cap.*8. *q.*9. Layman.*lib.*4.*tract.*5.*c.*12.*n.*2. Suar. *tom.*4.*de relig. lib.*1.*cap.*10. *n.*23. Miranda *tract.de Monialib.q.*2. *art.*14. & Bonacina *de clausura, q.*4. *punct.*2. *num.*9.

3 Quin sequitur, quod propter eandem rationem idem dicendum sit de illo, qui aliis ingressus licentiam concedere potest ex facultate sibi delegata, eaque limitata, non quidem ad certas personas, sed ad officium, vt si commissa sibi esset facultas concedendi licentiam Confessariis in genere, necessitate postulante, tunc ipse posset ingredi sine alterius licentia, si sit Confessarius: secus si esset facultas commissa ad peculiares Confessarios, vt ad Ordinarios
4 Monialium, & ipse non sit ex his; quia causa limitata limitatum producit effectum, & facultas non excedit limites suos.

5 Cæterùm, cum dicitur in dicto Motu Gregor.XIII. quod Prælati debeant ingredi *a paucis, iisque senioribus, ac religiosis personis comitatis*, per paucos intellige tres: sic Miranda *de Monialibus, quæst.*2.*art.*15.*concl.*5. & Lezana *verb. clausura, num.*32. quamvis alij, vt Tamburinus *de iure Abbat. disp.*24.*quæst.*10. & Victorellus *de orig.& clausur. Monial.* §. *an Confessor ad exequias*, non improbabiliter intelligant quatuor, vel
6 etiam quinque. Et per Religiosos intellige etiam sæculares religiosis moribus dotatos, & matronas graues, & vitæ exemplaris.

## DVBITATIO XXXVI.

### An licentia ingrediendi requiratur, quod sit specialis? Vbi etiam, an iam concessa intelligatur pro vna vice tantùm?

### SVMMARIVM.

1 *Licentia ingrediendi debet esse specialis, & iam concessa intelligitur pro vnica tantum vice.*

2 *Licentia ingrediendi Monasterium Monialium non sufficit, nec valida est, si non faciat mentionem de ingressu Monasterij, etiamsi sit ad quoscumque actus per superiorem concessibiles: valida tamen est si sit ad ingressus cuiuscumque Monasterij.*

3 *Licentia ingrediendi indefinitè concessa intelligitur pro vna vice tantum, nisi aliud in ea explicetur.*

4 *Priuilegium in fauorabilibus extenditur etiam ad iteratos actus, quoties absolutè conceditur; secus est si aliud de mente concedentis colligatur.*

5 *Pontifex concedens indulgentiam Ecclesiam visitantibus, intelligitur concessa vt sæpius in die illam visitans toties lucretur indulgentiam.*

6 *Iubilæum, si prima hebdomada lucretur, potest etiam repetendo opera in illo præscripta, in altera hebdomada obtineri.*

7 *Nuptias contracturus si dispensationem absolutè obtinuit à voto perpetuæ continentiæ vt nubat cum persona expressa, potest ea impedita contrahere cum alia, secus si dispensatio conferatur limitatè, verbi gratia, ne mulier decepta infamium incurrat.*

8 *Priuilegium eligendi sibi Confessarium potest intelligi toties quoties opus fuerit confiteri, & quod pressit mutare.*

9 *Priuilegium quando est mere gratiosum, non finitur finito primo actu.*

10 *Priuilegium in odiosis, vt ingrediendi Monasterij clausuram, non admittit extensionem ad iteratos actus, sed finitur primo actu.*

11 *Sermo simpliciter in odiosis prolatus intelligitur de prima vice.*

12 *Sermo quamvis in materia fauorabili æquipolleat vniuersali.*

13 *Habens licentiam specialem loquendi cum Monialibus, si ea vtatur in tempore quo omnibus est concessum cum ipsis loqui, non potest amplius ea vti.*

14 *Amplia etiamsi ingressus quisque sit vigore licentiæ particularis ingrediendi cum duobus, vel tribus, & is vnus ab habente licentiam sit electus, non potest altera die vti facultate sibi concessa, quin per huiusmodi ingressum censetur exspirata.*

15 *Limita primo, nisi prior licentia specialis fuisset de loquendo cum aliqua Moniali in particulari, & quis ex vi licentiæ generalis loquutus esset cum aliis, non autem cum illa Moniali particulari.*

16 *Limita secundò, procedere doctrinam supradictam quando in licentiis non est expressa causa ingressus, sed simpliciter est data licentia ingrediendi clausuram Monialium.*

17 *Limita tertiò, nisi in licentia speciali esset limitata certa dies diuersa omninò à licentia generali.*

18 *Ius commune non tollit priuilegium speciale, nisi expressè illi deroget.*

19 *Priuilegium non tollit aliud priuilegium, nisi de eo mentionem faciat, maximè si primum priuilegium est speciale, & secundum generale.*

20 *Speciei non derogatur per genus, & Procurator specialis non censetur renocatus per creationem Procuratoris generalis.*

21 *In materia clausuræ ex præsumpta mente superioris concedentis per licentiam generalem censetur renocata specialis, vel esse inclusa in generali, vel confusa.*

22 *Legatum in codicillis tollit primò legatum in testamento.*

23 *Ingrediens ex vi licentiæ generalis videtur renunciasse licentiæ speciali.*

24 *Posterius priuilegium generale non tollit priuilegium primum speciale, quando sunt contraria, secus quando non sunt contraria, sed de eadem re.*

25 *Ingrediens Monasterium pro causa expressa in licentia particulari, si habeat licentiam generalem, verbi gratia ingrediendi ad videndam consecrationem Abbatissæ, potest iterum ingredi pro causa particulari expressa in tenore licentiæ.*

REspondetur affirmatiuè: colligitur ex Tridentino 1
*sess.*25. *cap.* 5. *de Regular.* in quo innouatur *cap. periculoso, in princip. de statu Regular. in* 6. vbi dicitur: *Nisi speciali licentia*, & docent Ancharan. ibi, *numero* 3. *notab.*4. Archidiac. *numero* 2. Dominic.*numero* 5. & 9. Francus *numero* 5. Azor. *tom.*1. *lib.*13. *cap.*8. *q.*5.

Miranda *de Monialib.quæst.2.art.2.*& Lezana *verb.clausura, num.25.*

2 Cæterùm dicitur specialis, si in specie contineat facultatem ingrediendi Monasteria Monialium: quapropter non sufficit, nec valida est, si non faciat mentionem de ingressu Monasterij, etiamsi sit ad quoscumque actus, quos Superior concedere potest; quia hæc est licentia generalis, non specialis: valida tamen est, si sit ad ingressum cuiuscumque Monasterij; quia est specialis circa ingressum, licet generalis quoad Monasteria: item valida est, si sit generalis, vt v. g. Confessarij, medici, fabri, aliique similes ingrediantur; quia etiam huiusmodi licentia est specialis quoad ingressum, licet quoad personas in ea expressas specialis non sit, sed generalis, etsi specialis etiam dici possit in alio sensu (scilicet quoad certum genus personarum) quamvis in ipsa non fiat specialis mentio alicuius personæ particularis, sed in genere dicatur, quod Confessarij, medici, vel similes, vti dicebam, ingrediantur: Doctores *suprà cit.* præcipuè Miranda *quæst. 2. art. 2. ad fin.*

An autem hæc licentia ingrediendi indiffinitè, & sine temporis præfinitione concessa, intelligatur concessa pro vna vice tantum, ita vt vnico actu finiatur.

3 Respondetur, nisi aliud in ea explicetur, etiam affirmatiuè, provt iudicatum fuisse refert Riccius *in praxi fori Eccles. decis. 649. edit. 1. & part. 3. collectan.587.* & docent Doctores *infrà* citan-
4 di contra Bonacinam de clausura *quæstione 3. punct.5. numero 8.* & alios, quos ipse citat. Ratio autem est, quia licet concessio, seu priuilegium in fauorabilibus extensionem admittat ad iteratos actus, quoties absolutè conceditur, secus tamen est, si aliud de mente concedentis colligatur.

5 Vnde, cùm Pontifex indulgentiam concedit Ecclesiam visitantibus, intelligitur concessa, vt sæpiùs
6 in die illam visitans, toties lucretur indulgentiam: quapropter etiam qui prima hebdomada lucratus est Iubilæum, potest & in altera hebdomada, repetendo opera in illo præscripta, iterum illud lucrari: Henriquez *lib.6. cap.16.num.3.* & *lib.7. cap.11.num.1.* Rodrig. *tom.1. sum. cap.184.num.14.* & sentire videntur etiam Nauarr. *notab.32. num.46.* & Benzon. *lib.5.*
7 *cap.15. dubit.23.* quamvis aliqui contrarium sentiant. Item secundò, qui nuptias contracturus cum Caia, dispensationem absolutè propter difficultatem, verbi gratiâ continendi, à supplicante allegatam, super voto perpetuæ continentiæ, vel approbatæ Religionis impetrauit, potest, impeditis postea his nuptiis, aliud matrimonium contrahere: Doctores communiter *in tract. de legib.* quamvis secus dicendum, si dispensatio conferatur limitatè, ac respectiuè, putà in ordine ad certum, seu determinatum matrimonium, cuius contrahendi causa atque necessitas vrget, verbi gratia, ne mulier decepta infamiam incurrat: tunc enim (cùm dispensationis motiuum, seu causa cesset) talibus nuptiis impeditis, non poterit aliud matrimonium contrahere sine noua dispensatio-
8 ne. Item tertiò, qui facultatem eligendi confessorem obtinuit, potest toties quoties voluerit, confessorem eligere, & illum mutare: Doctores, quos citat, & sequitur Suarez *de pœnit. disp.27. sect.2.* idque ex eo, quia cum tale priuilegium sit merè gratiosum, in detrimentum nullius vergens, non finitur finito primo actu.

9 Nihilominus concessio, seu priuilegium in odiosis, litigiosis, vel pœnalibus, vt ingrediendi Monaste-
10 rij clausuram, loquendi cum Monialibus, & similia, extensionem non admittit ad iteratos actus, sed finitur finito primo actu; quia in odiosis sermo simpliciter prolatus intelligitur de prima vice, *l. boues, §. hoc sermone, ff.de verbor.signif.* & sic sermo, quamvis in materia fauorabili, æquiualet vniuersali, *ar-* 12
*gum. leg. cum inter veteres, vers. maximè, Cod. de fideicommiss. lib.*non sic tamen in odiosa: Bart. *in leg. si pluribus, ff. de legat.2.* Iason *in leg. duobus reis, §. si ei qui, numero 75. ff. de iureiur. & in leg. si quis mihi bona, §. iussum, numero 28. ff. de acquir. hæred.* Felin. *in cap. innouamus, de treug. & pace, vers. fallit 3. & §. licentia de ingrediendo, & cap.1. numero 27. de rescript.* Alex. *in leg. 2. numero 5. ff. de liber. & posthum.* vbi Socinus *numero 11.* Iason *numero 8.* Gemin. *in cap. vt circa, de elect. lib.6. in fine*, Decian. *consil. 343. numero 2.* Alberic. de Ros. *lib.2. stat. q. 181.* Ioan. Andr. *de regul. iur. lib.6. reg.l. 34.* Tiraquell. *de controuers. connub. §.2. glos.1. numero 70.* Sbroz. *de offic. vicar. lib. 2. quæsti ne 210.* Graff. *tom.1. cons.22. de sent. excommunicat. numero 38.* Mastrill. *decis. 97.* Diana *part.3. tractat.2. resolut.48.* & Rodrig. *qq. regul. tom.3. quæstione 6.* qui propterea 13
subdunt, quod si quis habuit licentiam specialem loquendi cum Monialibus alicuius Monasterij, & antequam tali licentia vtatur, concedit Prælatus facultatem generalem, vt quilibet tali die possit cum Monialibus illius Monasterij loqui, iste talis, loquendo in illa die, in qua cuilibet licitum est cum Monialibus loqui, non possit postea iterum cum illis loqui, vtendo sua licentia speciali. Similiter, si Pontifex concessit Paulo licentiam specialem, vt posset ingredi clausuram Monialium, & antequam Paulus tali licentia vteretur, Pontifex concessit licentiam generalem, vt quilibet tali die ingredi pos-
set dictam clausuram, si Paulus vigore licentiæ ge- 14
neralis ingressus est clausuram in illa die, non possit iterum ingredi virtute suæ licentiæ specialis. Similiter, si Pontifex concessit licentiam specialem Paulæ, vt posset ingredi Monasterium, ante cuius vsum Antonia obtinuit licentiam, vt cum tribus honestis mulieribus idem Monasterium ingredi posset, & inter alias elegit prædictam Paulam, post ingressum cum Paula, non possit iterum ingredi Paula virtute suæ licentiæ specialis: qua de re vide Doctores *suprà citat.* & præcipuè Alberic. Ioan.Andr. Tiraquel.Fel.Rodrig.& Graff.*in loco suprà cit.* quorum doctrinam tamen

Limito primò, nisi prior licentia specialis fuisset 15
de loquendo cum aliqua Moniali in particulari, & quis ex vi licentiæ generalis locutus esset cum aliis, non autem cum illa Moniali particulari: tunc enim posset iterum vti licentia speciali, & illam particularem Monialem alloqui; quia in tali casu non militat ratio assignata. Confirmatur, quia si post obtentam licentiam loquendi cum Paula, antequam tali licentia vtatur, obtinet licentiam loquendi cum Antonia, per locutionem cum Antonia, non exspirat licentia loquendi cum Paula: ergo similiter dicendum est in casu nostro, quod per vsum licentiæ generalis, ex vi cuius loquutus est cum aliis Monialibus, & non cum illa Moniali particulari, quæ continebatur in licentia speciali, non exspiret licentia specialis, atque adeo propterea hac vti possit.

Limito secundò, vt vera tantum sit eadem eo- 16
rundem Doctorum *suprà* dicta doctrina, quando in licentiis non est expressa causa ingressus, sed simpliciter est data licentia ingrediendi clausuram Monialium, vel si causæ sint expressæ, tales tamen sunt, quæ possint in eodem ingressu commodè expediri, vt si, verbi gratia in vna licentia dicatur, pro consecratione.

cratione Abbatissæ, & in alia licentia, pro visitatione alicuius Imaginis, aut pro visitatione consanguineæ, &c. Secus enim dicendum est, si causæ essent diuersæ : & quæ in eodem ingressu commodè expediri non possent : nam tunc posset homo bis ingredi ; quia effectus licentiarum non possunt in eodem ingressu obtineri, vt si, verbi gratia in licentia speciali fuerit expressa causa, quod Paulus, congregato Monialium Capitulo, volebat contractum facere, vel negotium aliud graue tractare, quod commodè tractari non poterat in die licentiæ generalis, propter concursum populi.

17 Limito tertiò, nisi in licentia speciali esset limitata certa dies diuersa omninò à licentia generali ; quia quod facit ratio diuersitatis causarum, quæ simul commodè non possunt expediri, multò magis id facit temporis, seu dierum variatio.

18 Dices : si Paulus in casu nostro non posset iterum ingredi, esset quia per licentiam generalem videtur reuocata licentia specialis ; sed hoc est falsum ; ergo, &c. Minor probatur, quia licentia generalis, vel est ius commune, vel priuilegium : si primum, ius commune non tollit priuilegium speciale, nisi expresè illi deroget, *cap. 1. de constit. lib. 6.* 19 Si secundum, priuilegium non tollit aliud priuilegium, nisi de eo mentionem faciat : ergo, &c. maximè si primum priuilegium est speciale, & secundum generale, vt ex communi docet Mandos. *in tractat. de priuileg. ad instar, gloss. 8. num. 7. & seqq.* & colligitur ex *cap. veniens, de præscript.* vbi Gloss. & sequitur Rebuff. *cap. 1. de rescript. numero* 10. ergo in casu nostro licentia specialis prior 20 non censetur reuocata per licentiam generalem posteriorem, iuxta illud commune axioma Iuristarum : speciei non derogatur per genus ; qua ratione procurator specialis non censetur reuocatus per creationem procuratoris generalis, vt probat Costa *de retrot. c. 9. cas. 13. n. 7.*

21 Respondetur, quod ex rationabili, & præsumpta mente Superioris, in casu nostro vel per generalem licentiam censetur reuocata licentia specialis, vel licentia generalis non extenditur ad Paulum, vel si extenditur, in licentia generali intelligitur inclusa, seu confusa licentia specialis. Ratio est, quia non videtur, quod licentia generalis in tali casu extenditur ad Paulum, *argum. leg. cohæredi, §. qui patrem, ff. de vulg. & pupill. substit. & leg. doli clausula, ff. de verb. obligat.* non enim videtur Superior velle, Paulum habentem licentiam specialem includi 22 in licentia generali ; vel si includit, in licentia ge- 23 nerali inclusa, seu confusa intelligitur licentia specialis, *argum. leg. debitori, Cod. de pactis, & l. cum secundum, Codic. de fideicomm.* quin non solum videtur in licentia generali confundi specialis, sed etiam per illam reuocari, *leg. libertis, ff. de aliment.* vbi vltimò legatum in codicillis tollit primò legatum in testamento. Adde, quod Paulus ingrediens ex vi licentiæ generalis videtur renunciasse licentiæ speciali ; quod locum habet non solum in contrariis, & omninò incompatibilibus, sed etiam in ambitiosis, & odiosis, *argum. cap. de multa, cap. præterea, de præb. & cap. gratia, de rescript. lib. 6.* & dato, quod non renunciasset per alterius licentiæ electionem, non potest, nisi semel, effectum consequi, quia vt supra dicebatur, in odiosis, & restringendis quocumque modo quis consequatur effectum gratiæ, & licentiæ generalis, si effectum suum est consequutus, non potest amplius vti licentia speciali. Ad probationem minoris respondetur, quod licet posterius priuilegium generale non tollat priuilegium prius 24 speciale, quando sunt contraria ( in quo casu procedit illud commune axioma Iuristarum in contrarium allegatum ) tamen quando non sunt contraria, sed de eadem re, tunc in odiosis posterius priuilegium generale, vel non extenditur ad personam cui concessum fuerat speciale, vel si extendatur, intelligitur priuilegium speciale confusum, seu inclusum in generali. Dixi, *in odiosis*, vt est in casu nostro, nam in fauorabilibus, & ampliandis aliter dicendum est.

Dices secundò ; saltem quando Paulus ex li- 25
centia generali, effectum vt in licentia speciali intentum ( quamvis commodè illum consequi potuisset ) actu consequutus non est, potest iterum ad eum consequendum ingredi : vt si verbi gratia causa expressa in licentia speciali fuisset ad visendam aliquam Sancti imaginem, & in licentia generali diceretur, quod quisque ingredi posset ad videndam consecrationem, vel benedictionem Abbatissæ : tunc si Paulus ingrediens ad videndam consecrationem Abbatissæ, non visitet imaginem illius Sancti, non videtur, cur non possit ingredi ex vi licentiæ specialis ad visendam imaginem concessæ, sicut dicebatur, quod habens licentiam specialem loquendi cum tali Moniali, v. g. Paula, si is ex vi licentiæ generalis omnibus concessæ ad loquendum cum Monialibus, loquatur cum aliis, excepta Paula, potest postea vtens licentia speciali loqui cum illa.

Respondetur, disparitatem esse ; quia per hanc licentiam dispensatio fit in ipsa loquutione, quæ erat prohibita, & ideo quamdiu quis cum ea Moniali non loquitur, licentia non dicitur habuisse effectum suum : at per licentiam specialem ingrediendi clausuram Monialium ad visendam imaginem, non dispensatur formaliter in ipsa visitatione, sed in ingressu : hic enim est prohibitus, & non visitatio imaginis præcisè, & illa est tantum ratio, seu causa dispensandi ; vnde hoc ipso, quod Paulus semel ingressus est Monasterium Monialium, censetur licentia, seu dispensatio effectum suum habuisse, saltem si per Paulum stetit, quin tunc viseret imaginem. Confirmatur : nam alias si quis habens licentiam ingrediendi clausuram Monialium ad finem visitandi consanguineam infirmam, ingrediatur semel, & illam non visitet, sed aliud agat, posset iterum ingredi, quod non est dicendum.

## DVBITATIO XXXVII.

### An requiratur, quod licentia fit in scriptis?

### SVMMARIVM.

1 *Licentia ingrediendi clausuram Monasterij Monialium del et esse in scriptis, nec sufficit tacita, vel oretenus concessa.*

2 *Licentia in scriptis requiritur etiam ad licitum Monialis ex clausura egressum.*

3 *Ingredi clausuram Monasterij Monialium si solum solennitas scriptura desit, ex probabiliori sententia est culpa mortalis.*

4 *Solennitas scriptura in concedendo in clausuram ingressu non est leuis, & ad substantiam precepti parum conducens ; sed quid graue.*

5 *Actus lege, vel contrahentium consensu scripturam exigens, est nullus si scriptura careat.*

6 *Actus sine forma celebratus non subsistit.*

7 *Licentia oretenus à Prælatis concessa Clericis ad-*

*strictis*

*strictis residentia non excusat eos à fructuum amissione.*

8 *Contraria sententia est etiam probabilis, & cur.*

9 *Religiosus non est reus pœnarum contentarum in motu Clementis VIII. de largitione munerum, obtenta licentia superius oretenus, & non in scriptis, quia dicta solennitas requiritur tantùm in foro externo, non autem interno; sed melius dic, quia dicta Bulla non est usu recepta.*

10 *Causa ingrediendi licet sit clara, v.g. pro aliqua necessitate Monasterij, non excusat, vt ingressus sine scriptis sit licitus, iuxta probabiliorem opinionem.*

11 *Licentia in scriptis necessaria est etiam ingredientibus verbi gratia ministrandi causa Sacramenta, medendi infirmis, vel construendi ædificium; quia licet his omnibus in specie sit concessa, non autem est in individuo.*

12 *Concesso principali censetur concessum etiam accessorium, nisi sit aliqua specialis illius accessorij prohibitio.*

13 *Licentia in scriptis non est necessaria ministris quando periculum est in mora, vt superior non possit commodè adiri, & si sit periculum eam obtinendi oretenus, absque ea ingredi possunt.*

14 *Licentia si in solo scripto expectando periculum esset, est necessaria oretenus.*

15 *Abbatissa legitimè Prælata ad licentiam ingressus concedendam, si periculum sit expectare licentiam Prælati tam in scriptis, quàm oretenus, potest eam concedere, & hoc casu cessat necessitas illius non obtinendæ.*

16 *Abbatissa certum non est, quod iure ordinario non possit huiusmodi licentiam concedere.*

17 *Abbatissa ex præsumpta mente Prælati, videtur posse concedere licentiam, quando necessitate vrgente non possit commodè Prælatus adiri.*

18 *Dispensatio Episcopi expectanda est, quando non potest sine mora periculo pro ea summus Pontifex adiri.*

19 *Superiores rectè facerent si concederent facultatem ipsis Abbatissis, vel monialium Confessariis, vt in casibus necessitatis, & in ordinariis passim occurrentibus licentiam ingrediendi in scriptis tribuerent.*

20 *Licentia ingressus sicut debet esse in scriptis, ita licentia egressus alicuius Monialis in scriptis esse debet.*

1 REspondetur affirmatiuè: patet ex Tridentino *sess. de Regular. cap. 5.* ibi: *Sine Episcopi, aut Superioris licentia in scriptis obtenta:* quare dicendum, quod non sufficiat tacita, etiamsi sit ex scientia, & patientia Superioris quacunque, quia cum scripturam requirat, nec verbis expressa sufficit: Confectius *in Priuileg. Mendicant. tit. 20. cap. 6.* & Lezana *verb. clausur. n. 25.* Similis licentia in scriptis re-
2 quiritur ad licitum Monialis ex clausura egressum, vt habet Motus Pij V. qui incipit: *Decori & honestati*, & dicebam *dub. 7.*

3 An autem sit culpa mortalis ingredi, si solùm scripturæ solennitas desit (vt solùm verbotenus licentia obtenta fuerit) quamvis causa ingressus sit legitima, & à legitimo Superiore concessa?

Respondetur ex probabiliori sententia Doctorum affirmatiuè, quia Tridentinum, & Pius V. *in locis supra cit.* scripturam requirunt, non solùm, vt illa sit licentiæ concessæ testimonium, quo licentia constet; sed etiam vt maturius, & sic ratius licentia concedatur (ob quam rationem *in c. 1. de sentent. excomm. in 6.* iubentur Prælati excommunicationem in scriptis proferre) ergo non est hæc solennitas leuis, & ad substantiam præcepti parum conducens (vt volunt Auctores oppositæ sententiæ) sed grauis, & ad substan- 4
tiam præcepti pertinens, atque adeo sub culpa mortali astringens.

Confirmatur, quia actus lege, vel contrahentium 5
consensu scripturam exigens, est nullus, si scriptura careat, *l. contractus, Cod. de fide instrumentorum*, iuncta Gloss. ibi communiter recepta: & ratio 6
est, quia tunc scriptura videtur de forma; actus autem sine forma celebratus non subsistit: ergo licentia hæc ex iuribus prædictis scripturam exigens, si non sit in scriptis, nulla erit, atque adeo perinde foret, ac si quis sine licentia ingrederetur, vel egrederetur, quod in omnium sententia culpa mortalis esset.

Atque ita tenet Suar. *de Relig. tom. 4. lib. 1. cap. 10. num. 15.* Llamas *in Append. §. 6. in princip.* Bonacina *de clausura, q. ult. 3. num. 2.* Lezana *cit. num. 25.* Confectius *tit. 20. cap. 6.* vbi ait, quod si licentia non sit in scriptis, sit irrita, & à pœnis incurrendis non excuset. Eiusdem sententiæ videtur esse Nauarr. *lib. 3. consil. tit. de cleric. non resid. cons. 13.* & *consil. 22. in 2. edit. num. 5. & seqq.* quatenus ait, licen- 7
tiam oretenus Prælatis aut Parochis, vt à suis Diœcesibus, aut parochiis absint, concessam, eos à fructuum amissione in Tridentino *sess. 23. cap. 1. de reformat.* in illos, qui sine licentia in scriptis absunt, decretam non excusare.

Quamvis contrarium sit etiam probabile, sicuti 8
colligitur ex iis, quæ dicebam *cap. 14. sect. 3. num. 15.* & sentiunt Miranda *de Monialib. q. 3. art. 2. ad fin.* Homobonus *de casibus referu. part. 2. cas. 5.* & Petr. Bellochius *in prax. Theolog. Mor. part. 2. quæst. 9. num. 162.* ex eo, quia licet per decretum Concilij Tridentini licentia in scriptis requiratur, hoc tamen quoad forum externum tantùm intelligendum sit, non item quoad forum internum, in quo cum veritas solùm attendatur, sufficit vt consensus solùm iure naturali requisitus interueniat, & citant Innocentium, Abbatem, & Felinum. Idem sentire videntur Sousa *in declarat. Motus Clementis VIII. de largit. muner. Religiosis interdict. num. 68.* Ioan. Valerus *in differ. vtriusque fori, verb. Munera, numero 83.* Faustus *in Thes. Religionis, libro 8. quæstione 219. numero 5.* & Diana *part. 1. tract. 6. resol. 20.* dum aiunt, quod li-
cèt Clemens VIII. in dicto Motu proprio sub 9
multis pœnis interdixerit Religiosis largitionem munerum, nisi ex licentia Superioris, & Conuentus in scriptis obtenta, & aliis seruatis conditionibus, quæ ibi requiruntur, id fecerint; nihilominus non sit reus illarum pœnarum Religiosus, qui scripturam, vtpotè leuem solennitatem, quæ ad substantialem illius Bullæ rationem non spectat, omiserit; quodque scriptura in testimonium fidei sit tantùm necessaria pro foro externo, non item interno. Ad quod tamen responderi posset ex dictis, negando antecedens: quodque si nunc de facto Religiosus donando sine licentia Superioris in scriptis, non est reus dictarum pœnarum, id sit, quia dicta Bulla Clementis VIII. non est vsu recepta, sicuti rectè adnotarunt Doctores, quos citat, & sequitur Diana *loco supra citat. resol. 1.* At si esset vsu recepta, probabilius esset oppositum, quod de facto docent Bert. *in exposit. dictæ Bullæ, p. 2. cas. 3.* & Graff. *de casibus referu. lib. 3. cap. 4. numero 58.*

Adde, quod licet nonnulli Doctores (vt Llamas 10
*loco cit.* Miranda *tract. de Monialib. quæstione 2. art. 2. concl. 2.* Hieronym. Rodrig. *in Compend. qq. Regul. resol. 26.*

*resol.* 26. *num.* 8. Villalobos *tom.* 2. *tractatu* 35. *disc.* 46. *num.* 4. & multi alij sentiant, licentiam, nec specialem, nec in scriptis exigi, quando causa est clara, vt si verbi gratia sit ad ingressum Confessarij, infirmis sacramenta ministrantis, medici, barbitonsoris, cæmentariorum, lignariorum, & ministrorum similium, ex eo, quod hi omnes excipiuntur *in cap. periculoso*, iuncta Glossam *verb. causa*, *de statu Regular. in* 6. cum enim ibi textus concedat ex causa iusta ingressum, Glossa ponit exemplum in his ministris) tamen probabilius sit etiam oppositum. Doctores quos citat, & sequitur Bonac. *cit. punct.* 3. *numero* 2. & ratio est, quia in dicto *cap. periculoso* exigitur præter causam claram specialis licentia superioris; quare non est verum, hos excipi in illo textu: & Gloss. ibi *verb. causa*, solum ait, in his concurrere causam, non tamen ait, hos excipi, quasi ius ipsum eis ingressum, inconsulto superiore, concedat: & Tridentinum vltra causam, & licentiam Superioris in eo textu requirit etiam vt sit in scriptis: vide quæ dicentur *infra dubit.* 40.

11 Neque obstat, si dicas, quod hi omnes ministri comprehenduntur in licentia v. g. ministrandi sacramenta, medendi infirmis, vel construendi ædificium, &c. ex eo, quia cum ipsorum ingressus ad hæc exequenda sit fini illi omninò necessarius, videtur in iis licentiis inclusus; siquidem qui concedit principale videtur etiam concedere accessoria, sine quibus principale obtineri non potest, *l.* 2. *ff. de iurisd. omn. Iud.* ergo, &c.

Respondetur enim, quod in dicta licentia hi omnes ministri comprehendantur, omnes quidem in specie, non autem omnes in indiuiduo: quia hi omnes in specie sunt necessarij, non autem hi omnes in indiuiduo; quin aliquos ex ipsis in indiuiduo, ratione iuuentutis, vel improbæ famæ, posset Superior iure optimo iudicare indecentes, atque adeo illius ingressum denegare electis aliis ministris maturio-
12 ris ætatis, & bonæ famæ. Quapropter ad illud, quod dicitur, concedentem principale videri concedere accessorium: Respondetur, id intelligendum esse, nisi sit aliqua specialis illius accessorij prohibito, ob quam in talis accessorij concessione specialis aliquis modus concedendi exigatur, vt est in casu nostro.

Illud tamen cum Nauarro *Comment.* 4. *de Regular. num.* 60. Graff. 1. *part. decis. libro* 4. *cap.* 23. *numer.* 6. *in fin.* Azorio *tom.* 1. *libro* 13. *cap.* 8. *quæst.* 8. Rodrig. *tom.* 1. *qq. Regular. quæst.* 46. *art.* 2. *in fin.* Tamburino *de iure Abbat. disputat.* 23. *quæsit.* 9. Bonacina *de claus. quæst.* 4. *punct.* 2. & Lezana *verb. Clausura*,
13 *num.* 25. dicendum est, quod vbi repentina horum ministrorum necessitas occurrat, & si superioris licentia in scriptis expectetur, periculum sit in mora, licentia in scriptis tunc necessaria non sit; quia aliter non satis esset repentinis his necessitatibus consultum, quapropter dicendum, quod talis casus sit exceptus ex epicheia, vel quod præsumatur adesse Superioris licentia; quinimmò si sit periculum in mora, quod obtineatur illa oretenus, nec oretenus illam obtineri necessarium erit ob easdem rationes. Nauar. Graff. & alij Doctores *in locis supra*
14 *cit.* Quamvis, si in solo scripto expectando periculum esset, necessaria sit licentia verbotenus; quia iura requirunt licentiam, eamque in scriptis obtentam coniunctim: ergo vbi necessitas non excusat ab vtroque, id quod absque moræ periculo seruari poterit, necessariò seruandum erit. Doctores, quos citat, & sequitur Bonac. contra Nauarr. & Graffium *in locis supra cit.*

15 Cæterùm, an quando periculum est expectare licentiam Prælati, tam in scriptis, quàm oretenus, non autem sit periculum expectare licentiam Abbatissæ Monasterij, hæc necessariò sit expectanda?

Respondetur distinguendo: si Abbatissa generalem à Prælato facultatem huius licentiæ concedendæ habet, videtur necessariò expectanda; & in scriptis etiam, si in scriptis illam expectare periculum non sit; quia cum tunc Abbatissa ad hanc licentiam concedendam sit legitima Prælata, cessat necessitas illius non obtinendæ. Nauar. Bonacina, & Graff. *vbi supra*. At si Abbatissa dictam generalem à Prælato facultatem non habet: Respondetur, quod adhuc (licet Nauar. & Graff. *in locis supra cit.* negent tunc licentiam Abbatissæ esse necessariò expectandam, forsan ex eo, quia cùm absque ea commissione careat Abbatissa facultate huius licentiæ concedendæ, frustra hæc licentia Abbatissæ expectaretur;) tamen affirmandum sit, etiam tunc licentiam Abbatissæ necessariò esse expectandam; tum 16
quia certum non est, quod Abbatissa iure ordinario non possit eam licentiam concedere, sicuti colligitur ex iis, quæ dicebantur *dubit.* 33. tum quia in casibus vrgentibus, in quibus non potest sine moræ 17
periculo Prælatus adiri, ex præsuppositia Prælati voluntate videtur eam licentiam concedere, ad Abbatissam spectare: sicut quando non potest sine moræ periculo pro dispensatione aliqua Pontifex adi- 18
ri, expectanda est dispensatio Episcopi; quippe qui ex præsumpta Pontificis voluntate potest, ratione necessitatis, tunc dispensare. Vide Doctores suprà citatos, præcipuè Rodriguez *tom.* 1. *quæst.* 46. *art.* 2. *in fin.* & *quæst.* 47. *art.* 4. *in fin.* & Barbosam *de offic. Episc. part.* 3. *allegat.* 102. *num.* 39. Bonacinam *quæst.* 4. *punct.* 3. *num.* 2. Tamburinum *disp.* 23. *quæst.* 9. & Lezanam *num.* 25. qui subdunt, quod rectè facerent superiores, si pro casu necessitatis dicto, quin & pro 19
casibus ordinariis passim occurrentibus, vt quoad medicos, cæmentarios, lignarios, & similes (quorum opera passim indigent Moniales) Abbatissis, vel Monialium Confessariis facultatem concedendi licentiam in scriptis tribuerent.

Cæterum, quæ dicta sunt de licentia ingressus, eadem dicas de licentia egressus (scilicet Monialis è Monasterio) quam in scriptis etiam debere esse, dicebam *suprà dubit.* 7. ex Motu Pij V. qui incipit: *Decori, & honestati.*

## DVBITATIO XXXVIII.

### An licentia ad concedendam ingrediendi facultatem, requiratur, quod sit etiam in scriptis?

### SVMMARIVM.

1 *Licentia ad concedendam ingrediendi facultatem non requiritur, quod sit etiam in scriptis.*
2 *Licentia ad concedendam ingrediendi facultatem non est propriè ingrediendi licentia, quam solam in scriptis obtineri petit Tridentinum corrigens cap. periculoso, de Regular in* 6.
3 *Iuris correctio est strictè interpretanda.*
4 *A diuersis non valet illatio.*
5 *Priuilegium ad eius valorem non requirit scripturam, nisi aliter in aliquo casu iurè præscribatur.*
6 *Facultas arbitrij alteri commissa exigit scripturam in concedenda licentia ingressus.*
7 *Vsus receptus in quibusdam locis, quo Episcopus, vel*

*vel ipsius Vicarius facultatem quandam generalem quoad personas, sed specialem ingressum in scriptis concedit, approbatur.*

1 REspondetur, quod quamvis Rodriguez & Graff. *locis supra cit.* affirmare videantur, forsan ex eo, quia hæc licentia est indirectè, & remotè ad ingressum) tamen cum Diana *part.* 3. *tractatu* 2. *resol.*129. & Bonacina *de clausura, quæst.*4. *punct.*3. 2 *numero* 4. probabilius negetur; ita vt sufficiat, eam oretenus obtineri. Ratio est, quia non est verè ingrediendi licentia, quam solùm in scriptis obtineri petit Tridentinum *sess.*25. *de Regular. cap.*5. Non enim dispositio Tridentini (cùm quoad hoc corrigat caput 3 *periculoso*, *de Regularib. in* 6. vbi solùm licentia petebatur, & cum iuris correctio sit strictè interpretanda) extendi debet ad eam, quæ verè, & propriè non est ingrediendi licentia: quod autem non sit ea verè, & propriè ingrediendi licentia, inde confirmatur, quia Abbatissa in hoc casu teneretur dare licentiam in scriptis (cum non aliter dare licentiam possit ipsemet Prælatus.) At si prior esset licentia ingrediendi, hæc posterior Abbatissæ licentia scripto non indigeret: quapropter cum iura non requirant scripturam in huiusmodi facultate, seu priuilegio, sed solùm in ipsa licentia ingrediendi, & formaliter loquendo, aliud sit facultas concedendi licentiam ingrediendi, & aliud licentia ipsa ingrediendi, 4 consequens est, quod à diuersis non valeat illatio, 5 *l. Papinianus, ff. de Minor.* præsertim quia de ratione priuilegij non est scriptura, nisi aliter in aliquo casu iure præscribatur, vti dicebam *dubit. præcedenti*, & tradunt communiter Doctores, quos citat, & sequitur Bonacina *de legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 4. *num.*49.

6 Cæterùm, si facultas solius arbitrij daretur Abbatissæ (sicut & Confessario, vel alteri) verbi gratia si Prælatus diceret: *Concedo ingrediendi licentiam ei, quem ingredi Abbatissa, vel alter iudicabit esse necessarium*; tunc facultas ingressus esset in scriptis concedenda, quia ea est vera, & propria ingressus 7 licentia. Quamvis arbitrium Abbatissæ, vel Confessarij, in scriptis etiam esse non debeat, cùm ipsum arbitrium Abbatissæ, vel Confessarij non sit ingressus licentia: quapropter approbo praxim, & vsum in quibusdam locis receptum, quo Episcopus, vel ipsius Vicarius, facultatem quandam generalem quoad personas, sed specialem quoad ingressum in scriptis concedit quibusdam operariis (quorum opera indigere solent Moniales) vt Confessariis, medicis, cæmentariis, fabris lignariis & similibus quos elegerit Abbatissa: hoc enim non est priuilegium, seu facultas concedendi licentiam, sed est concessio licentiæ, seu licentia ipsa ingrediendi, quam *in præcedenti dubit.* dixi in scriptis concedendam esse.

## DVBITATIO XXXIX.

### An vt licentia ingrediendi sit legitima, requiratur, quod ingrediendi causa sit iusta, & manifesta?

### SVMMARIVM.

1 *Licentia ingrediendi ad hoc vt sit, iusta requiritur quod ingrediendi causa sit iusta, & manifesta.*

2 *Causa concedendi licentiam requiritur quod sit manifesta soli Prælato.*

3 *Manifestum & publicum differunt inter se, & quare.*

4 *In moralibus probabilitas sufficit ad rectè, & prudenter operandum.*

5 *Operans cum conscientia dubia peccat pro ratione peccati, cuius periculo se exponit.*

6 *Causa vt sit rationabilis, & iusta, debet esse necessaria, non quidem necessitate extrema, sed tantum necessitate morali.*

7 *Minor causa requiritur ad concedendam licentiam ingressus fœminarum, quàm virorum.*

8 *Minor causa requiritur ad concedendam licentiam ingressus matris, & sororum, quam aliarum fœminarum.*

9 *Minor causa requiritur ad concedendam licentiam ingressus in Monasterij receptacula, quàm ad officinas interiores.*

10 *Causa reputatur necessaria necessitate morali quotiescumque ministerium exercendum concernit vtilitatem Monasterij, vel saltem sic petit charitas.*

REspondetur affirmatiuè, patet *ex cap. vnic. in principio de statu Regular. in* 6. ibi: *Nisi rationabilis, & manifesta causa existat*, vbi Ioan. Andr. *numero* 22. Ancharan. *num.* 3. Dominic. *num.* 9. Franc. *num.*5. Nauar. *Comment.*4. *de Regular. num.* 59. Azor. *tom.*1. *lib.*13. *cap.* 8. *quæst.*6. Rodrig. *tom.*1. *qq. Regular. quæst.* 46. *art.* 8. Lezana *verb. Clausura, numero* 26. Bonacina *de clausura, quæst.*4. *punct.*4. *numero* 1. & Confectius *tit.* 20. *cap.* 6. notant vtrumque coniunctim requiri, & meritò, quia textus coniunctim loquitur. 1

Requiritur autem, quod causa sit manifesta, scilicet soli Prælato, quia solius Prælati est iustitiam causæ iudicare; tum quia Pontifex petit causam manifestam, non publicam: manifestum autem, & publicum differunt inter se; tum quia rarò accidere potest, quod toti populo, vel maiori illius parti causa manifesta sit. Lezana *cit. num.*26. Bonacina *numero* 3. & Rodrig. *cit. quæstione* 45. *art.*4. *& cit. quæstione* 46. *art.* 8. vbi rectè subdit, sufficere, quod sit manifesta soli Prælato moraliter, id est, vt probabiliter is iudicet, illam esse iustam, quia in moralibus probabilitas sufficit ad rectè, & prudenter operandum; tum quia alioquin, aut infinitis scrupulis aditus aperiretur, aut superior, antequam alicui licentiam ingrediendi concederet, processum constituere deberet ad veritatem certò cognoscendam: quod præter benignam Pontificis intentionem in casibus tam frequenter occurrentibus necessarium esse non arbitror. Secus dicendum est, si causa sit dubia, vtrum scilicet adsit causa concedendi licentiam, vel vtrum ea sit sufficiens, & iusta, quia operans cum conscientia dubia peccat pro ratione peccati, cuius periculo se exponit, iuxta illud: *Qui amat periculum peribit in eo.* 2 3 4 5

Requiritur etiam, quod causa, ad hoc vt sit rationabilis, & iusta, sit necessaria, quia sic caput *periculoso* explicuit Tridentinum *sess.*15. *cap.*5. *de Regular.* ibi: *In casibus necessariis*, & Gregorius XIII. in Motu, *Vbi gratiæ*, ibi: *Pro necessitatibus vrgentibus.* Non quidem necessaria necessitate extrema, sed tantùm necessitate morali, quia omne præceptum morale (quale est hoc de seruanda clausura) necessitatem tantùm moralem petit ad ipsius transgressionem excusandam. Bonacina *de clausura quæstione* 4. *punct.*4. *numero* 1. Lezana *cit. num.* 26. Miranda *de Monialibus quæst.*2. *art.*4. *concl.*2. Barbosa *de offic. & potest. Episc.*3. *part.* 6

*part. allegat.* 202. *num.* 48. Rodriguez *cit. quæstione* 46.

7 *art.* 4. & Llamas *in append.* §. 6. qui rectè subdunt, quod minor causa requiritur ad concedendam licentiam ingressus fœminarum, quàm virorum, quia horum ingressus est multò indecentior hone-

8 stati Monialium, & minor causa requiritur ad concedendam licentiam ingressus matris, aut sororum, quàm aliarum fœminarum; quia prius est magis rationi, ac pietati naturali consonum: ac tandem minor

9 causa requiritur ad concedendam licentiam ingressus in Monasterij receptacula (quæ sunt statim post clausuræ ianuam) quàm ad officinas interiores, quia prior ingressus est minus indecens.

10 Cæterum causa reputatur necessaria necessitate morali, quotiescumque ministerium exercendum concernit vtilitatem Monasterij, vel saltem sic petit charitas, & illud non potest commodè exerceri per Moniales, & sine sæcularium ingressu. Secus si vna ex his tribus conditionibus deficiat, vt si ministerium illud non sit vtile Monasterio, nec sic petat charitas, vel illud possit cómmodè exerceri per Moniales, vel sine ingressu sæcularium. Vide Doctores *supra cit.* & præcipuè Confectium *tit.* 23. *cap.* 27. & Lezanam *cit. num.* 26. Et ex hac regula soluuntur difficultates 11. immediatè sequentes, & solui poterunt innumeræ aliæ.

## DVBITATIO XL.

### An ingressus causa sit iusta in Medicis, fabris, musicis, & similibus?

### SVMMARIVM.

1 *Medici, Chirurgi, Barbitonsores, seu sanguinis minutores, & similes necessarij morbo Monialium curando, iustam ingressus causam habent.*

2 *Pharmacopola potest Monasterium ingredi dum ipsius ingressus ad Moniales pharmaca condire, & componere instruendas necessarius est.*

3 *Pharmacopola non potest ingredi ad præbendam Moniali medicinam, cum hæc per aliam Monialem præberi possit.*

4 *Fabri Cæmentarij, & similes necessarij monasterij ædificio construendo iustam ingressus causam habent.*

5 *Item sartores.*

6 *Secus autem sutores.*

7 *Secus etiam Musici, quibus solùm est permissum docere ad crates, Magistro existente extra clausuram. Idem dicas de organista, si Moniales doceret.*

8 *Obstetrix potest intromitti in Monasterium tempore partus alicuius mulieris, ibi forsan cum licentia legitima existentis.*

9 *Ingredientes Monasteria quomodo, & à quibus comitari debeant, desumendum est ex statutis, & Constitutionibus Monasterij, præcipuè ex constitutionibus Pontificis, si quæ fuerint circa hoc.*

10 *Licentia pro medicis, Chirurgis, &c. concedi solita singulis quibuscumque trimestribus renouari debet.*

1 REspondetur ex dictis *dub.* 31. *num. fin.* quod iustam ingressus causam habeant medici, chirurgi, barbitonsores, sanguinis minutores, & similes necessarij morbo Monialium curando: quod adeo verum est, vt probabile putem, idem dici posse, dum Monialis de valetudine dubitans, medicum, vt pulsum suum experiatur, ad lectum accersit, licet sine magno salutis detrimento ianuam adire potuisset, sed ibi medicum noluit consulere propter magnam erubescentiam. Addo etiam Pharmacopolam posse Monasterium ingredi, dum 2
ipsius ingressus ad Moniales pharmaca condire, & componere instruendas necessarius est: cùm hæc sit moralis necessitas; tamen similiter ingredi 3
posse ad præbendam Moniali medicinam, cum hæc per aliam Monialem præberi possit. Doctores, quos citat, & sequitur Bonacina *de claus.* q. 4 *punct.* 4. *num.* 5.

Item iustam ingressus causam habent fabri cæ- 4
mentarij, & similes necessarij Monasterij ædificio constructo: item sartores, quia etiam istorum 5
ingressus est necessarius vestibus Monialium corpori dimetiendis. Nauarr. *comment.* 4. *num.* 59. & alij contra Llamas *in append.* §. 6. Mirandam *quæstione* 22. *art.* 4. *ad fin.* & Bonacinam *cit. punct.* 4. *numero* 11.

Non sic autem sutores, quia hi possunt de Mo- 6
nialium calcei certiores fieri, vel ostenso calceo, vel declaratis punctis, quibus calceus earum constat. Doctores communiter apud Bonacinam citato *num.* 11.

Neque etiam sic Musici, qui docerent Moniales 7
cantum, quia huiusmodi ministerium exerceri potest per Monialem aliquam aliam huius artis peritam: quod si nulla Monialis talis ibi sit, possunt docendæ Moniales accedere ad crates, magistro existente ex altera parte extra clausuram: quamvis secus (ita vt tunc licitus sit ingressus) si tot Moniales essent docendæ, vt ad crates doceri non possint commodè.

Et quæ dixi de musico, qui doceret Moniales cantum, eadem dicas de eo, qui Monialis pulsum organorum doceret, vel organa incompositа temperaret, vel horologium componeret, &c. Vide Glossam *in cap. periculoso, verb. Causa, de Regularib. in* 6. Nauarr. *Comment.* 4. *de Regular. numero* 59. Confectium *tit.* 20. *cap.* 6. & Llamas *in Append.* §. 6. (qui tamen quoad sutores nobiscum non consentit, sed tenet oppositum) Vide etiam Portellum *in dubitat. Regular. verb. Clausura Monialium, num. fin.* Tamburinum *de iure Abbat. disputat.* 21. *quæst.* 1. & Lezanam *verb. Clausura*, 8
*numero* 16. qui ob eandem rationem dictam de necessitate morali subdunt, quod si fortè mulier prægnans in Monasterio cum licentia legitima moratur, posset obstetrix ad illam iuuandam tempore partus admitti.

Cæterùm, quoniam comitatæ prædictæ personæ 9
ingredi debeant, desumi debet ex consuetudine, & statutis Monasterij, præcipuè ex Constitutionibus Pontificiis, si quæ fuerint circa hoc. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat.* 102. *numero* 52. Cassarubius *in Compend. priuileg. Mendi-* 10
*cant. verb. Ingredi Monasteria, notab.* 1. *vers. Quintus casus*, qui subdunt, licentiam pro medicis, chirurgis, operariis, & similibus concedi solitam, singulis quibuscumque trimestribus renouari debere, & ita declarauit S. Congregatio Episc. & Reg. apud Sellium *in select. Canon. cap.* 15. *numero* 28. & Tamburinum *de iur. Abb. disp.* 24. *quæst.* 6. *num.* 7.

## DVBITATIO XLI.

### An ingressus causa sit iusta in Confessariis aliisque Sacramenta ministrantibus, vel exorcizantibus?

### SVMMARIVM.

1 *Confessarius habet iustam causam ingrediendi quando locus, vbi infirma iacet, non est propè aliquam fenestellam, per quam confessio commodè excipi possit: item si Monialis surda sit, vel morbo oppressa non possit accedere.*

2 *Sacerdos habet iustam causam ingrediendi si infirmæ sit ministranda Eucharistia, vel Extrema-Vnctio, vel sit astandum moribundæ.*

3 *Matri non licet ingredi Monasterium, vt inuisat filiam moribundam, & multo minus habitum suscipientem, & professionem emittentem.*

4 *Filia moriens, habitum suscipiens, aut professionem emittens maiori tristitia, & pertubatione præsentia matris afficitur.*

5 *Sacerdos habet iustam causam ingressus, vt celebret officium sepultura, vel aperiat, vel cooperiat sepulturam Monialis, vel Monialem in sepulturam immittat: idem dic de sæculari quæ intra claustra sit sepelienda, si Moniales per se ipsas commodè id præstare non possint.*

6 *Confessarius, & Eucharistiam ministrans ingredi possunt non solum quando morbi periculum obligat ad hæc Sacramenta suscipienda, sed etiam in ipso morbi principio.*

7 *Medici statim in ipso morbi principio monentur suadere infirmis, vt Confessionis, & Eucharistiæ suscipiant Sacramenta.*

8 *Confessarius, & Ministrans Eucharistiam ingredi possunt quotiescumque ex Regula præscripto solent Moniales confiteri, & quotiescumque infirma dixerit se Sacramentis indigere.*

9 *Item quotiescumque iuxta laudabilem Monasterij vsum solent Moniales confiteri, & Eucharistiam recipere, vel infirma etiam ex peculiari deuotione, vel frequentatione solet his Sacramentis vti.*

10 *Item ingredi possunt quocumque tempore, etiam de nocte, si sic expostcit necessitas.*

11 *Cellæ ianua aperta remanere debet, & ambæ comitatrices ad eiusdem cellæ ianuam morari, Confessario Monialis infirmæ confessionem audiente.*

12 *Confessarius Monialium claustram ingressus ad Sacramenta ministranda recta via, & absque diuerticulo ire debet, nec aliò se conferre, etiam prætextu administrandi Sacramenta, si non sit necessitas.*

13 *Confessarius Monialis administrans ei Sacramentum Extremæ Vnctionis non potest ibi manere post talem administrationem ad animam Deo commendandam: sed sententia opposita est probabilior.*

14 *Sacerdos quod possit ingredi clausuram ad portandam Moniali infirmæ insignem aliquam reliquiam non est improbabile.*

15 *Confessarius Monialium si sit Regularis ingrediens clausuram potest secum conducere socium, secus si Confessarius est secularis, & non accedat ministraturus Eucharistiam, vel Extremam-Vnctionem; quia tali casu necessarius est ei etiam socius.*

16 *Idem dic si accedat ad faciendum sacrum in valetudinario ob eandem rationem.*

17 *Comitantes Eucharistiam iust m causam non habent ingredi clausuram, cum statim Moniales cereis accensis eam comitentur satis decenter.*

18 *Quibus ex iusta causa licitus est ingressus, bi possunt ingredi etiam cum personis, à quibus ipsos iuxta decentiam sui status comitari par est.*

19 *Concesso alicui ingressu ad audienda sacra tempore interdicti, censetur quoque concessus ingressus comitibus sequentibus.*

20 *Socius Confessarij Monialium debet esse integræ vitæ, & supra quinquaginta annos, s. commodè potest fieri.*

21 *Confessarius, & socius ipsius non possunt alloqui Monialem sine licentia Sacræ Congregationis.*

22 *Prætextu exorcizandi energumenam non est aliquis admittendus intra clausuram Monialium, necnon modus exorcizantibus præscribitur.*

REspondetur ex dictis *cit. dub.39. num. fin.* quod etiam iustam ingressus causam habeat Confessarius, quando locus, vbi infirma iacet, non est propè aliquam fenestellam, per quam absque ingressu commode confessio excipi possit: in hoc enim casu, sicut & in casu, quo Monialis valdè surda sit, vel valdè morbo pressa, vt non possit accedere ad solitam fenestellam, potest Confessarius ingredi: secus si illa possit accedere, provt decisum refert Gauantus *in Man. Episcop. verb. Monialium clausura, n.39.* Idemque dicas de Sacerdote, qui infirmæ ministraret Eucharistiam, vel Extremam-Vnctionem, vel assisteret moribundæ (quia hoc etiam est munus Sacerdotis proprium; præsertim quia tunc occurrere potest scrupulus, ad quem sedandum opus sit Confessario; vnde patet disparitas, quod non liceat etiam ingredi matri, vt inuisat filiam moribundam, multò minus habitum suscipientem, vel professionem emittentem, quia hæc non est necessitas moralis; imò sæpè filia moriens, habitum suscipiens, aut professionem emittens maiori tristitia, & perturbatione præsentia matris afficitur, sicut ex declaratione Cardinalium docent Cuchus *lib.3. Institut. maior. tom.2. numero* 12. Rodriguez *quæst.46. art.11.* Miranda *in tract. de Monialib. quæst.2. art.8.* Bonacina *de clauf. quæst.4. punct.4. numero* 12. & Lezana *verb. Clausura, numero* 34.) vel celebraret officium sepulturæ, vel aperiret, & cooperiret sepulturam Monialis, vel Monialem in sepulturam immitteret; quia hæc munia, saltem commodè per fœminas exerceri non possunt. Vide Doctores *supra citat.* & præcipuè Llamas §.6. Lezanam *num.26. & 29.* Andr. Victorellum *de orig. & clausur. Monial. §. an Confessor ad exequias, pag.* 49. Portellum *in dubit. Regular. verb. Clausura Monial. num.11.* & Tamburinum *de iur. Abbat. disputat.24. quæs.5.* An verò liceat etiam ingressus, si quis sæcularis intra claustra Monasterij Monialium sepeliatur, dependet etiam ex morali necessitate; quæ sicuti dicebam, tunc locum habet, cum id Moniales per seipsas præstare non possunt. Doctores suprà citati, præsertim Portellus ibidem, & *in additionib. num.3.*

His adde, quod & Confessarius, & Eucharistiam ministrans ingredi possunt, non solum quando morbi periculum obligat ad hæc Sacramenta suscipienda, sed etiam in ipso morbi principio, sicuti constat *ex cap. cum infirmitas, de pœnit. & remiss.* & ex Motu Pij V. vbi iubentur medici statim in ipso morbi principio suadere infirmis, vt Confessionis, & Eucharistiæ suscipiant Sacramenta, tanquam

1 2 3 4 5 6

7 tanquam valde conducentia non ſolum ad ſalutem animæ ſpiritualem ( præſertim cum ſæpè inopinatò contingat infirmum mori , vel phreneſi arripi , & ſic incapacem horum Sacramentorum reddi ) ſed etiam (ſi ſic animæ ſaluti ſpirituali expedit ) ad ſalutem corporis materialem ; præſertim cum ſæpè morbus in pœnam peccatorum contingat , iuxta illud *Propter peccata veniunt aduerſa.*

8 Item ingredi poſſunt , quotieſcumque ex Regulæ præſcripto ſolent Moniales confiteri : item quotieſcumque infirma dixerit , ſe Sacramentis dictis indigere. Rodriguez , quem citat , & ſequitur Portell. *verb. clauſura Monialium , num. 9.* Villalobos *tom.2. tract.35. difficult.47. numero 4.* & Diana *part.3. tract.2.*

9 *reſolu. 67.* Item quotieſcumque iuxta laudabilem Monaſterij vſum ſolent Moniales confiteri , & Euchariſtiam recipere , vel infirma , etiam ex peculiari deuotione , vel frequentatione , ſolet his Sacramentis vti : quia rationi conſonum eſt , infirmas hoc ſolatio non priuare , ſed potius triſtitiam earum tam ſalutari medicina leuare. Vide Doctores *ſupra cit.* & præcipuè Rodriguez *tom.1. qq. Regular. quæſt.47.*

10 *art.4.* Item ingredi poſſunt quocumque tempore, etiam de nocte , ſi ſic expoſcit neceſſitas , ſicuti declarauit S. Congregatio anno 1593. apud Tamburinum de iure Abbat. *diſputat.24. quæſt.2. numero 2.* Quæ etiam declarauit 13. Septembr. 1583. apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verb. Confeſſarius Monia-*

11 *lium* , 2. quod Confeſſario Monialis infirmæ confeſſionem audiente , cellæ ianua aperta remaneat , & ambæ comitatrices ad eiuſdem cellæ ianuam morentur , itavt & Confeſſarius, & infirma ab eis commodè videri poſſint. Item declarauit apud Barbo-

12 ſam *loco citat.* quod Confeſſarius Monialium clauſuram ingreſſus ad Sacramenta miniſtranda , recta via , & abſque diuerticulo tendat , & redeat , nec in aliam Monaſterij partem , etiam occaſione viſendi alias infirmas ( quibus Sacramentorum adminiſtratio non eſt neceſſaria ) diuagetur. Item declarauit apud Gauantum , & Barboſam *locis citat.* quod

13 Confeſſarius Monialis adminiſtrans ei Sacramentum Extremæ-Vnctionis non poſſit ibi manere poſt talem adminiſtrationem , etiam ad confortandam eam ad bene moriendum , & ad animam eius Deo commendandam : quamvis quoad hoc oppoſita ſententia , quam ſupra tradebam , declaratione iſta non obſtante , ſit vſu recepta ob rationem ibi dictam. Llamas , & Lezana *locis ſupra citat.* Tamburin. *numero 6.* & Peyrinus *tom.2. priuileg. Minim. in conſtitut.6. Pij V. numero 30.* qui ſubdit , poſſe Sacerdotem etiam ingredi ad deferendam Moniali in-

14 firmæ inſignem aliquam reliquiam , quod mihi ob ſolatium Moniali tempore mortis debitè præſtandum , vt ſuprà dicebam , omninò non improbatur ; præſertim ſi ſic habeat locum conſuetudo Monaſterij.

15 Adde ſecundò , quod poteſt etiam ingredi ſocius, ſi ſcilicet Confeſſarius , qui ingreditur , eſt Regularis ; quia ſic decreuit S. Congregatio 21. Febr. 1617. apud Barboſam *in Collectan. Bullarum , verb. Confeſſarius Monialium* , 2. & ſic conſuetudo , & decentia regularis , præſertim quando ingreſſus eſt ad Monaſteria Monialium , exigere videtur. Miranda *de Monialib. quæſt.2. art.17. ad fin.* & alij paſſim ( quidquid diſſentire videatur Bonac. *de clauſur. quæſt.4. punct.4. num.4.* ) Non ſic, ſi Confeſſarius eſt ſæcularis , quia talis Confeſſarius decenter accedit ad quarumcunque fœminarum confeſſiones audiendas incomitatus ; quamvis ſecus , ſi accedat ad Euchariſtiam, vel

16 Extremam Vnctionem miniſtrandam , ad quod opus exercendum neceſſarius eſt ſocius ; cùm indecens , & à more Eccleſiaſtico alienum ſit , fœminam huic miniſterio inſeruire : qua ratione , cum ingreditur Sacerdos , etiam ſæcularis , ad Sacrum faciendum ( ſaltem iis diebus , quibus Miſſa , aut Communio eſt de præcepto ) coram Monialibus infirmis , vel valetudinariis , quæ è valetudinario commodè egredi non poſſunt , iuſtè ſemper ingreditur cum ſocio, cum non liceat fœminæ Sacro miniſtrare. Miranda *cit. quæſt.2. art.16.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. 3. part. allegat.202. numero 49.* & Bonac. *cit. num.4.*

Qui verò Euchariſtiam comitantur iuſtam ingreſſus cauſam non habent ; quia ſtatim ac ad clauſuræ 17
fores Euchariſtia accedit , ſatis decenter Moniales accenſis cereis eam comitantur ; ob quam rationem Euchariſtiæ proceſſiones non ſunt ſæcularibus iuſta cauſa ingreſſus.

Adde tertiò , quod quibus ex iuſta cauſa licitus eſt ingreſſus , hi ingredi poſſunt etiam cum perſonis 18
à quibus ipſos iuxta decentiam ſui ſtatus comitari par eſt , argum. Bullæ Gregorij XIII. quæ incipit : *Dubiis quæ emergunt* , vbi Pontifex Prælatis in caſu neceſſario ingredientibus iubet , quod ingrediantur comitati ; & in omni caſu , in quo eſt conceſſa ingrediendi licentia principalis , intelligitur etiam ob actionis connexionem conceſſa ſocio , itavt non requiratur explicita , vel alia diſtincta licentia pro ſocio , *arg. cap. licet , de priuilegiis in 6.* vbi conceſſo alicui ingreſſu ad audienda ſacra tempore inter- 19
dicti , cenſetur quoque conceſſus ingreſſus comitibus ſequentibus , quia alioquin , vt ait Gloſſ. ibi *verb. non debet* , priuilegium eius redderetur inutile. Vide Tamburinum *de iure Abbat. diſput.24. quæſt.3. num.3.*

Cæterùm declarauit S. Congregatio apud Barboſam *in Collectan. Bullar. verb. Confeſſarius Monial.2.* 20
ſocium in noſtro caſu debere eſſe probæ vitæ ( quod ſemper obſeruari debet ) & eſſe ætatis ſupra quinquaginta annos (quod ſolum obſeruari debet , cum commodè poteſt: ) item declarauit apud eundem Barboſam *loco ſupra cit.* & Tamburinum *num.5. & 6.* tam Confeſſarium , quàm eius ſocium non poſſe alloqui Moniales ſine licentia S. Congregationis. Item 21
declarauit , non poſſe admitti aliquem ſub prætextu exorcizandi Monialem energumenam , & ſimul apud 22
Aldanam *in Compend. Canon. Reſol. lib.2. titul.10. num.26.* & Barboſam *in Collectan. Bullar. verb. Monialium clauſura , circa egreſſum.* Quartò præſcripſit modum , quo id fieri debeat , in his verbis : *Monialis nulla energumena intra Monaſterij ſepta à quocumque Presbytero ſæculari , vel regulari , etiam Confeſſario , exorcizetur , ſed ad Eccleſiam exteriorem eiuſdem Monaſterij , obtenta prius à S. Congregatione licentia, ea de cauſa deducatur , vel transferatur : in tranſlatione autem huiuſmodi ſcut & in actu exorcizationis honeſtæ conſanguineæ , vel aliæ mulieres prouectæ ætatis, ac probæ conuerſationis energumenam comitentur. Exorciſta ſit ad actum huiuſmodi ab Ordinario approbatus. Exorcizatio minori , quo poterit , ſtrepitu. Eccleſiæ ianua eo vſque occluſa remaneat , quouſque exorcizatione completa ad Monaſterium energumena reducatur. Cæterùm tam in reditu , quàm in acceſſu ad Eccleſiam, & Monaſterium rectè, & ſine diuerticulo attendatur.*

## DVBITATIO XLII.

### An ingressus causa sit iusta in Superioribus visitantibus?

### SVMMARIVM.

1 *Superiores tam saculares, quam Regulares volentes visitare Monasteria iustam causam habent clausuram ingrediendi cum comitatu paucorum seniorum, ac religiosorum virorum.*

2 *Superiores iustam ingressus causam habent ad visitandas officinas Monasterij, cellas, & supellectilem Monialium, decentiam dormitorij, adificium, &c. ad quæ omnia inducere secum debent Notarium.*

3 *Superiores iustam ingressus causam habent ad occultas res Conuentus tractandas.*

4 *Superiores sæculares, seu Regulares iustam causam ingressus habent in Monasteria sibi aliquo modo subiecta, non solum causa visitationis, sed etiam causa cuiuscumque alterius rei necessariæ; secus est si nullo modo sint subiecta.*

5 *Magistratus, & deputati ad curam Monialium non debent ingredi cum Episcopo, nisi eos Episcopus elegerit.*

6 *Episcopus non debet permittere deputari à ciuitatibus aliquos, qui comitentur visitatores Monialium, etiam Regularibus subiectarum.*

1 REspondetur ex dictis *cit. dub.39. in fin.* quod etiam iustam ingressus causam habeant Superiores, siue sæculares, siue Regulares (cum comitatu scilicet paucorum, seniorum, ac religiosorum virorum præscripto à dicta Bulla Gregorij XIII. quando visitationem inchoare volunt: quia tunc debent Monialibus edicta proponere, visitationem denunciare, exhortationes habere. Quæ omnia fieri debent secretò, & exclusis nouitiis, conuersis, aliisque Monasterio ministrantibus; & sic in nullo loco commodiùs, quàm in loco, quo conueniunt Moniales ad secretas alias res Monasterij tractandas, seu
2 in Capitulo Conuentuali. Item secundò iustam ingressus causam habent Superiores ad visitandas officinas Monasterij, cellas, & supellectilem Monialium, decentiam dormitorij, ædificium, si quod construendum est, vel ruinam minatur. Et finita visitatione ad dictum locum Monasterij venire, ob suæ visitationis publicationem, & culparum inde resultantium intimationem: & ad hæc omnia, tam ad visitationem hanc iudicialem faciendam, quàm ad eiusdem visitationis iam finitæ publicationem denuntiandam debent secum inducere Notarium, qui omnium istorum actuum testimonium det, & actus iudiciales fa-
3 ciat. Item tertiò iustam ingressus causam habent superiores ad occultas res Conuentus tractandas; idque in dicto loco Monasterij, seu Capitulo Conuentuali, cum huiusmodi rebus tractandis nullus locus sit aptior, vti *suprà* dicebam. Vide Llamas *in Append.* §.7. (vbi sic testatur de praxi,) Mirandam *de Monialib. quæst.2. art.14.* (vbi etiam ostendit, an Episcopus possit ingredi Monasterium exemptum causa visitationis; saltem dum constaret, clausuram in tali Monasterio violatam esse,) Barbosam *de offic. & potest. Episcop. 3. part. allegat.202. numero 43.* & Bonacinam *de clausura, quæstione 4. punct. 4. num.6.*

4 His adde, quod etiam iustam ingressus causam habent superiores (siue sæculares, siue Regulares) in Monasteria sibi aliquo modo subiecta, non solum causa visitationis, & finium, quos *supra* dicebam, sed etiam causa cuiuscumque alterius rei necessariæ; quia sic supponitur in Motu Gregorij XIII. qui incipit: *Dubiis quæ emergunt*, & docent communiter Doctores.

Non tamen iustam ingressus causam habent alij (siue Episcopi, siue quicumque alij Prælati) in Monasteria sibi nullo modo subiecta; sic etiam communiter Doctores propter caput *periculoso*, Tridentinum Concilium, & alia iura *suprà* adducta, sicuti videre est apud Mirandam *de Monialib. quæst.2. art.13.* & quidem quoad Episcopos sic testatur decisum in vna Ianuensi 10. Maij 1631. Aldana *in Compend. Canonic. Resol. lib.3. tit.25. numero* 8. & quoad Vicelegatos sic refert declaratum in S. Congregatione Gauantus *in Man. Episc. verb. Monialium clausura, numero* 29. qui *numero* 30. subdit quod ex eadem S. Congregatione 1. Martij 1581. Magistra-5 tus, & deputati ad Curam Monialium non debeant ingredi cum Episcopo, nisi eos Episcopus elegerit, & *num.26.* subdit, quod ex eadem etiam S. Congregatione, 12. Ianuarij 1616. non debeat Episcopus 6 permittere, deputari à ciuitatibus aliquos, qui committentur Visitatores Monialium, etiam Regularibus subiectarum.

## DVBITATIO XLIII.

### An ingressus causa sit iusta in expellentibus malefactorem, qui Monasterium ingressus est, & egredi recusat?

### SVMMARIVM.

1 *Ingressus causa est iusta si sit expellendus malefactor, qui commodè per Moniales expelli non potest, & is egredi nolit.*

2 *Iudex potest ingredi Monasterium ad expellendum malefactorem, ad locum tamen eiusdem Monasterij exteriorem immunitate gaudentem.*

3 *Malefactor iustam causam habet ingrediendi Monasteria Monialium, vt periculum Iudicis insequentis euadat.*

4 *Ius naturale fortius obligat quàm ius positiuum.*

5 *Malefactor cessante periculo debet exire: quod si nolit, & non gaudeat immunitate Ecclesiæ, tradi potest Curiæ seculari; si verò gaudet, ad minus extrahi debet, & poni in alio loco sacro.*

REspondetur affirmatiuè; quia incommodè per 1
Moniales, cum sint timidæ, & debiles, expelli non potest; & ex alio capite decet eum cum Monialibus esse. Doctores, quos citat, & sequitur Llamas §.6. Rodrig. *tom.1. qq. Regul. quæst.47. art.4. in fin.* & Bonacina, & Lezana *in locis infrà citandis.*

Hinc sequitur, quod etiam Iudex possit Mo- 2
nasterium ingredi, vt eum expellat, ad locum tamen eiusdem Monasterij exteriorem immunitate gaudentem, non autem ad locum alterius rationis, vel ad carcerem; nisi in casu, quo manifestè is Ecclesiæ immunitate non gaudeat, quia tunc poterit Iudex ex licentia Superioris eum è Monasterio simpliciter expellere, & ducere ad carcerem; quin si periculum sit in mora, vel iniustè denegetur licentia, poterit sine licentia Monasterium ingredi, & eum expellere, quia in priori casu necessitas vrget,

contra

contra Bonacinam, & in posteriori iniustè iure suo priuaretur.

3 An autem malefactor iustam ingressus causam habeat, vt periculum iudicis insequentis euadat, quando meritò timet fore quod ab illo ex Ecclesia extrahatur?

Respondetur affirmatiuè; quia ius tuendi vitam, vel vitandi graue damnum, vtpotè de iure naturæ, excusat ab obseruantia iuris positiui; cum ius natu-
4 rale fortius obliget, quàm ius positiuum (quamvis non liceat Monialibus illum admittere; quia dedecet ipsarum statum secum malefactorem intra clausuram admittere. Doctores, quos citat, & sequitur Bonacina *de clausura, quæst.4. punct.4. num.13.* & Lezana *verb. clausura, num.31.*) Vide quæ dicentur *dub.47.*
5 cessante tamen periculo debet exire: quod si nolit, & non gaudeat immunitate Ecclesiæ, iuxta *dicta cap.16. per totum*, tradi potest Curiæ sæculari iuxta modum præscriptum in Constitutione Gregorij XIV. & nos dicebamus *c.t. cap.16. dub.40.* si verò gaudeat, ad minus extrahi debet è clausura Monasterij, & poni in alio loco sacro extra illam, data etiam viris in vtroque casu ad eum è clausura eiiciendum facultate, sicuti *suprà* dicebam, & docet Rodriguez *cit. art.4. vers. nec his obstat*, vbi subdit, iuxta ea, quæ suprà dicebam, non esse opus in hoc casu recurrere ad Superiorem longè distantem, cùm periculum sit in mora, sed sufficere consensum Abbatissæ, & discretarum.

## DVBITATIO XLIV.

### An ingressus causa sit iusta Monasterij œconomo ad quærenda instrumenta in Archiuio intra clausuram existenti?

### SVMMARIVM.

1 *Oeconomus Monasterij habet iustam causam ingrediendi clausuram ad quærenda instrumenta in archiuio, si id fieri necesse est, & commodè præstari per Moniales non possit.*

1 REspondetur ex dictis affirmatiuè, quando id fieri necesse est, & fieri commodè non potest per Moniales, præsertim si nesciant id facere. Vide Llamas *loc. supra cit. §.6.* & Lezanam *verb. Clausura, num.30.*

## DVBITATIO XLV.

### An ingressus causa sit iusta in baiulis Monasterio necessaria intromittentibus?

### SVMMARIVM.

1 *Baiuli Monasterio necessaria intromittentes, si ea sint onerosa nimis, nec possint Moniales sublenare, iustam causam habent ingrediendi.*
2 *Hortulani iustam causam habent excolendi causâ hortum.*
3 *Deponens in Monasterio notabilem quantitatem pecuniarum, si sit benemeritus Monasterij, iustam causam habet ingrediendi, si ad illam deponendam non esset alius locus tutus, & si exigeret charitas.*
4 *Ingressus in Monasterium permissus videtur ob vtilitatem Monasterij, vel si sic ius naturæ, vel diuinum suadeat.*

REspondetur ex dictis etiam affirmatiuè, quando 1
ea sunt nimis onerosa, vt non possint commodè per Moniales, vtpotè debiles, & delicatas, introduci; quia tunc adest moralis necessitas. Accedit, quia iam sic vsu receptum est. Miranda *de Monialib. q.2.art.17. ad fin.* Bonacina *quæst.4.* & Llamas §.6. vbi 2
propter eandem rationem idem docent de hortulanis causa horti interioris rigandi, & excolendi; secus tamen de pharmacopola ad potionem medicam infirmis porrigendam; quia hoc fieri commodè potest per ipsas Moniales: quamvis si esset opus ingredi pharmacopolam, vt doceat Moniales aliqua medicamenta condire, liceret tunc eius ingressus; quia tunc est de eius ingressu necessitas moralis, vti dicebam *supra dub.40.*

Cæterùm, an ingressus causa sit etiam iusta ad in- 3
intromittendum depositum pecuniarium in magno pondere, quod propterea commode non possit similiter introduci per Moniales?

Respondetur affirmatiuè, etiamsi tamen depo- 4
nens sit benemeritus, saltem in spe, de Monasterio; vel si ob alias circumstantias, v. g. quia ad illas deponendas non esset alius locus tutus, sic exigeret charitas. Aliàs non, quia tunc nec Monasterij vtilitas, nec charitas locum haberet, siquidem ingressus in Monasterium permissus videtur ob vtilitatem Monasterij, vel si sic ius naturæ, vel diuinum suadeat.

## DVBITATIO XLVI.

### An ingressus causa sit iusta in puellis, vt honestè in Monasterio Monialium educentur?

### SVMMARIVM.

1 *Puellæ vt honestè in Monasterio educentur, iustam ingressus causam habent.*
2 *Ingressus puellarum vt educentur in Monasterio non est intrinsecè malus, imò est aliquo modo necessarius, & ideo permittitur de Episcopi, seu Superioris licentia.*
3 *Ingressus puellarum censetur iustus. Primò si non repugnet instituto Religionis. Secundò si recipiendi sit consuetudo. Tertiò si accedat consensus Abbatissæ & Monasterij licentia Superioris in scriptis obtenta. Quartò vt sient sine famulabus: Quintò, vt egredi & regredi nequeant. Sextò, vt sint minores 25. annis, & vltra 25. ætatis annum in Monasterio non retineantur. Septimò, vt habitu conuenienti vtantur.*
4 *Puella, quæ completo 25. anno non egreditur, nec Monialium Prælata, quæ retinet, excommunicationem incurrit.*
5 *Episcopus potest fœminæ renuenti egredi de Monasterio constituere terminum ad eligendum egressum, vel ad suscipiendum habitum Religionis.*
6 *Ingressus puellarum vt sit iustus vltra septem causas recensitas, requirit tres alias ex præscripto sacræ Congregationis Cardinalium, nempe vt non sint supra numerum, vt quolibet semestri soluantur anticipata alimenta, vt sint separata a dormitorio, & laboratorio Monialium.*
7 *Ingressus in Monasterio Monialium prohibitus fuit*

*à Sixto V. tantùm virtute facultatum, quæ à Sede Apostolica hactenus ad id concessa fuerant, non autem virtute iuris communis.*

8 *Priuilegia in corpore iuris inserta non comprehenduntur in generali priuilegiorum derogatione.*

9 *Priuilegiis in Concilio concessis per nullam clausulam quantumvis generalem derogatur, nisi de ipso ob eius grauitatem fiat specialis mentio.*

10 *Puellæ educationis gratia ingredi non possunt Monialium Monasteria, in quibus non est consuetudo ad dictum finem eas recipiendi, sine licentia Sedis Apostolicæ.*

11 *Puellæ conditionibus prædictis occurrentibus admitti non debent, nisi completo septennio, & iuxta nonnullorum opinionem debent esse annorum 12. contra Portellium.*

1 REspondetur affirmatiuè, quia hoc non est intrinsecè malum, & aliquo modo est necessarium pro Monasteriis Monialium, cum multæ ex prædictis puellis habitum postea suscipiant in Monasteriis, in quibus educantur: quapropter videtur permissum à Tridentino Concilio, quatenus ab ipso permittitur ingressus in Monasteria Monialium de licentia Episcopi, vel Superioris in casibus necessariis, *sess. 25.* 2 *num. 5.* Vnde & sic docent ex declaratione Cardinalium Cuchus *lib. 3. Instit. Mulierum, tom. 2. num. 11.* Nauar. *Comment. 4. num. 67. vers. 5. de Regularib.* Rodriguez *tom. 1. quæst. 46. art. 10.* Azor. *tom. 1. lib. 3. cap. 8. quæst. 4.* Sorbus *in compend. priuileg. 2. part. verb. Ingressus Monasterior. Monial. vers. de puellis autem,* Suar. *tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 10. num. 21.* Quaranta *verb. Monasteria Monialium, colum. 1.* Miranda *de Monial. quæst. 2. art. 6.* Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg. 102. num. 61.* Fuscus *de visitatione, & regim.* 3 *Eccles. lib. 2. cap. 19. num. 27. & 28.* Confectius *in priuileg. Mendicantium, tit. 10. cap. 7.* Sà *verb. Monasterium, num. fin.* Peyrinus *tom. 2. priuileg. Minim. in Constit. 6. Pij V. num. 10.* & Zerola *part. 1. verb. Moniales, ad 10. quæst.* dummodo hæ conditiones concurrant. Prima, vt institutum Religionis, vel aliquod aliud non repugnet. Secunda, vt Monasterium tales recipere consueuerit. Tertia, vt Superioris licentia in Scriptis obtenta, & Abbatissæ, Monasteriique consensus accedat. Quarta, vt sine famulabus 4 in Monasterio commorentur. Quinta, vt clausura egredi, ac semel egressæ iterum admitti non possint (nisi egrederentur causa medendi morbo, & ex licentia Superioris, vel quia Moniales effici volunt, 5 sicuti declarauit S. Congregatio, teste Rodrig. Sà, & Zerola *in locis suprà cit.*) Sexta, vt sint minores 25. annis, & vltra vigesimumquintum ætatis annum in Monasterio non retineantur (quamvis putem, nec puellam, quæ completo vigesimoquinto anno non egreditur, nec Monialium Prælatissam, quæ retinet, excommunicationem incurrere, quia puella non illicitè est ingressa, nec S. Congregatio in tali casu excommunicationem imposuit, etsi possit, & debeat Episcopus huiusmodi fœminæ constituere terminum ad eligendum egressum, vel habitus Religiosi susceptionem, sicuti S. Congregatio decernit, teste Campanil. *rubr. 12. cap. 16. numero 29.* Francisco Leone *in Thesauro fori, part. 2. cap. 16. numero 54.* & Barbosa *de offic. & potest. Episc. 3. part. allegat. 102.* 6 *num. 65.*) Septima, vt vestitu honesto, & virginibus conuenienti in Monasterio vtantur; sic Doctores *in locis suprà cit.* vbi ex altera declaratione Cardinalium ad septem supradictas conditiones tres alias addunt: Primam, vt non sint supra numerum præfixum. Secundam, vt quolibet semestri soluantur anticipata alimenta. Tertiam, vt sint separatæ à loco Monialibus, & Nouitiis ad dormiendum, & manuum operibus vacandum destinato.

Obiicies. Sixtus V. in quodam Motu suo (quem refert Rodrig. *cit. quæst. 46. art. 6.*) reuocat omnes à Sede Apostolica, & à se mulieribus cuiuscumque status Monialium Monasteria ingrediendi, & ibi ad tempus permanendi licentias concessas, iubétque iam ingressas egredi, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ sibi reseruatæ contra cuiuscumque, qui tale decretum ingrediendo, vel ibi permanendo violauerint: ergo.

Respondetur cum Rodriguez, Sixtum V. in illo 7 Motu prohibere tantùm, ingredi, & permanere in Monasterio virtute facultatum, quæ à Sede Apostolica hactenus ad id concessæ fuerant, vt colligitur ex eius tenore, ibi: *A Sede Apostolica, & à nobis concessa*; non autem prohibere ingressum virtute iuris communis, & Concilij Tridentini concessum. Quæ responsio eò magis vera est, quia in generali 8 priuilegiorum derogatione non comprehenduntur facultates, & priuilegia in corpore iuris inserta. Gloss. *in l. hæres absens, in princip. ff. de iudic.* & *in Authent. qua in prouincia, verb. Illic, in fin. Cod. vbi de crimine agi oport.* Felin. *cap. 1. de rescript. num. 12.* Lopez *l. 2. tit. 8. part. 8.* Perez *lib. 4. ordin. tit. 4. l. 22.* & alij multi, quos citat, & sequitur Menoch. *de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 40. num. 25.* tum quia per 9 nullam clausulam, quantumvis generalem, derogatur priuilegiis in Concilio concessis, nisi de ipso, ob eius grauitatem, fiat specialis mentio. Doctores, quos refert, & sequitur Sanchez *de matrim. lib. 3. disp. 26. num. 7.*

Instabis: Sacra Congregatio Episcop. (quam 10 refert Gauantus *in Man. Episcop. verb. Monialium educatio, num. 8.* Lezana *tom. 1. cap. 25. num. 25.* Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. punct. 3. num. 30. & de clauss. quæst. 4. punct. 4. n. 16.*) expressè decreuit, puellas educationis gratia ingredi non posse Monialium Monasteria sine licentia Sedis Apostolicæ: ergo.

Respondetur, id intelligi tantùm de iis Monaste- 11 riis, in quibus non est consuetudo tales puellas ad dictum finem recipiendi, iuxta ea, quæ *suprà* dicebam, & sic concordantur declarationes de hac re diuersæ, quæ inter se prima facie videntur pugnare.

Cæterùm, vt puellæ, conditionibus prædictis concurrentibus, iustè admittantur, requiritur etiam, quod septennium compleuerint; quia dedecet infantulas, quasi in cunis, & cum nutricibus in Monasterio retineri: & ita colligitur ex facultatibus, quæ à S. Congregatione Cardinalium ad has puellas admittendas conceduntur in his verbis: *Dummodo maiores septennio sint*, &c. Vide Dianam *3. part. tract. 2. resol. 131.* & Zerolam *verb. Moniales, ad 11. quæst.*

Et hoc adeò verum est, vt Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 17.* & Hieron. Rodrig. *in Compend. qq. Regul. resol. 27. num. 16.* putent à Superioribus non posse has puellas admitti, nisi habeant 12. annos: quamvis contrarium minùs rectè sentiat Portell. *in addit. ad dub. Regular.* tenens, dictas puellas posse admitti, vt suo tempore profiteantur, etiamsi sint ætatis infantilis, nondum attringentes vsum rationis, in tertio verbi gratiâ, vel quarto ætatis anno.

DVBITA

## DVBITATIO XLVII.

### An ingressus causa sit iusta in puellis, ob alios fines? Vbi etiam de aliis fœminis.

### SVMMARIVM.

1 *Ingressus causa est iusta in puellis, & etiam in aliis fœminis ob alios fines præter educationem, seruatis supradictis conditionibus.*

2 *Puellæ pauperes, quæ commodè viuere possunt in Monasterio ob legata eis alimenta à propinquis ea lege vt in Monasterio retineantur, iustam habent causam ingrediendi.*

3 *Item puellæ è locis publicis causa pietatis extractæ, donec nubendi occasio contigerit.*

4 *Item si parentibus destitutæ congruam dotem non habeant.*

5 *Viduæ probæ vitæ, vel nobiles Matronæ, si honestatis causa, vel ex alio honesto fine in Monasterio viuere cupiant, iustam habent ingrediendi causam.*

6 *Mulier nupta ob timorem viri suspicantis eam esse adulteram, iustam habet causam.*

7 *Item si discordiam habeat cum marito, modò timeat eius sæuitiam.*

8 *Episcopo non licet dare licentiam ingressus viduæ in Monasterio vsque ad finem vitæ cum habitu seculari viuere cupienti, vt ibi quietius viuens animæ suæ consulat.*

9 *Consuetudo introducendi puellas habitum susceperas, per biduum, vel triduum antea in Monasterium, vbi viget, est tolerabilis.*

10 *Mulieres etiam coniugatæ ex declaratione Sac. Congregationis admitti possunt, si sit casus vrgens, & grauis necessitas.*

11 *Resolutiones aliqua sacræ Congregationis afferuntur.*

12 *Sacra Congregatio resoluens alibi appositum intelligit in casibus ordinariis, & frequenter occurrentibus, non autem in tam grauibus, & vrgentibus.*

13 *Clausura cum sit de iure positiuo, non obligat cum tanto incommodo.*

14 *Resolutio Sac. Congregationis in contrarium affertur, sed locum habere solum censetur vbi non viget consuetudo similes mulieres admittendi.*

1 REspondetur affirmatiuè, idque propter eandem rationem dictam *dubitat. præcedenti*, dummodo seruentur similiter eædem conditiones, quas 2 ibidem dicebam. Exempla sint, si tutò puellæ domi suæ ob tenues facultates ali non possint, & à propinquis, vel ab aliis per legatum, vel aliam viam 3 alimenta eis præstentur ea lege, vt in Monasterio retineantur. Item si è locis publicis causa pietatis ex- 4 tractæ desumptæ sint, donec nubendi occasio contigerit. Item si parentibus, & propinquis destitutæ congruam dotem non habeant.

5 Et quod dixi de puellis, idem dico de aliis fœminis, si non ob vtilitatem Monasterij supradictam, saltem ob similem, vel ob legem charitatis. Exempla sint, si vitæ probæ viduæ, vel nobiles matronæ, honestatis causa, vel ex alio honesto fine in Monasterio viuere cupiant (quamvis contrarium quoad hoc S. Congregationem decreuisse, referant Mi- 6 randa *tractat. de Monialib. quæst. 2. art. 7.* & Barbosa *de potest. Episcop. allegat. 102. numero 67.*) Item si mulier nupta ad Monasterium se recipiat timore viri suspicantis, eam esse adulteram. Item 7 si mulier similiter nupta in discordia, vel in lite sit cum marito, & eius sæuitiam timens, in Monasterio esse velit, donec lis componitur, vel ad concordiam cum illo reducitur. Sic Nauarr. *lib. 4. consil. 5. num. 1. tit. de diuortiis, 2. edit.* Azor. *tom. 1. lib. 3. cap. quæst. 4.* Zerola *part. 1. verb. Moniales, ad 10. quæsit.* Barbosa, & Miranda *in locis supra citat.* Portellus *in addit ad Dubitat. Regular. verb. Clausura Monialium, n. 2. & in Respons. Moral. tom. 2. casu 106.* Campanil. *rubr. 12. cap. 16. n. 28.* & Rodriguez *tom. 1. qq. Regular. quæst. 46. art. 10.* qui afferunt pro nostra ista sententia multas Cardinalium declarationes (quæ saltem locum habent, si sic sit consuetudo) quamvis aliæ Cardinalium declarationes velint, admissas (seruatis tamen conditionibus, quas *præcedenti Dubit.* dicebam) tolerandas esse, at in posterum nullas tales esse admittendas. Vide Doctores *supra cit.* & Cuchum *lib. 3. instit. maior. tom. 2. n. 12.* & Bonacinam *de clausura quæst. 4. punct. 4. n. 17.* qui subdunt, Cardinales etiam de- 8 claraſſe non licere Episcopo dare licentiam ingressus viduæ in Monasterio vsque ad finem vitæ cum habitu seculari viuere cupienti, vt vitam ibi quietius ducens, animæ suæ saluti prouideat.

Cæterum tamen declarauit eadem Cardinalium S. 9 Congregatio, quod vbi viget consuetudo, puellas habitum susceperas, per biduum, vel triduum antea in Monasterium introduci, toleranda sit talis consuetudo. Gauant. *in Manuali Episcop. verb. Monialium clausura, n. 32.* & Lezana *verb. clausura, n. 23.*

Item declarauit, quod si sit casus vrgens, & grauis 10 necessitatis, mulieres etiam coniugatæ admitti possint in Monasterium. Portellus *in locis supra citat.* Primò 11 sic: *Mulier coniugata, si sit in Monasterio Monialium, & constet quod si inde exierit, versabitur in periculo mortis, in Monasterio relinqui debet.* Secundò sic: *Mulier, quæ venit in suspicionem adulterij apud maritum, & ob id timet, ne ab eo vis aliqua inferatur, permitti debet, vt Monasterium Monialium ingrediatur, modò constitutiones Monasterij non repugnent.* Tertiò sic: *Mulier, quæ est in discordia cum marito, & eius sæuitiam timet, si est extra culpã, quando tamen timendi causam habet, debet in Monasterio tolerari.* Quapropter dici debet, S. Congrega- 12 tionem aliàs declarantem oppositum (non posse scilicet dictas mulieres admitti de licentia Episcopi, sed ad id requiri licentiam Sedis Apostolicæ) loqui solum de casibus non tam vrgentibus, sed passim, & ordinariè occurrentibus, præsertim quia clausura, cùm sit de 13 iure positiuo, non obligat cum tanto incommodo, & rigore, sicuti dicebam *dubit. 43.*

Quamvis etiam quoad hoc contrariam aliam Car- 14 dinalium declarationem afferant Portell. *cit. verb. clausura Monialium, n. 2.* Hieronym. Rodriguez *in compend. qq. Regul. resolut. 26. n. 15.* & Diana *part. 3. tractat. 2. resolut. 130.* in his verbis: *Non licet Episcopis, vel permittere, vel licentiam concedere mulieribus, vt ex causa litium matrimonialium, adulteriorum, ac dissensionum inter viros, & vxores apud Monasteria Monialium sequestrentur securitatis gratia, immò ingredientes incidunt in excommunicationem à Concilio impositam.* Ad quam tamen declarationem, vt concordetur cum aliis, dici posset, locum eam solum habere, si in Monasterio non sit consuetudo similes mulieres admittendi, vel si mulieribus dictis non magnum vitæ periculum immineat.

## DVBITATIO XLVIII.

An ingressus causa sit iusta in famulabus sæcularibus, vt culinæ, & aliis Monasterij inferioribus officiis inseruiant ?

### SVMMARIVM.

1 *Ingressus causa iusta est in famulabus sæcularibus, vt culinæ, & aliis Monasterij inferioribus officiis inseruiant, dummodo foras ea non exeant, si prædictis inferioribus officiis in Monasterio professæ conuersæ non sint.*

2 *Moniales choro deputatæ, durissimum est, si grauentur inferioribus officiis.*

3 *Ingressus famularum iussus simpliciter non videtur, nisi concurrat necessitas Monasterij, vel ratio magnæ nobilitatis, ægræ valetudinis, aut nimiæ senectutis causam præbeat.*

4 *Defectus charitatis, aut malitia Monialium iusta est causa habendæ famulæ, si coactio per superiores facta nihil prosit, & hoc non solum in quasi extrema, sed etiam in graui, seu notabili necessitate.*

5 *Quæ requirantur pro ingressu licito ad Monasteria S. Claræ, & alia Monasteria, quæ strictiorem clausuram profitentur.*

6 *Famulæ prædictæ non possunt pro suo libito ingredi, & egredi, sed tenentur quodammodo legibus clausuræ Monialium.*

7 *Famulæ prædictæ ingredi non possunt in seruitium infirmarum, vel decrepitarum Monialium sine licentia Sedis Apostolicæ.*

1 REspondetur, quod (quamvis Rodriguez *cit. quæst.*46. *art.*7. affirmet simpliciter, excipiens tamen Monasteria sanctæ Claræ, & alia Monasteria, quæ strictiorem clausuram profitentur, nisi in certis casibus) tamen affirmandum sit, solum cum distinctione, scilicet licitum esse pro totius Monasterij (qualiscumque obseruantiæ illud sit) vtilitate, has (dummodò foras non exeant) ingredi, si pro dictis inferioribus officiis in Monasterio professæ Conuersæ non sint, secus si sint.

2 Prior pars probatur, quia non oportet, Moniales choro deputatas, à choro, & altioribus officiis ob hæc inferiora officia impediri; præsertim quia sæpè sunt illæ delicatæ, nec his officiis assuetæ: quapropter eas horum officiorum onere grauari durissimum est: & ita respondisse fertur Gregorius XIII.

3 Posterior pars patet; quia tunc nulla concurrit Monasterij necessitas: at pro priuatæ Monialis ministerio prædictarum famularum ingressus simpliciter iustus non videtur, nisi contra Suar. in loco *infrà* citando, quando specialis ratio magnæ nobilitatis, aut ægræ valetudinis, aut nimiæ senectutis personæ causam præberet, & eius necessitati per Monasterij famulas, aut Conuersas sufficienter subueniri non posset, siue ex impotentia (vt concedit Rodriguez *art.*8.) siue etiam ex defectu charitatis, aut malitia Monialium, contra Rodriguez *loco cit.* quia quamvis ex malitia id oriatur, si Superior non potest commodè eas cogere, vel si coactæ malè ministrant, iusta adhuc est habendæ famæ causa, non solum in quasi extrema (vt concedit Llamas *in append.* §.11. *in fine*,) sed etiam in graui, seu notabili necessitate, contra Llamas *loco cit.* Vide Nauarrum *comment.*4. *num.*66. & 67. *de Regular.* Suarez *tom.*4. *lib.*1. *de Relig. cap.*10. *num.*20. Zerolam *part.*2. *verb. Moniales, dubit.*5. Cordubam *in addit. ad priuileg. Mendicant. verb. Ingressus Monasterior. Monial.* Rodriquez *quæst.*47. *art.*4. & *eqq.* (vbi multa tradit de causis specialiter requisitis pro ingressu licito ad Monasteria S. Claræ, & alia Monasteria, quæ strictiorem clausuram profitentur) Barbosam *de iure Ecclesiastico, num.*61. & *de offic. & potest. Episcop. part.*3. *allegat.*102. Peyrinum *tom.*1 *priuileg. Mon.in Const.*6. *Pij V. num.*31. Lezanam *verb. clausura, num.*34. (qui referunt S. Congregationem declarasse in vna Abulensi, dictas famulas non posse pro suo libito ingredi, & egredi, sed teneri quodammodo legibus clausuræ Monialium) Mirandam *in tract. de Monialib. quæst.*2. *art.*9. Campanil. *rubr.*17. *cap.*16. *num.*28. Bonacinam *de clausura, quæst.*4. *punct.*4. *num.*10. & Gauantum *in Man. Episc. verb. Monialium receptio, num.*14. qui aiunt, cautè in hac re procedendum esse; quia S. Congregatio Episcoporum & Regularium declarasse fertur, non posse dictas famulas in seruitium infirmarum, vel decrepitarum Monialium introduci sine licentia Sedis Apostolicæ. 5 6

Cæterùm, quantanam sit auctoritas S. Congregationis Cardinalium declarationum, sicut & decisionum Rotæ, styli Curiæ Romanæ, & similium? Dixi *cap.*14. *dub.*5. *sect.*2. 7

## DVBITATIO XLIX.

An ingressus causa sit iusta in nobilibus fœminis, quæ prætextu alicuius muneris necessarij in Monasterio exercendi ingrediuntur; cum nihil, aut parum ingressæ facturæ sint, nec tale ministerium sit earum statui consonum?

### SVMMARIVM.

1 *Ingressus nobilium fœminarum prætextu alicuius muneris exercendi, quod reuerà non exercent, dicitur esse in fraudem legis, præsertim si notabiliter ibi morentur.*

2 *Nobiles fœminæ si reuerà ad aliquod opus necessarium Monasterio ingrederentur, & in illo occuparentur non minus quam fœminæ viles ad illud opus exercendum aliàs ingressuræ, si statim moraliter finito opere egrediantur, non peccarent, data etiam curiositate.*

3 *Ingrediens in Monasterium ad exercendum aliquod opus necessarium ex causa vilis ministerij, si simul intentionem habeat turpiter loquendi, vel agendi cum Moniali, non peccat contra clausuram, sed solum ob prauum finem. Contra nonnullos vtrumque asserentes.*

REspondetur negatiuè, quia id est in fraudem legis, præsertim si ingressæ notabiliter ibi demorentur, quod esse illicitum, dicetur *infrà dub.*52. 1

Quamvis (si reuera ad opus Monasterio necessarium, quod per Moniales commodè exerceri non potest, ingrediantur, & in illo occupentur, non minus quàm occuparentur fœminæ viles ad illud opus exercendum aliàs ingressuræ, & statim moraliter, vt dicetur *cit. dub.*52. finito opere, egrediantur) non peccarent, licet non ob hunc finem, sed ob curiositatem videndi Monasterium principaliter ingrederentur; 2

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tur ; quia reuera tunc ex causa necessaria , quam exequuntur , ingrediuntur : non possunt tamen tunc ingredi cum comitatu decenti , quia non instar nobilium, sed instar vilium fœminarum,seu famularum ingrediuntur.

3 Hinc sequitur , idem dicendum esse de illo , qui Monasterium ingreditur cum licentia Superioris ex causa vilis ministerij necessarij , sed simul intentionem habet turpiter loquendi, vel agendi cum Monialibus ; quia hæc praua intentio non tollit priorem ingrediendi causam , ob quam à Superiore ingrediendi licentiam obtinuit ; quamvis ob prauum finem grauiter peccet , & grauibus pœnis ob sacrilegij reatum , quem committit , plectendus sit. Vide Zerolam *in prax. p. 1. verb. Moniales, ad* 8. *quæst. vers....* & Rodrig. *tom. 1. quæst. 46. art. 3. notab.* 2. Etsi nonnulli non omninò improbabiliter contrarium sentire videantur ; forsan ex eo , quia Superior in tali casu non præsumitur facultatem concessisse , quin neque concedere potuisset ; sed quod dixi , est multò probabilius ; quia hæc est conditionata Superioris voluntas , quæ nihil ponit in esse ; & Ecclesia non iudicat de occultis.

## DVBITATIO L.

### An ingressus causa sit iusta in superiore , qui electioni Abbatissæ præsit, & Monialium vota suscipiat ?

### SVMMARIVM.

1 *Superior non dicitur habere iustam causam ingrediendi clausuram ad præsidendum electioni Abbatissæ, & vota suscipienda.*

2 *Vota Monialium in electione Abbatissæ accipi possunt à superiore per fenestellam clausis Ecclesiæ ianuis.*

3 *Ingressus causa in electione Abbatissæ potest esse iusta, si opus sit sedare rixas, & altercationes Monialium, & tunc superior ingrediatur comitatus iuxta motum Gregorij XIII.*

4 *Opinio Nauarri, & Rodriguez commendatur contra Azorium , & Llamam.*

1 REspondetur , quod ( licet Llamas *in Append.* §. 7. affirmet ; quia ante , & post electionem , & in ipsa electione debet Prælatus exhortari , & dirigere Moniales , ad quæ facienda ipsius ingressus necessarius esse videtur ) negandum tamen sit ; quia 2 hæc fieri commodè possunt clausis Ecclesiæ ianuis per fenestellam , per quam aliæ exhortationes quotidie fieri solent ; tum quia ita clarè decidit Trident. *sess. 25. cap. 7. in fin. de Regular.* ibi : *Non ingrediatur, sed per fenestellam suscipiat :* & quamvis Concilium non vtatur verbis præceptum , sed consilium denotantibus , tamen satis clarè decidit, hanc non esse iustam,& necessariam ingressus causam : & *cap. 6.* eiusdem sessionis sub excommunicationis latæ pœna ingressum præterquam in casibus necessariis, interdixerat : tum quia ita declarauit S.Congregatio apud Barbosam *de iure Eccles. n.* 171.& Tamburin. *de iur. Abb. disputat. 24. quæst.* 8.& docent Nauar.& Rodrig. in locis *infra* citandis , & alij , quos citat , & sequitur Lezana *tom.* 1. *cap.* 25. *num.* 25. & *verb. clausura , numero* 32. Villalob. *tom. 2. tract. 35. diffic. 46. num.* 12. Bonac. *de claus. q. 4. punct. 4. n. 7.* & Diana *part. 3. tract. 2. resol. 67.*

3 Non nego tamen , quod si in electione concurrant circumstantiæ ( verbi gratia sit magna subornationis suspicio, vel magna Monialium reuolutio ) ob quas hic , & nunc ingressus Prælati prudenter iudicetur necessarius , licitum sit , Prælatum ingredi comitatum ab aliquibus , iuxta Motum Gregorij XIII. quem afferebam *suprà dubitat.* 35. quia non præsumitur Tridentinum in tali casu tantæ necessitatis ad bonum Monasterij commune , quod pendet ex bona Abbatissæ electione, ingressum denegare. Villalob. Bonacina , & Diana *in locis supra cit.* Miranda *de Monialib. quæst. 2. art. 15. concl. 3.* Barbosa *de offic. & potest. Episc. allegat.* 102. *num.* 47. & Lezana *loco supra cit.*

4 Et in hoc sensu verum est , quod ait Nauar. *Comment. 4. num. 59. de Regularib.*& Rodrig. *tom. 1. 99. Regul. q. 46. art. 4. in fin. & art. 5. in princip.* licitum scilicet esse ingressum vocati ad bonam Abbatissæ electionem dirigendam,quamvis dissentiat Azor *tom. 1. lib. 13. cap. 8. q. 6.* & Llamas §. 8. *in fine.*

## DVBITATIO LI.

### An ingressus causa sit iusta in Episcopo , vt alicui de Monasterio Confirmationis sacramentum administret ? Vbi etiam de ingressu pro benedictione , vel Consecratione Monialis , vel pro alia causa simili.

### SVMMARIVM.

1 *Episcopus non habet iustam causam ingrediendi clausuram ad confirmandam Monialem, nisi ea sit infirma, ita vt non possit ad crates accedere, & periculum sit in mora.*

2 *Monialis commodè potest confirmari per fenestellam, per quam Moniales Eucharistiam recipiunt.*

3 *Idem dicas de benedictione, vel consecratione Monialis, de dando habitu , aut professione Nouitiæ, & his similibus.*

4 *Matri, sorori , vel aliis Consanguineis Monasterium ingredi non licet , vt Monialem visitent , aut illius professioni , vel morti assistant.*

5 *Capellano , vel Confessario Monialium non licet ingredi clausuram in casu reuocationis sacramenti existentis in choro interiori; cum id fieri possit absque ingressu, & exponi per fenestellam in Ecclesia exteriori.*

REspondetur negatiuè ( nisi confirmanda sit infirma , vt non possit ad crates,vel fenestellam accedere ; & periculum sit , quod absque tali sacramento moriatur ( quia circa hunc casum potest id fieri commodè per fenestellam , per quam Moniales Eucharistiam recipiunt. Rodriguez *cit. tom. 1. quæst. 47.* 1 2 *art. 10.* & Llamas *cit. §. 8. in princ.*

Idem dicas in casu de benedictione , vel consecratione Monialis , vel de dando habitu , aut professione Nouitiæ , vel de dando velo solenniter professæ , vel de examinando Moniales ; aut quascumque alias in Monasterio legitimè morantes , idque propter eandem rationem dictam. Rodrig. & Llamas *locis suprà cit.* & declarauit S. Congregatio apud Barbosam *de iure Ecclesiastico num.* 171. & apud Tamburinum *de iure Abbat. disp. 24. quæst.* 8. Vide 4 etiam *dubit.* 41. vbi probabam neque licere matri , sorori , vel aliis consanguineis Monasterium ingredi,

vt

vt Monialem visitent, aut illius professioni, vel morti assistant.

5 Idemque dicas in casu de reuocatione Sacramenti existentis in choro interiori: quod scilicet neque possit Capellanus, vel Confessarius ingredi ad illud renouandum, cùm reuocatio illius fieri possit absque ingressu, & exponi per fenestellam in Ecclesia exteriori existentem, & interiorem Chorum respicientem. Miranda *q.2.art.19.*& alij passim.

## DVBITATIO LII.

An ingrediens Monialium Monasterium ex legitima licentia, teneatur finito negotio, statim egredi? Vbi etiam de requisitis ad licentiam ingressus.

### SVMMARIVM.

1 *Ingrediens Monialium Monasterium ex legitima licentia, tenetur finito negotio statim egredi.*

2 *Monialis ex legitima licentia è Monasterio egressa, tenetur finito negotio statim regredi.*

3 *Licentia ingrediendi non est concessa nisi ob causam, qua cessante, cessat ipsa licentia.*

4 *Præceptum de seruanda clausura est morale, & moraliter intelligendum.*

5 *Ingrediens clausuram ex legitima licentia, si finito negotio moretur parumper vt circumspiciat ex curiositate, non peccabit, neque venialiter.*

6 *Ingrediens Monasterium ex legitima licentia, si finito negotio parumper ibi demoretur circumspicendo ex praua intentione peccat, sed non contra præceptum clausuræ.*

7 *Ingrediens Monasterium ex legitima licentia, si finito negotio ibi ex praua intentione, vel secundum moram moralem, vel longissimam moretur, non incurrit censuras, contra nonnullos, etiamsi habeat copulam cum Moniali.*

8 *Monialis legitimè egressa, si finito negotio extra Monasterium degat cum quacumque praua intentione, & executione, non incurrit censuras, & cur.*

9 *Licentiæ ingrediendi olim aliquibus Mulieribus concessæ, reuocatæ fuerunt, & per quos, & quomodo.*

10 *Mulieres seculares habentes licentiam ingrediendi, non possunt ea vti nisi accedat consensus Monialium capitulariter obtentus, secus incurrunt censuras.*

1 REspondetur affirmatiuè, idque propter easdem rationes, propter quas *dubitat.*20. dicebam, Mo-
2 nialem legitima licentia è Monasterio egressam, teneri finito negotio, statim regredi; & patet, quia licentia ingrediendi non est concessa, nisi ob causam,
3 quæ iam cessasse supponitur. Vide quæ dicebantur *ibi*, vide etiam collectorem priuilegior. Mendicant. *verb. Ingressus Monasteriorum Monial. not.ab.1.ad fin.* Rodrig. *tom.1.qq.Regular.q.47.art.11.* Molfesium *in sum.tract.7. cap.20.n.40.* Mirandam *de Monialib.q.2.art.20.* & Bonacinam *de clausura q.4.punct.4.n.22.*

4 At quia hoc præceptum (vt *cit. dubitat.*20. dicebam) est morale, moraliter est intelligendum; præsertim quia sic iam vsu receptum est, etiam apud viros timoratæ conscientiæ, teste Molfesio *loco suprà*
5 *cit.* Vnde si quis ingressus, finito negotio per breuem moram demoretur, verbi gratia ex curiositate, quæ sunt in Monasterio circumspiciendo, non peccabit, neque etiam venialiter. Vide Collectorem, Rodriguez, Molfesium, Mirandam, Bonacinam *in locis suprà cit.* & Aloysium Bariolam *in Aphorism.lit. M. verb. Moniales*, §.8. 6

Excipe, nisi adsit praua intentio; quia tunc peccabit quidem ratione prauæ intentionis, non tamen peccabit contra præceptum clausuræ; cum sit legitima licentia ingressus, & finito negotio, non sit moralis mora, ad quod tantùm præceptum hoc obligationem inducit.

An autem in tali casu (si scilicet sit praua intentio, 7
& moralis mora) contrahat etiam censuras?

Respodetur, quod quamvis affirment Collector *loc.cit.* Llamas *in Append.*§.10. Zechius *tit.de Regularibus, cap.3.n.15.vers.*9.& Merolla *tom.1. disput.1. diffic.7. n.*498. & inclinent Naldus *verb. Monialis, n.*15. & Bonacina *cit. num.*22. negandum tamen sit; idque etiamsi sic ingressus per longissimam moram ibi demoretur, & cum Moniali copulam habeat; sicuti *Du-* 8
*bitat.*25. dicebam, Monialem legitimè egressam, si finita egressus causa, diuturnam extra Monasterium moram trahat cum quacumque praua intentione, & executione, non incurrere censuras, quia reuerà non dicitur hic egressus absque licentia; & censuræ (quæ non sunt ampliandæ, sed potius restringendæ) contra egressam solùm latæ sunt. Vide Dianam *part.3. tractatu 2. resol.*67. Bonacinam *de claus. q.1. punct.4. numero* 3. & Zerolam *verb. Moniales, ad* 8. *quæst. edit.2.*

Cæterùm, licentias Mulieribus quibuscum- 9
que ingrediendi Monasteria Monialium concessas limitauit Paulus V. in Bulla, *Facultatum*, anno 1608. Et postea in Bulla, *Monialium*, anno 1612. omninò reuocauit omnes tales licentias, præcipiens quibuscumque mulieribus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ sibi reseruata, ne prædicta Monasteria prætextu licentiarum ingrediantur; & Monasteriorum Abbatissis, seu Priorissis, & Superioribus sub eadem, & aliis pœnis, ne talem ingressum permittant. Vide Peirinum *tom.2. priuileg. Minim. in Constit.6. Pij V. numero* 5. Tandem Vrbanus VIII. in Bul- 10
la 5. *sacrosanctum*, anno 1624. declaratit, consensum Monialium (qui requiritur ad hoc, quod fœminæ seculares ipsarum Monasteria ingrediantur) per easdem Moniales capitulariter, & per secreta suffragia præstandum esse, aliàs licentiæ huiusmodi mulieribus quibus concessæ fuerunt, nullatenus suffragentur, ibi: *Motu proprio, & ex certa scientia nostra harum serie decernimus, atque declaramus, consensum dictarum Monialium de cætero per easdem Moniales capitulariter, & per secreta suffragia præstandum esse, & præstari debere, aliàs licentiæ huiusmodi mulieribus, quibus concessæ fuerint, nullatenus suffragentur: & quæ sanctimonialium Monasteria vigore licentiarum prædictarum, absque consensu capitulariter, vt præfertur, præstito, ingredi præsumpserint, sententias, censuras, & pœna contra clausuras Monasteriorum Monialium violantes inflictas se nouerint incursuras.* Loquitur itaque Pontifex (vt patet ex textu) in casu, quo dictæ Mulieres ingredi velint ex vi licentiarum à Sede Apostolica concessarum. Vide Bonacinam *in verb. clausura, quæst.9.punct.5.*

## DVBITATIO LIII.

### An transgrediens clausuram modico ingressu vel egressu peccet, & censuras incurrat?

### SVMMARIVM.

1 *Ingredientes clausuram modico ingressu, vel egressu neque peccant, neque censuras incurrunt.*
2 *Modicum moraliter loquendo, seu paruitas materiæ a peccato, & censuris excusat.*
3 *Ingressus, seu egressus secundum Graffium, & alios quomodo esse possit leuis materia, seu modicum.*
4 *Furtum vnius argentei ratione paruitatis materiæ non est peccatum mortale, licet sit verum, & perfectum furtum, nec inducit censuras latas contra furantes.*
5 *Ingressus vel egressus per duos tantum pedes, præciso periculo peccati, data parua mora non est peccatum, nec inducit censuras.*
6 *Modicum, seu paruitas materiæ in casu ingressus, seu egressus intelligitur iuxta mentem Auctoris quando res non est consummata, sed verbi gratia vna pars corporis est intus, altera foris.*
7 *Stans in ostio Monasterij non peccat, nec pœnas contra clausuram violantes latas incurrit.*
8 *Ostium dicitur esse partim intra, partim extra clausuram, contra Zecchium.*
9 *Stans in ostio censetur stare in domo, & sic incurrit pœnas ingredientis domum, ad tradita per Bartolum, Baldum, & alios.*
10 *Opinio Auctoris contra Zecchium est probabilior, & quare.*

1 REspondetur negatiuè; quia (cum hoc præ-
2 ceptum, vtpote morale, moraliter tantum obliget, vt *dubitat. præcedenti* dicebam) modicum à peccato & censuris excusat. Doctores, quos citat, & sequitur Graff. *de casib. reseru. cap. 5. n. 44. & 1. part. decis. lib. 4. cap. 23. num. 25.* & alij mox *infra* citandi. Vide etiam quæ dicebam *dub. 4.*

Cæterum, quantumnam sit modicum in casu nostro?

3 Respondetur, quod (licet Graff. *locis supra cit.* Naldus *verb. clausura, num. 4.* & Merolla *tom. 1. disp. 1. cap. 2. disse. 7. num. 502.* putent, modicum esse, si ingressus secularis in Monasterium Monialium, vel egressus Monialis è clausura sui Monasterij, vel ingressus fœminæ in Monasterium virorum sit per duos pedes; moti ex eo, quia etsi ille sit verus, & perfectus ingressus, vel egressus, est in parua materia, & sic non sufficiens ad peccatum mor-
4 tale; sicuti, licet furtum vnius argentei sit verum, & perfectum furtum, tamen quia est in parua quantitate, non est sufficiens ad peccatum mortale, nec ad contrahendas pœnas latas contra furantes; quod
5 mihi non improbatur, si abest periculum peccati, & cum illo modico ingressu, vel egressu coniungitur
6 parua mora temporis) nihilominus probabilius sit, modicum in hoc casu, seu in hoc ingressu, vel egressu esse, quando hæc non sunt perfecta, & consummata; ita vt nimirum pars corporis (siue maior, siue minor) sit intus, altera foris; seu totum corpus non sit intus, vel totum foris; vt si quis, verbi gratia, vno pede clausuræ ianuam exierit, altero intus extiterit; vel si quis quasi equitans, Monasterij muro insideat. Portell. *in dub. Regular. verb. clausura Monialium, n. 75.* Bonacina *de claus. quæst. 1. punct. 1. num. 7.* Tamburin. *de iure Abbat. disp. 16. quæst. 5. ad 7.* Diana *part. 3. tract. 2. resol. 52.* Homobon. *in consult. Moral. tom. 1. part. 4. resp. 61.* Texeda *in controuers. tom. 1. lib. 2. tractatu 1. controuers. 14. dub. 1. numero 9.* Ant. Fernandez *in Instruct. Confess. part. 2. cap. 5. n. 13.* Rodrig. *tom. 1. q. 49. art. 7.* & Lezana *verb. clausura, n. 7.*

Vnde probabilius non peccat, nec pœnas contra 7
clausuram ingrediendo, vel egrediendo violantem latas incurrit, qui stat in ostio, quia ostium est par- 8
tim intra, partim extra clausuram (vti rectè dixit Gloss. *in cap. cum sanctum, verb. Virgo, de pœnitentia, dist. 6.* Bald. *in l. cætera, ff. de legat. 1.* Alex. & Iason. *ibid. num. 11.*) quamvis contrarium non omninò improbabiliter teneat Zecchius *de casibus reseru. cas. 10. num. 1.* motus ex eo, quia stans in ostio 9
censetur stare in domo, & sic incurrit pœnas ingredientis domum; cum ad hoc satis sit tangere partem domus, sicuti tradunt Bartolus *in l. 1. §. hoc interdictum, num. 1. ff. de cloacis*, Baldus *in rubr. vers. his adde, ff. solut matrim.* Alex. *cons. 137. numero 14. vol. 2.* & Iaf. *in l. plerique, numero 10. limit. 4. ff. de in ius vocando*: sed quod dixi, est 10
probabilius propter rationem dictam, præsertim cum pœnæ sint potius restringendæ, quàm ampliandæ.

## DVBITATIO LIV.

### An, & quas censuras, pœnasque incurrat ingrediens Monasterium Monialium extra casus permissos?

### SVMMARIVM.

1 *Ingredientes claustra Monialium præcisa causa necessitatis, & superioris licentia in scriptis concessa, incurrunt ipso facto excommunicationem latam à Concilio Tridentino.*
2 *Licentia concessa ingrediendi claustra Monialium quibuscumque fœminis reuocata fuerunt à Gregorio XIII. & ab eo aucta fuerunt pœna lata contra violantes clausuram, qui ex eiusdem Decreto incurrunt excommunicationem ipso facto, à qua non possint absolui, nisi a Romano Pontifice, præciso mortis articulo.*
3 *Superiores quocumque nomine censeantur permittentes ingredi prætextu dictarum licentiarum, vltra dictam excommunicationem, incurrunt pœnas priuationis dignitatum, beneficiorum suorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda.*
4 *Dispositio Pauli V. est similis dictæ dispositioni Gregorij in Bulla, quæ incipit: Monialium statui.*
5 *Paulus V. secundum mentem Cherubini in suo Bullario reuocauit simpliciter omnes facultates, & priuilegia ingrediendi, etiamsi in ipsis non contineatur licentia conuersandi, & refectionem corporalem sumendi cum Monialibus.*
6 *Particula (aut) dicitur disiunctiua.*
7 *Paulus V. quod non reuocauerit simpliciter omnes facultates & priuilegia ingrediendi, est etiam probabile.*
8 *Particula (&) dicitur coniunctiua, & posita in concessionibus quid operetur.*
9 *Particula (huiusmodi) relationem habet ad præcedentia;*

*dentia ; & ideo nihil obstat quod Paulus V. in dicto motu simpliciter mentionem faciat de ingredientibus.*

10 *Gregorius XIII. in alio motu, qui incipit, Dubiis quæ emergunt, alias pœnas statuit in superiores illegitimè ingredientes Monasteria Monialium. Vide ibi quæ sint.*

11 *Personæ quæcumque sine licentia superioris in scriptis obtenta ingredientes Monialium Monasteria, non reseruatam excommunicationem ipso facto incurrunt, etiamsi alioquin iustam habeant ingrediendi licentiam.*

12 *Excommunicatio prædicta non dicitur reseruata, si ingrediens non habeat malum finem, scilicet luxuriam ; secus tamen est malo fine non præciso.*

13 *Violatio clausuræ ad malum finem luxuriæ est casus ex quinque summo Pontifici reseruatis, à quo nemo poterit absoluere virtute priuilegiorum.*

14 *Persona cuiuscumque status, & conditionis ( etiamsi sint Comites, Marchiones, aut Duces, quæ ingredi audent Monialium Monasteria virtute quarumcumque facultatum à quocumque concessarum, excommunicationem summo Pontifici reseruatam ipso facto contrahunt.*

15 *Abbatissæ omnes, Abbates, Conuentus, ac alij Monasteriorum cuiuscumque sexus Superiores, & Personæ quocumque nomine vocentur, eandem excommunicationis Pontifici reseruatæ pœnam incurrunt, ac etiam pœnam priuationis Dignitatum, Beneficiorum, & officiorum suorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, si in Monasteria sua permittant quemquam ingredi prætextu dictarum licentiarum, & facultatum.*

16 *Ingredientes ex facultate Episcopi, seu Superioris legitimi præcisa necessitate, & Moniales, quæ eos aliter admittere præsumunt, contrahunt omnes pœnas recensitas.*

17 *Episcopi, & Superiores legitimi Monasterij Monialium, quibus regimen Monasterij quouis modo incumbit, si præcisa necessitate ingrediantur, prima vice sunt Ecclesiæ ingressu interdicti, secunda vice à munere Pontificali, & à Diuinis suspensi, atque deinceps ipso facto excommunicati.*

18 *Ingredientes peculiaria Monialium Monasteria, contrahunt etiam alias antiquiores excommunicationes.*

19 *Gregor. IX. & Eugenius IV. tulerunt reseruatam excommunicationem ipso facto incurrendam in præsumentes ingredi Monasteria sanctæ Claræ.*

20 *Bonifacius IX. excommunicationem tulit in præsumentes ingredi Monasteria Ordinis Prædicatorum.*

21 *Iulius II. tulit excommunicationem in præsumentes ingredi Monasteria Conceptionis.*

1 SVppono, quod Tridentin. *sess. 25. de Regular. cap. 5.* excommunicationem ipso facto infert in ingredientem claustra Monialium, præterquam in casibus necessitatis, & ex Superioris licentia in scriptis concessa, cuius excommunicationis absolutionem Concilium non reseruat, nec pœnas statuit in Moniales, quæ aliter ingressum in Monasterium admittunt.

2 Suppono secundò, quod Gregorius XIII. in Motu proprio, qui incipit *Vbi gratia*, pœnas auget, vbi prius reuocat licentias, & facultates quibuscumque, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, & aliis cuiuscumque status, & conditionis mulieribus concessas ingrediendi Monasteria, domus, & loca Monialium, vel virorum, & quibuscumque viris, etiam eiusdem conditionis, & status, ingrediendi Monasteria, domos, vel loca Monialium, licet à quocumque Pontifice, vel Legato, vel aliis concessæ sint ex motu proprio, & ex certa scientia, & cum quibuscumque clausulis, & ex quibuscumque vrgentissimis causis, & licèt iteratis vicibus renouatæ sint ; & statim addit hæc: *Inhibentes eisdem, qui illas obtinuerunt, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, super quam à nemine nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium possit impertiri, ne ipsarum licentiarum prætextu Monasteria huiusmodi quouis modo ingredi audeant : Abbatissis verò, nec non Abbatibus, Conuentibus, ac aliis Monasteriorum vtriusque sexus superioribus, & personis, quocumque nomine vocentur, districtè præcipimus sub eadem excommunicationis pœna, ac priuationis dignitatum, beneficiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ne in Monasteria, domus, & loca sua, quocumque prætextu huiusmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant, vel permittant : quin etiam sub eisdem pœnis ipso facto incurrendis prohibemus, atque interdicimus omnibus, & quibuscumque personis Ecclesiasticis, & secularibus, ac etiam Ordinum quorumcumque, etiam Mendicantium Regularibus, ne prætextu licentiarum ab Episcopo, vel à Superioribus ( quibus illas concedendi in casibus necessariis tantum ex decreto Concilij Tridentini facultas tribuitur ) Monasteria ipsa Monialium pro libito, sed necessitatibus vrgentibus dumtaxat ingredi, néve Moniales sub eisdem pœnis illos aliter admittere præsumant.* 3

Similem dispositionem edidit Paulus V. in Bulla, quæ incipit : *Monialium statui*, in qua reuocat omnes fœminis concessas facultates ingrediendi Monasteria Monialium, cum eis conuersandi, ac refectionem sumendi : & similiter excommunicationem sibi reseruatam infert contra fœminas ingredi præsumentes prætextu facultatum concessarum : & contra Abbatissas & Superiores, quæ aliquam fœminam ingredi volentem prætextu huiusmodi licentiarum audent introducere, seu admittere, vel retinere, ibi : *Ipsorum verò Monasteriorium Abbatissis, seu Priorissis, ac Superioribus sub eadem, ac priuationis officiorum, quæ obtinent, & inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda ipso facto absque alia declaratione incurrendis pœnis, ne eas introducere, seu admissas quoquo modo retinere audeant, seu præsumant.* 4

An autem Paulus V. in dicta Bulla simpliciter reuocauerit fœminis omnes licentias ingrediendi, vel solum eas in quibus continetur etiam facultas conuersandi, & refectionem corporalem sumendi. 5

Respondetur, quod ( quamvis Cherubinus in suo Bullario, cum disiunctiuè loquatur per particulam *aut*, sentire videatur, Paulum V. reuocasse simpliciter quascumque facultates, & priuilegia ingrediendi, etiamsi in ipsis non contineatur licentia conuersandi, & refectionem corporalem sumendi cum Monialibus ) oppositum tamen 7 sit etiam probabile ; quia Paulus V. vtitur forma loquendi coniunctiua per particulam *Et*, ibi : *Omnes, & singulas licentias ingrediendi Monasteria Monialium vbique locorum existentium cum Monialibus conuersandi, & refectionem sumendi corporalem secularibus cuiuscumque status, gradus, & conditionis*, &c. 8

Neque

Neque obstat, quod in §. subsequenti, in quo Pontifex excommunicationem infert simpliciter, mentionem faciat de ingredientibus.

9 Responderi enim potest, quod mentionem facit simpliciter de ingredientibus *prætextu prædictarum licentiarum huiusmodi*, vbi particula *huiusmodi*, relationem habet ad præcedentia; id est, ad licentiam ingrediendi, conuersandi, & refectionem corporalem sumendi.

10 Suppono tertiò, quod tandem Gregorius XIII. in alio motu, qui incipit: *Dubiis quæ emergunt*, alias pœnas statuit in Superiores illegitimè ingredientes Monasteria Monialium, his verbis: *Declaramus, Prælatos omnes, tam sæculares, quam Regulares, quibus cura, & regimen Monasteriorum Monialium quouis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingredientes Monasteria prædicta ita demùm vti posse, si id faciant in casibus necessitatis, & à paucis, iisque senioribus, ac religiosis personis comitati. Quocirca vniuersos, ac singulos Episcopali, seu maiori, ac etiam Cardinalatus dignitate præditos, necnon quorumuis Ordinum Abbates, Priores, Ministros, & alios quoscumque Superiores Regulares seriò monemus, vt facultate huiusmodi, qui eam habent, præterquam in casibus, vt præfertur, necessariis neutiquam vtantur. Quod si contra fecerint, statuimus, qui Pontificalis dignitatis fuerint, pro prima vice, qua contrà fecerint, Ecclesiæ ingressu interdictos, pro secunda, à munere Pontificiali, & à diuinis suspensos, ac deinceps ipso facto absque vlla declaratione excommunicatos existere: Regulares autem omni officio, ac ministerio priuatos excommunicationis pœnæ similiter subiacere.* Vide Bonacinam *de clausura, quæst. 4. punct. 5.* Gauantum *in Man. Episcop. verb. Monialium clausura, numero 46. & sequentib.* & Lezanam *tom. 1. cap. 25. num. 27.*

Ex his iuribus, & suppositis sequitur, varias personas variis pœnis affici; quapropter.

11 Respondetur, & dico primò, quæcumque personæ sine licentia Superioris in scriptis obtenta Monialium Monasteria ingrediuntur, non reseruatam excommunicationem ipso facto incurrunt, etiamsi alioquin iustam haberent ingrediendi licentiam, ob quam eis Superior licentiam concessisset: constat ex Tridentino *loco cit.* quia excommunicat ibi Concilium ingredientes sine licentia in scriptis, & de reseruatione nullam mentionem facit.

12 Quod vltimum tamen intellige (sicuti dicam *dub. 69.*) modò qui ingreditur, non ingrediatur ad
13 malum finem, scilicet luxuriæ, quia violatio clausuræ ad huiusmodi malum finem est casus ex quinque vnus Summo Pontifici reseruatus, à quo nemo potest absoluere virtute priuilegiorum, sicuti patet ex declaratione Sacræ Congregationis, quæ incipit, *Sacra Congregatio.* An autem si delictum sit occultum, possit absoluere Episcopus virtute facultatis Tridentini Concilij, & Regularis virtute priuilegiorum suæ Religionis, dicam *citat. dubit. 69.* & dicam *dub. 28.*

14 Dico secundò: Personæ cuiuscumque status, & conditionis (etiamsi sint Comites, Marchiones, aut Duces) quæ ingredi audent Monialium Monasteria, virtute quarumcunque facultatum à Romano Pontifice, Legato, Episcopo, vel aliis antè concessarum, excommunicationem Pontifici reseruatam ipso facto contrahunt, constat ex cit. Motu Gregorij XIII. *Vbi gratiæ*, & ex cit. Motu Pauli V. *Monialium statui.* An autem in dictis Motibus includantur etiam Reges, Imperatores, ipsorumque vxores, filij & filiæ? Vide suprà *dub. 30. & infrà dub. 74.*

*Thom. Delbene de Immunit. Eccl.* Pars II.

15 Dico tertiò: omnes Abbatissæ, Abbates Conuentus, ac alij Monasteriorum cuiusque sexus Superiores, & personæ, quocumque nomine vocentur, eandem excommunicationis Pontifici reseruatæ pœnam incurrunt, ac etiam pœnam priuationis dignitatum, Beneficiorum, & officiorum suorum, & pœnam inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, si in Monasteria sua faciant, vel permittant quemquam ingredi prætextu huiusmodi licentiarum, & facultatum, constat ex eodem Motu proprio Gregorij XIII. & Pauli V.

16 Dico quartò, eandem pœnam excommunicationis Pontifici reseruatæ, & priuationis dignitatum, beneficiorum, ac officiorum suorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda contrahunt, qui ex facultate Episcopi, vel Superiorum (quorum est illam concedere) ingrediuntur absque necessitate, & Moniales, quæ eos aliter admittere præsumunt: constat etiam ex eodem Motu proprio Gregorij XIII. & Pauli V.

17 Dico quintò, personæ Pontificiali dignitate præditæ, quibus regimen Monasterij Monialium quouis modo incumbit, si Monasteria Monialium, præterquam in casibus necessariis, ingrediantur, prima vice sunt Ecclesiæ ingressu interdictæ, secunda vice à munere Pontificali, & à diuinis suspensæ, atque deinceps ipso facto excommunicatæ: si autem sint Regulares Prælati, ad quos regimen Monasterij Monialium quouis modo spectat, & dicta Monasteria, præterquam in casibus necessitatis, ingrediantur, sunt similiter excommunicati, ac priuati omni officio, & ministerio: constat ex citato alio Motu proprio Gregorij XIII. qui incipit: *Dubiis quæ emergunt.*

18 Dico sextò, ingredientes peculiaria Monialium Monasteria, contrahunt etiam alias antiquiores excommunicationes, quia Gregorius IX. & Eugenius IV. reseruatam excommunicationem ipso facto incurrendam tulerunt in præsumentes ingredi Monasteria S. Claræ, & Bonifacius IX. excommunicationem tulit in præsumentes ingredi Monasteria Ordinis Prædicatorum: & Iulius II. in ingredientes Monasteria Conceptionis, sicuti patet ex Constitutionibus Summorum Pontificum apud Rodrig. *tom. 1. quæstione 47. art. 1. & 2.* & apud Compendiatorem *priuilegiorum Mendicant. verb. Ingredi Monasteria Monialium.*

19 Ex his dictis soluuntur 16. Dubitationes immediatè sequentes.

20

## DVBITATIO LV.

### An ingrediens Monialium Monasterium ex licentia quidem Superioris in scriptis obtenta, non tamen iustè (id est, in casu necessario, vt petit Tridentinum) concessa, contrahat Tridentini excommunicationem non reseruatam.

### SVMMARIVM.

1 *Ingrediens Monialium Monasterium ex licentia Superioris in scriptis obtenta, si Superiori allegauerit bona fide causas sui ingressus examinandas, nullam simpliciter contrahit excommunicationem, stante causæ approbatione, & bona fide ingredientis.*

2 *Ingrediens Monialium Monasterium falsam causam proponendo, & Superiorem decipiendo, contrahit non reseruatam excommunicationem Pontifici.*

3 *Ingrediens, si Superiorem non deceperit sua potestate abutentem in concedenda extra casum necessitatis licentia, si superioris abusum nouit, contrahit excommunicationem etiam Tridentini, secus est si bona fide excusetur.*

4 *Licentia non liberam, sed prudentiæ consonam voluntatem importat ad allegata per Bartolum.*

5 *Excommunicatio Tridentini cadit super ingredientem absque superioris licentia citra causam rationabilem, & manifestam concessa.*

6 *Licentia, vtpotè ab inferiore sine iusta causa concessa, est nulla, & irrita.*

7 *Superior concedens licentiam ingrediendi sine iusta causa non incurrit excommunicationem.*

1 REspondetur, & dico primò, si ingrediens proposuit Superiori bona fide causas ingressus ab eo examinandas, & Superior concessit licentiam, ingrediens nullam simpliciter excommunicationem contrahit: quia tunc licet causa ingressus reuera non sit sufficiens, ille tamen (cùm eam iudicio Superioris, cuius est approbare, vel reprobare, discutiendam bona fide proposuerit) non peccat; sed si quæ culpa est, illa Superioris, non ingredientis est: ergo nullam simpliciter excommunicationem contrahit.

2 Dico secundò, si ingrediens falsam causam proponendo, Superiorem decepit, non reseruatam Pontifici excommunicationem contrahit, quia tunc (cum licentia sit per fraudem extorta, consequenter ratione erroris inuoluntaria) perinde est, ac si illa concessa non esset, & sic est ingredi sine licentia. Suarez *tom.4. de relig. tract.8. lib.1. cap.9. num.14.* Bonac. *de claus.quæst.1.punct.4.* & Lezana *tom.1. c.25. num.20.*

3 Dico tertiò, si ingrediens Superiorem non decepit, sed iste sua potestate abutens concessit extra casum necessitatis licentiam, & ingrediens Superioris abusum nouit (si enim non nouit, bona fide excusatur) contrahit excommunicationem etiam Tridentini. Doctores *supra cit.* & probatur, quia (licet Tridentinum *in cit. cap.5.* quando excommunicationem tulit, his solis verbis vsum sit: *Ingredi septa Monasterij nemini liceat, sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda*, vbi cùm non faciat mentionem de iusta causa, sed statim subdat, *Episcopum non debere illam absque causa necessaria concedere*; videtur, quod excommunicatio, cum sit pœnalis, non sit extendenda ad licentiam absque causa necessaria concessam) tamen satis in his verbis, *absque superioris*
4 *licentia, & in scriptis obtenta* (in quorum defectum excommunicationem statuit) explicuit Tridentinum necessitatem causæ iustæ, cum ly *licentia*, non liberam, sed prudentiæ consonam voluntatem importet, vt rectè dixit Bart. *in l.alio, ff. de alimentis, & cibariis legatis, num.8.* Ancharan. *in cap.fin. de testam. in 6. num.10.* & alij complures, quos citat, & sequitur Suar. *tom.4. de Relig. lib.1. cap.9. num.14.* & Menoch. *lib.1. de arbitr.quæst.8.num.45. & seqq.* quod inde etiam patet, quia ideo Tridentinum licentiam in scriptis exigit, vt illa nonnisi maturè concedatur.

Confirmatur, quia Tridentinum ibi in principio dicit se innouare *cap. periculoso, de statu Regular. in 6.* (vbi ad hunc ingressum rationabilis, & manifesta, simul cum Superioris licentia, causa exigitur:) ergo dicti Tridentini excommunicatio ca- 5
dit super ingredientem absque Superioris licentia citra causam rationabilem, & manifestam concessa.

Confirmatur secundò; quia dato quod ingrediens 6
non contrahat excommunicationem Tridentini non reseruatam, contrahit tamen aliam Pontifici reseruatam, vt dicetur *dub.65.* & ratio pro nunc breuiter est, quia huiusmodi licentia, vtpotè ab inferiore sine iusta causa concessa, est nulla & irrita, vt patet ex Motu Gregorij XIII. *Vbi gratia*, in quo Motu imponitur pœna excommunicationis reseruatæ, & priuationis beneficiorum, & inhabilitatis in eos, qui ex facultate Episcopi, vel Superiorum, ad quos pertinet facultatem concedere, absque vrgenti necessitate ingrediuntur, & in Moniales, quæ illos aliter admittere præsumunt) illamque contrahit, etiamsi tempore concessionis adfuit causa iusta, si tamen tempore ingressus cessauit, vt dicetur *cit. dub.65.* An verò excommunicationem contrahat etiamsi tempore concessionis non adfuit causa iusta, adfuit autem tempore ingressus, dicetur eadem *dub.65.*

Cæterùm, an ingrediens ex causa iusta, & de Superioris licentia, sed non in scriptis obtenta, peccet, & dictas censuras, pœnasque contrahat? Dixi *dub.7. 36. & 37.*

Item an Superior concedens licentiam ingrediendi 7
sine iusta causa, incurrat excommunicationem? Respondetur negatiuè; quia huiusmodi excommunicatio nullibi expressa reperitur. Item an Superior permittens, aliquam Monialium Monasterium absque iusta causa ingredi, incurrat excommunicationem, & alias iuris pœnas, patebit ex dicendis *dub.56. & seqq. vsque ad 67.*

## DVBITATIO LVI.

### An contrahat Tridentini excommunicationem non reseruatam ingrediens sine licentia Superioris, sed animo habitum regularem assumendi, & profitendi.

### SVMMARIVM.

1 *Ingrediens sine licentia Superioris, sed animo habitum regularem assumendi, & profitendi, contrahit excommunicationem Tridentini non reseruatam.*

2 *Puellæ sic ingredientes stante bona fide à peccato, & à censuris in foro interno excusantur, secus est in foro externo.*

REspondetur ex dictis *cit. dub.7. & 36.* affirma- 1
tiuè; quia ad excommunicationem non contrahendam præter causam iustam, requiritur Superioris licentia, eaque in scriptis: ergo quamvis ratione bonæ fidei (quæ reperiri solet in puellis) regulariter loquendo, à peccato, & sic à censuris, & pœnis ex- 2
cusetur, saltem in foro interno; secus tamen in foro externo. Doctores, quos citat, & sequitur Bonacina *de claus.quæst.4.punct.1.num.3.*

DVBITA

## DVBITATIO LVII.

An contrahat Motus Gregor. XIII. *vbi gratiæ*, excommunicationem reseruatam contra ingredientes Monasteria Monialium virtute facultatum vsque tunc concessarum decretam, ingrediens virtute licentiæ ab Episcopo ante dictum Motum Gregorij XIII. concessæ.

### SVMMARIVM.

1 *Ingrediens virtute licentiæ ab Episcopo ante dictum Motum Gregorij XIII. concessæ contrahit excommunicationem reseruatam contra ingredientes Monasteria Monialium virtute facultatum vsque tunc concessarum decretam, & cur.*

2 *Auctor facit vnum obiectum assignando contradictionem in dicto Motu: tandem soluit, & conciliat.*

1 SVppono, dubitationes sequentes locum habere etiam in Motu Pauli V. *Monialium status.* Hoc supposito.

Respondetur affirmatiuè, quia dictus Motus Gregorij XIII. loquitur in principio de quorumcunque Superiorum licentia, sicuti constat ex iis verbis: *Tam à prædecessoribus nostris, quàm etiam à nobis, & Sedis Apostolicæ Legatis, aut aliis*: vbi per ly *aliis*, satis clarè comprehendit omnes Superiores, qui possunt licentiam concedere, quia alioquin esset verbum superfluum: ergo, &c.

2 Obiicies: Motus Gregorij XIII. paulò post principium excommunicat ingredientes ex licentia Episcopi, vel alterius legitimi Superioris, præter casus necessarios concessa; cum tamen in principio excommunicauerit ingredientes virtute licentiarum, etiam in casibus necessariis concessarum: ergo si dicatur, Motum loqui in principio etiam de licentia Episcoporum, ac inferiorum Prælatorum, erit contradictio.

Respondetur: nego consequentiam, quia in principio loquitur Motus de licentiis à quocumque vsque tunc ob quamvis vrgentissimam causam concessis, quas omnes reuocat, & ideo illis iam reuocatis vtentem excommunicat; paulò verò post loquitur de licentiis in posterum concedendis, quas ibi non reuocat, & ideo solum illis, extra casus necessarios, vtentem excommunicat.

## DVBITATIO LVIII.

An contrahat eiusdem Motus Gregor. XIII. pœnas ingrediens solum virtute facultatis alicuius sibi concessæ, vel etiam ingrediens absque vlla prorsus facultate, seu licentia.

### SVMMARIVM.

1 *Ingrediens Monasteria Monialium solum virtute facultatis alicuius sibi concessæ, vel etiam ingrediens absque vlla prorsus facultate, seu licentia, contrahit pœnas Motus Gregor. XIII.*

2 *Motus Gregorij XIII. cum sit pœnalis, non est extendendus ad casum alium similem, etiam ex identitate rationis.*

3 *Excommunicatio lata contra Matrimonium contrahentes* in Clement. vnic. de consanguin. & affin. *contra solemne votum castitatis, comprehendit tantum Moniales professas cuicumque nubentes, & eas in vxores accipientes; & viros professos, vel in sacris constitutos matrimonium contrahentes; non autem fœminas sæculares professo nubentes.*

4 *Pius V. in quodam suo Motu, qui incipit, Regularium personarum, excommunicationem decreuit præcipuè contra fœminas Monasteria virorum prætextu facultatum vsque tunc concessarum ingredientes.*

5 *Afferuntur nonnulla argumenta ad probandum mentem Gregorij XIII. fuisse comprehendere quoscumque ingredientes, & admittentes: demum soluuntur.*

6 *Motus Gregorij XIII. & similis circa clausuram, licet tendat ad vitanda peccata, & in salutem animarum; tamen quoad clausuram est simpliciter odiosus, & non fauorabilis.*

7 *Ingrediens, vel admittens sine vlla facultate, & licentia grauius delinquit, quàm qui cum facultate, seu licentia.*

8 *Argumentum desumptum à maioritate, seu minoritate rationis in materia censurarum non valet.*

9 *Multoties in iure magis puniuntur delicta minora committentes propter specialem rationem quæ in illis concurrit.*

10 *Ingrediens etiam ad malum finem, dummodo tamen sine prætextu licentiæ ingrediatur, non contrahit probabilius pœnas Motus Gregorij XIII.*

11 *Lex pœnalis probabilius non extenditur quoad pœnam ad casum non expressum; etiamsi in illo sit maior, nedum eadem ratio.*

12 *Ingredientes, qui habent dictas facultates, si ingrediuntur non facultatibus innitentes, sed quasi illas non habentes, non contrahunt pœnas dicti motus Gregorij XIII.*

13 *Item nec eas contrahunt admittentes sic ingredientem.*

14 *Admittens ingredientem Monasterium Monialium non virtute prædictarum facultatum, nequè contrahit excommunicationem latam in Tridentino; & cur.*

15 *Admittens non incurrit excommunicationem ratione participationis cum excommunicato in crimine criminoso, quia talis excommunicatio non incurritur, nisi præuia denunciatione excommunicati.*

16 *Ingrediens tam prætextu facultatum, quas nouit irritas esse ob reuocationem Gregorij XIII. quam prætextu facultatum inualidè obtentarum ob subreptionem, vel aliam causam, probabilius non contrahit excommunicationem, & pœnas dicti motus.*

17 *Non entium nullæ sunt partes, & qualitates.*

18 *Nomine prætextus non venit qualibet causa, sed solum illa, de qua in casu sermo est.*

19 *Idem est ingredi ex facultate valida obtenta, sed iam reuocata, ac ingredi ex facultate inualidè obtenta quoad ius ingrediendi, non autem quoad pœnas ingredientibus impositas.*

20 *Ingrediens si tempore ingressus fingeret se habere*

*bere facultatum ingrediendi Monasterium Monialium obtentam post dictum Motum Gregorij XIII. non contraheret pœnas talis Motus, sed solum excommunicationem Concilij Tridentini.*

1 SVppono ex dictis *suprà dubitat.* 54. ingredientem Monasteria Monialium absque vlla prorsus licentia, contrahere excommunicationem in Tridentino decretam, quæ tamen Pontifici non est reseruata; vti reseruata est, quæ decernitur in hoc Motu Gregorij XIII. in quo etiam ingredientem admittens variis pœnis afficitur, vt *in citat. dubitat.* 54. dicebam: quapropter omnino videndum est, an eæ pœnæ comprehendant solum ingredientem prætextu facultatis, seu licentiæ, & similiter solum eum, qui sic ingredientem admittit; an potius omnes eos, qui absque debita licentia ingrediuntur, & similiter omnes eos, qui sic ingredientem admittunt. Hoc supposito.

2 Respondetur contrahere Motus Gregorij XIII. pœnas solum ingredientem, & admittentem prætextu facultatum; quia de his tantum ingredientibus & admittentibus dictus Motus expresè loquitur.

Confirmatur; quia cum talis Motus sit pœnalis, non est extendendus ad casum alium similem, etiam ex identitate rationis (vti dicebam 3 *cap.* 16. *dubitat.* 24. *sectione* 3. & constare videtur ex *Clement. vnic. de consanguin. & affin.* vbi cùm excommunicentur matrimonium contra solenne votum castitatis contrahentes, tamen quia textus non loquitur vniuersaliter, sed excommunicat Moniales professas cuicumque nubentes, & eas in vxorem accipientes, & viros professos, vel in sacris constitutos matrimonium contrahentes, communiter Doctores apud Sanchez *de matrim. lib.*7. *disput.* 48. *numero* 2. tradunt dictam excommunicationem non contrahere fœminas seculares professo nubentes) & sic multò minus est extendendum ad casum nostrum, vbi non est identitas, sed diuersitas rationis; cùm multò audaciores sint ad ingressum, qui ingressus facultatibus aliquibus innituntur: quapropter oportuit hos præcipuè grauioribus pœnis subiicere, sicuti in simili fecit Pius V. in quodam suo Motu, qui inci- 4 pit, Regulam personarum, vbi propterea excommunicationem decreuit præcipuè contra fœminas Monasteria virorum, prætextu facultatum vsque tunc concessarum ingredientes, de quo Motu dicam *infra dub.*72.*& seqq.*

Atque ita docent probabilius Suares *tom.*5. *in* 3. *part. disputat.* 22. *sect.* 6. *numero* 11. *& seqq.* Rodriguez *tom.* 1. *qq. Regular. quæst.* 47. *art.*1. *& quæst.*48. *art.* 2. Sayr. *de censur. lib.* 3. *capit.* 31. *numero* 10. Miranda *de Monial. quæst.* 2. *art.* 10. *conclus.*1. Barbosa *de potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 102. *numero* 37. Campanile *rubr.* 12. *cap.* 16. *numero* 24. Diana *part.* 2. *tractat.* 5. *resolut.* 32. Sà *de excommunicat. Papæ reseru.* Bonacina *de Claus. quæstione* 4. *punct.* 5. *numero* 4. Zerola *part.* 1. *verb. Moniales, ad* 8. *quæs. edit.* 2. Philiarch. *tomo* 1. *part.* 1. *lib.* 3. *capite* 30. *ad fin.* & alij contra Nauarrum *capite* 27. *numero* 105. *& in Comment.* 4. *numero* 62. *notab.* 4. Coriolan. *de casib. reseru.* 2. *part. cas.*3. *numero* 40. Azorium *tomo* 1. *lib.*13. *cap.* 8. *quæst. vlt.* Quarantam *verb. Monasteria Monialium,* Beiam *part.*1.*cas.*30. Riccium *in praxi, tomo* 1. *resolut.* 544. *numero* 4. Filliucium *tomo* 1. *tractat.* 15. *capit.* 5. *numero* 119. Raynerium *cap.* 9. *excommunicatio* 15. Homobonum *part.*1.*tract.*5.*cap.*9.*n.*60. Cherubinum *tom.*2.*const.*28. *Gregory XIII. schol.*1. Graff. 1.*part. decis.lib.*4.*cap* 23. *numero* 8. Villagutam *de vsuris, quæstione* 35. *numero fin.* & Zecchium *titul. de regular. cap.*3. *numero* 11.

Obiicies: Gregorius XIII. declarauit, mentem 5 suam fuisse comprehendere quoscumque ingredientes, & admittentes.

Respondetur, de hac declaratione non constat authenticè. Sic Doctores *suprà cit.*

Obiicies secundò; stylus, & praxis Pœnitentiariæ seruat in praxi sententiam oppositam, teste Filiucio *loco cit.& tract.*29.*c.*8.*n.*170.

Respondetur, distinguo antecedens: tanquam tutiorem, concedo; tanquam probabiliorem, nego.

Obiicies tertiò, Motus Gregorij XIII. cùm tendat ad vitanda peccata, est in salutem animarum: ergo ampliandus, vtpotè fauorabilis, non autem odiosus.

Respondetur, transeat antecedens: at nego con- 6 sequentiam; quia licet propter dictam rationem sit ille aliquantulum ampliandus, non tamen propterea est sufficiens, vt ad casum etiam omninò diuersum amplietur. Adde, quod dictum Motum & similem circa clausuram esse simpliciter odiosum, & non fauorabilem, tenent Doctores, quos citat, & sequitur Hieronym. Rodriguez *in compend. qq. Regular. resolut.* 26. *num.*18. & Diana 3. *part. tractat.*2. *resolut.*67. contra Merollam *tomo* 1. *disput.* 1. *diffic.* 7. *numero* 498. & alios.

Obiicies quartò, grauius delinquit, qui in- 7 greditur, vel admittit absque vlla prorsus facultate, seu licentia, quàm qui cum facultate, seu licentia: ergo multò magis pœnas Motus Gregorij XIII. contrahit prior, quàm posterior delinquens.

Respondetur, transeat antecedens: at nego 8 consequentiam, quia probabilius in materia censurarum, & pœnarum non valet argumentum à maioritate, nedum à paritate rationis; quia 9 multoties in iure magis puniuntur delicta minora committentes propter specialem rationem, quæ in illis concurrit: & sic, vti dicebam, est in casu nostro, propter maiorem scilicet ingrediendi audaciam, quæ reperitur in iis, qui quibusdam facul- 10 tatibus innituntur. Quapropter probabilius etiam neque pœnas Motus Gregorij XIII. contrahit, qui ingreditur ad malum finem, si sine prætextu 11 licentiæ ingrediatur, quia lex pœnalis probabiliùs non extenditur quoad pœnam, ad casum non expressum, etiamsi in illo sit maior, nedum eadem ratio; sicuti *suprà* dicebam, & colligitur *ex cap. quicumque, de sentent. excommunicat.* & docet Gloss. *in Clement.*1. *de consanguin. & affin.* Caietan. *verb. Excommunicatio, in princip. & in cap.*47. Anton. *cap. fin. de consuetud. num.*58. Castrus *lib.*1. *de lege pœnali, cap.*7. Sanchez *de matrim. lib.*10. *disput.*4. *numero* 3. Barbosa *citat. part.*3. *alleg.*101. *numero* 82. & Diana *citat. resolut.*32. contra Roland. à Valle *consil.*27. *num.*48. *volum.*1. Beiam *loco cit.* Gomez *var. l.b.*1. *cap.*5. *numero* 12. Guttierrez *qq. Canon. lib.*1. *cap.*10. *numero* 3. *& consil.*50. *num.*8. Molinam *de primogen. Hispan. lib.*1. *cap.*5. *num.*10. & Lambertinum *de iurepatronat. lib.*2. *part.*1. *quæst.*10. *art.*4. qui tenent oppositum, quod scilicet lex pœnalis extendatur ad casum similem non expressum, etiamsi in eo sit eadem, nedum maior ratio. Vide quæ dicebantur *dub.*11.

Ex

12 Ex dictis sequitur, quod pœnas Motus Gregorij XIII. nec contrahant ingredientes, qui habent dictas facultates, si ingrediuntur non facultatibus innitentes, sed quasi illas non habentes; nec dictas pœnas contrahant sic ingredientem admittentes, quia tunc tales non dicuntur ingredi, nec ingredientem admittere virtute alicuius facultatis: quod ad contrahendas dictas pœnas requiritur, vti constat ex illis verbis: *Præcipimus*, &c. *ne in Monasteria, domus, & loca sua quemquam præextu huiusmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant, vel permittant.* Vide Nauarrum *comment. 4. numero 62. notab. 4. de Regular.* & Rodriguez *in Exposit. Motus Pij V.* qui incipit: *Regularium personarum.*

14 Dices, saltem admittens ingredientem Monasterium Monialium, non virtute prædictarum facultatum contrahit excommunicationem latam in Tridentino *sess. 25. de Regul. c. 5.*

Respondetur, nego antecedens, quia Tridentinum ibi excommunicationem infert in egredientes, nullam mentionem faciens de admittentibus. Vide *dub. 61.*

15 Instabis, admittens incurrit excommunicationem, quia participat cum ingrediente in crimine criminoso, iuxta *cap. nuper, & cap. si concubina, de sentent. excommunic.*

Respondetur nego antecedens, quia ad excommunicationem (propter dictam participationem) incurrendam requiritur excommunicatum, cum quo quis in crimine criminoso participat, esse publicè denunciatum (vt communiter docent Doctores, quos citat, & sequitur Sanch. *de matrim. lib. 7. disput. 48. num. 4.*) quod non est in nostro casu.

16 Cæterùm, an non solùm ingrediens prætextu facultatum, quas nouit irritas esse ob reuocationem Gregorij XIII. sed etiam ingrediens prætextu facultatum inualidè obtentarum ob subreptionem, vel aliam causam, contrahat excommunicationem, & pœnas dicti Motus Gregorij XIII.

Respondetur etiam probabiliùs negatiuè; quia Pontifex loquitur de ingredientibus prætextu facultatum, quas ipse reuocat, ibi; *Ipsarum licentiarum prætextu*; at reuocatio non cadit super licen-
17 tias inualidas, & nullas; quia non reuocatur, quod non est, cùm non entis nullæ sint partes, & qualitates; idemque dicitur de dispositione Pauli V. *Monialium statui*, de qua dicebam *suprà dubitat. 54.*

Obiicies, nomine prætextus venit non solum vera causa, sed etiam ficta: ergo etiam ingrediens prætextu facultatum inualidè obtentarum contrahit pœnas.

18 Respondetur, nomine prætextus non venire quamlibet causam, sed solum illam, de qua in casu sermo est: in casu autem nostro sermo est de ingredientibus prætextu licentiarum, quas Summus Pontifex reuocat.

19 Obiicies secundò, idem est ingredi ex facultate validè obtenta, sed iam reuocata, ac ingredi ex facultate inualidè obtenta, cùm vtraque viribus careat, & ius vllum non conferat.

20 Respondetur, idem esse quoad ius ingrediendi, non autem quoad pœnas ingredientibus impositas. Addo, eum qui tempore ingressus fingeret se habere facultatem ingrediendi Monasterium Monialium obtentam post dictum Motum Gregorij XIII. nec contrahere pœnas talis Motus, quia sicut istas pœnas non contrahit, qui ingreditur ex vi facultatis ab Episcopo obtentæ post prædictum Motum (etsi illa alio titulo inualida sit) cùm in dicto Motu non irritentur licentiæ in futurum obtinendæ; ita neque pœnas dicti Motus contrahit, qui ingreditur ficta facultate, seu licentia: contrahit tamen excommunicationem Tridentini *sess. 25. cap. 5.* (de qua dicebam *cit. dub. 54.*) quia reuerà ingreditur sine licentia.

## DVBITATIO LIX.

An contrahat pœnas dicti Motus Gregorij XIII. quilibet ingrediens virtutè prædictarum facultatum quomodocumque culpabiliter, vel solùm culpabiliter ex scientia? Vbi etiam de ingredi faciente, vel permittente?

### SECTIO I.

### Dubitationis Resolutio.

#### SVMMARIVM.

1 *Ingrediens virtute facultatum culpabiliter ex scientia, & sic ex audacia, & præsumptione, atque adeo ex ignorantia non quacumque, licet quantumque culpabili, & crassa; sed solum ex ignorantia adeo crassa, & supina, itavt reputetur ingens temeritas, contrahit pœnas dicti motus Gregorij XIII.*

2 *Verbum audere temeritatem exigit.*

3 *Ignorantia solum crassa & supina, & non qualibet alia est sufficiens ad contrahendas pœnas audientibus statutas.*

4 *Ignorantia nedum crassa & supina, sed etiam affectata excusat à censura lata contra scienter facientes, & cur.*

5 *Ignorantia affectata æquiualet scientiæ quoad incurrendam culpam contra legem, non tamen æquiualet scientiæ quoad incurrendam pœnam contra legem.*

6 *Qui eligit nescire vt liberius delinquat, videtur grauius contemnere legem; peccatum tamen illud dicitur grauius per relationem ad actum voluntatis, quo voluit quis ex proposito ignorare, non autem secundum se, & absolutè consideratum.*

7 *Quod scienter fit est voluntarium in se, ac directè: quod autem fit per ignorantiam affectatam, est voluntarium tantum in causa, & indirectè, scilicet in ipsa ignorantia.*

8 *Dispositio loquens de scientia non comprehendit ignorantiam affectatam ex proprietate sermonis; sed ex quadam extensione, & in materia pœnali non debet fieri extensio de casu ad casum, etiamsi ex larga significatione vocabuli posset ille casus comprehendi.*

9 *Præsumptio importat temeritatem, & malitiam, quæ excludat omnem ignorantiam.*

10 *Ignorantia affectata non æquiparatur scientiæ veræ, sed scientiæ fictæ.*

11 *Constitutio pœnalis loquens de casu vero non comprehendit casum fictum.*

12 *Pœna imposita hæredi non vindicanti necem defuncti*

*non comprehendit fideicommissarium, qui est hæres fictus.*

13 *Lex, quæ punit occupantem rem alterius, non comprehendit occupantem rem hæreditariam, quæ fictè, & non verè est alterius.*

14 *Pœna illius legis, qua imponitur maiori venienti contra iuramentum, non ligat minorem venientem contra iuramentum suum.*

15 *Minor iurans reputatur maior ratione iuramenti per fictionem iuris, à qua fictione pœna recedit.*

16 *Constitutio noua loquens in casu vero quando, & quomodo comprehendat casum fictum.*

17 *Clerici non residentes de iure communi fructus Beneficiorum non percipiunt, exceptis infirmis, & existentibus in seruitio Papæ, & duobus Canonicis existentibus in seruitio Episcopi, cum hi residere censeantur, & per nouam constitutionem superuenientem non includantur supradicti casus à iure communi excepti.*

18 *Constitutio disponens idem quod ius commune debet recipere omnes limitationes, & interpretationes iuris communis; at secus est quando constitutio noua esset præter, vel contra ius commune.*

19 *Ignorantia affectata minor est quàm scientia.*

20 *Verbum (saltem) denotat diminutionem.*

21 *Ignorantia affectata, nedum crassa, & supina quacumque, siue iuris, siue facti excusat à censuris in casu supradicto.*

22 *Limita id verum tantum esse in dispositionibus, seu legibus odiosis, non autem in fauorabilibus.*

23 *Leges fauorabiles loquentes in casu vero, extenduntur etiam ad casum fictum.*

24 *Ignorantia affectata, siue iuris, siue facti excusat legentes libros Hæreticorum ab excommunicatione lata contra scienter legentes, contra nonnullos oppositum tenentes.*

25 *Operantes quodcumque aliud ex ignorantia, siue iuris, siue facti affectata, non contrahunt pœnam contra facere aliquid præsumentes, aut casu temerario facientes latam.*

26 *Ignorantia affectata excusat violantem clausuram Monialium à contrahenda excommunicatione lata à Gregorio XIII. contra clausuram violare præsumentes.*

27 *Ignorantia affectata excusat loquentes cum Monialibus à contrahenda excommunicatione lata ab Ordinario contra loquentes sine licentia.*

1 REspondetur, illas contrahere solum, qui ingreditur virtute facultatum culpabiliter ex scientia; & sic ex audacia, & præsumptione, atque adeo ex ignorantia non quacumque, licet quantumcunque culpabili, & crassa; sed solum ex ignorantia adeo crassa, & supina, vt reputetur ingens temeritas. Ratio est, quia ibi dicitur: *Ne ipsarum licentiarum prætextu Monasteria huiusmodi quovis mo-*
2 *do ingredi audeat.* Et ex alio capite ly audere temeritatem exigit, itavt solum ignorantia tam crassa,
3 & supina, quam dicebam, & non quælibet alia sufficiat ad contrahendas pœnas audientibus statutas, sicuti contra Toletum *lib.1. cap.* 48. & Alterium *de censuris disputat.12. cap.5. §. hoc autem*, docent Sanchez *de matrim. lib.9. disputat.32. num.*40. Nauar. *comment.* 4. *de Regular. num.* 62. Molina *tract.* 5. *disputa.71. numero* 13. Auila *de censur. part.2. cap.6. disputat.10. dubit.6.* Pontius *de matrim. lib.10. cap.6. numero* 10. Curiel. *in part.2. quæstione 76. art.4. dubit.4.* Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 13. Suarez *de censur. disput.4. sect.10. numero* 2. & Henriq. *lib.*13. *cap.* 23. *numero* 3. Vide quæ dicebantur *cap.* 16. *dubitat.* 36. *numero* 3. *& cap.* 17. *dubitat.* 1. *numero* 10.

Et hoc, quod modò dixi, adeo verum est, vt *lib.* 4 *de Parlamentis, dubit.4. sect.19. subsect.31. pag.*78. plus defenderim, scilicet quod si, vt in casu nostro, quem dicebam, excommunicatio, vel quæcumque alia censura, aut pœna feratur contra scienter facientes, non contrahat illam is, qui contrà facit, etiam ex ignorantia affectata, nedum ex ignorantia crassa, & supina quacumque talis pœnæ: atque ita contra Gloss. *clem.*1. *de consang.* Francum *cap.* 2. *de const. in* 6. S. Antoninum 3. *part. titul.*24. *cap.*34. Rosellam *excommunicatio* 1. *cas.*43. *numero* 2. Sylvestr. *excommunicatio* 9. *cas.* 41. *numero* 76. Tabienam *excommunicatio* 5. *cas.*46. *num.*3. *notab.*2. Graff. 1. *part. decis. lib.*4. *cap.*9. *num.*38. Henriquez *lib.*13. *de excommunicat. cap.*23. *num.*3. Suarez *tomo* 5. *in* 3. *part. disputat.*4. *sect.* 10. *numero* 1. Sanchez *lib.*9. *de matrimon. disputat.*32. *numero* 40. Molinam *tract.* 5. *de iust. disputat.*71. *numero* 13. Layman *lib.*1. *tract.* 5. *cap.* 5. *numero* 8. docent Sanchez tacitè se retractans *lib.* 2. *Moral. cap.*10. *numero* 38. Duardus *in Bull. Cœn. lib... quæstione* 36. *numero* 3. Anguianus *de legibus, tom.* 1. *lib.*4. *controu.*4. *numero* 18. Bonacina *de censur. disp.*2. *quæst.*5. *punct.*4. *numero* 9. *& in Bull. Cœn. tom.*3. *dusput.* 1. *quæstione* 2. *punct.* 4. *numero* 9. Filliucius *tom.*2. *tract.*2. *cap.*7. *numero* 205. Pasqualigus *in cit. decis.*376. *numero* 4. Diana *part.*3. *tract.*5. *resol.*13. & alij.

Primò, quia verba legis pœnalis non sunt extendenda vltra proprium significatum, sed potius sunt restringenda, iuxta *reg. odia, de reg. iur. in* 6. at qui ex ignorantia affectata, nedum ex ignorantia crassa, & supina quacumque aliquid facit contra legem, verè non facit scienter contra legem: ergo non incurrit in pœnam contra scienter facientes latam à lege, licet enim faciat ex ignorantia affectata contra legem, & id causetur à culpa, adhuc tamen non scienter facit contra legem; & sic licet ignorantia affectata æquiualeat scientiæ quoad incurrendam culpam contra legem; non tamen æquialet scientiæ quoad incurren- 5
dam pœnam contra legem: hæc enim imponitur solum aduersus scienter facientes contra legem.

Non obstat, quod peccatum ex ignorantia af- 6
fectata commissum, grauius sit, quàm si ex certa scientia committeretur, ex eo quia qui eligit nescire, vt liberius delinquat, videtur grauius contemnere legem, vt dicitur *in* 1. 2. *quæstione* 6. *art.*8. Non obstat, inquam; nam dicitur peccatum illud grauius, per relationem tantùm ad actum internum voluntatis, quo voluit quis ex proposito ignorare, vt liberius legem violaret (eo enim actu videtur magis legem contemnere:) at verò secundum se, & absolutè consideratum, est minus graue, cùm sit minùs voluntarium, quàm si ex certa scientia committeretur, quia quod scienter fit, est voluntarium in se, ac directè; quod autem fit per ignorantiam affectatam, est voluntarium tantùm in causa, & indi- 7
rectè, scilicet in ipsa ignorantia: cum igitur excommunicatio non puniat principaliter actum internum, sed actum externum, verbi gratiâ die Veneris comestionem carnis secundùm se considerata, quæ comestio fit ignoranter die Veneris;

neris ; manifestè sequitur , vescentem carnibus ex ignorantia affectata , die Veneris , non contrahere excommunicationem contra scienter carnem die veneris comedentes latam : & hoc verum est , etiamsi actus ille voluntatis , quo ignorantia affectatur , actu perseueret , quando fit violatio exterior legis , quia eadem est ratio vtrobique.

8 Secundò , quia quod dispositio loquens de scientia , comprehendat ignorantiam affectatam , non est ex proprietate sermonis , sed ex quadam extensione , *cap. eos qui , de tempor. Ordin. lib.6. vers. seu affectata ignorantia* , quod verbum est ampliatiuum præcedentis sermonis , *leg. si quis ita legauerit , ff. de aur. & argent. leg.* at in materia pœnali non debet fieri extensio de casu ad casum , præsertim si non sit omnimoda ratio , *lege penult. & leg. fin. Cod. de interd. matrimon. inter tut. & pupill.* etiamsi ex larga significatione vocabuli posset ille casus comprehendi , *leg. si vxor , in princip. ff. ad leg. Iuliam de adult.* ergo , &c. Vide Franc. Aret. *in cap. per*
9 *tuas , de probat.* Caietan. *verb. Excommunicatio , capite* 81. Nauarrum *cap. 27. num. 24. & in cap. statuimus , num. 62.* & Lezanam *tomo 1. cap. 10. num. 33.* qui rectè aiunt , quod præsumptio importet temeritatem & malitiam , quæ excludat omnem ignorantiam.

10 Tertiò , quia ignorantia affectata non æquiparatur scientiæ veræ , sed scientiæ fictæ , *cap. cum inhibitio , de cland. desponsat.* ibi : *Cùm non inexpertes scientiæ , vel saltem affectatores ignorantiæ videantur* ; quod verbum , *videantur* , importat fictionem , *leg. 1. ff. de*
11 *vi , & vi arm.* sed constitutio pœnalis loquens de casu vero , non comprehendit casum fictum , *leg. antequam , ff. ad Senat. Consul. Syll. & leg. seq.* & no-
12 tat Franc. Aret. *in leg. 1. ff. de vulg. & pupill.* vbi pœna imposita hæredi non vindicanti necem defuncti , non comprehendit fideicommissarium qui est hæres fictus , *leg. filius , §. de eo , quod cert. loc.* &
13 facit , quod notat Bartol. *in leg. vltim. Cod. vnde vi* , vbi dicit , quod illa lex , quæ punit occupantem rem alterius , non comprehendit occupantem rem hæreditariam , quæ fictè , & non verè est alterius , *leg. 1. §. 1. ff. de rer. diuis. & leg. hæres quinque , ff. de acquir. hæred.* Vnde docet idem Bartol. ( quem Doctores sequuntur ) *in leg. si quis maior , Codice*
14 *de transact.* quod pœna illius legis , quæ imponitur maiori venienti contra iuramentum , non ligat minorem venientem contra iuramentum suum , quia licèt minor iurans reputetur maior
15 ratione iuramenti , *authent. iuramenta puber. Codice si aduersus vendit.* id est per fictionem , ideo lex illa non habet locum in eo , qui à iure dicitur maior.

Non obstat , si dicas , quòd quando casus verus , & casus fictus æquiparantur à lege antiqua , seu à iure communi , tunc etiam constitutio noua , quæ alias est strictè interpretanda , loquens in casu vero , comprehendat etiam casum fictum , *cap. cum dilectus , & cap. ad audientiam , de cleric. non resident.* vbi Imola , & Panormitan. Sed scientia , & ignorantia affectata æquiparantur *in dict. cap. eos qui , de tempor. Ordin. lib.6.* Ergo , &c.

16 Respondetur enim cum Panormitano *loco cit.* Maiorem esse tantùm veram , quando Constitutio noua disponit idem , quod ius commune , quod æquiparat illos duos casus , verbi gratiâ de iure communi est , quod clerici non residentes fructus beneficiorum non percipiant : excipiuntur infirmi , & existentes in seruitio Papæ , & etiam duo Canonici existentes in seruitio Episcopi ( cùm hi residere censeantur , *cap. cùm dilectus , & cap. ad audientiam , de cler. non residen.* ) si deinde aduenit aliqua noua Constitutio 17 simpliciter disponens , vt clerici non residentes , seu absentes , fructus beneficiorum non percipiant , non includet supradictos casus à iure communi exceptos , quamvis infirmi , & existentes in seruitio Papæ , vel Episcopi , non verè , sed fictione Iuris , residere dicantur ; quinimmò verificabitur etiam in casu ficto , qui habetur pro vero , & sic adest casus , in quo Constitutio loquens de casu vero , verificetur etiam in casu ficto ; contra notata *in l. 3. §. hæc verba , ff. de reb. gest. & in cap. in nostra , ff. de iniur.* quod ideò est , quia ius commune in hoc æquiparat casum verum , & fictum : quapropter constitutio 18 disponens idem , quod ius commune , debet recipere omnes limitationes , & interpretationes Iuris communis , vt ait Panormit. *in cap. cùm dilectus , & cap. ad audientiam.* At secus est , quando Constitutio noua esset præter , vel contra ius commune nam tunc constitutio noua non verificatur in casu ficto , sed verba eius debent intelligi proprie ; id est secundùm proprium significatum , & sic intelligitur illa lex 3. §. *hæc verba* , & caput *in nostra* , citatum.

Quartò , quia minor est ignorantia affectata , quàm 19 scientia , *cap. inhibitio , de clandest. desponsat.* ibi : *Vel saltem affectatores ignorantiæ* , quod verbum , *saltem* , 20 denotat diminutionem , *cap. penult. de donat. inter virum , & vxorem.* Sed dispositio pœnalis non debet extendi de maiori ad minus , *l. si vxor , in princip. ff. ad legem Iuliam de adult.* Ergo , &c.

Et hoc , quod dixi , scilicet quod ignorantia 21 affectata , nedum crassa , & supina quæcunque excuset à censuris in casu nostro , quem dicebam , verum etiam videtur , siue ignorantia affectata sit iuris , siue facti , quia vtrobique est eadem ratio : li- 22 mito tamen , quod id verum tantùm videatur in dispositionibus , seu legibus odiosis , non item in fauorabilibus. Ratio est , quia omnes rationes suprà adductæ locum habent solum in odiosis : huiusmodi enim dispositiones sunt restringendæ potius quàm ampliandæ ; & propterea non extenduntur de casu vero ad casum fictum. At in fauorabilibus secus dicendum videtur , quia hæ sunt potius ampliandæ , quàm restringendæ ; & ideo non est mirum , si hæ loquentes de iis , qui scienter aliquid faciunt , extendantur etiam ad eos , qui ex ignorantia affectata operantur : nam cum scienter , & ex proposito ignorare velint , ad hoc , vt liberius actionem prohibitam faciant , dicuntur aliquo modo scienter violare legem : licet enim legis illa violatio non sit eis scienter , & expressè , ac directè voluntaria per modum effectus , est tamen scienter , ac directè , seu expressè voluntaria per modum obiecti , hoc est , scienter , & expressè volita : vnde ex communi sententia Doctorum , leges 23 fauorabiles loquentes in casu vero , extenduntur etiam ad casum fictum. Ergo dicendum , quod licet ignorantia affectata non sit verè scientia , sed fictè , lex fauorabilis tamen loquens de facientibus aliquid scienter , extendenda sit etiam ad eos , qui faciunt ex ignorantia affectata , ob rationem iam dictam.

Hinc qui ex ignorantia siue iuris , siue facti affe- 24 ctata legunt libros hæreticorum , non contrahunt excommunicationem contra scienter legentes latam in Bulla Cœnæ. Sanch. Duard. & Bonacin. *in locis suprà cit.* quamvis alij ex eodem principio sentiant contrarium : nam cum prædicta lex Ecclesiæ prohibens sit principaliter ( inquiunt ipsi ) in fauorem fidei , & animarum , non est pœnalis , seu odiosa , & sic

restringenda, sed potius fauorabilis, & sic amplianda, sicuti præter alios docet Suar. *in tract. de fide, disput. 20. sect. 2. num. 20.*

Hinc secundò, qui etiam ex ignorantia, siue iuris, siue facti, affectata operantur quodcunque aliud,
26 non contrahunt pœnam contra facere aliquid præsumentes, aut ausu temerario facientes latam, vt in casu nostro, verbi gratiâ qui ex ignorantia affectata violant clausuram Monialium, non contrahunt excommunicationem latam à Gregorio XIII. contra clausuram violare præsumentes; nec qui ex
27 ignorantia affectata loquuntur cum Monialibus, contrahunt excommunicationem latam contra loquentes cum illis sine licentia Ordinarij (quæ excommunicatio similiter contra præsumentes lata est, saltem in aliquibus locis, vt Neapoli:) & ratio horum est, quia ex dictis, quamvis qui ex ignorantia affectata facit contra legem, videatur præsumere, ac ausu temerario facere contra legem, cum eligat nescire, vt liberius possit violare legem: tamen quia præsumptio, ac temeritas ista non afficit formaliter actum externum, cui principaliter pœna imposita est à lege, sed afficit actum internum; sequitur quod quamvis affectans eo modo ignorare, vt liberius delinquat contra legem, possit dici præsumptuosè, ac temerè velle transgressionem legis, per modum obiecti; non tamen sequitur, quòd cum facit actum externum cui principaliter pœna imposita est à lege, præsumptuosè, & ausu temerario faciat contra legem; cum reuera, quando operatur, non cognoscat se facere contra legem; quare meritò non contrahit pœnam contra facere aliquid præsumentes, vel ausu temerario facientes latam à lege, quamvis alij ex eodem principio (vt *suprà* dicebam) probabiliter sentiant oppositum, quia (inquiunt ipsi) vtraque censura prædicta, cum principaliter in fauorem animarum, & Religionis lata sit, non est pœnalis, seu odiosa, & sic restringenda; sed fauorabilis, & sic amplianda.

## SECTIO II.

### An hæc eadem scientia, audacia & præsumptio requiratur etiam in ingredi faciente, vel permittente virtute dictarum facultatum, vt ipse similiter contrahat pœnas supradictas.

### SVMMARIVM.

1 *Ignorantia crassa, & supina, excepta qualibet alia minori ignorantia, non excusat à censuris latis in Motu Gregorij XIII. Prælatas & Prælatos aliquem ingredi vigore facultatum facientes, vel permittentes; excusat tamen in Bulla Pauli V.*

2 *Ignorantia etiam vincibilis, & culpabilis, modò non sit crassa, & supina, quando in excommunicatione contrahenda non requiritur scientia, audacia, & præsumptio, probabiliter excusat ab illa contrahenda.*

3 *Censura non contrahitur sine contumacia, & quodam virtuali contemptu.*

*Censura, seu legis Ecclesiastica contemptor esse non videtur, qui eas prædicta ignorantia ignorat.*

4 *Censuræ sunt institutæ ad medendum, non ad periculum animabus iniiciendum.*

5 *Amplia dictam doctrinam locum habere in ignorantia non tantum crassa, & supina, sed etiam in inconsideratione, & oblitione legis, vel præcepti Ecclesiastici similiter non crassa, & non supina.*

6 *Amplia non solum prædicta locum habere in ignorantia Iuris, sed etiam ignorantia facti, verbi gratia si nescias Clericum esse quem percutis; & nihil refert quod detur opera rei illicitæ.*

7 *Ignorantia tollit voluntarium circa obiectum, quod ignoratur.*

8 *Amplia prædicta locum habere, etiamsi ignorantia sit concomitans, v. g. si paratus sis percutere, etiamsi scires esse Clericum.*

9 *Censura Ecclesiastica non fertur propter internam operantis dispositionem habitualem, vel actualem, sed propter externam Ecclesiastici præcepti contumacem transgressionem.*

10 *Ecclesia, cum non iudicet de occultis, non punit interno affectu delinquentes.*

11 *Amplia dicta de censuris procedere in irregularitate, & restituendi obligatione.*

12 *Amplia prædicta procedere in sciente etiam opus Ecclesiæ præcepto esse prohibitum, si tamen ignoretur ei annexam esse censuram.*

13 *Doctrina tradita de censuris, intelligi debet contra nonnullos etiam de aliis pœnis, præsertim de irregularitate, quæ ex delicto contrahitur, iuxta probabilem opinionem.*

14 *Confessarius inferior potest etiam absoluere à casibus in Bulla Cœnæ contentis, si peccatum, quod Pœnitens commisit, ignorantiam, oblitionem, vel inaduertentiam saltem non crassam, seu supinam reseruationis habet.*

15 *Reseruatio est veluti pœna, & pœnam saltem in foro externo probabiliter non contrahit ignorans ignorantia prædicta, sed solum contumax, & pœnæ contemptor.*

16 *Delinquens vt incurrat pœnam iuris positiui ex delicto, non sufficit vt cognoscat, & aduertat actu opus esse peccaminosum, nec sufficit vt præterea cognoscat, & aduertat actu esse illud prohibitum à iure positiuo, nisi cognoscat sub tali pœna esse prohibitum.*

17 *Limita doctrinam traditam de ignorantia excusante à contrahendis censuris, non procedere in ignorantia crassa, seu supina, & multò minùs in affectata, seu directè volita.*

18 *Ignorantia volita voluntarium culpæ non minuit, quia potius malitiam directam, seu ex proposito, & dolum formalem includit.*

19 *Ignorantia crassa, & supina directam malitiam, ac dolum formalem non continet, sicut continet ignorantia affectata.*

20 *Ignorantia si sit nimis crassa in externo foro, interdum ignorantiæ affectatæ, & dolo æquiparatur.*

21 *Ignorantia vincibilis, & culpabilis non excusat à peccatis, excusat tamen à censura, & cæteris pœnis.*

22 *Censura non incurritur ab eo, qui ex metu grauis mortis, infamiæ, &c. transgreditur legem naturalem, si tali transgressioni sit annexa censura, licet peccet contra legem.*

23 *Censura non incurritur à contrahente, & consummante graui metu inducto matrimonium cum consanguinea, licet non mortaliter peccet.*

24 *Censura*

24 *Censura non incurritur ab eo, qui graui metu adactus remigat in triremibus Turcarum contra Christianos; quamvis ex probabili mortaliter delinquat.*

25 *Grauis metus censetur iustus & probabilis in ordine ad forum externum, & leges positiuas Ecclesiæ; quamvis interdum spectato iure naturæ à peccato mortali non excuset.*

26 *Ea, quæ sunt de iure positiuo ordinariè non obligant cum tanta seueritate, sicuti obligant quæ sunt de iure diuino.*

27 *Textus in c. sacris, de iis quæ vi, metusve causa fiunt, explicatur.*

28 *Coactio, seu vis semper à censura excusat, quia simpliciter aufert voluntarium; ideoque aufert omnem culpam, consequenter & omnem pœnam in culpa fundatam: at verò metus relinquit voluntarium simpliciter, ideoque culpam omnem non aufert.*

29 *Censura vel irregularitas contrahitur ab eo qui facit actum intrinsecè malum, cui ratione alicuius circumstantiæ ea sit annexa; quamvis ob grauem metum exercens actum contra Ecclesiasticam etiam legem delinquat.*

30 *Sacerdos excommunicatus, ac publicè denunciatus, si graui metu adactus confessionem audiat, & absoluat non sine irreuerentia Sacramenti, si communicet cum excommunicatis in contemptum Ecclesiasticæ potestatis, vel cum Christianæ Religionis detrimento, contrahit irregularitatem & pœnas.*

31 *Ignorantia crassa & supina quænam sit, & affectata.*

32 *Ignorantia in communi diuiditur in antecedentem, & consequentem, & quæ vtraque sit, vide diffusius: vbi quando sit iusta, probabilis, inuincibilis, & vincibilis.*

33 *Ignorantia vincibilis subdiuiditur in affectatam, & non affectatam.*

34 *Ignorantia affectata est cum quis data opera vult ignorare, & non inquirere veritatem, siue ob discendi pigritiam, siue vt legis obligatione ignorata excusationem habeat, vel liberius peccare possit.*

35 *Ignorantia non affectata, quæ est tantum indirectè volita, altera est crassa, lata, seu supina, ad quam scilicet tollendam nulla, vel modica adhibetur diligentia.*

36 *Ignorantia crassa, lata, seu supina est, quæ ex magna cognoscendi negligentia oritur, siue quam quis facilè, cum posset, & deberet, deponere negligit.*

37 *Ignorantia altera est non crassa, non lata, non supina, quæ scilicet non tam facilè superari potuit, vel ad quam superandam diligentia adhibita est; sed non sufficiens.*

38 *Ignorantia non crassa, non lata, seu non supina, an sufficere possit ad culpam mortalem, sunt Doctores pro vtraque sententia.*

1 REspondetur, quod (quamvis affirmandum sit in Bulla Pauli V. in qua in ordine ad talem etiam apponuntur illa verba, *audere, vel præsumere*) negari tamen debeat in Motu Gregorij XIII. in quo in ordine ad eundem non apponitur ly *audere, vel præsumere*, vt patet ibi: *Abbatissis verò, nec non Abbatibus, Conuentibus, & aliis Monasteriorum vtriusque sexus Superioribus, & personis, quocunque nomine vocentur, districtè præcipimus sub eadem excommunicationis pœna, ac priuationis dignitatum, & beneficiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ne Monasteria, domus, & loca sua quemquam prætextu huiusmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant, vel permittant.* Quare Prælatas, & Præ- 2
latos aliquem ingredi virtute facultatum facientes, vel permittentes non excusabit à pœnis dicti Motus Gregorij XIII. contrahendis ignorantia crassa & supina; quamvis probabiliter eos excuset quælibet alia ignorantia minor, etsi vincibilis, & culpabilis, modò non sit crassa, & supina; quia quando in excommunicatione contrahenda non requiritur scientia, audacia, & præsumptio, probabiliter excusat ab illa contrahenda ignorantia, etiam vincibilis, & culpabilis, modò non sit crassa, & supina.

Sic docent Doctores, quos citat & sequitur Sanchez *de matrimonio libro 9. disp. tat. 32. numero 31.* & Diana *part. 3. tractatu 5. resol. 13.* & desumitur ex *capite 2. de constitutionibus in 6.* ibi: *Vt animarum periculis obuietur, sententiis per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis, Ignari volumus ignorantes; dum tamen eorum ignorantia crassa non sit, aut supina.* Et ratio est, quia ad contrahendam censuram requiritur contumacia, & 3
virtualis quidam contempus; in eo consistens, quod aliquis monitioni legis, vel præcepti cum comminatione tantæ pœnæ parere recuset. Atqui huiusmodi Ecclesiasticæ legis, vel præcepti comminatione, si censuram ignorat ignorantia prædicta, is contumax, vel censuræ contemptor non videtur, *argum. l. si ignorans, ff. loc. ci.*, ibi: *Non contemnit disciplinam, qui ignorat*: ergo, &c. Ex quo infertur, quod *in cit. capite 2.* non nouum ius positiuum condatur, sed id quod ipsa natura, & institutio censurarum exigit, declaretur; siquidem censuræ sunt institutæ ad medendum, 4
non ad periculum animabus iniiciendum: quapropter idem propter eandem rationem de Pontificis censuris dici debet, etsi *in dict. cap. 2. de Episcoporum censuris* solum mentio fiat.

Porrò tradita doctrina de excusatione à contrahendis censuris extendi debet, quod non solum 5
locum habeat in ignorantia non crassa, & non supina, sed etiam in inconsideratione, siue obliuione legis, vel præcepti Ecclesiastici similiter non crassa, & non supina; quia ignorantia, & inconsideratio, siue obliuio æquiparantur; cum contra legem, vel præceptum Ecclesiæ contumax, vel contemptor etiam non sit, qui illud non aduertit, seu non attendit.

Secundò extendi debet, quod non solùm lo- 6
cum habeat in ignorantia iuris, sed etiam in ignorantia facti, sicuti suprà dicebam; ita vt censuram effugias, non solum si verbi gratiâ nescias, percussionem clerici esse sub excommunicationis pœna prohibitam, sed etiam si nescias, clericum esse illum, quem percutis; *capite si verò 2. de sent. excomm.* & docent Gloss. *in cit. l. ignorans, verb. contemnit*, Couar. *in capite alma, part. 1. §. 10. numero 15.* Graff. *1. part. decis. lib. 4. capite 4. numero 42.* Suar. *de censur. disputat. 4. sect. 8. numero 12. qui numero 13.* contra Syluestrum *verb. Excommunicatio, §. 6.* rectè subdit, nihil referre, vtrum ignorans dederit operam rei alioquin illicitæ; cum qui manus violentas in clericum iniicit, nesciens esse clericum, is operam det rei illicitæ, & tamen excommunicationem non contrahit, *cit. capite si verò*, cuius rei ratio est, 7
quia

quia ignorantia tollit voluntarium circa obiectum, quod ignoratur: quapropter talis non peccat contra legem, seu censuram Ecclesiæ de non percutiendo clerico, quamvis aliquando à censura excommunicationis absoluatur ad cautelam, & in quantum indiget.

8 Tertiò extendi debet, quod locum etiam habeat, si ignorantia sit concomitans, vt censuram etiam effugias: si verbi gratiâ clericum percutiens, nescias esse clericum, quamvis animo paratus sis eum etiam percutere, si esset clericus, vel optes esse clericum, quem percutis, & putas esse laïcum. Henriquez *libro* 11. *capite* 10. *in princip. in Comment. lit. A.* Vasq. 1. 2. *disputat.* 126. *numero* 9. Suar. *cit. sect.* 8. *numero* 7. Sanch. *de Matrim. libro* 9. *disput.* 32. *numero* 26. contra Couar. *cit. numero* 15. Grass. *cit. num.* 42. & Vgolinum *tab.* 1. *capite* 9. §. 8.

9 *numero* 8. & ratio est, quia censura Ecclesiastica non fertur propter internam prauam operantis dispositionem habitualem, vel actualem, sed propter externam Ecclesiastici præcepti contumacem transgressionem: at qui opus, quod operatur, Ecclesiæ præcepto sub censura esse prohibitum, actualiter ignorat, contra præceptum nihil delinquit; atque adeo contra illud actualiter contumax non est: ergo, &c. Et quamvis interno affectu contra illud delinquat; cum tamen Ecclesia, vtpotè quæ

10 de occultis non iudicat, non punit, sed Deus. Vnde sequitur, quod dixi de censuris, idem dicendum esse

11 de irregularitate, & restituendi obligatione; cum hæ similiter non contrahantur ob prauum animi affectum, sed ob prauum externum opus, vel illati damni iniuriam: quapropter cum ignorantia obiecti, circa quod externa operatio versatur, tollat voluntarium (vt si verbi gratiâ inimicum occidas, putans esse ceruum) sequitur, quod tollatur iniuria, omnisque prauitas ab opere externo, & non inficiatur ab interno prauo affectu concomitanti adiuncto, ac illius operis causa non existente.

12 Quartò, extendi debet, quod quamvis scias opus, etiam Ecclesiæ præcepto esse prohibitum, si tamen ignores, ei annexam esse censuram, adhuc censuram effugias. Sic Silu. *verb. Excommunicatio* 10. *quæst.* 3. Nauarr. *cap.* 29. *num.* 274. & *lib.* 3. *consil.* 10. *numero* 4. *de sepult. edit.* 2. Sanch. *cit. disp.* 32. *numero* 13. Suar. *loc. cit. sect.* 9. *num.* 19. Coninch. *disp.* 10. contra Glossam *cap. à nobis, de sent. excommun.* Couarru. *cap. alma, part.* 1. §. 10. *numero* 9. & Corduban *lib.* 2. *quæst.* 25. & probatur *ex cap. proposuisti, d.* 82. & *ex cit. cap.* 2. *de constitut. in* 6. vbi generatim dicitur, *sententiis per statuta ordinariorum prolatis non ligari ignorantes*; quod dictum cum sit fauorabile, retenta proprietate verborum, rectè extenditur, vt quamvis statutum scias, si tamen ei adiunctam sententiam, seu censuram ignores, ea non ligeris; præsertim cum ibi subdatur: *Vt animarum periculis obuietur*; & propterea cum censura pœna medicinalis sit, & medicina non esset, sed potius obesset, si etiam ignorata contraheretur: præsertim etiam, cum nemo, (sicuti dicebam) censuram contrahat, nisi aduersus Ecclesiæ cum tantæ pœnæ comminatione aliquid præcipientis, vel prohibentis protestatem contumax actualiter sit; at contumax actualiter non est, qui Ecclesiæ censuram ignorat: ergo, &c.

13 An autem doctrina hæc tradita de censuris, intelgenda sit etiam de aliis pœnis.

Respondetur, quod (quamvis nonnulli negent, & putent id esse proprium censurarum; quippe quæ sunt pœnæ medicinales, & sic idem non competat aliis pœnis; adeo quod censeant, etiam irregularitatem ex delicto reipsa contrahi, tametsi delinquens eiusmodi canonici impedimenti inuincibili ignorantia laboret, eo quod talis irregularitas non contrahatur propter contumaciam, sed propter turpitudinem, seu maculam culpæ, qua criminosus secundùm Ecclesiæ Canonem inhabilis redditur ad altaris ministerium:) tamen probabile sit etiam oppositum, vt patet ex iis, quæ dicebantur *lib. de Parlamentis, dub.* 4. *sect.* 19. *coroll.* 3. *pag.* 81. vbi dicebam, quod si quis committit peccatum, verbi gratiâ in Bulla Cœnæ contentum, & igno- 14
rantiam, obliuionem, vel inaduertentiam saltem non crassam, seu supinam reseruationis habet, in reseruationem Papalem non incurrit, & sic ab inferiori Confessario etiam absolui potest, sicut ex Molina docet Sanchez *loco supra cit.* & ratio esse 15
potest, quia reseruatio est veluti pœna, & pœnam, saltem in foro interno, probabiliter non contrahit ignorans ignorantia prædicta, sed solùm contumax, & pœnæ contemptor; sicuti docent etiam præter Sanchez *vbi supra*, Nauarr. *cap.* 23. *numero* 43. & Coninch. *disput.* 13. *numero* 93. vbi propterea cum iisdem Doctoribus dicebam, quod neque contrahit quis irregularitatem ex delicto, si nesciat, vel actu non aduertat, delicto, etiam iure Ecclesiastico prohibito, irregularitatem annexam esse: & quod dico de irregularitate ex delicto; idem quoque propter eandem rationem dicebam de aliis pœnis, vt non petendi debitum coniugale, inhabilitatis, priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, priuationis officij, & similium: & multò magis idem dicebam de pœnis censurarum, quæ non inferuntur, nisi vt pœnæ medicinales, in inobedientes, & contumaces Ecclesiæ: multóque magis idem dicebam, si delinquens, quamvis aduertat, opus esse peccaminosum contra ius naturæ, non tamen aduertit, esse peccaminosum contra ius positiuum, seu esse prohibitum à iure positiuo. Itaque ad 16
hoc, vt delinquens incurrat in pœnam iuris positiui ex delicto non sufficit, vt cognoscat, & aduertat actu, opus esse peccaminosum, nec sufficit, vt præterea cognoscat, & aduertat actu, esse illud prohibitum à iure positiuo, sed etiam sub tali pœna prohibitum; id est, cognoscat, & aduertat actu supra malitiam operis, & prohibitionem, & pœnam iuris positiui simul: qua de re vide præter Sanchez, & Coninch. *in loco supra cit.* Sylvest. *verb. Matrimonium* 8. *quæst.* 7. *dict.* 2. Paludanum *in* 4. *dist.* 42. *quæst.* 1. *art.* 3. *concl.* 2. Portel. *in addit. ad dub. Regul. verb. Ignorantia, numero* 21. *& seqq.* vbi citat Nauarrum, & Rodrig. vide etiam Curiel. *in part.* 2. *quæst.* 76. *art.* 4. *dub.* 5. Valentiam *tom.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 6. *punct.* 1. *corollar.* 9. Henriq. *libro* 13. *cap.* 23. *num.* 2. Suar. *de censur. disput.* 4. *sect.* 9. *numero* 19. Auilam *part.* 2. *cap.* 5. *disput.* 5. *dub.* 5. *& dub.* 7. Sayrum *de cens. lib.* 1. *cap.* 18. *numero* 37. Castrum Palaum *tom.* 1. *tract.* 2. *disput.* 1. *punct.* 17. *numero* 8. Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 1. *cap.* 2. *quæst.* 5. *numero* 27. & Bonacinam *de cens. disp.* 1. *quæst.* 2 *punct.* 1. *numero* 13.

At tradita doctrina, quod scilicet censura, & 17
quæcunque alia pœna non liget ignorantes, excipi debet, nisi sit ignorantia crassa, seu supina, *cit. cap.* 2. *de constit.* à censuris enim, & ab aliis pœnis non excusat ignorantia affectata, seu directè volita: hæc enim voluntarium culpæ non 18
minuit, quin potiùs malitiam directam, seu ex proposito, & dolum formalem includit: quapropter (sicuti suprà dicebam) multi Doctores satis probabiliter

babiliter censent, quod si censura, vel quæcunque alia pœna feratur contra eos, qui scienter, consultò, temerario ausu, vel præsumptione quidpiam fecerint, contrahatur etiam ab iis, qui
19 cum affectata ignorantia fecerunt; secus si cum non affectata, quamvis crassa, & supina; quia ignorantia crassa, & supina directam malitiam,
20 ac dolum formalem non continet, sicuti continet ignorantia affectata, quamvis si ignorantia sit nimis crassa, in externo foro interdum ignorantiæ affectatæ, & dolo æquiparetur.

Itaque tradita doctrina, quod scilicet censura, & quæcunque alia pœna non liget ignorantes, intelligitur solum de ignorantia, quæ sit minor, quam est ignorantia crassa, seu supina, nedum quàm est ignorantia affectata, seu directè volita, licet alioquin sit vincibilis, & culpabilis.

21 Obiices: ignorantia vincibilis, & culpabilis non excusat à peccato: ergo neque excusat à censura, & cæteris pœnis.

22 Respondetur, transeat antecedens: at nego consequentiam, & do instantiam, quia adhuc qui ex graui metu mortis, infamiæ, &c. transgreditur legem, vel præceptum Ecclesiæ, is in opinione probabili multorum (quamvis interdum à culpa, etiam mortali, non excusetur, si scilicet violet legem, quæ naturaliter etiam obligat) tamen non contrahit censuram annexam;
23 verbi gratia qui graui metu inductus matrimonium contrahit, & consummat cum consanguinea, licet mortaliter peccet, non tamen contrahit excommunicationem latam *in Clement. vnic. de consanguin. & affin.* Sic Suarez *de legib. lib. 3. cap. 30. numero 14.* item qui graui
24 metu adactus remigat in triremibus Turcarum contra Christianos, quamvis ex probabili mortaliter delinquat, non tamen contrahit excommunicationem latam in Bulla Cœnæ contra eos, qui Turcis, & aliis Christiani nominis hostibus auxilium quomodolibet præstant; sic Nauar. *cap. 27. numero 63. & in cap. ita quorundam, de Judæis, notab. 11.* Idque ex eo, quia, inquiunt ipsi, ad censuram contrahendam requiritur contumacia, & interpretatiuus contempus: at qui ex graui metu peccat, alioquin non peccaturus, is non censetur contumax, neque delinquere ex contemptu Ecclesiæ, sed ex mera infirmitate, seu fragilitate naturæ; tum quia in ordine ad forum
25 externum, & leges positiuas Ecclesiæ grauis metus censetur iustus, & probabilis, quamvis interdum, spectato iure naturæ, à peccato mortali non excuset, sicuti ex communiori sententia Doctorum docet Nauar. *capite 27. num. 63. & in cap. ita quorundam, notab. 11. num. 18. de Iudæis*, Suar. *cit. disp. 4. sect 3. num. 14.* contra Sanch. *de matrim. lib. 9. disput. 31. num. 4.* Ergo sic similiter in casu nostro di-
26 ci poterit, cum ea, quæ sunt de iure positiuo, ordinarie non obligent cum tanta seueritate, sicuti obligant ea, quæ sunt de iure naturæ.

27 Non obstat, quod *in cap. sacris, de iis, quæ vi, metusve causa fiunt*, Pontifex dicat, quod qui communicat cum excommunicato per vim, seu coactionem, is excommunicationis censuram effugiat, qui verò ob metum (cum pro nullo metu culpam mortalem committere debeat) non effugiat.

Respondetur enim (omissis variis huius capituli interpretationibus, vt videre est apud Abbatem *ibid.* & Vasquez *1. 2. disput. 161. cap. 4.*) quod Pontifex ibi voluerit tradere differentiam 28
inter coactionem, & metum; quod scilicet coactio, seu vis semper à censura excuset; quia simpliciter aufert voluntarium, ideoque aufert omnem culpam, consequenter & omnem pœnam in culpa fundatam: at verò metus non sic, quia relinquit voluntarium simpliciter, ideoque culpam omnem non aufert; quando verò, non obstante metu etiam graui, censura contrahatur, Pontifex ibi non explicat. Explicari tamen potest cum Suar. *disputat. 4. sect. 7. num. 8.* Auila *de censur. part. 2. cap. 6. disputat. 1. dub. 2. & 3.* & Coninch. *disput. 13. dub. 15.* quod quotiescunque 29
actio per censuram prohibita, ratione alicuius circumstantiæ est intrinsecè mala, tunc solùm eam, quamvis ob grauem metum, exercens, contra Ecclesiasticam etiam legem delinquat, & pœnam eius (vt censuram, vel irregularitatem, &c. contrahat 30
vt si Sacerdos excommunicatus, ac publicè denunciatus, graui metu adactus confessionem audiat, & absoluat non sine irreuerentia Sacramenti, quod tali casu inualidè administratur, vel si alter graui metu inductus communicet cum excommunicatis in contemptum Ecclesiasticæ potestatis, vel cum Christianæ Religionis detrimento: quia in his, & similibus casibus Ecclesiastica etiam lex obligare videtur, vt non obstante quovis priuato incommodo bonum publicum Ecclesiæ, ac Christianæ Religionis honor defendatur.

Cæterùm, vt intelligatur, quænam sit ignorantia crassa, seu supina, & quænam sit ignorantia affectata, sciendum est, quod ex S. Th. 1. 2. 31
*quæst. 6. artic. 2.* communiter recepto, ignorantia 32
in communi diuiditur in antecedentem, & consequentem. Antecedens ignorantia dicitur, quæ nec directè, nec indirectè voluntaria est; siquidem ideo antecedens vocatur, quia omnem voluntatis actum antecedit; ideoque prorsus inculpata est: quapropter dici etiam solet ignorantia iusta, probabilis, inuincibilis; quia morali diligentia superari non potest, eo quod operanti nunquam in mentem venerit dubitare, aut cogitare de contrario; vel etsi in mentem venit, tamen adhibita diligenti inquisitione, ignorantiam superare, & veritatis cognitionem acquirere non potuit. Consequens ignorantia dicitur, quæ aliquo modo voluntaria est, ideoque consequitur voluntatem directam, vel indirectam; quapropter culpabilis est, si versetur circa rem cognosci necessariam; & dici etiam solet ignorantia iniusta, improbabilis, vincibilis; quia superari, seu tolli, & veritatis cognitio acquiri potuisset, & debuisset.

Ignorantia vincibilis subdiuiditur in affectata, 33
& non affectatam; quæ (sicuti tradit S. Thom. *quæst. 76. artic. 3.* & Ioan. Gerson *part. 2. tractatu de natura, & qualit. cognoscentiæ, §. est præterea, ad finem,*) in hoc differunt; quod illa est directè voluntaria, hæc indirectè: quapropter ignorantia affectata est, cum quis data opera vult ignorare, & non inquirere veritatem, siue ob discendi pigritiam; siue, vt legis obligatione ignorata, excusationem habeat, vel liberiùs peccare possit: estque hæc ignorantia interdum concomitans, & non causa operis, vt quando ignarus ita dispositus est, vt etsi sciret obligationem legis, adhuc non pareret: interdum autem est causa operis, vt si ignorantia sublata, faceret quod lex iubet.

Ignorantia verò non affectata, quæ sicuti di- 35
cebam

cebam , est tantùm indirectè volita ; altera est crassa , lata , seu supina ; ad quam scilicet tollendam nulla , vel modica adhibetur diligentia ( qualis ignorantia plerumque esse solet earum rerum , quæ
36 communiter ab eiusdem conditionis , ac status hominibus cognoscuntur ) quapropter ignorantia crassa , lata , seu supina est , quæ ex magna cognoscendi negligentia oritur , siue quam quis facilè , cum posset , & deberet , deponere negligit : omninò tamen hîc requiritur , quod operans habuerit aliquam suspicionem de legis obligatione , eiusque pœnis , vel censuris , & non obstante hoc , nulla , vel penè nulla adhibita veritatis indagatione , opus prohibitum exequatur , non sine virtuali contumacia , & interpretatiuo contemptu legis , eiusque pœnarum, vel censurarum. Vide Sotum *in 4.dist.28. quæst.1. art.2. §. ex his primum.* Suar. *de censur. disput.4. sect. 10. numero 4.* Sanch. *de matrim. lib. 9. disput. 32. numero 32.* Coninch. *disputat. 13. du-*
37 *bit. 11.* Altera est non crassa , non lata , seu non supina ; quæ scilicet non tam facilè superari potuit, vel ad quam superandam diligentia adhibita est , sed non sufficiens.

An autem hæc ignorantia non crassa , non lata , seu non supina sufficere possit ad culpam mortalem.

Negant Sotus *numero 4. distinct. 29. quæstione 1. art.2.* Graff. *part.1. decis. lib. 4. cap. 9. numero 20.* Villalob. *in Summ. tom.1. tractatu 16. dub. 12. numero 6.* & Suar. *de censur. disput. 4. sect. 10. numero 10.* quatenus aiunt , quod omnis ignorantia mortalis , sit crassa , lata , seu supina ( quamvis ignorantia hæc latitudinem habeat , vt possit esse , vel valdè crassa , lata , & prorsus supina , vel minus crassa , lata , & non prorsus supina ; omnis tamen ignorantia hæc , vtpotè crassa , lata , seu supina , vt sic , mortalis sit. ) Quæ autem ignorantia venialis est , sit non crassa , non lata , seu non supina , & leuis.

Affirmant Sanch. *libro 1. moral. capite 16. numero 7.* & *de matrimon. libro 9. disput.32. numero 31.* Portel. *in addit. ad dub. Regular. verb. Ignorantia , numero 25.* Diana *part.3. tract.5. resol.23.* Bonacina *de censur. disput. 1. quæst.2. punct.1. num.10.* & Barbosa *in Collect. tom.3. lib.1. Sexti Decret. tit.2. cap.2. numero 7. & 8.* quatenus aiunt,quod etiam non crassa, non lata , seu non supina ignorantia sufficiat interdum ad culpam mortalem. At quæstio videtur de nomine : prioris tamen sententiæ modus loquendi mihi magis probatur , consulendus , & sequendus in praxi.

## DVBITATIO LX.

An excommunicatio in dicto Motu Gregorij XIII. lata in facientes , vel permittentes ingredi virtute facultatum , sit Pontifici reseruata , sicuti est reseruata , quæ in eodem Motu fertur contra ingredientes virtute prædictarum facultatum ? Vbi etiam de aliis pœnis.

### SVMMARIVM.

1 *Excommunicatio in Motu Gregorij XIII. lata contra facientes , vel permittentes ingredi virtute facultatum est Pontifici reseruata , sicuti est reseruata quæ in eodem motu fertur contra ingredientes virtute prædictarum facultatum.*

2 *Pœnæ reseruatæ in dicto motu Gregorij XIII. excepta excommunicatione , non sunt reseruatæ Pontifici , & ideo auferri possunt per inferiorem.*

3 *Absoluere quis possit à dicta excommunicatione , & in pœnis dispensare , vide ibi.*

REspondetur affirmatiuè , quia cum Pontifex 1
præmiserit excommunicationem sibi reseruatam in ingredientes virtute facultatum , consequens est , quod si excommunicatio prior sit reseruata , reseruata etiam sit & hæc posterior , quia Summus Pontifex eandem excommunicationem infert in facientes , & permittentes ingredi , ac intulerat in ingredientes , ibi : *Sub eadem excommunicationis pœna* , &c. at in istos intulerat excommunicationem reseruatam , sicuti dicebam , & patet ex textu : ergo , &c. Llamas *in Append. §.12. in princip.* Suar. *tom.5. in 3. part. disput.22.sect.6. num.14.* Confectius *tit.20. cap.6. ad fin. & cap.9. numero 3.* & Bonac. *de clausura , quæst.4. punct.6. numero 7.* 2
Alias verò pœnas hic non reseruat sibi Pontifex : quapropter auferri illæ poterunt ab iis,quos dicebam *dub. 28.*

Cæterùm , an ab hac vera excommunicatione 3
Pontifici reseruata , si sit occulta , possit absoluere Episcopus virtute Tridentini , vel Confessarius virtute Bullæ , vel Religiosus virtute priuilegiorum suæ Religionis ? Vide *supra cit. dub.28. & infrà dubit.69. 81. & 82.* Item an à pœnis in dicto Motu appositis , scilicet à priuatione officiorum , & inhabilitate ad illa , possit dispensare alius , quàm Summus Pontifex ? vide *dubit.29.* Vide item an ad dictas pœnas incurrendas requiratur sententia Iudicis, *dubit.23.* Item tandem quid intelligatur nomine officiorum ? vide *dubit. 24.*

## DVBITATIO LXI.

An , & quæ personæ facientes , vel permittentes ingredi virtute facultatum contrahant excommunicationem , & cæteras pœnas dicti Motus Gregorij XIII.

### SVMMARIVM.

1 *Superiores vtriusque sexus tantùm secundùm probabiliorem opinionem contrahunt excommunicationem, & cæteras pœnas, vt priuationem officiorum, & inhabilitatem ad illa, latas in motu Gregorij XIII. contra facientes , vel permittentes ingredi virtute facultatum.*

2 *Verba ( quocumque nomine vocentur ) satis clarè denotant motum non loqui de priuatis Religionum personis.*

3 *Sententia prædicta rationibus confirmatur.*

4 *Admittens ingredientem ad malum finem , etsi non ex prætextu licentiæ , non contrahit excommunicationem Tridentini.*

5 *Scribens , vel mittens ad Monialem literas etiam obscœnas,non contrahit excommunicationem contra loquentes latam.*

6 *Participans cum excommunicato in crimine crimio nos-*

*noſo non incurrit excommunicationem, niſi poſt declarationem excommunicati non tolerati.*

7 *Permittens ingredi habentem dictas facultates, modò ingrediens prætextu illarum non intromittatur, incurrit prædictas pœnas dicti Motus.*

1 REſpondetur, quod licet Llamas *cit.* §.32. *in princ. cap.* Bonacina *de clauſura, quæſt.4. punct.6. num.3.* Filliucius *tom.1. tract.15. cap.5. num.119.* & alij putent, quod pœnas dicti Motus Gregorij XIII. contrahant, non ſolùm omnes ſuperiores vtriuſque ſexus, ſed etiam omnes Religioſi vtriuſque ſexus, facientes, vel permittentes ingredi virtute facultatum; moti ex eo, quia in cit. Motu dictæ pœnæ expreſsè imponuntur *Abbatiſſis, Abbatibus, Conuentibus, & aliis Monaſteriorum vtriuſque ſexus Superioribus*; at paulò poſt immediatè ponuntur verba, *& aliis perſonis, quocumque nomine vocentur.* At per illa verba: *Et aliis perſonis, quocumque nomine vocentur*, ſignificari non poſſunt, niſi Religioſi vtriuſque ſexus, quia alioquin dicta verba eſſent ſuperflua; cum iam cit. Motus expreſſerit Superiores vtriuſque ſexus: ergo, &c. tamen oppoſitum (quod docet Rodriguez *tom.1. qq. Regul. quæſt.47. art.3.* Miranda *tract. de Monial. quæſt.2. art.12. concluſ.3.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part.3. allegat.102. num.33.* & Diana *part.2. tract.5. reſol.33.*) ſit multò probabilius; nempe tantùm Superiores vtriuſque ſexus facientes, vel permittentes ingredi virtute facultatum, contrahere excommunicationem, & cæteras pœnas (vt priuationem officiorum, & inhabilitatem ad illa) 2 dicti Motus Gregorij XIII. quia per illa verba: *Et aliis perſonis, quocumque nomine vocentur*, ſolum ſignificantur alij Superiores, quocumque nomine dicantur, cùm his verbis: *Quocumque nomine vocentur*, ſatis clarè denotetur, Motum non loqui de priuatis Religionum perſonis; nam hæ ſemper Religioſi, vel Religioſæ dicuntur; ſed de Religionum Superioribus, & qui in diuerſis Monaſteriis diuerſo nomine vocantur.

3 Confirmatur, quia dictus Motus paulò inferiùs volens ſub pœnis comprehendere quaſcumque Moniales, quæ admittunt ingredientem de licentia Epiſcopi in caſibus non neceſſariis, id expreſſit indefinitè dicens, *Moniales*: ergo ſi idem voluiſſet in caſu noſtro, id facilè expreſſiſſet ſimiliter dicens, & alios Religioſos vtriuſque ſexus.

Confirmatur ſecundò, quia pœnæ potius ſunt reſtringendæ, quàm ampliandæ: ergo, &c. Idemque, quod modo dixi de Bulla Gregorij XIII. abſque dubio dicendum eſt de Bulla Pauli V.

Obiicies ex Filliucio *loco ſupra cit.* praxis S. Pœnitentiariæ ſeruat oppoſitum: ergo.

Reſpondetur, tranſeat antecedens, nec id eſt mirum, quia oppoſitum eſt etiam ſatis probabile: quapropter ſic S. Pœnitentiaria ſequitur opinionem probabilem, quin agit cautius, & tutius.

4 Inſtabis, ſaltem admittens ingredientem ad malum finem, etſi non ex prætextu licentiæ, contrahet excommunicationem Tridentini *ſeſſ.25. de Regularib. cap.5.* Pontifici non reſeruatam.

Reſpondetur, nego antecedens, quia Tridentinum ibi excommunicat ſolum ingredientes, nullam mentionem faciens de admittentibus, qui nec alibi excommunicantur, niſi caſu quo admittant ingredientem prætextu facultatum: excommunicatio autem, vtpotè pœnalis, non extenditur de caſu ad caſum, à paritate, quin neque à maioritate rationis: verbi gratia ſcribens, vel mit- 5 tens ad Monialem literas, etiam obſcœnas, non contrahit excommunicationem contra loquentes cum Monialibus latam. Vide quæ dicebantur *dubit.58. in fin.* & Doctores, quos citat, & ſequitur Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part.3. alleg.102. num.82.*

Vrgebis: Participat in crimine criminoſo, & ſic 6 participans contrahit eandem excommunicationem, quam is, cum quo participat, contraxit, *cap. nuper, de ſentent. excommun.* ergo, &c.

Reſpondetur, ad incurrendam excommunicationem iſtam, iuxta *cit. cap. nuper*, opus eſſe, vt is, cum quo quis participat, ſit excommunicatus denunciatus, ſeu non toleratus.

Addo, quod neque excommunicationem, & alias 7 pœnas dictas contrahat, qui permittit ingredi habentem prædictas facultates, ſed non ingredientem virtute illarum, ſed ingredientem veluti ac ſi illas non haberet, ſeu illis non inuitendo; quamvis eas contrahat, ſi permittat ingredi eum, qui habens prædictas facultates velit ingredi virtute illarum, licet ipſe non permittat ingredi eum virtute illarum, ſed talem prætextum reſpuat. Ratio eſt, quia in tali caſu permittit vſum talium facultatum, dum permittit ingredi ingredientem virtute facultatum, quas hic reuerà aliquando habuit. Vide Nauarrum *comment. 4. de Regular. num.62.*

## DVBITATIO LXII.

### An & quid veniat nomine Conuentuum, quos facientes, vel permittentes ingredi virtute facultatum, punit Motus Gregorij XIII.

### SVMMARIVM.

1 *Conuentus nomine veniunt Religioſi cum ſuperiore in vnum coacti.*

2 *Capituli nomine veniunt Canonici cum Decano in vnum congregati.*

3 *Motus Gregorij XIII. excommunicat Religioſos vtriuſque ſexus, ſi in vnum, ſeu collegialiter coacti quempiam virtute facultatum ingredi faciant, vel permittant.*

4 *Conuentus collegialiter coactus ſi delinquat, puniri debent omnes conſentientes, aut non contradicentes, ſi conſentire, vel contradicere teneantur.*

5 *Conuentus nomine ſecundum Rodriguez ſatis probabiliter non veniunt omnes vtriuſque ſexus Religioſi, ſed ſolum maiores cum Prælato.*

6 *Pontifex prohibens excommunicari Vniuerſitatem, permittit excommunicari aliquos ex vniuerſitate.*

7 *Prælati, & officiales puniri iubentur, cum totus Conuentus in ſimoniaca Monachi receptione deliquerit.*

8 *Religioſi omnes tenentur reſtituere pecuniam ſimoniacè acceptam, Abbates verò, & maiores perſonæ pœna lata contra ſimoniacos afficiuntur.*

9 *Motus Gregorij XIII. puniens Conuentum prætextu facultatum aliquem ingredi facientem, vel permittentem, afficit tantum Superiores, & eorum Conſultores, ſeu præcipuos Officiales, quorum conſilio Superior gubernatur.*

10 *Maiores cum Prælato non puniuntur pœnis in dicto motu contentis, ſi Conuentus non delinquat*

*collegialiter congregatus; sed ij soli sint adhibiti priuatè in Consultores.*

1 REspondetur cum Doctoribus, quos citat, & sequitur Bonacina *de clausura, quæst.* 4. 2 *punct.* 6. *numero* 4. venire Religiosos cum Superiore in vnum coactos, sicuti nomine Capituli veniunt Canonici cum Decano in vnum Congregati: 3 ita vt talis Motus excommunicet, & cæteris supradictis pœnis afficiat Religiosos vtriusque sexus, si in vnum, seu collegialiter coacti, virtute facultatum quempiam ingredi faciant aut permittant, suffragium præstando, vel cum possint contradicere, non contradicendo, quia hoc est Conuentum delinquere.

4 Confirmatur, quia (sicuti rectè docent Abb. *in cap. dilectus* 2. *de simonia, numero* 8. & Ananias *ibid. numero* 9.) quando Conuentus collegialiter coactus delinquit, puniri debent omnes consentientes, aut (sicuti contradicere tenebantur) non contradicentes; non tamen omnes de Conuentu, nisi forsan omnes de Conuentu consentiendo, vel non contradicendo culpæ participes fuerint.

5 Quamvis Rodrig. *tom.* 1. *qq. Regul. quæstione* 47. *art.* 3. satis probabiliter doceat, nomine Conuentus, etiam quando collegialiter congregatur in vnum, non venire omnes vtriusque sexus Religiosos, qui collegialiter coacti ingressum concesserunt, sed venire solùm Maiores cum Prælato, *argum. cap.* 6 *Romana, ad fin. de sent. excommun. in* 6. vbi Pontifex prohibens excommunicari vniuersitatem, permittit excommunicari aliquos ex vniuersitate, in his verbis: *Sed in illos duntaxat de Collegio, vel vniuersitate, quos culpabiles esse constiterit, promulgetur.* Vbi Gloss. *verb. Culpabiles*, ait: *Sicut Prælatus, vel Consules, & huiusmodi Maiores.* Item 7 secundò, *arg. cit. cap. dilectus*, vbi cum totus Conuentus in simoniaca Monachi receptione deliquerit, soli Prælati, & officiales puniri iubentur: vbi Gloss. *verb. Officialibus*, quærens, cur non totus Conuentus delinquens, sed hi soli puniantur, ait, *quia horum officialium consilio, & auctoritate omnia* 8 *fiunt.* Item tertiò, *argum. cap. veniens, de simonia*, vbi in simili Conuentus delicto, iubentur quidem omnes Religiosi restituere pecuniam simoniacè acceptam: at quoad pœnas dicitur, *Abbatem, & maiores personas Monasterij pro tantæ prauitatis excessu*, &c. vbi Gloss. *verb. Maiores*, ait: 9 *Quorum consilio Abbas regitur*: ergo sic etiam in casu nostro dicendum videtur, quod scilicet Motus Gregorij XIII. puniens Conuentum virtute facultatum ingredi facientem, vel permittentem, explicandus sit, quod nomine Conuentus intelligat tantùm Superiorem, & ipsius Consultores, seu præcipuos officiales, quorum consilio Superior gubernatur, non autem omnes de Conuentu, etiamsi omnes de Conuentu collegialiter, seu in vnum congregati consenserint.

10 At quidquid sit de hac opinione, quæ vt opposita, est satis probabilis, illud interim dicendum est, quod non puniantur Maiores cum Prælato (si ab isto cum consilio eorum ingressus est permissus,) quando non delinquit Conuentus: v. g. si non cogitur collegialiter in vnum Conuentus, sed priuatim cum quibusdam Religiosis tractat Prælatus de hac ingressus permissione, non Maiores cum Prælato, sed Prælatus solùm contrahat excommunicationem, & pœnas dicti Motus Gregorij XIII. quia de Prælatis solùm ibi Pontifex expressam mentionem facit; & sic easdem pœnas non contrahunt etiam consultores, & alij, cum quibus ille tractauit, quia de his dictus Motus mentionem non facit, sed solùm de Superioribus, & de Conuentibus: & tunc non est Conuentus, qui delique- 11 rit, quia non collegialiter, nec nomine Conuentus illi dederunt votum, vel consilium: ergo, &c. nisi dicas, eos etiam excommunicationem, & pœnas dictas contrahere, non quatenus Conuentus, sed quatenus personas permittentes ingressum, casu quo eum impedire poterant, & tenebantur ex officio.

## DVBITATIO LXIII.

### An, & quid veniat in dicto Motu Gregorij XIII. per ly *facere, vel permittere ingredi virtute facultatum*?

### SVMMARIVM.

1 *Per verbum facere, vel permittere, in motu Gregorij XIII. appositum venit quæcumque actio vel positiua, vel negatiua, vt iubendo, consulendo, aut ianuam aperiendo; vel negatiua, vt non prohibendo.*

2 *Qui non impedit etiamsi possit impedire, cum tamen ad hoc ex officio non teneatur, non contrahit dictas pœnas.*

1 REspondetur, venire quamcunque actionem, vel positiuam (vt iubendo, consulendo, aut ianuam aperiendo, seu intromittendo) vel negatiuam (vt non prohibendo) qua Prælati sunt causa talis ingressus, quia cum hi prohibere ex officio teneantur, & commodè possint, vti suppono, censentur non prohibendo indirecta causa huius ingressus; quapropter meritò 2 ipsorum permissio subditur dictis pœnis Gregorij XIII. Non sic dicendum de eo, qui non impedit, etiamsi possit impedire, si impedire non tenetur ex officio. Rodrig. *tom.* 1. *q.* 47. & Miranda *de Monialib. q.* 2. *art.* 12. *concl.* 3.

## DVBITATIO LXIV.

### An veniat in dicto Motu Gregorij XIII. per ly *quempiam facere, vel permittere ingredi virtute facultatum*, mas tantum, vel etiam fœmina?

### SVMMARIVM.

1 *Nomine (quempiam) ex probabiliori sententia Doctorum venit non solùm mas, sed etiam fœmina in dicto motu Gregorij.*

2 *Fœmina etiam comprehenditur in canone, si quis suadente diabolo.*

3 *Fœmininum comprehenditur sub masculino in legum dispositione, etiam in materia odiosa, & pœnali.*

4 *Dictio (quemquam) cadit super personas in præcedentibus expressas, in quibus etiam de fœminis fit mentio in dicto motu.*

5 *Ingressus permissio etiam fœminis prohibetur.*

6 *Motus Gregorij loquitur de ingressu in Monasteria tam virorum, quam mulierum.*

7 *Summus Pontifex quando in dicto motu voluit comprehendere sexum fœmininum, expressit, sed non*

*ex*

*ex hoc sequitur, quod appellatione superiorum non veniant postea in dicto motu etiam fœminæ; & cur.*

1 REspondetur, ex probabiliori sententia Doctorum, venire etiam fœminam; quia *in Canon. si quis suadente diabolo*, venit etiam fœmina: ergo sic & in casu nostro. Et ratio vlterius est, quia
2 contra Decium *in loco infrà citando*, & Salas *de legib. disp.21. sect.3. vers.12.* in legum dispositione, etiam in materia odiosa, & pœnali, sub masculino comprehenditur fœmininum. Doctores, quos citat (etsi non sequatur) Decius *regul. fœminæ, numero* 110. *ff. de reg. iur.* & Doctores, quos refert, & sequitur Tiraquell. *de retractu lignagier*, §. 1. *gloss.6. numero* 221. & Menoch. *de adipisc. possess.*
3 *remed.4. numero* 61. *& sequentib.* Ergo multò magis in casu nostro, cum in casu nostro materia non sit toraliter odiosa, vrpotè tendens ad vitanda peccata, & concernens salutem animarum; sic Archidiac. *in cap. periculoso, de statu Regular. in 6. numero* 1. Ioan. Andr. *ibid. numero* 2. Ancharan. *numero* 2. *notab.* 3. Dominic. *numero* 7. Francus *numero* 4. *notab.6.* & alij. Vide tamen Rodrig. *tom.1. qq. Regular. quæst.47. art.3. in fin.* & quæ dicentur *infra dub.76.*

4 Confirmatur, quia ly *quemquam* cadit super personas in præcedentibus expressas: at in præcedentibus sermo erat non solùm de viris, sed etiam de fœminis in Monasteria Monialium ingredientibus: ergo, &c.

5 Confirmatur secundò, quia dictus Motus prohibet ingredi, etiam fœminam: ergo signum est, quod prohibeat permissionem ingressus, etiam fœminæ.

6 Confirmatur tertiò, quia idem Motus loquitur de ingressu in Monasteria tam virorum, quàm mulierum (prohibet etiam *tam Abbatissis, quam Abbatibus, ne in Monasteria sua quemquam prætextu huiusmodi licentiarum ingredi faciant, vel permittant.*) At multò indecentior est ingressus mulierum in Monasteria virorum, quàm ingressus virorum in Monasteria mulierum (cum hic sæpissimè sit necessarius, ille verò, vix aut nunquam:) ergo, &c.

7 Obiicies, Motus Gregorij XIII. volens comprehendere superiores vtriusque sexus, id expressit his verbis: *Abbatissis verò, necnon Abbatibus, Conventibus, ac aliis Monasteriorum vtriusque sexus Superioribus.* Nec satis censuit dicere, *Superioribus* (quæ vox est generis masculini) sed addidit, *vtriusque sexus*, non obstante, quod præmiserit ly *Abbatissis, necnon Abbatibus*: ergo cum postea loquens de personis, solo genere masculino vsus sit, ibi: *Ne in Monasteria sua quemquam prætextu huiusmodi licentiarum ingredi faciant, vel permittant*, signum est, quod fœminam non comprehendat.

Respondetur, nego consequentiam, quia id, quod fecit Pontifex, loquendo de Superioribus, sic expressè fecit ad maiorem cautelam, quod inde patet, quia bis expressit, cum exprimi satis, superque suffecisset semel.

## DVBITATIO LXV.

An, & quis contrahat pœnam excommunicationis Pontifici reseruatæ, & priuationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum suorum, & inhabilitatis ad illa; & alia in posterum obtinenda in dicto Motu Gregorij XIII. impositam iis, qui ex facultate Episcopi, vel superiorum (quorum est illa concedere) absque necessitate ingrediuntur, & Monialibus, quæ eos aliter admittere præsumunt?

### SVMMARIVM.

1 *Pœnæ dicti motus Gregorij XIII. à quibusnam contrahantur.*

2 *Pœnæ dicti motus non contrahuntur ab ingredientibus absque vlla superioris licentia; vel non innitendo illi; secus est cum licentia, quæ etiam sit ex causa vrgenti concessa, si tempore ingressus cessauit causa.*

3 *Dispensatio cessat cessante omninò causa dispensationis.*

4 *Pœnæ dicti motus non contrahuntur ab eo, qui tempore licentiæ non habebat iustam causam ingressus, si iusta causa tempore ingressus superuenit.*

5 *Motus prædictus Gregorij XIII. parum curat in his pœnis valorem licentiæ; sed solùm plectit his pœnis eum, qui ingreditur absque casu necessitatis virtute licentiæ dictorum superiorum.*

6 *Ingrediens modo prædicto contrahit secundùm probabiliorem opinionem saltem excommunicationem Tridentini non reseruatam.*

7 *Concilium Tridentinum ad licitum ingressum præter causam necessariam requirit etiam licentiam.*

8 *Moniales præsumentes admittere in sua Monasteria ingredientes prædictos respectu facultatum contrahunt eadem pœnas.*

9 *Prælati siue seculares, siue Regulares dantes prædictam licentiam sine iusta causa, vel postea admittentes, non contrahunt eadem pœnas.*

1 REspondetur, & dico primò, has pœnas contrahunt omnes, & quæcumque personæ, siue Ecclesiasticæ, siue sæculares, cuiuscumque ordinis, quæ prætextu licentiarum concessarum ab Episcopis, vel legitimis superioribus, (qui ex solis causis necessariis eam concedere possunt) Monasteria Monialium extra casum necessitatis ingrediuntur. Patet ex contextu.

2 Hinc eas non contrahunt, quando ingrediuntur absque vlla superioris licentia, vel non innitendo illi, iuxta ea, quæ dicebam *dub.*58. contrahunt tamen eas (licet licentia sit ex causa vrgenti concessa) si tempore ingressus cessauit causa; quia dictus Motus Gregorij XIII. his pœnis subiicit ingredientes ex licentia, quando is absque causa vrgenti ingreditur; & non dicit, quando nulla fuit causa concessionis ingressus: at reuerà hic absque causa ingreditur, cum illa tempore ingressus iam cessarit; tum
3 quia cessante omnino causa dispensationis, cessat dispensatio, quia *in cap. periculoso, de statu Regular.* dicitur:

*Nisi rationabilis, & manifesta causa existat* : qui textus innouatur in Concilio Trid. *sess.25.cap.5.*

4 Quamuis non contrahant eas, quando tempore licentiæ non erat iusta causa ingressus, si iusta causa erat tempore ingressus, quia iam non ingrediuntur extra casum necessitatis : & licet ea licentia sit irrita, 5 vt mox *infrà* dicetur, Motus tamen dictus Gregorij XIII. (vt patet ex contextu) parum curat in his pœnis valorem licentiæ, sed solum plectit his pœnis eum, qui ingreditur absque casu necessitatis virtute licentiæ dictorum superiorum; hic verò ingreditur in casu necessitatis, seu ex causa necessaria, quam summus Pontifex subesse vult tempore ingressus : ergo, &c. Vide Suarez *tom.5. in 3. part. disp.22. sect.6. num.14.* & Bonacinam *de claus. quæst.4. punct.5. num.10.*

6 An autem talis ingrediens contrahat saltem excommunicationem Tridentini non reseruatam, de qua dixi *dub.53. 54. & 55.*

Respondetur, quod (quamvis videatur negandum, quia reuera ingreditur ex superioris licentia, & in casu necessitatis) tamen probabilius affirmetur, quia cum illa licentia extra casum necessitatis (vtpotè sine causa tunc existente concessa) fuerit inualida, & causa superueniens (cum ex ipsa non sit ea concessa) non faciat eam validam, hic ingressus videtur sine licentia, atque adeo Tridentini excommunicationi subiacere, cum Tridentinum ad li-
7 citum ingressum præter causam necessariam requirat etiam licentiam. Vide Bonacinam *loco suprà cit.* & *punct.4. num.20.*

8 Dico secundò, easdem pœnas contrahunt Moniales, quæ hos ingredientes prætextu dictarum licentiarum admittere in Monasteria præsumunt; patet etiam ex contextu. Vide *cit. dub.53. 54. & 55.*

9 Dico tertiò, easdem pœnas tamen non contrahunt Prælati, siue sæculares, siue Regulares, dantes prædictam licentiam sine iusta causa, vel postea admittentes, quia hæ imponuntur solis Monialibus, & nulla hic imponitur pœna dantibus illius licentiam sine iusta causa, neque postea admittentibus, & meritò, cum maior, & magis culpabilis causa ingressus sit dando licentiam, quàm solùm posteà admittendo.

## DVBITATIO LXVI.

### An veniat nomine Monialium Abbatissa in pœnis Motus Gregorij XIII. iam *suprà dubit. præcedenti* dictis?

### SVMMARIVM.

1 *Abbatissa non venit secundùm probabilem opinionem nomine Monialium in motu Gregorij XIII.*

2 *Abbas in materia odiosa, & pœnali non venit nomine Monachorum.*

3 *Abbatissa secundùm probabiliorem opinionem venit nomine Monialium in motu Gregorij XIII.*

4 *Abbas venit nomine Monachorum quando materia, vtpote in casu nostro, non est totaliter odiosa.*

5 *Item quando materia est pariter proportionabilis Prælato, & subditis.*

6 *Item quando ex statuentis mente coniicitur, velle eos comprehendere.*

REspondetur, quod (licet probabiliter negetur, quia quoad dictas pœnas nulla mentio fit de Abbatissa, sed solùm de Monialibus in genere, ibi : *Néve Moniales sub eisdem pœnis aliter admittere præsumant*, & in materia odiosa, & pœnali, sicuti nomine Monachorum non venit Abbas, ita 2 nomine Monialium non venit Abbatissa, Doctores communiter *in cap. fin. de simonia*, & Armilla *verb. Abbas, numero* 11. Nauarr. *lib.5. consil. tit. de Regul.* Mandosius *de priuileg. gloss.7. numero* 28. & confirmatur, quia idem Motus Gregorij XIII. quando voluit comprehendere Abbatissas, eas explicuit) ta- 3 men probabilius affirmatur, quia licet quando materia est odiosa, & pœnalis nomine Monachorum non veniat Abbas, nec nomine Monialium veniat Abbatissa (quamvis id nonnulli simpliciter negent, vt Francus *rubr. de testam. in 6. numero* 65. & Aliatus *cons.* 163. *numero* 3. *lib.* 5.) venit tamen 4 quando materia (qualis est in casu nostro, vtpotè concernens salutem animarum, vti *suprà* dicebam) non est totaliter odiosa. Archidiac. *in cap. periculoso, de statu Regul. in 6. num.1.* Ioan. Andr. *ibid. numero* 2. Ancharan. *numero* 2. *notab.3.* Dominicus *numero* 7. & Francus *num.4. notab.6.* Item quando ma- 5 teria est pariter proportionabilis Prælato, & subditis. Abb. *in Clement. 2. de procurator. numero* 2. Mandosius *locis suprà cit.* & Francus *cap.2. in princip. numero* 5. *ne clerici, vel Monachi.* Item quando 6 ex statuentis mente coniicitur, velle eos comprehendere. Doctores *suprà cit.* præcipuè Mandosius *cit. numero* 28. vt est in casu nostro, quia non est verisimile, voluisse Pontificem punire Moniales subditas (quibus non incumbit expellere) & non punire Abbatissam, cui id competit ex officio, & sic admittendo magis delinquit. Vide quæ dicebantur *cap.14. sect.5. num.7.*

## DVBITATIO LXVII.

### An, & quid veniat nomine admissionis in Monasteria virtute licentiarum, cui admissioni pœnæ Motus Gregorij XIII. *in dubit.*54. dictæ imponuntur?

### SVMMARIVM.

1 *Nomine admissionis in Monasteria virtute licentiarum venit cooperatio tantùm, siue directa, siue indirecta ad ingressum, quatenus scilicet quis exercet actionem positiuam, vel negatiuè se habet ad ingressum, quem impedire tenetur ex officio.*

2 *Monialis, si ad ipsam non spectet impedire ex officio, verbi gratiâ cum non sit Prælata Monasterij, nec præsit porta custodiendæ, non incurrit pœnas dicti motus Gregorij XIII. secus si ingredienti ianuam aperiat, consulat, iubeat, vel mandet, aut si manu trahat, inuitet, & aliquo alio modo positiuo faciat quempiam ingredi.*

3 *Monialis qualiscumque illa sit, si mandet, vel consulat ingressum personæ, qua ingreditur, contrahit dictas pœnas.*

4 *Monialis, si non mandet, vel consulat ingressum personæ, quæ ingreditur, sed alteri, contrahit etiam dictas pœnas si tenebatur ex officio impedire ingressum : at contra si non tenebatur ex officio.*

4 *Monialis*

5 *Monialis qualiscumque etiam illa sit, si confabuletur, vel comitetur personam, quæ illicitè Monasterium ingreditur, non contrahit dictas pœnas; sed peccat tantùm mortaliter, vel venialiter, provt sua locutione dat ansam notabilis, vel lenis moræ.*

6 *Monialis qualiscumque etiam illa sit, non contrahit dictas pœnas, si admittat ad ingressum ex aliqua inaduertentia, obliuione, negligentia, ignorantia etiam crassa, & supina, quin & affectata, vel ex aliquo bono fine, v. g. ne admissus ab inimicis percutiatur, &c.*

7 *Monialis, quæ virum, vel fœminam prætextu licentiarum ingredientem in Monasterium Monialium extra casum necessitatis admittere præsumit, ipso facto incurrit excommunicationem Pontifici reseruatam, & priuationem officiorum, & inhabilitatem ad illa.*

8 *Superior Monialium, aut alius admittens non incurrit pœnas dicti Motus, quia textus loquitur tantum de Monialibus.*

9 *Abbatissa, vel alia Monialium superiorissa an incurrat, visum est dubitatione præcedenti.*

10 *Monialis admittens tam virum, quàm fœminam incurrit pœnas dicti motus.*

11 *Monialis si vrgente necessitate aliquem admittat, non incurrit dictam excommunicationem, & pœnas, & cur.*

12 *Admittens aliquem in casu necessitatis, sed absque licentia superioris, non incurrit excommunicationem Tridentini, & cur.*

13 *Admittens, seu directè, vel indirectè cooperans ingressui, & non alius, incurrit dictas pœnas.*

14 *Pœnæ prædicti motus non contrahuntur, nisi data scientia, vel saltem ingenti temeritate.*

15 *Excommunicatus vigore dicti Motus non potest absolui nisi à summo Pontifice.*

1 RAtio dubitandi est, quia in hac parte dictus Motus Gregorij XIII. non dicit, *ingredi faciant, vel permittant*; sicut dixerat prius, quando excommunicat Prælatos, qui ingredi faciunt, vel permittunt viros, vel mulieres in Monasteria Monialium, sed dicit: *Néve Moniales aliter admittere præsumant.* Hoc supposito.

Respondetur, venire cooperationem tantum, siue directam, siue indirectam ad ingressum; quatenus scilicet quis exercet actionem positiuam, vel negatiuè se habet ad ingressum, quem impedire tenetur ex officio; quia alterutro modo tantum censetur admittere ad ingressum. Doctores, quos citat, & sequitur Suar. *tom. 5. in 3. part. disp. 22. sect. 6. numero* 14. Miranda *de Monialib. quæst. 2. art. 12. concl. 3.* Coriolanus *de casi. reseru. part. 2. cas. 3. numero* 36. & Bonacina *de claus.*
2 *q. 4. punct. 6. num. 12.* ita vt Monialis, si ad ipsam non spectet impedire ex officio, (v.g. non sit Prælata Monasterij, nec præsit portæ custodiendæ) non incurrat pœnas dictas *dubit. 65.* casu, quo non impedit, etiamsi possit impedire; quia in tali casu, nec directè, nec indirectè cooperari dicitur ad ingressum, consequentet non censetur admittere ad ingressum, secus si ingredienti ianuam aperiat, consulat, iubeat, vel mandet, aut si manu trahat, inuitet, & aliquo alio modo positiuo faciat quempiam ingredi; quia tunc, cum directè admittat, directè cooperari dicitur ad ingressum, etiamsi impedire non teneatur ex officio, & sic censetur admittere ad ingressum, etiamsi impedire non teneatur ex officio. Item secus si impedire teneatur ex officio, & non impediat, cum commodè possit impedire, quia tunc etiam, saltem indirectè, dicitur cooperari ad ingressum; & sic tunc etiam censetur admittere ad ingressum.

Hinc Monialis (qualiscumque illa sit) si mandat, 3
vel consulit ingressum personæ quæ ingreditur, contrahit dictas pœnas, quia hoc est inuitare, & directè cooperari ad ingressum, & sic censetur admit- 4
tere ad ingressum: si autem non mandat, vel consulit ingressum personæ, quæ ingreditur, sed alteri, contrahit etiam dictas pœnas, si tenebatur ex officio impedire ingressum, quia si contrahit illas non impediendo ingressum (quod est indirectè cooperari ad ingressum) à fortiori contrahet eadem mandando, vel consulendo ingressum (quod est directè cooperari ad ingressum.) Doctores, quos citat, & sequitur Bonacina *loco cit. num.* 13. At non contrahet, si non tenebatur ex officio impedire ingressum, quia tunc cum ingredientem non inuitet, nec ingredienti mandet vel consulat ingressum, nec teneatur ex officio impedire ingressum, non dicitur nec directè, nec indirectè (nisi solum remotè) cooperari ad ingressum; consequenter non censetur admittere ad ingressum: ergo, &c. suppono namque, quod censuræ, ac pœnæ latæ in committentem delictum, non comprehendunt mandantes, vel consulentes illud committi, nisi exprimantur. Doctores communiter in tractatu de censuris.

Hinc secundò Monialis (qualiscumque etiam 5
illa sit) si confabuletur, vel comitetur personam, quæ illicitè Monasterium ingreditur, non contrahit dictas pœnas, quia nec proprie introducit, vel admittit ad ingressum (cùm iam persona illa ingressa sit) nec aliquo modo cooperatur ad ingressum, cum iam supponat ingressum, quamvis contrarium teneant Rodrig. *in exposit.* Motus Pij V. *numero 9.* & Sorbus *ibid. num. 4.* & inclinet Bonac. *numero* 14. sed quod dixi, est probabilius. Peccat tamen dicta Monialis contra obligationem clausuræ mortaliter, vel venialiter, provt sua locutione, vel comitatu causa est, quod ingressus diutius notabiliter, vel leuiter protrahatur.

Hinc tertiò, Monialis (qualiscumque etiam 6
illa sit) nec contrahit dictas pœnas, si admittat ad ingressum ex aliqua inaduertentia, obliuione, negligentia, ignorantia, etiam crassa, & supina, quin & affectata, vel ex aliquo bono fine, ne v. g. admissus ad ingressum ab inimicis percutiatur, vel à satellitibus, saltem ad pœnam grauem corporaliter, carceretur; quia ly *præsumant*, importat ingentem temeritatem, audaciam, & scientiam legis, & sic saltem virtualem contemptum legis, sicuti dicebam *cap. 16. dubit. 36. & cap. 17. dubit. 1. numero 16. & lib. de Parlament. dubit. 4. sect. 19. subsect. 31. pag. 78.* Vide Nauarrum *Comment. 4. de Regular. numero 62.* Suarez *tom. 5. in 3. part. disp. 22. sect. 6.* Rodriguez *loco suprà cit. & tom. 1. qq. Regular. quæst. 47. art. 2.* Sorbum *verb. Ingressus Monaster. Monial. numero 6.* & Coriolanum *2. part. cas. 3. numero* 32. vbi propter eandem rationem idem in terminis tradunt de religioso, qui bono fine mulierem admittit in suum Monasterium, quidquid dissentiat Bonacina *loco suprà cit. numero* 15. motus ex eo, quod bonus finis non tollat præsumptionem contra legem: ad quod tamen fundamentum facilè responsio patet ex dictis.

Ex his itaque breuiter dico: Monialis, quæ virum, 7
vel fœminam prætextu licentiarum ingredientem

in Monasterium Monialium extra casum necessitatis admittere præsumit, ipso facto incurrit excommunicationem Pontifici reseruatam, & priuationem officiorum, & inhabilitatem ad illa, sicuti patet ex Motu Gregorij XIII. *Vbi gratia*, quem referebam *suprà dub.* 54.

8 Dixi, *Monialis*; quapropter dictam excommunicationem, & pœnas non incurrit Superior Monialium, aut alius dimittens, quia textus loquitur tantùm de Monialibus.

9 An autem incurrat Abbatissa, vel alia Monialium superiorissa, patet ex dictis *dub. præcedenti.*

10 Dixi secundò, *quæ virum, vel fœminam, &c.* quapropter dictam excommunicationem, & pœnas incurrit Monialis admittens personam cuiuscumque sexus, quia textus generaliter loquitur; cùm vtatur verbo relatiuo, *illos*, quod refertur ad personas superius in eadem clausula expressas; superius autem vsus fuerat verbo generali, ibi: *Interdicimus omnibus, & quibuscumque personis Ecclesiasticis, & secularibus.*

11 Dixi tertiò, *extra casum necessitatis*; quapropter, si vrgente necessitate Monialis aliquem admittat, non incurrit dictam excommunicationem, & pœnas, quia textus loquitur solùm de admittente in casibus non vrgentibus, ibi: *Sed necessitatibus vrgentibus ingredi, néve Moniales sub iisdem pœnis illos aliter admittere præsumant*; vbi ly *aliter* relationem habet ad necessitates vrgentes.

12 An autem admittens aliquem in casu necessitatis, sed absque licentia superioris, incurrat saltem excommunicationem Tridentini *sess. 25. capite 5.*

Respondetur negatiuè, quia talis excommunicatio nullibi expressa reperitur, sicuti expressa reperitur de ingrediente sine licentia superioris. Vide *cit. dub. 54. & 65.*

13 Dixi quartò, *admittere*, id est, directè, vel indirectè cooperari ingressui, exercendo scilicet actionem positiuam, vel (si ex officio tenetur impedire) negatiuè se habendo ad ingressum; sicuti dicebam *suprà*, quapropter dictas pœnas non incurrit alius.

14 Dixi quintò, *præsumit*: quapropter ad dictam excommunicationem, & pœnas incurrendas requiritur scientia, vel saltem ingens temeritas, quæ scientiæ comparatur, & non sufficit bona fides, inaduertentia, vel obliuio, quin neque ignorantia vincibilis, crassa, & supina, sicuti dicebam *dubit. 59.*

15 Dixi sextò, *excommunicationem Pontifici reseruatam*, quapropter ipsius absolutio non potest impendi à quolibet Confessario. Vide *dub. 28. & 69.* vbi etiam dicitur de aliis pœnis, & à quo istæ auferri possint?

## DVBITATIO LXVIII.

**An, & quis contrahat pœnas in Motu Gregorij XIII. (qui incipit *dubiis, quæ emergunt?*) Prælatis extra casum necessitatis in Monialium Monasteria sibi subdita ingredientibus impositas?**

### SVMMARIVM.

1 *Censura, scilicet excommunicatio, suspensio, & interdictum contrahuntur ante omnem iudicis sententiam à comprehensis in motu Gregorij, non tamen alia pœna ibi statuta.*

2 *Soli Prælati sæculares Pontificali dignitate insigniti, & quicumque Prælati Regulares contrahunt dictas pœnas.*

3 *Vicarij Episcoporum, & quicumque Abbates, & Prælati sæculares iurisdictionem quasi Episcopalem habentes, si ipsi etiam præter casum necessitatis ingrediantur Monialium Monasteria sibi subdita, non contrahunt dictas pœnas.*

4 *Prælati sæculares Pontificali dignitate insigniti, & Prælati Regulares quicumque in casu necessitatis ingredientes, si ingrediantur soli, vel comitati à personis non habentibus conditiones requisitas in eo motu, non contrahunt dictas pœnas.*

5 *Prælati Pontificali dignitate insigniti excommunicationem non pro primo, vel secundo ingressu, sed solùm pro tertio, & quocumque deinceps ingressu incurrunt.*

6 *Prælati Regulares secundùm opinionem probabiliorem si extra casum necessitatis Monialium Monasteria sibi subiecta ingrediuntur, in primo & secundo ingressu contrahunt excommunicationem, & priuationis officiorum pœnam.*

7 *Prælati Regulares probabile est quod dictas pœnas excommunicationis, & priuationis officiorum contrahant solùm in tertio ingressu.*

8 *In pœnis mitior interpretatio facienda est.*

9 *Excommunicatio prædicta, quæ in tertio ingressu & sequentibus infertur, non est summo Pontifici reseruata, & ab ipsa potest absoluere quilibet approbatus Confessarius.*

SVppono, quod (sicuti dicebam *dub. 54. in fine*) Pontifex in dicto Motu, postquam interdixit omnibus Prælatis etiam, Cardinalibus, & quacumque alia dignitate insignitis, siue sæcularibus, siue Regularibus) quibus Monialium cura incumbit) ne ingrediantur Monasteria Monialium extra casum necessitatis) & tunc non nisi comitati à paucis, senioribus, & religiosis viris,) descendens ad pœnas in facientes contrarium, ait: *Seriò monemus vt facultate huiusmodi, qui eam habent, præterquam in casibus (vt præfertur) necessariis, neutiquam vtantur. Quod si contrà fecerint, statuimus, qui Pontificalis dignitatis fuerint, pro prima vice, qua contrà fecerint, ingressus Ecclesiæ interdictos, pro secunda, munere Pontificali, & à diuinis suspensos, ac deinceps ipso facto absque alia declaratione excommunicatos existere: Regulares verò omni officio, ac ministerio priuatos excommunicationi similiter subiacere.* Vbi Pontifex nullam censuram ex his sibi reseruat; omnes tamen illæ pœnæ præter priuationem officiorum, ac ministeriorum (quam incurrunt soli Prælati Regulares) incurruntur ante 1 Iudicis sententiam, quia censuræ, scilicet suspensio, interdictum, & excommunicatio (quidquid in contrarium dicat Sorbus *loco supra citat. numero* 10. exigi scilicet, etiam ad incurrendam sententiam iudicis, quando non dicitur, *sint suspensi ipso facto*, nec dicitur, *Absque alia declaratione*,) de facto incurrunt ante omnem Iudicis sententiam, sicuti dixi *dubitat.* 23. Quod autem econtrà, vt incurratur officiorum, & ministeriorum priuatio, requiratur Iudicis sententia, saltem criminis, ita vt si in lege subdantur verba, ipso iure, vel ipso facto, nulla expectata iudicis sententia, vel declaratione, intelligenda sint solum de sententia, vel declaratione

pœnæ,

pœnæ, non item criminis, dixi *cit. dub.* 23. Item quid veniat nomine officiorum, & ministeriorum, dixi *dub.* 24. Item quis possit in his dispensare, vel absoluere, dixi *dub.* 28. & 29. Quis autem possit à suspensione, & interdicto ab ingressu Ecclesiæ absoluere, dicam *dubit.* 81. & 82. Hoc supposito.

2 Respondetur, soli Prælati sæculares Pontificali dignitate insigniti, & quicumque Prælati Regulares contrahunt dictas pœnas. Patet ex contextu prædicti Motus, qui incipit: *Dubiis quæ emergunt.*

3 Hinc primò non contrahunt eas Vicarij Episcoporum, & quicumque Abbates, aut Prælati sæculares iurisdictionem quasi Episcopalem habentes, si ipsi etiam, præter casus necessitatis, ingrediantur Monialium Monasteria sibi subdita; quia licet dictus Motus omnibus Prælatis talem ingressum interdicat, descendens tamen ad contrauenientium pœnas, mentionem facit solum de Prælatis sæcularibus dignitatem Pontificalem habentibus, & Prælatis Regularibus quibuscumque.

4 Secundò, neque contrahunt eas, etiam Prælati sæculares Pontificali dignitate insigniti, & Prælati Regulares quicumque, in casu necessitatis ingredientes; si ingrediantur soli, vel comitati à personis non habentibus conditiones requisitas in eo Motu, scilicet comitati à non Religiosis, nec senibus; quia licet faciant contra dictum Motum Gregorij XIII. tamen pœnæ talis Motus extenduntur solum ad ingredientes in casibus non necessariis; cum, dum dictus Motus pœnas statuit contra transgressores, solum mentionem faciat de ipsis Prælatis, quatenus ingrediuntur extra casum necessitatis.

5 Tertiò, neque contrahunt Prælati Pontificali dignitate insigniti, excommunicationem pro primo, vel secundo ingressu, sed solum pro tertio, & quocumque deinceps ingressu; quia cum postquam dictus Motus imposuit alias pœnas pro primo, & secundo ingressu, subiunxerit ea verba, *ac deinceps excommunicatos existere*, signum est, quod excommunicationem statuat solum pro vlteriori ingressu, id est supra primum, & secundum. Vide Llamas *in Append.* §. 7. Gauantum *in Manual. Episcop. verb. Monialium clausura, numero* 46. *& sequentib.* Bonacinam *de clausura, quæst.* 4. *punct.* 5. *num.* 11. & Lezanam *tom.* 1. *cap.* 25. *num.* 27.

6 An autem Prælati Regulares extra casus necessitatis Monialium Monasteria sibi subiecta ingredientes pœnas excommunicationis, & priuationis officiorum contrahant primo, & secundo ingressu?

Respondetur, quod (licet nonnulli, vt Llamas *loco cit.* negent, ex eo, quia cum dictus Motus loquens de Prælatis Pontificali dignitate insignitis, statuerit diuersas pœnas pro primo, & secundo ingressu, & excommunicationem pro tertio, & vlteriori ingressu, & statim subiunxerit pœnas pro Prælatis Regularibus, signum sit ex adiunctis, eas pœnas locum habere contra dictos Prælatos
7 Regulares, solum quando tertiò, & vlterius ingrediuntur) probabilius tamen sit oppositum, Prælatos scilicet Regulares dictas pœnas excommunicationis, & priuationis officiorum contrahere pro quocumque ingressu extra casum necessitatis; quia cum Motus prius statuerit pœnas in Episcopos, distinguens in illis ingressus, & postea nullam diuersitatis ingressuum mentionem faciens, descenderit ad Prælatos Regulares, signum est, quod horum pœnas connexuerit cum pœnis eorum, non autem cum numero ingressuum.

Dixi, *probabilius tamen sit oppositum*; quia & 8
probabile est, quod defendit Llamas *loco cit.* scilicet Prælatos Regulares etiam dictas pœnas excommunicationis, & priuationis officiorum contrahere solum in tertio ingressu; idque tum quia in pœnis mitior interpretatio facienda est: tum quia sic reseruatur proportio inter pœnas Episcopis, & Prælatis Regularibus impositas, vt scilicet Prælati Regulares, etiam in primo ingressu sint interdicti ab ingressu Ecclesiæ, in secundo sint suspensi à diuinis, in tertio & sequentibus sint excommunicati, & priuati omni officio.

Cæterùm excommunicatio hæc, quæ in tertio 9
ingressu, & sequentibus infertur, non est Summo Pontifici reseruata, quia prædictus Motus Gregorij XIII. illam imponens, nullam facit mentionem de reseruatione; consequenter absolutio talis excommunicationis de iure communi à quolibet approbato Confessario impendi potest, iuxta *cap. super, de sent. excommunic.*

## DVBITATIO LXIX.

An omnes pœnæ, hucvsque siue contra ingredientes, siue contra ingredi facientes relatæ, contrahantur quando ingressus, vel admissionis delictum est omninò occultum; prodiit tamen in actum externum? Vbi etiam de eo, qui potest absoluere, & dispensare.

### SVMMARIVM.

1 *Omnes pœnæ hucvsque, siue contra ingredientes, siue contra ingredi facientes relatæ, licet ingressus, vel admissionis delictum sit omnino occultum, prodiit tamen in actum externum, contrahuntur.*

2 *Quisnam à prædictis censuris, & pœnis possit dispensare, & absoluere, vide ibi.*

3 *Ingredientes simpliciter sine necessitate, & licentia in scriptis ex decreto Concilij possunt absolui iure ordinario ab Episcopis, & si sint subditi à Prælatis Regularibus, ab omnibus approbatis Confessariis proprij pœnitentes absoluuntur.*

4 *Ab excommunicatione contracta ob motum Gregorij XIII. Vbi gratis, nemo absoluit nisi Summus Pontifex, ipsius Pœnitentiarij; & si casus sit occultus, Episcopus, vel Prælatus habens priuilegium absoluendi.*

5 *Asseruntur ij, quibus auctoritas est attributa absoluendi ab aliis censuris incursis extra motum supradictum.*

6 *Ingredientes non simpliciter, sed ad malum finem, incurrunt casum vnum ex quinque Pontifici reseruatis.*

7 *Priuilegia Religiosis concessa in ordine ad dictos casus reuocata fuerunt ex decreto sacræ Congregationis sub Clemente VIII.*

8 *Decretum prædictum habet locum solum in Italia, & extra vrbem.*

9 *Idem de ingredientibus ad malum finem luxuriæ, committendi scilicet sacrilegium per actum venereum in Monasterij clausura.*

10 *Idem respectu secularium.*

11 *In locis vbi publicatur Bulla Cruciatæ possunt illam habentes à quolibet approbato Confessario semel in vita, & semel in morte absolui ab omnibus casibus, & censuris reseruatis.*

12 *Regulares cuiuscumque Instituti quoad Confessarij scilicet electionem, vti non possunt Bulla Cruciatæ. Secus tamen dic de Nouitiis.*

13 *Episcopus virtute Decreti Concilij Tridentini potest absoluere ingredientem septa Monasterij, & ibi cum Moniali incestum, seu potius sacrilegium committentem, si casus sit occultus: idem die de aliis quatuor casibus reseruatis ex decreto sacr. Congregat. sub Clemente VIII.*

14 *Confessarius quilibet approbatus virtute Bullæ Cruciatæ potest absoluere semel in vita, & semel in morte.*

15 *Regulares item virtute priuilegiorum suæ Religionis possunt absoluere, si casus similiter sit occultus, & non sit specialiter ab Episcopo reseruatus.*

16 *Regulares possunt etiam absoluere à casibus & censuris in iure latis, propter quas excusantur aliqui adire Sedem Apostolicam, & quinam sint, vide ibi.*

1 REspondetur (quidquid dixerit Castr. *de lege pœnali, lib. 2. cap. vltim.* & Llamas *cit.* §. 7. *censuras scilicet*, præter excommunicationem, non contrahi ob tale delictum occultum) affirmatiuè; est communis sententia Doctorum, & satis colligitur ex Tridentino *sess. 24. cap. 6. de reformat.* quatenus ibi concedit Episcopis posse absoluere ab omnibus censuris contractis ob delictum occultum. Vide quæ dicebam *lib. de Parlam. dubit. 4. sect. 19. subsect. 31. pag. 106. & seqq.* Vide etiam Sayrum *de censur. lib. 6. cap. 1. num. 16.* Couar. *in Clement. si furiosus, 2. part. §. 3. num. 4.* Cordubam *lib... quæst. 35.* Rodrig. *in exposit. Motus Pij V. num. 31.* & Sorbum *verb. ingressus Monaster. Monial. num. 10.*

2 Quisnam autem à prædictis censuris, & pœnis possit absoluere, & dispensare? Vide suprà *dubit. 18. & 60. & infrà dubit. 81. & 82.* breuiter tamen dico, quod ab excommunicatione, quam incurrunt simpliciter ingredientes sine necessitate, & licentia in scriptis, ex decreto Tridentini Concilij, *sess. 25. cap. 5.* (cum illa non sit
3 Pontifici reseruata) possunt absoluere iure ordinario Episcopi, & Prælati Regulares suos subditos, & omnes Confessarij approbati suos pœnitentes, iuxta *dict. cap. nuper, de sentent. excommunic.*

4 Dixi, *simpliciter ingredientes*; quia ab excommunicatione, quam ex motu Gregorij XIII. *Vbi gratiæ*, incurrunt prædicta Monialium Monasteria, prætextu facultatis sibi concessæ ingredi præsumentes, & ingressum permittentes (cum illa sit Pontifici reseruata) nemo potest absoluere, nisi ipse Pontifex, ipsius Pœnitentiarij, & (si sit casus occultus) Episcopi, & Prælati, qui habent priuilegium absoluendi suos subditos à casibus Papalibus occultis; & Regulares virtute priuilegiorum suæ Religionis, & omnes approbati Confessarij virtute Bullæ Cruciatæ, iuxta ea, quæ dicebantur *cit. dubit. 28.* & dicentur *dubit. 81. & 82.*

Ex his patet primò, quid dicendum sit de 5
absolutione ab aliis censuris excommunicationis, interdicti, & suspensionis ab eodem Gregorio XIII. in alio Motu *Dubiis quæ emergunt*, contra Prælatos illegitimè dicta Monasteria Monialium ingredientes inflictis. Quid verò dicendum sit de dispensatione in pœnis priuationis, & inhabilitatis, quæ in iisdem Motibus continentur, constat ex dictis *dubit. 29.* & videri poterit Portellus *in dub. Regular. verb. Dispensare, numero 10.*

Patet secundò, quid dicendum sit de aliis censuris, & pœnis antiquioribus Gregorij IX. Bonifacij IX. Eugenij IV. & Iulij II. contra peculiaria Monasteria Monialium ingredientes impositis, quas ego annuebam *dubit. 54. in fine*, & referunt Rodriguez *tom. qq. regular. quæst. 47. art. 1. & 2.* & Cassarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verb. ingressus Monasteriorum Monialium.*

Dixi etiam, *simpliciter ingredientes*; quia in- 6
gredientes, seu violantes clausuram Monialium ad malum finem, incurrunt casum vnum ex quinque Pontifici reseruatis, in ordine ad quos reuo- 7
cata priuilegia Religiosis fuerunt ex decreto sacræ Congregationis sub Clemente VIII. sicuti notabam *dubit. 28.* & notant etiam Bonacina *de claus. quæst. 1. punct. 5. num. 2.* & Tamburin. *de iure Abbat. disp. 22. quæst. 1. num. 3.*

Quod tamen decretum intellige solum in Ita- 8
lia, & extra Vrbem. Doctores, quos citat, & sequitur Lezana *tom. 1. cap. 19. num. 15. & 16.* Item intellige solum de ingredientibus ad ma- 9
lum finem luxuriæ, comittendi scilicet sacrilegium per actum venereum in Monasterij clausura: sic responsum Romæ. Item intellige respe- 10
ctu secularium: Doctores quos citat, & sequitur Peirinus *tom. 2. priuileg. in Constit. 6. Pij V. num. 42.* Quamvis in locis, vbi publicatur Bulla Cruciatæ, possint illam habentes à quolibet appro- 11
bato Confessario semel in vita, & semel in morte ab omnibus casibus, & censuris reseruatis absolui, iuxta dicta *in cit. dubit. 28.*

Qua Bulla Cruciatæ an vti possint etiam Re- 12
gulares cuiuscumque instituti (quoad Confessarij scilicet electionem) negat, & rectè, ex quadam Bulla Vrbani VIII. Cardinalis de Lugo *in tractatu de Sacramento Pœnitentiæ, disp. 20. sect. 9. per tot.* Vnde esto prius opposita sententia fuerit probabilis, modò post prædictam Bullam probabilis non videtur: Diana *in addition. resol. 9. & part. 1. tract. 11. resol. 14.* Nouitij tamen prædicta Bulla vti possunt, quia non militat in his eadem ratio disciplinæ regularis, ac militat in professis, præsertim Religionis obseruantis, & bene ordinatæ.

Cæterum, quisnam possit absoluere ingredientem 13
septa Monasterij, & ibi cum Moniali incestum, seu potius sacrilegium committentem?

Respondetur, quod si casus iste sit occultus (idemque dico de quatuor aliis reseruatis ex dicto decreto sacræ Congregationis sub Clemente VIII.) potest absoluere Episcopus virtute decreti Tridentini *sess. 24. de reformat. capit. 6.* iuxta ea, quæ dicebam *dubit. 81. & 82.* & dicam *cit. dubit. 28.* & docent Suarez *in 3. part. disp. 30. sect. 2. numero 12. & 13.* Diana *part. 2. tract. 5. resol. 35.*

*resol.* 35. Peregrinus *tract. de duello, quæst.* 37. *num.* 3. Homobonus *part.* 1. *tract.* 7. *cap.* 17. *quæst.* 26. & *in tract. de statib. part.* 1. *cap.* 24. & alij, quos *dict. dub.* 28. citabam contra Graffium *in pract. lib.* 1. *cap.* 5. *numero* 17. Riccium *in praxi, tom.* 1. *resol.* 544. *num.* 5. Chapeuillam *tract. de casibus reseruatis, cap.* 14. *quæst.* 3. *difficult.* 2. Zerolam *verb. Moniales, ad quæst.* 8. & Zecchium *de casibus reseruatis, cas.* 10. *num.* 1. Rationes, & solutiones ad opposita vide *cit. dub.* 28. 81. & 82.

14 Item secundò, potest absoluere quilibet Confessarius approbatus virtute Bullæ Cruciatæ, semel in vita, & semel in morte. Doctores *in locis suprà citatis*: & ego dicebam *dict. dub.* 28.

15 Item possunt Regulares virtute priuilegiorum suæ Religionis, si casus similiter sit occultus, vti suprà dicebam de Episcopo, quia tunc huiusmodi casus est Episcopalis, vti patet ex dictis de Episcopo, & rectè adnotarunt Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 54. *numero* 27. & Merolla *tom.* 1. *disp.* 1. *cap.* 2. *numero* 540. & ego dicebam *lib. de Parlamen. dub.* 4.

16 *sect.* 19. *subsect.* 31. *pag.* 85. Quapropter si non fuerit specialiter sibi reseruatus ab Episcopo, absolui poterit virtute priuilegiorum suæ Religionis à Regularibus, vt ibidem probabam, vbi vlterius propter eandem rationem subdebam, quod Regulares possint etiam absoluere à casibus, & censuris in iure latis, propter quas excusantur aliqui adire Sedem Apostolicam, ob aliquod impedimentum, quales sunt senes, impuberes, mulieres, membris destituti, valetudinarij, delicioſi, ac nobiles habentes curam aliorum, filij sub patris potestate, serui habentes capitales inimicitias, pauperes, qui non nisi mendicando (præter solitos) ire possunt Romam, & alij, de quibus *in titul. de sentent. excommunic.* Hi enim omnes casus, sicuti possunt absolui ab Episcopis, ita & absolui possunt à Regularibus, si ab Episcopis specialiter non fuerint sibi reseruati; idque tum ob rationem dictam, tum quia mens Pontificum in suis decretis derogatoriis fuit tantùm derogare priuilegiis Regularium in casibus, in quibus adeunda esset Sedes Apostolica, quæ in prædictis casibus adeunda non est.

## DVBITATIO LXX.

An non solum ingredi Monasteria Monialium, sed etiam ea sine iusta causa, & licentia Superioris adire, vel frequentare sit iure prohibitum? Vbi etiam de locutione, & scriptione ad Moniales.

## SECTIO I.

### Dubitationis resolutio.

### SVMMARIVM.

1 *Ingredi Monasteria Monialium, eaque sine licentia frequentare, & sine iusta causa, est prohibitum.*

2 *Adire, seu accedere ad Monasterium est ille actus, quo quis se transfert ad Monasterium.*

3 *Qui cogitauit se transferre ad Monasterium, & iter inchoauit; sed ab inchoato itinere desistit, non dicitur accedere ad Monasterium.*

4 *Qui domum Monasterio contiguam habet, & è fenestra suæ domus Monialem alloquitur, non dicitur ad Monasterium accedere, quia non dicitur se ad Monasterium transferre, cùm ibi existat.*

5 *Mittens seruum ad Monasterium propriè non dicitur ad Monasterium accedere: Missus tamen propriè accedit, & sic iste pœnas accedentium incurrit, nisi iusta causa excusetur.*

6 *Qui consentit, vel cooperatur ad alterius accessum, nec pœnas accedentium incurrit, cum ipse non accedat.*

7 *Qui obtenta licentia accedendi ad Monasterium, & loquendi cum aliqua ibi, si aliquam data occasione alloquatur, non violat præceptum prohibens accessum; secus si præceptum sit de non loquendo.*

REspondetur affirmatiuè: patet *ex cap. Monasteria, de vita, & honest. cleric.* ibi: *Monasteria Monialium si quisquam clericus sine manifesta, & notabili causa frequentare præsumpserit, per Episcopum arceatur; & si non destiterit, ab officio Ecclesiastico reddatur immunis; si laici, excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium fiant penitùs alieni.* Item *ex cap. periculoso, de statu Regul. in* 6. ibi: *Nullique aliquatenus inhonestæ personæ, nec etiam honestæ, nisi rationabilis, & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia ingressus; vel accessus pateat ad easdem Moniales.* Quod caput *periculoso*, innouatur à Tridentino *sess.* 25. *de Reg. l. cap.* 5. & à Pio V. in Motu, qui incipit: *Circa pastoralis officij*, ibi: *Approbamus, & innouamus in omnibus, ac per omnia, & districtè obseruari mandamus.* Et probatur ratione, quia conducit ad perfectam Monialium clausuram, non solum ingredi, sed etiam non adire ipsarum Monasteria. 1

Cæterùm adire, seu accedere ad Monasterium, est ille actus, quo quis se transfert, vel transferri finit ad Monasterium; sic communiter Doctores. 2

Hinc qui cogitauit se transferre ad Monasterium, & iter inchoauit, sed ab inchoato itinere desistit, non dicitur accedere ad Monasterium, quia aliud est inchoare iter causa accessus, & aliud re ipsa accedere, præsertim quia verba cum effectu intelligi debent; *l.* 11. §. *hæc verba, ff. quod quisque iuris, l. quoties, ff. qui satisd. cog. & cap. si à Iudice, de appell.* 3

Secundò, qui domum Monasterio contiguam habet, & è fenestra suæ domus Monialem alloquitur, nec dicitur ad Monasterium accedere, quia non dicitur se ad Monasterium transferre, cum ibi existat: accessus enim indicat motum ad aliquem locum, sicut recessus motum ab aliquo loco. Graff. *lib.* 1. *decis. cap.* 12. *num.* 23. & Homobon. *de casib. reserv. punct.* 2. *casu* 5. 4

Tertiò, qui seruum, vel alium ad Monasterium mittit, nec propriè dicitur ad Monasterium accedere; missus tamen propriè accedit, & sic iste pœnas accedentium incurrit, nisi iusta causa excusetur, vt quia magnum incommodum pateretur non accedendo; lex etiam positiua non obligat cum magno incommodo: sic Graff. *part.* 1. *consil.* 22. *de sent. excommunicat. num.* 35. & Homobon. *loco suprà cit. vers.* 4. 5

Quarto

6 Quartò, qui consentit, vel cooperatur ad alterius accessum, nec pœnas accedentium incurrit; cum ipse non accedat, vt suppono; est tamen reus eiusdem peccati, cuius est accedens.

7 Quintò, qui obtenta licentia accedendi ad Monasterium, & loquendi cum aliqua ibi, aliam data occasione, alloquitur, nec violat præceptum prohibens accessum; cum iam licitè accedat, secus si præceptum sit de non loquendo, vel de non accedendo, & loquendo simul, seu de accedendo ad loquendum.

## SECTIO II.

### Aduertenda.

### SVMMARIVM.

1 *Nomina Clericorum in materia pœnali non veniunt Religiosi, nec Episcopi, nec alij Clerici in dignitate constituti, nec Canonici Ecclesiæ Cathedralis; veniunt tamen si verba simpliciter ita generalia sint, vt ad quoslibet extendantur.*

2 *Ingressus & accessus quoad prohibitionem tam comprehendit viros, quàm fœminas.*

3 *In cap. periculoso, nulla pœna imponitur accedentibus ad Monasteria Monialium; secus est in cap. Monasteria, vbi Clerici præsumentes ea frequentare, si moniti ab Episcopo non destiterint, suspenduntur; si verò laici sint, excommunicantur non latæ, sed ferendæ sententiæ.*

4 *Verba (excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium fiant penitùs alieni) important censuras non latas, sed ferendas.*

5 *Excommunicatio simpliciter prolata, intelligitur semper de maiori.*

6 *Particula (&) stat pro ideſt, quod contingit quotiescumque dictio copulatiua ponitur inter duo, quorum vnum est effectus alterius.*

7 *Dictio (&) posita inter duo, quorum vnum inest alteri, ambo resoluuntur in vnum.*

8 *Excommunicatio ferendæ sententiæ contra frequentantes Monasteria requirit præuiam monitionem, qua peracta, si semel contraueniant, puniri possunt.*

9 *Clerici etiam Monasteria frequentantes, si moniti non resipuerint, vltra pœnas dicti cap. Monasteria, puniri possunt pœna excommunicationis, ac tandem pœna depositionis.*

10 *Frequentare Monasteria satis habetur per duos accessus; quia actus geminati consuetudinem inducunt.*

11 *Frequentia in criminibus duabus vicibus inducitur.*

12 *Frequentia quandonam inducatur, relinquendum est arbitrio prudentis viri.*

13 *Frequentia est si quis in vno die bis accedat ad Monasterium, vel ter tribus diebus continuis, vel quater in eadem hebdomada, vel semel singulis hebdomadis, & mensibus; secus si quater in anno, vel semel ternis mensibus.*

14 *Nomine Monasteriorum, quæ adiri, vel frequentari prohibentur, probabilius veniunt Moniales, ita vt sumatur continens pro contento.*

15 *Frequentia Monasteriorum causa audiendi diuina, vel videndi exteriorem ornatum Monasterij, vel simili alia de causa, non prohibetur; sed solum causa locutionis, siue aspectus, siue actiui, siue passiui Monialium.*

16 *Frequentia, vel etiam accessus ad Monasteria, vt non sit prohibitus, requiritur manifesta causa & rationabilis, non omnibus, seu maiori parti populi, sed concedenti.*

17 *Consanguinitas non est simul rationabilis, & manifesta causa, excepta tamen secundum aliquos, parentum, fratrum, & sororum frequentia.*

18 *Limita nisi extet peculiaris prohibitio contra quascumque consanguineas accedentes; fieri enim potest vt iusta subsit causa dicta prohibitionis.*

19 *Frequentia, vel etiam accessus ad Monasteria ne sit prohibitus, requiritur etiam præter rationabilem, & manifestam causam licentia superioris, vel tacita etiam.*

20 *Scriptura non est de ratione priuilegij, nisi sic de iure decernatur.*

21 *Afferuntur diuersa iura prohibentia loqui cum Monialibus: vide ibi, vbi etiam decretum sacræ Congregationis Cardinalium de anno 1590. vt nulli Religioso, exceptis superiore Monialium, & Confessario ordinario, & extraordinario, cum ad tempus deputabitur, liceat sine licentia eiusdem Congregationis accedere.*

22 *Confessariis pariter interdictum est sub pœna vocis activæ & passiuæ, ne in ædibus Monasterij, vel ei contiguis pernoctent, vel alios pernoctare faciant, &c.*

23 *Romæ promulgatum est decretum à Vicario Pontificis, de illius commissione, ne vir, vel fœmina nocte, aut die loquatur, vel scribat alicui Moniali, vel Prælatæ, vel Puellæ in Monasterio quacumque de causa inclusæ, sine Vicarij Pontificis, vel Ordinis Protectoris licentia, sub pœna 500. aureorum, & alia arbitraria: vide ibi quinam excipiantur.*

24 *Prædictum decretum latum Romæ ex commissione Papæ ad alias Prouincias non extenditur.*

25 *Literas scribere ad Moniales licèt in iuribus præcitatis non sit prohibitum, attamen in aliquibus Diœcesibus iure speciali id vetitum est.*

26 *Gregorius XIII. præcepit quibusdam Regularibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne scriberent literas Monialibus sui Ordinis; nec propterea ex his quis Regularis, si Moniali scribat, contrahit excommunicationem.*

27 *Effectus, seu finis extrinsecus non est regulariter materia legis, seu præcepti, & non cadit sub præceptum.*

28 *Scriptio literarum est effectus intrinsecus, quem significant illa verba, tamen id locum habet quando legislator non petit expressè, vel tacitè effectum extrinsecum.*

29 *Promittens inuenire latronem non satisfacit inueniendo, nisi eum captum etiam iudici exhibeat.*

30 *Statutum Episcopi ligans excommunicatione accedentes, loquentes, vel scribentes ad Monasteria Monialium, extenditur etiam ad Monasteria exempta, & Regularibus subiecta.*

ADuerte tamen, quod *in cap. Monasteria*, prohibetur tantum frequentatio: *& in cap. periculoso*, prohibetur quilibet accessus. Item *in cap. Monasteria*, 1

*Monasteria*, sit mentio tantum de clericis,
1 & laicis ( quare cum simus in materia pœnali, nomine clericorum non veniunt Religiosi, nec Episcopi, nec alij clerici in dignitate constituti, nec Canonici Ecclesiæ Cathedralis, vti dicebam *dubit.* 26. Et ratio est, quia hi speciali nota digni sunt : veniunt tamen, si verba simpliciter ita generalia sunt, vt ad quoslibet extendantur. Abbas *in rubr. de vita, & honest. clericor. num.* 4. Angelus, Sylvester, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 74. ) At *in cap. periculoso*, sit mentio vniuersaliter de omnibus, ac aperte tam de viris, quàm de fœminis, ibi : *Nulli inhonestæ personæ, nec etiam honestæ*; quod inde confirmatur, quia statim ibi subditur, *ingressus, vel accessus pateat ad easdem Moniales.* At manifestum est, ingressum prohiberi tam viris, quàm fœminis: ergo idem de accessu.

2 Aduerte secundò, quod *in cap. periculoso*, nulla pœna imponitur accedentibus ad Monasteria Monialium; at *in cap. Monasteria*, iubetur Episcopus præsumentes ea frequentare ( si clerici sint, & ab Episcopo moniti id facere non desiterint ) ab officio Ecclesiastico immunes reddere, id est, suspendere; si verò laici sint, nec moniti ab Episcopo id facere desiterint, iubetur Episcopus eos excommunicationi subdere, & à cœtu fi-
3 delium facere penitus alienos. Quæ verba, cum
4 sint futuri temporis ( scilicet, *excommunicationi subdantur, & a cœtu fidelium fiant penitus alieni* ) important censuras non latas, sed ferendas. Doctores communiter in tractatu de censuris, & Tiraquell. *in l. si vnquam, num.* 39. *& seqq. Cod. de reuocandis donat.*

Obijcies : hæc verba, *à cœtu fidelium fiant penitus alieni*, videntur superflua; quia iam prius dictum fuerat, *excommunicationi subdantur*, quod est formaliter à cœtu fidelium excludi.

Respondetur, nego antecedens; quia prius intelligitur de excommunicatione minori, posterius autem de maiori; sic nonnulli : vel melius
5 quia excommunicatio simpliciter prolata intelligitur semper de maiori, *cap. si quem, de sent. excomm.* Respondetur secundò, ly *&*, stat pro *id est*,
6 quod contingit quotiescumque dictio copulatiua ponitur inter duo, quorum vnum est effectus alterius, ex *l.* 1. *ff. de pactis*, & docent Ioan. Andr. *in cit. cap. Monasteria, n.* 4. Hostiens. *ibid. in fin.* Abb. *num.* 4. Ancharan. *numero* 4. Cardinalis *num.* 3. Guttierrez *lib.* 3. *qq. pract. quæst.* 13. *numero* 6. Gonzalez *ad regul.* 8. *reg.* 3. *numero* 9. *& seqq.* Cened. *pract.* 9. *sing.* 50. *numero* 6. *&* 12. & Barbosa *de dictionib. dict.* 93. *num.* 7. asserentes, per dictio-
7 nem ( *Et* ) positam inter duo, quorum vnum inest alteri, ambo resolui in vnum, & vnum esse velut adiectionem alterius. Vel respondetur tertiò, prius intelligi de excommunicatione maiori, posterius autem de eius denunciatione : vt sic à fidelibus euitentur : Ioan. Andr. Abb. & Ancharan. *ibidem.*

8 Aduerte tertiò, quod cum dicitur *in cap. Monasteria, vt antequam hæ pœnæ Monasteria frequentantibus infligantur, arceantur illi ab Episcopo*; sensus est, monendo corrigantur. Ioan. Andr. *ibi num.* 2. & Cardinalis *num.* 2. quare rectè dixit Gloss. *ibid. verb. non desiterint*, opus esse, vt has pœnas præcedat monitio : postquam autem moniti sunt, satis est, vt his pœnis puniri possint, si vel semel tantum post monitionem ad Monasterium Monialium accedant; quia ex tunc sunt contumaces, & accedendo dicuntur non desistere; Ioan. Andr. *ibid. num.* 3. Hostiens. *num.* 2. Cardinalis *num.* 1. Imola, & Ancharan. *in fine.*

Aduerte quartò, quod clerici etiam Mona- 9
steria frequentantes, si moniti non resipuerint, possent vltra pœnas dicti *cap. Monasteria*, puniri pœna excommunicationis, ac tandem pœna depositionis; *cap. vt clericorum, de vita, & honest. cleric.* & tradunt Ioan. Andr. *in cit. cap. Monasteria, num.* 3. Cardinalis *num.* 1. & Imola *in principio.*

Aduerte quintò, quod frequentare Monaste- 10
ria satis habetur per duos accessus; quia actus geminati consuetudinem inducunt, *cap.* 3. *in fin. Cod. de Episc. audientia*; sic Glossa *in cap. ita nos*, 15. *quæst.* 2. *verb. vsum*, vbi ait, in criminibus duabus vicibus induci frequentiam, & *in cit. cap.* 3. *in fin. Cod. de Episc. audientia, verb. Consuetudini*, vbi dicit, in crimínibus duabus vici- 11
bus induci consuetudinem; & *in cap. Monasteria, verb. Frequentare, de vit. & honest. cleri*, vbi pas- 12
sim Canonistæ tradunt eandem doctrinam, quæ est conformis iis, quæ dicebantur *cap.* 16. *dubit.* 13. quamvis alij sentiant id relinquendum esse arbitrio prudentis viri : sic Ioan. Andr. *eodem cap. Monasteria, in fin.* Hostiens. *ibid. num.* 2. Ancharanus, Cardinalis, & Imola *in fin.* Nauar. *comment.* 5. *num.* 61. *de Regular.* Rodrig. *tom.* 1. *qq. Regul. quæst.* 45. *art.* 4. Miranda *in tract. de Monialib. q.* 4. *art.* 1. *ad fin.* Campanile *in rubr.* 12. *cap.* 16. *num.* 40. Barbosa *de offic. & potest. Epis.* 3. *part. allegat.* 102. *num.* 70. & Llamas *in Append.* §. 4. 13
ita vt frequentiam esse, dici possit, si quis ad Monasterium accedat bis in vno die, vel ter tribus diebus continuis, vel quater in eadem hebdomada, vel semel in singulis hebdomadis, aut mensibus : secus si quater in anno, vel semel ternis mensibus. Quæ sententia est satis probabilis.

Aduerte sextò, quod nomine Monasteriorum 14
quæ adiri, vel frequentari prohibentur, probabilius contra Hostiensem *citat. cap. Monasteria, numero* 1. Ioan. Andr. *ibid. numero* 1. Imolam *numero* 1. Panormitanum, & Cardinalem *numero* 3. veniunt Moniales, ita vt sumatur continens pro contento : sic Innocent. *in dicto cap. Monasteria*; quare docent Nauar. *comment.* 4. *num.* 61. *de Regular.* Rodrig. *tom.* 1. *qq. regul. quæst.* 45. *art.* 2. & Bonacina *de clausura, quæst.* 3. *punct.* 1. *num.* 3. non 15
prohiberi etiam frequentiam Monasteriorum causa audiendi diuina, vel videndi exteriorem ornatum Monasterij, vel simili alia de causa, sed solum causa loquutionis, vel aspectus, siue actiui, siue passiui, Monialium; & rectè; quia hoc solum videtur aliquo modo perfectam Monialium clausuram infringere; tum quia *in capit. periculoso*, loco Monasterij dicitur, *Ad Moniales*, ibi : *Nulli pateat ingressus, vel accessus ad Moniales.*

Aduerte septimò, quod ne frequentia, vel 16
etiam accessus ad Monasteria sit prohibitus, requiritur simul rationabilis, & manifesta causa; patet *ex eod. cap. Monasteria*, & *cap. periculoso*, *de statu Regul. in* 6. quia dicta iura petunt vtrumque, vt citati Canonistæ ibi; debet autem esse manifesta, non quidem omnibus, vel maiori parti populi, sed soli concedenti, sicuti dicebam *dubitat.* 39.

An autem consanguinitas sit simul rationabilis & 17
manifesta causa?

Respondeo

Respondetur negatiuè, quia (vt dicitur *in cap. definimus*, 18. *quæst.*2.) non modicum detrimentum patiuntur Moniales ex hac consanguineorum frequentia: & ita docent Hostiens. *in eod. cap. Monasteria*, *num.*2. Ioan. Andr. *ibid. num.*2. Abb. *num.*3. Anchar. *num.*3. Imola *num.*2. & Cardinalis *num.*3. quamvis aliqui rectè excipiant parentes, fratres, & sorores Monialis, ex eo, quod istorum frequentia non sit indecens, nec scandali causa; & multò minor causa requiratur ad accessum, quàm ad ingressum, cum multò minus sit accedere, quàm ingredi. Rodriguez *cit. art.* 4. Bonacina *de claus. quæst.* 3. *punct.*5. *num.*11. & Homobon. *part.*2. *cas.*5. *vers.*2. *pag.*391.

18 Quod limito, nisi peculiaris extet prohibitio contra quoscumque consanguineos accedentes: fieri enim potest, vt iusta subsit causa, propter quam quibuscumque consanguineis prohibentur accessus ad Moniales; sicuti rectè adnotarunt Hostiens. Ioan. Andr. Anchar. Rodrig. Bonac. & Homobon. *in locis suprà cit.*

19 Aduerte octauò, quod ne frequentia, vel etiam accessus ad Monasteria sit prohibitus, requiritur, etiam præter rationabilem, & manifestam causam, licentia Superioris; patet *ex eod. cap. periculoso*, *in princip.* sufficit tamen hic, quod licentia sit tacita, vt si Prælatus verbi gratia videns accessum, & potens illum impedire, non impediat,

20 quia hîc non iubetur expressa, & de ratione priuilegij non est scriptura, nisi sic de iure decernatur. DD. quos sequitur Rodriguez *tom.*1. *quæst.*45. Porrò licentiam hanc potest dare etiam Abbatissa (etsi non ei, cui Prælatus accessum prohibuit) contra Bonac. *de claus. quæst.*3. *punct.*5. *num.*7. & ratio esse potest, quia accessus est multò quid minus, quàm ingressus, vti suprà dicebam. At de hac, & simili alia licentia concessa, vel concedenda, vide plura *dub.*32. *& seqq. & dub.*55.

21 Aduerte nonò, quod extant diuersa iura prohibentia loqui cum Monialibus; siquidem in *cit. cap. definimus*, 18. *quæst.*2. sancitur, quod si necessaria vitæ ad Moniales deferantur, ea extra ianuam Abbatissa suscipiat: & Monachus propinquam Monialem inuisere volens, cum ea modicè, ac breuiter, ac in præsentia Abbatissæ loquatur, & statim abeat. Item *in cap.*10. *actione* 18. *quæst.*2. dicitur, non licere Abbati, nec alij Superiori loqui cum Monialibus, præterquam cum Abbatissa, nisi rarò, & breuiter, & præsentibus duabus, vel tribus personis. Item anno 1590. editum fuit decretum à sacra Cardinalium Congregatione, vt nulli Religioso, exceptis Superiore Monialium, & Confessario ordinario & extraordinario (cùm ad tempus deputabitur) liceat absque expressa eiusdem Congregationis licentia accedere ad Monialium Monasteria, siue sui, siue alieni ordinis; nec ipsas Moniales, nec alias personas intra clausu-

22 ram existentes alloqui. Et Confessariis similiter interdixit, ne in ædibus Monasterij, vel ei contiguis pernoctent, vel alios pernoctare faciant, néve ibi comedant, bibant, reficiantur, aut cibum sumant, excepto Confessore: quæ omnia, & singula præcepit obseruari sub pœna priuationis officiorum, & vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrendæ. Item

23 Romæ promulgatum est decretum à Vicario Pontificis de illius commissione, ne vir, vel fœmina nocte, aut die loquatur, vel scribat alicui Moniali, vel Prælatæ, vel puellæ in Monasterio quacumque de causa inclusæ, sine Vicarij Pontificis, vel Ordinis Protectoris licentia, sub pœna 500. aureorum, & alia arbitraria, exceptis deferentibus eleemosynas, aut opera manuum ab eis facienda, qui solum Abbatissam, aut eius Vicariam alloqui possunt. Quam- 24
vis Nauar. *comment.* 4. *numero* 61. *de Regul.* & Rodriguez *tom.*1. *qq. Regul. quæstione* 45. *art.*3. doceant, decretum hoc ad alias prouincias non extendi, & meritò, quia exigit illud licentiam Vicarij Papæ, vel Ordinis Protectoris, qui Romæ solum degunt. Vide quæ de loquutione cum Monialibus, diffusè dicebantur *cap.* 14. *dubit.*7. *per totam.*

Aduerte decimò, quod licet in præcitatis iuri- 25
bus non sit interdictum literas scribere ad Moniales, & si non sit communis, & vniuersalis de hac re prohibitio; tamen in aliquibus Diœcesibus iure speciali id vetitum est, sicut etiam Gregorius XIII. præcepit quibusdam Regula- 26
ribus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne scriberent literas Monialibus sui Ordinis.

An autem ex his quis Regularis talem excommunicationem contrahat, si Moniali scribat literas, quæ ad eam non perueniant aliqua ratione, vt si intercipiantur in via?

Respondetur negatiuè, quia licet cum dicitur *l.*1. §. *hæc autem verba*, *ff. quod quisque iuris*, & *ex cap. hæc autem verba*, *de pœnis*, verba cum effectu 27
intelligenda esse; hoc dictum regulariter non sit intelligendum de effectu, seu fine extrinseco; effectus enim, seu finis extrinsecus non est regulariter materia legis, seu præcepti, & non cadit sub præceptum; sed de effectu, seu fine intrinseco, quem verba propriè significant (vt ex multis probat Nauar. *in cit. cap. hæc autem verba*, *num.*10. & 11.) & in casu nostro scriptio literarum est effectus in- 28
trinsecus, quem significant illa verba; tamen id locum habere dicendum est, quando legislator non petit expressè, vel tacitè effectum extrinsecum, ex *l.*1. *Cod. de fideiuss.* vbi dicitur, promittentem inue- 29
nire latronem, non satisfacere inueniendo, nisi eum captum etiam Iudici exhibeat: & ita videtur esse in casu nostro; quia hæc videtur esse mens, & intentio Superioris literas scribi prohibentis; cum parum referat in casu nostro, literas scribi, nisi perueniant: Miranda *de Monialib. quæst.*4. *art.*5. Bonacina *de claus. quæst.*3. *punct.*2. *num.*6. loquens etiam de excommunicatione lata contra scribentem ad Cardinales in Conclaui existentem. Rodriguez *cit. quæst.*45. *art.*3. & Nauar. *lib.*5. *consil. tit. de sent. excommunic. consil.*60. *edit.*1. qui tamen subdit, dictum Regularem excommunicationem contrahere si dictæ literæ per relationem personarum fide dignarum ad Monialem perueniant: sed adhuc probabilius est oppositum, quia id non est verè ad Monialem peruenire literas, sed potius quoddam literarum nuncium, quatenus ei significatur, quid in eis continebatur.

Cæterùm, an Episcopi statutum ligans excom- 30
municatione accedentes, loquentes, vel scribentes ad Monasteria Monialium, extendatur etiam ad Monasteria exempta, & Regularibus subiecta? Vide *cap.* 14. *dubit.* 5. *sect.* 3. *numero* 18. *& sequentib.*

DVBITA

## DVBITATIO LXXI.

An Monasteria sine iusta causa & licentia Superioris adire, vel frequentare sit iure prohibitum sub mortali? Et quid in specie dicendum de Religiosis.

## SVMMARIVM.

1 *Frequentare Monasteria praciso scandalo, & prava intentione non est peccatum mortale, secundum probabiliorem opinionem, contra nonnullos oppositum affirmantes.*

2 *Nulla clericis iure prohibita obligant eos virtute illius prohibitionis, seclusis circumstantiis extrinsecis sub culpa mortali, donec absit contumacia non obediendo monitioni superioris.*

3 *Non solum frequentare sine iusta causa, & licentia superioris; sed etiam vel semel Monasteria adire est peccatum veniale.*

4 *Religiosi accedentes ad Monasteria Monialium ipso facto incurrunt pœnam privationis officiorum, & vocis activæ & passivæ. Vide decretum per extensum relatum.*

5 *Decretum prædictum non obligat Religiosos sub mortali ex probabili opinione.*

6 *Lex pœnalis ex probabili non obligat sub mortali, quamvis contrarium sit probabilius.*

7 *Religiosi licitè sine vllo peccato possunt Monasteria adire, & Moniales alloqui, si id faciant de licentia Episcopi, iuxta decretum Vrbani VIII. quod vide per extensum.*

8 *Religiosus afficitur prædicti decreti pœnis etiam ob vnicum accessum; quia decretum loquitur de accedentibus sine licentia sacra Congregationis, non autem de frequentantibus.*

9 *Eques sancti Ioannis Hierosolymitani est verè Religiosus, & ob id pœnis prædictis afficitur.*

10 *Religiosus ex probabili non afficitur dictis pœnis in conscientia ante Iudicis sententiam.*

11 *Religiosus si sit exemptus, qualis hodie est ferè omnis, non afficitur pœnis impositis ab Episcopo contra frequentantes Monialium Monasteria sine sua licentia, quamvis hodie ex alio capite supradicto puniri possit ab Episcopo. Vide verba Decreti per extensum.*

1 RESPONDETVR, quod (licet Llamas *in append.* §. 4. Rodrig. *tom. 1. citat. q. 45. art. 4.* Homobon. *part. 2. cas. 5. vers. 4. ad fin.* & Bonac. *loc. cit. punct. 3. n. 1.* affirment ex *c. Monasteria, de vita, & honest. cleric.* & *ex cap. periculoso, de statu Regul. in 6.* quia ibi tam clericis, quàm laicis sub grauibus pœnis id prohibetur) tamen probabilius negetur, etiam frequentare, nedum adire sine iusta causa, & licentia Superioris Monasteria, esse peccatum mortale, si absit scandalum, & prava intentio adeuntis, vel frequentantis; & non simus in casu, quo frequentans ab Episcopo monitus non desistat. Ratio est, quia his circumstantiis remotis, etiam frequentare non videtur materia grauis; & citata iura dictas graues pœnas non intelligunt ante prædictam monitionem. Nauar. *cap. 24. num. 10.* Diana *p. 3. tract. 2. resol. 48. in fin.* Suar. *tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 10. n. 26.*
2 & 27. & eiusdem sententiæ videtur esse Caiet. *verb. Clerici peccata, vers. Non obstat,* quatenus ibi ait, nulla clericis iure prohibita obligare eos ex vi illius prohibitionis, seclusis circumstantiis extrinsecis, sub culpa mortali, donec adsit contumacia non obediendo monitioni Superioris.

Cæterùm certum est, ob iura dicta, esse peccatum 3
veniale sine iusta causa, & licentia Superioris, non solum frequentare, sed etiam, vel semel, Monasteria adire; quidquid dubitarit Nauar. *loco supra cit.*

Aduerte tamen, quod contra Religiosos accedentes 4
ad Monasteria Monialium imposita sit pœna priuationis officiorum, vocis activæ, & passivæ, ipso facto incurrenda, sicuti patet ex decreto S. Congregationis, iussu Sixti V. edito 1590. in his verbis: *Illustrissimi, & Reuerendissimi DD. Card. sacræ Regularium Congregationis præfecti, ad occurrendum scandalis quæ contingere possunt, aliisque iustis, & rationabilibus causis animum ipsorum piè mouentibus, de speciali, & expresso mandato S. D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. viua vocis oraculo eis facto decreuerunt, & mandauerunt nulli posthac Religioso cuiuscunque Ordinis, gradus, qualitatis, & dignitatis existat (superiore, cui Monasterij, seu domus cura incumbit, visitatore, vel visitatoribus, Confessarioque ordinario, & extraordinario, cū ad tempus deputabitur, dumtaxat exceptis) licere absque licentia expressa eiusdem sacræ Congregationis accedere ad Monasteria, seu domus quarumcunque Monialium, vel Sororum, siue sui, siue alterius cuiusvis Ordinis, ad colloquendum, siue tractandum cum eis. Quod si aliquando mandato sui Superioris aliquos Religiosos ad prædicandum verbum Dei, vel ad celebrandas Missas in ipsarum Monialium, seu Sororum Ecclesiis, siue Oratoriis exterioribus, siue extra claustra existentibus, mitti contigerit, prohibuerunt, ne dicti Religiosi vllo quæsito colore Moniales, Sorores, aut quamlibet aliam personam, intra clausuram degentes, alloqui possint. Confessariis autem similiter interdixerunt, ne in ædibus Monasterij, seu domus, vel Monasterio, seu domui Monialium, aut Sororum contiguis pernoctent, aut alios pernoctare faciant, vel alias secum retineant, neve extra tempora generalium confessionum (quibus soli tantum Confessario refectionem diurnam accipere vix permittitur, & tunc demum, videlicet cum sua habitatio, aut virorum domus, vel Monasterium, in quo degit, a Monialium, seu Sororum Monasterio, vel domo nimium distat, nisi tamen (& eo casu contrarium specialiter constitutum sit) ibi nullo modo comedant, reficiantur, aut cibum sumant. Quæ omnia, & singula sub pœnis priuationis officiorum, ac vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrendis, aliisque eiusdem Congregationis arbitrio præceperunt inuiolabiliter obseruari; iniungentes cunctis RR. Patribus Generalibus, Prouincialibus, &c.*

An autem hoc decretum obliget Religiosos sub mortali?

Respondetur ex probabili negatiuè, quia lex pœnalis 5
ex probabili non obligat sub mortali, sicuti docet Nau. *c. 23. n. 57. & seq.* & ego dicebā *c. 14. dub. 5. sect. 2.* Quāvis 6
contrarium probabilius doceant alij, vt ibidem notabā.

Possunt tamen Religiosi licitè sine vllo peccato Monasteria adire, & Moniales alloqui, si id faciant de licentia Episcopi: siquidem sacra Congregatio Cardinalium 12. Kalendas Decembris 1623. de mandato Vrbani VIII. concessit Episcopis, vt de hac re Religiosis licentiam possent dare, certis regulis, & conditionibus seruatis, vti patet ex ipso dictæ sacræ Congregationis decreto, ibi: *Vt quatenus sibi visum fuerit in Domino expedire, licentiam concedere possit per quatuor vices ad summum quolibet anno cuicunque Regulari, vt Moniales sibi in primo, & secundo tantum consanguinitatis gradu coniunctas conuenire, & alloqui possit. Id verò non aliter, quam seruata ad vnguem forma infrà scripta, vt id nullo modo liceat diebus festiuis, aut in Aduentu, Quadragesima, feria sexta, sabbato, & vigiliis, prædictaque licentia obtenta ab Ordinario, & ab alio, ad quem spectet eam concedere, consignetur Confessario ordinario Monasterij, qui penes se retinere debeat, isque associet, & præsens sit, & auscultatrices de more, non autem aliæ assistant: prædictaque licentia pro die, & hora certa,*

*& in scriptis concedatur, & in libris Cancellariæ eiusdem Ordinarij annotetur. Quod si prædicti locorum Ordinarij per plures vices, vel in vlteriori gradu coniunctos, aut aliter, quàm seruata forma suprædicta, licentias concesserint, vel permiserint, sciant se intentionis S. D. N. & sacræ Congregationis transgressores iudiciumque reformident; Regulares autem pœnis in suprædicto decreto contentis, ac si nullam licentiam obtinuissent, eo ipso se nouerint esse addictos, & arbitrio S. Congregationis, seuerius puniendos. Romæ 12. Kal. Decembr. 1623.*

8 Aduerte secundò, quod Religiosus afficiatur prædicti decreti pœnis, etiam ob vnicum accessum; quia decretum loquitur de accedentibus sine licentia S. Congregationis, non autem de frequentantibus; Doctores, quos sequitur Rodrig. *q.45. art. 4.* & Bonac. *de claus. q.3. punct.5. n.1.*

9 Aduerte tertiò, quod iisdem pœnis afficiatur Eques S. Ioan. Hierosolymitani, quia talis Eques est verè Religiosus; sic declarauit S. Cardinalium Congregatio, teste Campanili *diuersitatis Canon. rubr.12. c.16. n.43.* & Barb. *de offic. & potest. Episc. 3. p. allegat.102. n.72.*

10 Aduerte quartò, quod ex probabili dictis pœnis in conscientia non afficiatur Religiosus ante sententiam Iudicis: qua de re satis dixi *dub. 23.*

11 Aduerte quintò, quod Religiosus (si sit exemptus, qualis hodie est ferè omnis) neque afficiatur censuris ab Episcopo contra Monialium Monasteria sine sua licentia adeuntes impositis, quia excommunicatio fertur solum in subditos. Quaranta *verb. Monasteria Monialium, vers. dubitari.* Sanch. *de matrim. lib.7. disput.33. num.23.* Rodrig. *tom.1. qq. Regular. quæst 45. artic.2.* & Barbosa *cit. alleg.102. num.70.* contra Graffium *part.1. decis. lib.2. cap.49. num.68.* & alios. Quamvis hodie si loquatur Religiosus cum Moniali (etiam in Monasterio exempto Regularibus subiecto) sine licentia Episcopi puniri possit modo, quo dicebam *cap.14. dub.5. sect.1. ab Episcopo*, ex decreto Greg. XV. in Bulla de exemptorum priuilegiis, ibi: *Adhuc tam Regulares, quàm seculares huiusmodi nullis priuilegiis, aut exemptionibus tueri se possint; quamvis si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, aut circa bonorum administrationem Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subiectarum, ab Episcopo loci similiter tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.* Idemque S. Cardinalium Congregatio censuit, & Vrbanus VIII. 1624. approbauit, qua de re vide quæ dicebantur *cit. c.14. dub.5. sect.1.*

## DVBITATIO LXXII.

### An ingredi Monasteria virorum sit prohibitum mulieribus.

### SVMMARIVM.

1 *Ingredi virorum Monasteria est prohibitum mulieribus ex motu Pij V. qui incipit, Regularium Personarum, & ex motu Gregorij XIII. vbi gratia.*
2 *Afferuntur verba præcisa motus Pij V.*
3 *Religiosi grauiter peccant, si fœminas in sua Monasteria admittunt, secus tamen est si admittant fœminas licitè ingredientes.*

1 RESPONDETVR affirmatiuè; patet ex Motu Pij V. qui incipit *Regularium personarum*, vbi Pontifex, postquam reuocauit omnes ingrediendi Monialium Monasteria facultates, etiam à Sede Apostolica mulieribus, quamvis Comitissis, Marchionissis, & Ducissis concessas, subdit: *Districtè prohibentes mulieribus prædictis facultates, & licentias prætendentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, postquam harum literarum notitiam habuerint, à qua non possint, nisi à Romano Pontifice absolui, præterquam in mortis articulo, ne dictas domus, vel Monasteria ingredi audeant;* & statim etiam subdit alias pœnas Religiosis illas admittentibus. Idem patet etiam ex Motu Gregorij XIII. *Vbi gratia*, in quo Pontifex interdicit ingressum, siue fœminarum, siue virorum in Monasteria Monialium, ingressum fœminarum in Monasteria virorum, de quo Motu in præcedentibus dubitationibus satis iam dictum est.

Ex his sequitur, Religiosos grauiter peccare admit- 3
dos fœminas in sua Monasteria; tum quia id ipsis in dictis Motibus specialiter interdicitur sub grauibus pœnis; tum quia cooperantur delicto fœminarum, quamvis secus dicendum sit, si admittant fœminas licitè ingredientes; quia has admittere non prohibentur, nec peccato vlli cooperantur.

## DVBITATIO LXXIII.

### An sub hac prohibitione comprehendantur puellæ cuiuscumque ætatis, & etiam mente captæ?

### SVMMARIVM.

1 *Puellæ, quæ sunt aptæ impudicitiis, hoc est maiores decem annis, vel quæ sunt aptæ Matrimonio consummando, id est quæ sunt duodecim annorum, secundum nonnullos comprehenduntur in dictis prohibitionibus vide dicta* dub. 30. & 31.
2 *Mulierum nomine in pœnalibus comprehenduntur solum quæ vel impudicitiis, vel matrimonio consummando aptæ sunt; at secus est in dictis prohibitionibus, in quibus Pius V. voluit comprehendere quascumque ætates aptas ad rationis vsum, & mente captas puberes, etsi à peccato istæ posteriores possint excusari.*
3 *Legis intelligentia desumenda est ex ratione legis, quæ est anima legis.*
4 *Puellæ minores septennio, maiores tamen sexennio secundum aliquos comprehenduntur in dicta prohibitione.*
5 *Mulier ingrediens Religiosorum Monasterium, in quo scit hic & nunc nullum Religiosum esse, probabilius peccat mortaliter, & contrahit censuras; quia per accidens est in aliquo casu non violari finem legis.*

RESPONDETVR, quod licet nonnulli, vt Llamas 1
*in Append. §.13. ad fin.* putent comprehendi tantum puellas, quæ sunt aptæ impudicitiis, id est, quæ sunt maiores decem annorum; & alij, vt Sorbus *in compendio priuileg. Mendicant in Annotat. n.2.* putent, comprehendendi tantum puellas quæ sunt aptæ matrimonio consummando, id est, quæ sunt duodecim annorum completorum, nisi malitia suppleat ætatem (tamen probabilius de hac re dicatur id, quod dixi *dub.30. & 31. de ingressu puerorum, & puellarum in Monasteria Monialium*; quia prorsus vtrobique est eadem ratio. Vide *ibi.*

Obiicies: Pius V. in dicto suo Motu, *Regularium* 2
*personarum*, loquitur de mulieribus: at nomine mulierum præsertim in pœnalibus comprehenduntur solum; quæ impudicitiis, vel matrimonio consummando aptæ sunt: ergo, &c. sic Llamas, & Sorbus *in loc. sup. cit.*

Respondetur, quod licet Pius V. in hoc suo Motu vsus sit nomine mulierum, reuerà tamen ob rationes *in cit. dub.30.* dictas voluit comprehendere quascunque ætates aptas ad rationis vsum, & mente captas puberes, quæ

quæ ad carnis peccatum possunt commouere (etsi istæ posteriores mulieres defectu vsus rationis à peccato, & sic à censuris excusentur) quia legis intelligentia desumenda est ex ratione legis, quæ est anima legis, *l. cum ratio. ff. de bonis damnat.* mens autem legis in casu nostro est, vt occurratur periculo impudicitiæ: ergo, &c. Et hoc quod dixi, adeò verum est, vt nonnulli putent comprehendi etiam puellas minores septennio, maiores tamen sexennio, sic Rodr. *in Exposit. dicti Motus Pij V. n.* 12. & consentit Sorbus *loc. sup. cit.* Vide etiam Lezanam *tom.* 1. *c.* 10. *n.* 10. & Bonac. *q.* 5. *punct.* 2.

5 Cæterùm, an mulier ingrediens Religiosorum Monasterium, in quo scit hic, & nunc nullum Religiosum esse, ex eo, quod omnes ad processionem vel aliud negotium exierint, mortaliter peccet, & pœnas ingredientium incurrat.

Respondetur, quod (quamvis negandum videatur; quia cum in tali casu per ipsius ingressum nullus Religiosus perturbari possit, cessat ratio prohibitionis, & sic cessat ipsa prohibitio, *cap. cum cessante, de appell.*) probabilius affirmetur; quia reuera talis mulier ingrediendo facit contra legem sub grauibus pœnis id prohibentem; & per accidens est in aliquo casu non violari finem legis, quæ respicit id, quod est per se, non id, quod est per accidens, *l. nam ad ea, ff. de reg. iur.*

## DVBITATIO LXXIV.

### An sub eadem prohibitione comprehendantur etiam Imperatrices, Reginæ & ipsarum filiæ.

### SVMMARIVM.

1 *Imperatrices, Reginæ, & ipsarum filiæ non comprehenduntur sub eadem prohibitione; quia Pontifex de iis mentionem non facit sicut opus erat pro reuocatione vt, potè superioris ordinis.*

2 *Religiosi eas admittentes non contraueniunt dicti motus prohibitioni, quamvis illæ nullum ingrediendi priuilegium habeant.*

3 *Mulieres aliæ, hoc est seniores, & selecta ingredi possunt cum Imperatricibus, & Reginis ratione decentiæ.*

1 RESPONDETVR negatiuè: quia Pontifex in dicto Motu, *Regularium personarum*, reuocans facultates mulierum cuiuscunque conditionis, explicat *etiamsi sint Comitissæ, Marchionissæ, vel Ducissæ*; vbi Imperatricum, Reginarum, filiarum mentionem non facit; cum quidem ipsarum, vtpote in superiori ordine, mentionem facere deberet, si eas comprehendere vellet. Quapropter dicendum, quod cum summus Pontifex in enumeratione talium personarum in dignitate constitutarum non progrediatur ad alias in maiori dignitate constitutas, nolit suam constitutionem vlterius ad eas extendere, consequenter etiam dicendum, quod nec ipsæ ingrediendo Monasteria Religiosorum, nec Religiosi illas admittendo contraueniant dicti Motus prohibitioni.

2 Et hoc verum est, quamvis illæ nullum ingrediendi hæc Monasteria priuilegium haberent, quia in dicta prohibitione non exprimuntur, & sic non includuntur, quin potius ex dictis tacitè excluduntur, nec alibi reperitur ius prohibens sub mortali ingressum fœminarum in Monasteria Religiosorum, vt bene obseruat Suar. *de cens. tom.* 5. *disp.* 22. *sect.* 6. *n.* 12. quapropter dicendum, quod prædictæ Reginæ, Imperatrices, ac ipsarum filiæ possint in Monastria virorum ingredi, etiamsi nullum habeant priuilegium ingrediendi, quia non est opus priuilegio, vbi non est prohibitio. Vide Suar. *de relig. lib.* 1. *c.* 7. *n.* 5. Rodr. 1. *qq. Regul. q.* 48. *art.* 1. *& in Exposit. huius Motus proprij Pij V. n.* 3. Lezanam *loco supra cit.* & Bonac. *de claus. q.* 5. *punct.* 2. *n.* 5.

An autem simul cum Imperatricibus, Reginis, &c. aut cum aliis Mulieribus (quibus ingressus in Monasteria virorum est concessus) ingredi mulieres aliæ possint, illas comitari consuetæ. 3

Respondetur, quod (licet nonnulli, vt Rodrig. *in exposit. dicti Motus Pij V.* & Bonac. *cit. q.* 5. *punct.* 4. *n.* 3. simpliciter affirment ex eo, quia non videtur Pontifex velle, quod illæ ingrediantur aliter, ac ipsarum dignitatem decet; & fauet *c. licet, de priuil. in* 6. vbi priuilegium alicui ad sacra tempore interdicti audienda concessum extenditur etiam ad personas eum comitari consuetas) tamen probabilius sit dicere ingredi posse cum eis mulieres tantum paucas, seniores, & probatæ vitæ, licet à pluribus illæ comitari consueuerint; arg. Motus Greg. XIII. qui incipit: *Dubiis, quæ emergunt*; vbi Pontifex statuit, quod Prælati in casu necessitatis Monasteria Monialium ingressuri, ingrediantur comitati tantum à viris paucis senioribus, & religiosis (id est probatæ vitæ) licet à pluribus comitari soliti fuerint; & ratio est, quia cum in casu nostro prohibitio sit ratione decentiæ Monasteriorum, ea maximè in casu nostro attendi debet: præsertim cum sit valde indecens, quod omnes puellæ dictas mulieres comitari consuetæ Monasterium ingrediantur; atque hinc patet ad fundamenta contraria.

## DVBITATIO LXXV.

### An sub eadem prohibitione comprehendantur etiam mulieres Monasteriorum virorum fundatrices.

### SVMMARIVM.

1 *Mulieres Monasteriorum Virorum fundatrices non comprehenduntur in dicta prohibitione, vbi vide quomodo Gregorius XIII. derogauerit Regulæ fratrum Minorum, & quidnam indulserit circa fundatrices.*

2 *Indultum Minorum competit habentibus similem Regulam.*

3 *Superior non præsumitur velle statutis Inferiorum derogare, nisi id exprimat.*

RESPONDETVR, quod (cum Gregorius XIII consultus, an hic Motus Pij V. *Regularium personarum*, deroget Regulæ Fratrum Minimorum concedenti, quod mulieres stirpis Regiæ, & quæcunque talis Ordinis fundatrices possint decenter Comitatæ eorum Monasteria ingredi, respondent, teste Rodr. *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 48. *art.* 2. Sorbo *verb. Ingressus Monast. Monial. in fine*, & Bonac. *de claus. q.* 5. *punct.* 2. *n.* 3. non derogare prædictæ Fratrum Minimorum Regulæ quoad Reginas, quarum nomine ex dictis præcedenti dubitatione comprehenduntur etiam filiæ, & quoad fundatrices dumtaxat, consequens est, quod in quacunque alia Religione, vbi similis fuerit regula, vt permittantur ingredi fundatrices, possint etiam fundatrices ingredi, quia Gregorius XIII. non indulgendo, 2
sed declarando dixit, non derogari per dictum Motum Pij V. prædictæ Fratrum Minimorum Regulæ: quapropter cum sit eadem ratio de quacunque alia Religione habente similem Regulam, idem quoque de quacunque alia Religione dicendum erit (præsertim, quia 3
Superior non præsumitur velle statutis inferiorum derogare, nisi id exprimat) etsi non idem dicendum sit de aliis Religionibus, in quibus non est similis Regula. Vide Rodrig. *loc. cit.* & *in exposit. dicti Motus Pij V. n.* 3. Bonac. *vbi supra*, & Lezanam *tom.* 1. *c.* 10. *n.* 10.

## DVBITATIO LXXVI.

An sub eadem prohibitione comprehendantur etiam mulieres, quæ nullius facultatis prætextu ingrediuntur? Vbi etiam de Religiosis mulieres sic ingredientes admittentibus?

## SVMMARIVM.

1 *Mulieres, quæ nullius facultatis prætextu ingrediuntur, & Religiosi Mulieres sic ingredientes admittentes ex non omnino improbabili sententia non comprehenduntur in dicta prohibitione.*

2 *Certum non est dicere talem mulierum in Monasterium virorum ingressum, & admissionem esse sub peccato mortali, & excommunicationis censura prohibitum.*

3 *Lex pœnalis non debet extendi à casu expresso ad alium non expressum, præsertim diuersum.*

4 *Declaratio Pij V. quod comprehendat mulieres, dicitur non constare authenticè, & sacra Pœnitentiaria sequitur opinionem oppositam satis probabilem, & forsan probabiliorem, non tamen certam.*

5 *Lex nulla generalis in communi iure Pontificio, nec in aliis Pontificum decretis inuenitur, qua prohibeat ingressum mulierum in virorum Monasteria sub mortali, neque ex natura rei in hoc actu per se est intrinseca malitia.*

6 *Statuta peculiaria ipsarum Religionum plerumque iubent, vt ad interiores Domus intra Monasterij claustra mulieres non admittantur; quamvis non semper obligent sub mortali.*

7 *Mulieres licet non sub priuilegij prætextu, sed ex conscientia erronea ingredientes peccant, non tamen contrahunt censuras.*

8 *Conscientia intrinseca potest operanti imponere peccatum, cum illa sit regula actionum ipsius operantis; non tamen potest imponere censuram.*

9 *Censura vt locum habeat debet habere suum Auctorem, quod non contingit in habente conscientiam erroneam.*

10 *Mulieres ingredientes Virorum Monasteria dato quod contrahant excommunicationem, à quonam ea lata sit.*

11 *Mulieres ingredientes excusantur ab incurrenda censura motus Pij V. si bona fide, seu ex ignorantia culpabiliter crassa, & supina, quin & forsan etiam affectata ingrediantur.*

1 RESPONDETVR, ex non omnino improbabili sententia quorundam negatiuè; ita vt saltem non sit dicendum, esse certum, talem mulierum in Monasteria virorum ingressum, & admissionem esse sub peccato mortali & excommunicationis censura prohibitam. Ratio est quia licet allegari soleat ad hoc probandum Motus dictus Pij V. qui incipit: *Regularium personarum*, & Motus Gregorij XIII. qui incipit, *vbi gratia*; est tamen aliquo modo probabile, non fuisse ibi mentem horum Pontificum (vti sentiunt Rodrig. *tom. 1. qq. Regul. q. 48. art. 2.* Suar. *tom. 5. de censur. disp. 22. sect. 6. num. 11. & tom. 4. de relig. lib. 1. cap. 7. num. 8.* Philiarch. *tom. 1. part. 1. lib. 3. cap. 30.*) nouo iure condito ingressum Mulierum in Monasteria virorum prohibere, sed solùm paci, & quieti Religiosorum prospicere, ad quorum Monasteria tam Moniales, quàm laicæ mulieres (vt Comitissæ, Marchionissæ, Ducissæ, &c.) prætextu priuilegiorum ipsis concessorum, contra Instituta eorundem Religiosorum, & interdum non sine molestia ipsorum ingredi præsumebant: quarum mulierum priuilegiis sublatis Pius V. & postea Gregorius XIII. in dictis suis Motibus sub excommunicationis censura Sedi Apostolicæ reseruata prohibuerunt, ne tales mulieres prætextu talium priuilegiorum Monasteria virorum ingredi auderent: Gregorius verò XIII. qui dictum Pij V. Motum etiam ad Monasteria Monialium extendit, eandem excommunicationis censuram statuit in vtriusque sexus Regulares, si quemquam prætextu talium facultatum, seu priuilegiorum in Monasteria, domus, vel loca sua ingredi faciant, vel permittant, vbi tamen expressè nulla fit mentio sexus fœminini, quasi verò etiam viri Religiosi excõmunicationem contrahant, si quancumque mulierem in loca Religiosa ingredi permittant; siquidem in pœnalibus nomine masculino probabiliter non comprehenditur fœmininum, vt docent nonnulli, quos citat & sequitur Decius *regul. fœmina, n. 110. ff. de regulis iuris*, & Rodrig. *tom. 1. qq. Regul. q. 47. art. 3.* & nos notabamus *suprà dub. 64.* præsertim quando ratio disparitatis aliena assignari potest, sicuti fortasse potest in casu nostro; quia scilicet semper grauiùs prohibitus fuit ingressus virorum in Monasteria Monialium, quam ingressus mulierum in Monasteria virorum, ex Tridentino Concilio *sect. 25. c. 5. de Regularibus.*

Et dato, quod in dicto Motu (vtprobabilius videtur, sicuti probabam *cit. dubit. 64.*) comprehendatur masculino illo *quemcumque*, etiam sexus fœmininus, ob rationes ibi dictas, tamen Pontifex ibi non excommunicat simpliciter admittentes in Monasteria quemcunque, aut quamcunque, sed prætextu alicuius facultatis ipsi concessæ; lex autem pœnalis, qualis est 3
hæc, non debet extendi à casu expresso ad alium non expressum, præsertim diuersum, sicuti ex communi docet Caiet. *verb. Excommunicatio in princip.* Nauar. *capite 27. numero 51.* & Rodrig. *quæstione 47. artic. 1. & quæst. 48. artic. 2.* & nos dicebamus *suprà cap. 16. dub. 24. sect. 3.*

Neque obstat, quod Nauar. *in Comment. 4. de Regular. num. 62.* Filliuc. *tract. 15. cap. 5. quæst. 7. num. 118.* Confectius *in priuil. Ordin. Mendicant. fol. mihi 147.* Villagut. *tract. de vsuris, quæst. 35. num. vlt.* Bonac. *de claus. quæst. 5. punct. 3. num. 1.* Quaranta *verb. Monasteria*, & Lezana *tom. 1. cap. 10. num. 9.* testentur, Pium V. declarasse, quod dictus Motus suus habeat etiam locum, si mulieres non sub priuilegij prætextu ingredi præsumant, sicque in S. Pœnitentiaria ex mente Greg. XIII. obseruari solitum esse. 4

Respondetur enim cum Rodrig. *loco suprà citato*, de ista declaratione Pij V. & de ista mente Gregorij XIII. non constare authenticè; & S. Pœnitentiariam sequi opinionem oppositam satis probabilem, & forsan probabiliorem; non tamen certam, 5
ita vt reddat alteram omninò improbabilem. Quapropter Suar. *loco cit. sect. 6.* ait, nec in communi iure Pontificio, nec in aliis Pontificum decretis inueniri generalem legem prohibentem ingressum mulierum in Monasteria virorum sub mortali, neque etiam ex natura rei, aut ex ipsa professione esse in hoc actu per se, & intrinsecam malitiam; & ideo non esse hoc peccatum mortale, si excludantur circumstantiæ praui finis, scandali, violentiæ, vel iniuriæ Monasterio illatæ.

Consulantur tamen peculiaria statuta ipsarum Re- 6
ligionum, quæ plerumque iubent, vt ad interiores domus, seu habitationes intra Monasterij, vel Collegij claustra mulieres non admittantur; & quamvis hæc eadem ipsarum Religionum statuta non semper obligent sub mortali; indecens tamen semper est, quod mulieres, etiam sic ingredientes, admittantur, sicuti *dubit. sequenti* dicetur.

Obiicies

7 Obijcies : mulieres, etiamsi non sub priuilegij prætextu ingrediantur, ex conscientia saltem erronea peccant : ergo ex conscientia saltem erronea incurrunt censuras.

8 Respondetur, transeat antecedens : at nego consequentiam ; & disparitas est, quia conscientia intrinseca potest operanti imponere peccatum, cum illa sit regula actionum ipsius operantis, non tamen potest imponere censuram, cum hæc nascatur tantum à legislatore extrinseco, & iuris positiui, non ab intrinseco.

Instabis : si operans ex conscientia erronea putet non adesse censuram, quamvis adsit, non cóntrahit censuram : ergo è contra si ex conscientia erronea putet adesse censuram, quamvis non adsit (vt in casu nostro) contrahet censuram.

9 Respondetur : concedo antecedens, at nego consequentiam ; & disparitas est, quia fauores ampliantur, odia verò restringuntur. Vt omittam, quod in priori casu censura locum non habet, quia non adest contumacia vlla operantis ; in posteriori autem nec locum habet, quia non adest auctor vllus censuræ.

10 Cæterùm, esto Mulieres ingredientes Monasteria virorum sine prætextu facultatum, contrahant excommunicationem ( quæ est communis, & multò probabilior opinio) contrahunt tamen excommunicationem Pij V. non item Gregorij XIII. quia Pius V. solum, non item Gregorius XIII. declarauit mentem suam esse, suum Motum loquentem de ingredientibus cum prætextu extendere etiam ad ingredientes sine prætextu : cuius Pontificis Motus ( sicut & Motus Gregorij XIII.) cum loquatur de ingredi præsumentibus cum prætextu, & sit solum per declarationem eiusdem Pij V. extensus etiam ad ingredi præsumentes sine prætextu ; consequens est, quod etiamsi mulieres ingredientes sine prætextu contrahant excommunicationem, ex vi talis declarationis Pij V. excusentur tamen ab illa contrahenda, non solum si ingrediantur bona fide, sed etiam si ingrediantur culpabiliter cum ignorantia crassa, & supina, quin & forsan etiam affectata ; quia ad istam excommunicationem contrahendam ; ex dictis Motibus requiritur præsumptio, & audacia, & sic scientia legis, atque adeo saltem virtualis contemptus legis. Vide Bonacinam *loco cit. punct. 3. num. 1.*

## DVBITATIO LXXVII.

### An, & quid veniat nomine virorum Monasterij, in quo fœminarum ingressus, & admissio prohibetur ?

### SVMMARIVM.

1 *Nomine virorum Monasterij in quod fœminarum ingressus, & admissio prohibetur, probabilius veniunt solum quæ sunt intra Monasterij ambitum, seu sepia, quæ vna clausura clauduntur ; ita vt pro eodem sumantur Domus, & Monasteria.*

2 *Domus, Horti, & Prædia separata, seu seiuncta, quæ intra clausuram Monasterij non sunt, non veniunt nomine Monasterij.*

3 *Particula (&) quæ de sui natura ponitur inter diuersas res significatas, sumitur pro ( seu ) quæ sumitur dispositiuè, & est inter nomina diuersa idem significantia.*

4 *Nomine Virorum Monasterij licet non veniant Religiosorum Prædia, Domus rusticæ, & Horti à Monasterio separati, non decet tamen Mulieres nec ad hæc loca ingredi, vel admitti, licet cesset prohibitio.*

5 *Nomine Monasterij non venit Chorus Ecclesiæ Religiosorum.*

6 *Chorus est pars Ecclesiæ, nec intra Monasterij septa continetur.*

7 *Nomine Monasterij veniunt Horti contigui, Nemora & alia loca ei annexa, quæ Monasterij muris, seu septis cinguntur, maximè si per claustra Monasterij sit ad ipsa ingrediendum : prædicta tamen intelligc præcisa consuetudine in contrarium, si alicubi sit.*

8 *Officinæ interiores dicuntur omnia loca intra Monasterij ianuam, & clausuræ ambitum existentia.*

9 *Nomine Monasterij venit etiam Sacristia Ecclesiæ contigua solo pariete intermedio eam ab Ecclesia diuidente, præcisa tamen consuetudine in contrarium, si alicubi ea sit.*

10 *Nomine Monasterij veniunt etiam Prioratus, quos habent Monachi sancti Benedicti, vel sancti Bernardi, & similes.*

11 *Nomine Monasterij non veniunt Religiosorum Domus nondum completè fabricatæ, sed fabricari inceptæ.*

12 *Idem dicas de Domibus, Hospitiis, vel Infirmariis in ciuitate constitutis, ad Religiosos tantùm ibi excipiendos, vel vt in iis ad valetudinem pristinam recuperandam incumbant.*

13 *Idem dicas de domibus, vbi in forma Conuentus adhuc non viuitur, nec Ecclesia cum Eucharistia est.*

14 *Limita nisi prædictæ domus aliàs clausuræ subiectæ fuerint, quia quod ea non vigeat, est Regularium incuria.*

15 *Nomine Monasterij veniunt Religiosorum domus quæ vulgo residentiæ vocantur, si eæ perpetuæ sint, habentes Ecclesiam cum Eucharistia ; secus contrà.*

16 *Nomine Monasterij non venit Atrium scholarum, etsi hæ contiguæ sint Collegio Societatis Iesu.*

17 *Prælati Religionum possunt designare clausuræ terminos, extra quos Religiosi non possint sine licentia exire.*

18 *Egressus nocturnus, & furtiuus à Monasterio intelligitur coniunctiuè ; ita vt non sufficiat illum esse solum nocturnum, vel solum furtiuum ; sed requiritur vtrumque simul.*

19 *Egressus non sufficit quod sit in crepusculis, stante expressione (nocturnum.)*

20 *De noctis essentia videtur esse omnimodus recessus lucis.*

21 *Per verbum ( furtiuum) requiritur quod sit sine licentia superioris, ita vt in tali casu, quamvis exeat quis videntibus, spectantibus, vel custodiam facientibus aliquibus de Monasterio, adhuc tamen incidat in casum reseruabilem ; secus si superior daret licentiam, quamvis illegitimè.*

22 *Licentia illegitimè data pro nulla habetur.*

23 *Prælatus etiamsi illegitimè exiret, incideret in casum, si alias esset reseruatus à suo superiore.*

RESPONDETVR, quod ( licet venire videantur quæcunque Religiosorum propriæ domus, etiamsi à Monasterio separatæ, seu seiunctæ sint, vt sunt prædia, domus rusticæ, ac horti ipsorum, quò recreationis causa solent aliquando se illi conferre, ex eo quod Motus Pij V. prohibet, *ne dictas domus, & Monasteria ingredi, &c.* Et dictio copulatiua inter diuersa ponitur ) tamen probabilius dicatur, nomine virorum Monasterij venire solum, quæ sunt intra Monasterij ambitum, seu sepia, quæ vna clausura clauduntur, ita vt pro eodem prorsus sumantur in casu nostro domus, & Monasteria ; & sic non veniant in casu nostro domus, horti, & prædia separata, seu seiuncta, quæ intra clausuram Monasterij non sunt. Nauar. *comment. 4. num. 62. notab. 1.* 1 2

*de Regular. & lib.1.consil.66. de Regular. lib.3. & seqq. edit.*1. Rodrig. *in expos. huius Motus,num.* 1. Llamas *in Append.*§.12. Layman *lib.4.tract.5. c.13. in fin.* Lezana *tom.*1. *c.*10. *n.*11. & Paz *in practica,tit.*1. *part.*5. *c.*3. *num.*32.

3 Obiicies ; Pontifex in hoc suo Motu non vtitur particula *seu*, quæ sumitur expositiuè, & est inter nomina diuersa idem significantia, sed vtitur particula, *Et*, quæ ponitur inter diuersas res significatas, ergo non stant hic pro eodem domus, & Monasteria.

Respondetur, quod licet ly *Et*, ex se sit talis naturæ, vt dicitur in argumento, tamen aliquando, vt est in casu nostro, sumitur pro *seu*, vel, *siue*, vt cum dicitur: Accidens adest, & abest præter subiecti corruptionem: & natura est principium motus, & quietis (qua de re Cenedus, Gonzalez, & alij, quos citat, & sequitur Bonacina *de clauſ.quæſt.*5. *punct.*1. *n.*2. Comitolus *in Respons. Moral.lib.*7. *quæst.*9. *num.*2. & Diana *part.*2. *Miscell.*3.) Quapropter nego consequentiam.

4 Cæterùm, licet nomine virorum Monasterij non veniant Religiosorum prædia, domus rusticæ, & horti à Monasterio separati; ita vt in dicto Motu Pij V. prohibeatur etiam in hæc loca ingressus, & admissio fœminarum, tamen non decet illas ad hæc loca ingredi, vel admitti, addunt aliqui, etiam ad audiendum sacrum die festo, etiam quando alibi non est sacrum. Quod mihi, si peculiaris aliqua circumstantia non obstet, non probatur; quia cum fœminæ possint intra Monasterij claustra causa diuinorum ingredi, sicuti dicebam *dubit.* 78. multò magis poterunt, vrgente præcepto de Missa audienda, ingredi in loca clausuræ non subiecta, si peculiaris aliqua circumstantia non obstet, vti dicebam.

5 Petes primò: An nomine Monasterij veniat chorus Ecclesiæ Religiosorum.

6 Respondetur negatiuè: quia chorus est pars Ecclesiæ, nec intra Monasterij sepia continetur. Idque propter dictam rationem verum est, etiamsi Religiosi soleant ibi se induere, & præparare ad celebrandum.

7 Petes secundò: An nomine Monasterij veniant saltem horti contigui, nemora, & alia loca ei annexa, quæ Monasterij muris, seu septis cinguntur.

Respondetur affirmatiuè: & quidem si per claustra Monasterij sit ad ipsa ingrediendum, venire conueniunt Doctores. Veniunt etiam (quamvis nonnulli dubitent, vt Rodrig. *in expos. dicti Motus Pij V. num.*2. & Sorbus *in compend. priuileg. Mendicant. verb. ingressus Monaster. Monial. in suis Annotat.num.*1. si ad ipsa per aliam ianuam, sine clausrorum ingressu, pateat accessus; quia sunt pars Monasterij, & sic censentur esse intra clausuram Monasterij: quod inde confirmatur, quia nomine septorum comprehendit ea Clemens VIII. *in decretis super cas. reseru.* dum inter tales casus refert Religiosorum egressum extra septa Monasterij; tum quia Moniales, quæ clausuræ rigorosæ obstrictæ sunt, possunt liberè ad illos se conferre, sicuti praxis ostendit: ergo, &c. Peyrinus *tom.*2. *de Prælato, q.*3. *c.*2. §.1. *n.* 30. Ioan. Nouarius *in lucerna Regular.verb. clausura, n.*2. Corjolan. *de casib. reseru. quæst.*2. *n.*30. Bonac. *num.*5. & Lezana *eod. verb. n.*3. & *tom.*1. *cap.*10. *num.*11. Excipe, nisi alicubi sit consuedo in contrarium, ad opus rusticum aliquod necessarium ibi peragendum, vt mox infrà quid simile de sacristia dicetur.

Obiicies Innocentius IV. & Nicolaus III. declararunt nomine Monialium S. Claræ Monasterij (quod Fratribus Minoribus sua Regula ingressum prohibet) comprehendi solum dormitoria, claustra, & officinas interiores: ergo.

8 Respondetur: Pontifices illos per officinas interiores intellexisse omnia loca intra Monasterij ianuam, & clausuræ ambitum existentia, & sic etiam hortos, vtpote qui recreationi Monialium, & Religiosorum manentium intra clausuram deseruiunt; quod inde patet, quia Gregorius XII. in suo Motu proprio, *Vbi gratiæ* (in quo ingressum etiam fœminarum prætextu priuilegij in Monasteria virorum prohibet) ait, ne in Monasteria domus, & loca sua (putà contigua, non item à Monasterio seiuncta, sicuti dicebam) ingrediantur.

Petes tertiò, An veniat etiam sacristia Ecclesiæ contiguæ, solo pariete intermedio eam ab Ecclesia diuidente? 9

Respondetur similiter affirmatiuè; & quidem si per claustra Monasterij tantum sit ad ipsam ingressus, venire non est difficultas apud Doctores. Venit etiam (quamuis nonnulli dubitent, vt Sorbus *loco supra cit. numero* 14.) si ad ipsam etiam per aliam portam sine clausrorum ingressu pateat accessus; quia sacristia illo medio pariete disiuncta ab Ecclesia, non est pars Ecclesiæ, sicuti sunt sacella Ecclesiæ. Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *de matrim. lib.*7. *disput.*15. *numero* 31. & 34. consequenter est pars Monasterij; quapropter etiam in tali casu sub clausura comprehendi sacristiam, declarauit S. Congregatio Cardinalium, teste Corjolano *de casib. reser. part.*2. *quæst.*4. *num.*31. Quamuis si consuetudo sit, vt fœminæ sacristiam talem ingrediantur, v. g. ad Confessiones ibi faciendas, non sit consuetudo talis damnanda, cum res hæc (vtrum scilicet sacristia in tali casu sit pars Monasterij, & sic comprehendatur sub clausura) non sit certa, sed sub vario iudicio Doctorum, vti notant Rodrig. Lezana, & Layman in locis suprà cit. Videri etiam poterit Bonacina *quæst.*5. *punct.*1. *numero* 4. qui rectè subdit quod sacristia, ad quam non est aditus per Monasterij claustra, sed solum per Ecclesiam, non sit subiecta clausuræ; quia in tali casu sacristia, si non est pars Ecclesiæ, neque est pars Monasterij, cum intra Monasterij ambitum non contineatur.

Petes quartò, An veniant Prioratus, quos habent Monachi S. Benedicti, vel S. Bernardi, & similes? 10

Respondetur affirmatiuè; quia tales Prioratus sunt verè Monasteria, & clausuram habent. Llamas *in Append.*§.12. *vers. circa quam primò aduertimus*, & Lezana *tom.*1. *capit.*10. *num.*11.

Petes quintò, An veniant Religiosorum domus nondum completè fabricatæ, sed fabricari inceptæ? 11

Respondetur negatiuè; quia cum nondum conuentus ad ibi degendum fuerit introductus, sed solum aliqui Religiosi ibi inhabitent pro fabricæ totius seruitio, non censentur tales Religiosorum domus esse Monasteria, seu Conuentus; Sorbus *loc. cit. num.*11. & Lezana *tom.*1. *cap.*10. *num.*11. Idem dicas de domibus, hospitiis, vel infirmariis in ciuitate constitutis ad Religiosos, tanquam hospites ibi excipiendos, vel vt in 12
iis ad valetudinem pristinam recuperandam attendere possint; quia nec Conuentum, nec Ecclesiam habent. Idemque dicas de domibus, vbi in forma Conuentus, 13
seu Collegij adhuc non viuitur, nec Ecclesia cum Eucharistia instar aliarum domuum, seu Conuentuum est; quia tales domus potius videntur habere rationem 14
hospitij, quàm Conuentus. Quod tamen limitarem, nisi huiusmodi domus aliàs clausuræ subiectæ fuerint; quia tunc clausuræ eas subiectas esse arbitror, quamuis de præsenti, incuria Religiosorum ibi inhabitantium, in forma Conuentus in illis non viuatur. Naldus *in sum. verb. clausura, n.*1. & Lezana *eod. verb. num.*3. & *cit. cap.*10. *n.* 11. Videri etiam poterit Quaranta *verb. Monasterium*, Corjolanus *de casibus reseru. part.*2. *cas.*3. *quæst.*2. *num.*29. & Bonac. *loc. cit. num.*5. qui referunt, sic declarasse in dictis casibus S. Congregationem Cardinalium.

Petes sextò, An veniant Religiosorum domus, quæ vulgò Residentiæ vocantur? 15

Respon

Respondetur, si Religiosi in Residentia ista tanquam in priuata domo ad tempus sint, non censetur ea habere clausstrum, seu clausuram: secus si sit residentia perpetua habens Ecclesiam cum Eucharistia; quia in priori casu reputatur tanquam priuata hospitij domus, in posteriori autem est omnino instar domorum aliarum Religionis. Doctores *suprà cit.*

16 Petes septimò, An veniat atrium scholarum, etsi hæ contiguæ sint Collegio Societatis IESV?

Respondetur negatiuè; quia cum dictum atrium ita pateat secularibus, vt ingressus illuc nemini prohibeatur, sedes ianitoris ibi non sit, ad clausuram seruandam censetur esse extra clausstrum seu clausuram Monasterij; ita vt clausura censeatur incipere ab ea porta, in qua Ianitor sedet ad dictam clausuram seruandam; dedecet tamen adhuc intra dictum atrium fœminas ingredi & admitti, & sic praxis locum habet.

17 Cæterùm designare clausuræ terminos, extra quos Religiosi non possint sine licentia exire, spectat ad Prælatos ipsorum; quia hi sunt ordinarij iudices, & Pastores ipsorum.

18 Quomodo autem intelligendus sit nocturnus, & furtiuus è Monasterio egressus, qui est casus reseruabilis in Religionibus, ex dictis decretis Clementis V. super casus reseruatos?

Respondetur, intelligendum esse coniunctiuè, ita vt non sufficiat, illum esse solum nocturnum, vel solum furtiuum, sed requiri esse nocturnum, & furtiuum simul. Suar. *de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 18. num. 5.* Naldus *verb. clausura, §. dummodo tamen;* & patet, quia Pontifex ibi vtitur particula *Et.*

19 Cum autem Pontifex ibidem dicat *nocturnum*, & simus in odiosis, non sufficit, quod egressus sit in crepusculis; quia in illis non est nox, de cuius essentia videtur esse omnimodus recessus lucis solis. Peirinus *tom. 2. de Prælato, quæst. 3. cap. 2. §. 1. num. 40.*

20 Et cum dicat *furtiuum*, requiritur, quod sit sine licentia Superioris, ita vt in tali casu, quamuis exeat 21 quis videntibus, expectantibus, vel custodiam facientibus aliquibus sociis de Monasterio, adhuc tamen incidat in casum reseruabilem. Peyrinus *loco suprà cit.* Secus si Superior daret licentiam, quamuis illegitimè; quia tunc, licet egressus esset illegitimus, & sic illicitus, non tamen esset furtiuus. Peyrinus *ibid.* Etsi oppositum non improbabiliter sentiat Suarez *loco suprà cit. num. 5.* ex eo, quia cum licentia illegitimè data pro nulla habeatur, idem esset, ac si quis exiret sine licentia, atque adeo furtiuè; quapropter etiamsi ipse prælatus exiret illegitimè, incideret in casum, si aliàs esset reseruatus à suo superiore; quia & talis egressus, vtpote contra voluntatem Religionis, Regulæ, & Superiorum, censeretur etiam esse sine licentia, atque adeo & furtiuus. Suarez *ibid.* & videri poterit Molfesius *in summ. tom. 1. tractat. 7. capite 25. num. 16. & sequentib.* & Longus *de casib. reseru. part. 2. cas. 3.*

## DVBITATIO LXXVIII.

### An in quibusdam casibus licitus sit ingressus & admissio fœminarum in Monasteria virorum.

### SVMMARIVM.

1 *Ingressus mulierum in Monasteria virorum licitus est si adsit priuilegium post motum Pij V. & Gregorij XIII. obtentum.*

2 *Inferior summo Pontifice non potest hoc priuilegium concedere.*

3 *Priuilegia obtenta prius reuocantur motibus Pij V. & Gregorij XIII.*

4 *Fœminæ minores septennio.*

5 *Imperatrices, Reginæ, vel ipsarum filiæ.*

6 *Fœminæ fundatrices, si in aliquibus ordinibus sit consuetudo quod admittantur.*

7 *Fœminæ valde illustres, si in aliquibus locis sit consuetudo quod admittantur.*

8 *Fœminæ si consuetudo sit, quod sacristiam Ecclesiæ contiguam intra parietem clausstri ingrediantur.*

9 *Residentia Religiosorum tanquam priuata eorum domus.*

10 *Consuetudo, quod Monasteria habeant mulieres coquas honestas, & nullo modo suspectas, præciso populi scandalo.*

11 *Si mulier ingrediatur causa medendi Religioso infirmo.*

12 *Item si præter fœminam non sit in oppido, qui certo morbi generi mederi nouerit, v. g. qui ossa accommodare sciant.*

13 *Item si iudicio medicorum infirmus indigeat lactari à fœmina; & hic in dictis casibus non possit à clausstro tutò amoueri.*

14 *Præceptum de clausura seruanda, vtpote positiuum, non obligat cum tanto incommodo, & cum tanta necessitate.*

15 *Mulieres cum reliquo populo admitti possunt intra Monasterij septa ad diuina officia; secus si Religiosi soli priuatim in clausstro id efficiant, & quæ diuina officia sint, vide diffusius.*

16 *Fœmina licitè ingredi potest, etiamsi nouerit à Prælato institui processionem, ad hoc vt ipsa, & aliæ ingredi queant, quamuis fieri possit vt peccet ratione finis praui.*

17 *Prælati Religionum non possunt ad libitum processionem extraordinariam intra clausstra instituere, ad finem vt mulieres illuc licitè ingrediantur.*

18 *Mulieribus ingredi clausstra, & illuc admitti vesperi non licet, nec quando processio est iam celebrata præcisa modica mora.*

19 *Prælati Religionum processionem eo fine instituentes ad libitum, vt ea occasione mulieres licitè possint Monasterium ingredi, peccant tantum abusu potestatis.*

20 *Nomine alterius officij intelliguntur alia officia pia, vt habitus susceptio, vel professionis emissio, Prædicatio in clausstro, solennis benedictio candelarum, olivarum, & his similia.*

21 *Conclusiones Theologia, vel aliqua repræsentatio non veniunt nomine alterius officij.*

22 *Mulieres in Monasterij clausstra ingredientes possunt etiam in locum, quem De profundis appellant, ingredi, quando talis locus est coniunctus clausstro*

23 *Fœminæ quæ non tantùm ratione processionis ingrediuntur, sed ex peruerso fine, non incurrunt pœnas latas à Pontifice contra Bonacinam, etiamsi ibi exterius aliquod peccatum committant.*

24 *Ingrediens Monialium Monasterium in casu vrgenti ex legitima causa non incurrit pœnas, etiamsi ad fornicandum ingrediatur, quin & de facto ibi fornicetur.*

25 *Mulieres ex prædictis causis ingredientes tenentur his officiis completis statim egredi, non quidem statim physicè, sed moraliter.*

26 *Religiosus incurrit pœnas, si finitis dictis officiis causa est, vt ibi fœminæ ingressæ diu commorentur; secus tamen dic de fœminis diu ibi dicta occasione commorantibus.*

27 *Mulieres si officinas Monasterij interiores ingrediantur, incurrunt pœnas, quia priuilegium ingrediendi est limitatè concessum; contrarium autem non est improbabile.*

28 *Mulieres nullius facultatis, aut priuilegij prætextu*

*ingredientes, & Religiosi mulieres has admittentes an peccent mortaliter, & pœnas ac censuras incurrant, dictum est dub.76.*

29 *Priuilegium Pontificis fœminis ad ingrediendum Monasteria virorum concessum non suffragatur quando Monasteria suis statutis ingressum prohibent, & dictum priuilegium non haberet clausulas derogatorias.*

30 *Mulieres virtute cuiuscumque priuilegij Pontificij iustum est non admittere, si illud de prohibitione Regulæ mentionem non faciat, & talis prohibitio sit sub Regula.*

31 *Mulieres virtute talis priuilegij ingredientes, & Religiosi ipsas admittentes contrahunt censuras, nisi ignorantia excusentur.*

1 RESPONDETVR affirmatiuè; primò si adsit summi Pontificis priuilegium post Motum Pij V. & Gregorij XIII. obtentum; quia cum ingressus fœminarum in Monasteria virorum iure Pontificio sit interdictus, consequens est, quod priuilegio summi Pontificis, præcisis circunstantiis extrinsecis, fiat licitus, quandoquidem eius est legem relaxare, cuius est condere.

2 Dixi, *priuilegio summi Pontificis*; quia inferior summo Pontifice (cum non possit inferior Superioris legem relaxare) non potest hoc priuilegium concedere.

3 Dixi *post Motum Pij V. & Gregorij XIII. obtentum*; quia priuilegia prius obtenta reuocantur prædictis Motibus.

4 Secundò si fœminæ propter minorem ætatem septennij circiter, vsum rationis non habeant; cum harum ingressus, & admissio nullibi prohibeatur, sicuti dicebam *dubit.72.*

5 Tertiò, si sint Imperatrices, Reginæ, vel ipsarum filiæ; cum & harum ingressus, & admissio nullibi etiam prohibeatur, sicuti dicebam *dubitat.73.*

6 Quartò, si in aliquibus Ordinibus sit consuetudo, quod admittantur fœminæ fundatrices, sicuti dicebam *dubit.74.*

7 Quintò, si in aliquibus locis sit priuilegium, quod admittantur fœminæ valde illustres, quibus casibus necessarius, & decens eis mulierum comitatus etiam permittitur, iuxta ea, quæ dicebam *cit.dubit.73. in fine.*

8 Sextò, si consuetudo sit, quod fœminæ sacristiam Ecclesiæ contiguam intra parietem claustri (v.g. ad faciendas confessiones) vel ad hortos Monasterio contiguos (v.g. ad opus rusticum aliquod necessarium ibi faciendum) ingrediantur; sicuti dicebam *dubit.76.*

9 Septimò, si Religiosi sint in residentia, tanquam in priuata domo, ad tempus; quia tunc in eam mulieres ingredi, & admitti possunt, sicuti dicebam *cit. dubitat.76.*

10 Octauò, si sit consuetudo, quod Religiosi extra Monasterij claustra singuli habitantes, habeant mulieres coquas honestas, & nullo modo suspectas, sicuti notauit Nauarr. *comment.4. de Regular.num.63.* & Rodrig. *tom.1.qq.Regular.quæst.48.art.3.* quatenus aiunt, sustineri posse (cum nullus sit textus id interdicens) quod liceat mulieri honestæ, & non suspectæ ingredi domum Regularis canonici, non habitantis intra claustra Conuentus, licet domus illa Monasterio contigua sit.

Qua eadem ratione sustineri poterit consuetudo quorundam Monasteriorum, in quibus mulieres honestæ, & nullo modo suspectæ admittuntur ad Abbatis, vel præpositi Regularis domum, quæ seiuncta est à claustro Conuentus, & ad vnius Abbatis, vel Præpositi Regularis, eiusque officialium vsum deputata; dummodo res sine scandalo, querela, & specie, vel suscipione mali sit; quia si consideratis circunstantiis, periculum scandali, vel offensionis in populo subesse videtur, ad loci Ordinarium (cui Monasterium subiectum est) & ad delegatum Sedis Apostolicæ, in primis verò ad ipsos Ordinum Religiosorum Prælatos, & constitutos visitatores spectabit talem consuetudinem tollere atque statuere, quod mulieres intra Monasterij septa, seu muros non admittantur, sed in externa domo, si opus sit (quod est decentius) hospitalitatis beneficia recipiant.

Nonò, si mulier ingrediatur causa medendi Religioso infirmo, instante necessitate; verbi gratia si tam multi infirmi sint, vt Religiosi non sufficiant ad ministrandum, & seculares ad hoc officium præstandum ingredi nolint. Item si præter fœminam non sit in oppido, qui certo morbi generi mederi nouerit, verbi gratia, qui ossa, vt brachia, vel crura accómodare sciat. Item si iudicio Medicorum infirmus indigeat lactari à fœmina, & hic in dictis casibus non possit è claustro tutò amoueri; quia præceptum de seruanda clausura, vtpotè positiuum, non obligat in tanta necessitate cum tanto incommodo. Vide Rodriguez *tom.1.qq.Regular.quæst.46.art.7.ad fin.* Lezanam *tom.1.cap.10.n.10.* Bonacinam *quæst.5.punct.4. num.5.* & Sorbum *verb.ingressus Monaster.Monial.num.6.* 11 12 13 14

Decimò admitti possunt mulieres cum reliquo populo intra Monasterij septa ad diuina officia (dum verbi gratia ibi persoluuntur horæ Canonicæ, vel dicitur officium B. Virginis, defunctorum, &c. quæ tamen diuina officia sint communia, ad quæ alij admitti solent; secus si Religiosi aliqui priuatim in claustro id efficiant) & ad Ecclesiasticam sepulturam (dum verbi gratia ibi aliquis sepelitur, vel anniuersaria celebrantur, vel suffragia pro mortuis fiunt, & Rodrig. &c. *loc. cit. quæst.48. artic.3.* & *in expos. cit. Motus Pij V. num.15.* Quaranta *verb. Monasteria, & Conuentus, n.6.* & Lezana *tom.1.cap.10.num.12. ex Bulla Pij V.* quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem*; vbi Pius V. expressè concedit, causa processionis (dum scilicet Religiosi processionem per claustra faciunt, vel Eucharistiam solenniter & publicè ad infirmum, vel ad alium finem deferunt, vigiliæ, Missæ, funeris alicuius defuncti, vel alterius cuiusvis officij intra Monasteriorum claustra celebrati, licere fœminis in claustra, & in ea Religiosorum loca (dum hæc celebrantur) ingredi, dummodo in officinas internas non admittantur (quæ eadem limitatio locum habet in omnibus casibus sequentibus) & vbi expressè etiam concedit, fœminis licere in eadem dicta loca, exceptis prædictis officinis internis, ingredi, quando in Ecclesia Monasterij prædicatur, vel ob aliam quamcunque causam tantus est populi concursus vt nequeant mulieres in Ecclesiam aliter, quàm per claustrum, vel alia Religiosorum loca ingredi, vel ex ea egredi, dummodo recto tramite ad portam, qua de Monasterio exitur, tendant, & recto tramite ad Ecclesiam procedant. Circa quam concessionem. 15

Petes primò, An fœmina, quæ nouit processionem extraordinariam à Prælato Religiosorum institui ad hoc vt ipsa, & aliæ ingredi queant, licitè ingredi possit? 16

Respondetur affirmatiuè; quia iure suo vtitur, tum quia vbi ius non distinguit, neque nos distinguere debemus, quamuis fieri possit, vt peccet ratione finis praui, vel alterius prauæ circunstantiæ; vt si cooperetur peccato prædicti Prælati Religiosorum.

Petes secundò, An Prælati Religionum possint ad libitum processionem extraordinariam intra claustra instituere, ad finem, vt mulieres illuc licitè ingredi, & admitti possint? 17

Respondetur negatiuè; quapropter si id efficiant, peccant, quia hæc concessio Pij V. est, vt scrupuli vitentur, concedaturque ingressus rationi consonus, & non ad clausuram relaxandam. Sorbus *n.7.* Lezana *loco suprà cit.* & Rodrig. *citat. quæst.48. art.3.* & *in expos. dicti Motus, n.16.* qui rectè subdit *n.20.* non licere mulieribus

18 lieribus ingredi clauſtra, & illuc admitti, veſperi verbi gratia (quando proceſſio non celebratur, ſed celebrata eſt mane) vel è contra; quia cum tunc non celebretur, ceſſat cauſa permiſſionis ingreſſus], & admiſſionis; niſi in hoc ſit modica mora; quia cum ſimus in moralibus, moraliter procedendum eſt, & parum pro nihilo reputatur.

19 Cæterum Prælati Religionum proceſſionem ad libitum inſtituentes, vt ea occaſione mulieres licitè poſſint Monaſterium ingredi, peccant tantum abuſu poteſtatis (quapropter quidem digni ſunt pœna) non tamen peccant (quamuis alij contrarium ſentiant) contra conſtitutiones Pontificias, ita vt earum pœnis afficiantur; quia in tali caſu non admittunt mulieres illicitè ingredientes: at quoties fœminæ licitè ingrediuntur (quia ſcilicet ius habent ingrediendi) non peccant Religioſi contra Pontificum iura ſi eas tunc admittant. Doctores, quos citat, & ſequitur Corjolanus *p. 2. caſu 3. n. 34.*

20 Petes tertiò, quidnam intelligatur nomine alterius officij.

Reſpondetur, intelligi alia officia pia, vt ſi quis intra clauſtrum admittatur ad ſuſcipiendum habitum (quamuis quoad hoc non conſentiant Peyrinus, Bonacina, & Lezana in locis infra citandis) vel ad emittendam profeſſionem, vel ſi in clauſtro prædicetur, vel fiat ſolennis benedictio candelarum, aut oliuarum, vel fiat adoratio crucis cum adorationibus ab Eccleſia inſtitutis, vel fiat alia ſimilis cæremonia, quæ ſolenniter

21 fit ex inſtitutione Chriſti, aut Eccleſiæ, vel ſolenniter cantetur Epiſtola, aut Euangelium; vel fiat lotio pedum in die Cœnæ: nam hæc etiam cæremonia in tali die ſit ex inſtitutione Chriſti & Eccleſiæ. Non item ſi ibi defendantur Concluſiones Theologicæ, vel fiat pia aliqua repræſentatio; quia hæc non numerantur inter officia pia. Vide Sorbum *n. 7.* Peyrinum *tom. 1. priuileg. Minim. in Conſtitut 6. Iulij II. n. 14.* Bonacinam *de clauſ. quæſt. 5. punct. 4. n. 10.* Lezanam *tom. 1. cap. 10. n. 12.*

22 & Rodrig. *quæſt. 48. art. 2. & in expoſit. Motus Pij V.* vbi rectè ſubdit, mulieres in Monaſterij clauſtra ingredientes, poſſe etiam in locum (quem De profundis appellant) ingredi, quando talis locus eſt coniunctus clauſtro & ita patena, ac ſunt ſacella clauſtris; ſecus, ſi portam habeat; quia tunc reputatur interior Monaſterij officina.

Quapropter poterunt mulieres illuc admitti ad audiendum ſacrum, quod intra clauſtri ſacellum ſit ob alicuius perſonæ potentis deuotionem, vel ob quamcumque aliam cauſam; quia tunc celebratur ibi diuinum officium.

23 Petes quartò, an contraueniant prohibitioni Pontificum, & conſequenter incurrant pœnas fœminæ tempore proceſſionum, vel officiorum (quæ in clauſtro celebrantur) ingredientes, ſi non tam ex hoc, quàm ex alio peruerſo fine ingrediantur?

Reſpondetur contra Bonacinam *cit. punct. 4. in fine*, negatiuè; idque etiam ſi ibi exterius aliquod peccatum committant, quia tunc temporis non eſt eis ingreſſus interdictus, ſed conceſſus, quamuis aliunde ſit malus: & pœnæ ſtatuuntur ingreſſui interdicto,

24 non licito. Quid ſimile dicebam *dubit. 52.* quod ſcilicet ingrediens Monialium Monaſterium in caſu vrgenti ex legitima cauſa, non incurrat pœnas, etiamſi ad fornicandum ingrediatur, quin & de facto ibi fornicetur. Idemque ibi dicebam etiam de admittentibus. Vide Sorbum *n. 25.* & Rodrig. *in locis ſuprà cit.*

25 Petes quintò, an mulieres ex prædictis cauſis ingredientes teneantur, his officiis completis, ſtatim egredi?

Reſpondetur affirmatiuè, non quidem ſtatim phyſicè, ſed cum ſimus in moralibus, ſtatim moraliter; ſicuti de ingreſſu in Monaſteria Monialium dicebam *cit. dub. 52.* & docet Bonacin. *dict. punct. 4. n. 15.* & Rodrig. *quæſt. 48. art. 2. in fin.* & *in Expoſit. cit. Motus Pij V. n. 19.* 26 vbi tamen ſubdit, quod Religioſus incurrat pœnas, ſi finitis dictis officiis, cauſa ſit, vt ibi fœminæ ingreſſæ diu commorentur (quod etiam docet de ipſis fœminis diu commorantibus) ſed minus rectè; quia (ſicuti dicebam *dict. dubit. 52.*) hæ pœnæ non imponuntur moram trahenti, ſed ſine iuſta cauſa, & ſine licentia ſuperioris ingredienti: quapropter in noſtro caſu pœnæ non incurruntur.

Secus dicendum ſi mulieres officinas Monaſterij 27 interiores ingrediantur; quia Pontifex tantum ad clauſtrum, & ad loca (vbi celebrantur officia) concedit eis licentiam ingreſſus, explicitè prohibendo eiſdem ingreſſum ad officinas interiores.

Etſi contrarium ſit etiam probabile ex eo, quia dici poteſt, quod mulieres in tali caſu non dicantur propriè ingredi Monaſterium, ſed immorari in Monaſterio, vel ambulare, percurrere, & viſitare loca Monaſterij: quapropter licet reuera mulieres in tali caſu peccent contra clauſuram, vlterius procedendo, non tamen afficiuntur excommunicatione lata contra mulieres ingredientes; quia non propriè dicuntur ingredi Monaſterium, ſed perluſtrare Monaſterium: at excommunicatio propriè fertur in fœminas ingredientes, non verò in immorantes, vel vlterius progredientes.

His tamen non obſtantibus, quod dixi, eſt probabilius, non ſolum quoad mulieres ingredientes, ſed etiam quoad Religioſos mulieres tales comitantes; quia ex Motu Pij V. *Regularium perſonarium*, excommunicatione, & aliis pœnis afficiuntur Religioſi non ſolùm fœminas introducentes, ſed etiam admittentes, at at Religioſi, qui fœminas comitantur ad eum Monaſterij locum (ad quem prædictis fœminis non licet accedere) dicuntur fœminas admittere: ergo &c. Bonac. & Rodrig. *in locis ſuprà cit.*

Petes ſextò, an mulieres nullius facultatis, ſeu priuilegij prætextu ingredientes, & Religioſi mulieres 28 has admittentes, peccent mortaliter, & pœnas, ac cenſus incurrant?

Reſpondetur, de hac re ſatis dixi *dubitatione 76.*

Cæterum, priuilegium Pontificis fœminis ad ingrediendum Monaſteria virorum conceſſum, non ſuf- 29 fragatur, quando Monaſteria ſuis ſtatutis ingreſſum prohiberent, & dictum priuilegium nullam derogationis talium ſtatutorum mentionem faceret; quia vt his ſtatutis cenſeatur derogari, ſpecialis mentio requiritur, *cap. 1. de Conſtit. in 6.* vbi ea redditur ratio, quia cum res eſt quid facti, præſumitur Pontifex eam ignorare; & docent Rodrig. *in ſumm. tom. 1. cap. 60. num. 5. edit. 2.* Bonacin. *de clauſ. quæſt. 5. punct. 4. num. 2.* & Paſſarellus *in Compendio priuileg. Fratrum Minim. cap. 9.* qui propterea rectè ſubdunt, iuſtum eſſe, quod in aliquibus Religionibus ſtatutum eſt, non poſſe mulieres virtute cuiuſcunque priuilegij Pontificij, ſi illud de prohibitione Regulæ mentionem non faciat, ad ingreſſum ſuorum Monaſteriorum admitti: quapropter mulieres virtute talis priuilegij ingredientes, & Religioſi ipſas admittentes, contrahent (niſi ignorantia excuſentur) 30 pœnas, & cenſuras prædictas; quia cum talis facultas ſit nulla, perinde eſt, ac ſi abſque licentia ingrederentur, & admitterentur.

## DVBITATIO LXXIX.

An, & quas pœnas contrahant mulieres illicitè in virorum Monasteria ingredientes? Vbi etiam de Religiosis illas sic ingredientes admittentibus.

### SVMMARIVM.

1 *Mulieres ingredientes virorum Monasteria, ex motu Pij V. contrahunt excommunicationem Papæ reseruatam.*

2 *Ignorantia quamuis crassa, & supina, quin & forsan affectata, excusat à censuris sic ingredientes.*

3 *Religiosi prædictas mulieres in sua Monasteria admittentes ex motu Pij V. suspenduntur à diuinis, & incurrunt officiorum priuationem, & ad illa in posterum obtinenda inhabilitatem ipso facto.*

4 *Motus Gregorij XIII. excedit motum Pij V. quia vltra recensita in dicto motu, statuit priuationem beneficiorum, & inhabilitatis ad illa, & excommunicationem Pontifici reseruatam, nec petit in admittentibus præsumptionem. Vide alias differentias dictorum motuum.*

5 *Pœna recensita in dictis motibus contrahuntur à Religiosis si permittant fœminas ingredi prætextu facultatum.*

6 *Nomine officiorum, quibus priuantur, & ad illa inhabiles redduntur, & quid nomine admissionis intelligatur, vide ibi.*

1 RESPONDETVR, Pius V. in dicto suo Motu, qui incipit, *Regularium personarum*, statuit in mulieres Monasteria virorum ingredi audentes excommunicationem sibi reseruatam, ibi: *Ingredi audeant*; quo eodem verbo vtitur Gregorius XIII. in suo Motu, qui incipit, *Vbi gratiæ*; quapropter ignorantia, quamuis crassa, & supina, quin & forsan affectata, excusabit à censuris sic ingredientes, iuxta ea quæ dicebam *dubit.* 59. Item Pius V. in eodem suo Motu statuit in Religiosos prædictas mulieres in sua Monasteria admittentes suspensionem à diuinis, priuationem officiorum, & ad illa in posterum obtinenda inhabilitatem ipso facto sine alia declaratione contrahendas, ibi: *Ipsis verò Monasteriorum, & Conuentuum Abbatibus, Præpositis, Prioribus, & aliis Præsidentibus, quocunque nomine vocentur, & eorum Monachis, Canonicis, & fratribus, siue mendicantibus, siue non mendicantibus, sub priuationis officiorum, quæ in præsenti obtinent, & inhabilitatis in posterum ad illa, & alia omnia, & suspensionis à diuinis ipso facto sine alia declaratione incurrendis pœnis, ne eas introducere, admitteréve præsumant.*

4 Ex his patet, quod Motus Gregorij XIII. (de quo dicebam *dubit.* 54. & *seqq.*) excedit Motum Pij V. quia ille præter pœnam priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa statutam à Pio V. contra Religiosos fœminas in Monasteria virorum ingredi permittentes, statuit etiam priuationem beneficiorum, & inhabilitatis ad illa, & excommunicationem Pontifici reseruatam, nec petit in admittentibus præsumptionem, sicuti dicebam *cit. Dub.* 59. & iis pœnis afficit eos, qui viros, ac fœminas ingredi faciant, vel permittunt in Monasteria Monialium, vel fœminas in Monasteria virorum. At Motus Pij V. non statuit pœnas priuationis beneficiorum, & inhabilitatis ad illa, sed solùm officiorum. Item petit præsumptionem in admittentibus. Item solum loquitur de admittentibus fœminas in Monasteria virorum. At exceditur, quia dictus Motus Gregorij XIII. comprehendit solum Prælatos facientes, vel permittentes ingredi, sicuti dicebam *dub.* 61. & comprehendit solum eos qui admittunt virtute facultatum ingredientibus concessarum, sicuti dicebam *dubit.* 58. nec imponit suspensionem à diuinis in facientes, vel permittentes ingredi. Motus verò Pij V. intelligitur (saltem secundum communiorem, & probabiliorem Doctorum opinionem) de facientibus, vel permittentibus ingredi fœminas in Monasteria virorum, quamuis nullius facultatis, seu priuilegij prætextu ingrediantur, sicuti dicebam *dub.* 76. Item præter pœnam priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa statuit in admittentes, vel facientes ingredi suspensionem à diuinis, siue hi sint Prælati, siue quicunque alij Religiosi; sicuti constat ex eius verbis iam supra relatis.

Quapropter, quod probabile putat, & in S. Pœnitentiaria vsu receptum esse testatur Filliuc. *tract.* 15. *cap.* 5. *quæst.* 7. *num.* 119. (nempe Religiosos, qui fœminas in Monasteria intromittere, vel admittere præsumunt, etiamsi fœminæ sine prætextu facultatum ingrediantur, incurrere ipso facto, non solum suspensionem à diuinis, priuationem officiorum, inhabilitatem ad illa, & alia in posterum obtinenda, iuxta dictum Motum Pij V. *Regularium personarum*, sed etiam excommunicationem Pontifici reseruatam iuxta cit. Motum Gregorij XIII. *Vbi gratiæ*) id intelligendum est, si Religiosi permittant fœminas ingredi prætextu facultatum, sicuti *cit. dubit.* 54. & 76. dicebam. 5

Quid autem intelligatur nomine officiorum, quibus priuantur, & ad illa inhabiles redduntur, qui has fœminas illicitè admittunt, dicebam *dubit.* 24. Item quid intelligatur nomine admissionis; & an comprehendantur mandantes, & consulentes, dicebam *dubit.* 63. & 67. 6

## DVBITATIO LXXX.

An in casu nostro pœna priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa contrahatur absque vlla sententia iudicis.

### SVMMARIVM.

1 *Pœna priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa, in casu, de quo agitur, non contrahitur ante iudicis sententiam, contra nonnullos. Requiritur enim saltem aliqua sententia criminis declaratoria, secundum probabiliorem opinionem.*

2 *Suspensio à diuinis, cum sit censura, contrahitur absque aliqua iudicis sententia.*

1 RESPONDETVR, quod quamuis nonnulli affirment, ex eo, quia imponitur *incurrenda ipso facto sine alia declaratione iudicis*; & sic quod admittens fœminas illicitè ingredientes, teneatur in posterum in foro conscientiæ non vti suis officiis, nec admittere alia officia, quamuis ipsius crimen non sit deductum in iudicium; sic Rodriq. *in Expos. huius Motus n.* 51. *in princip.* Sorb. *in Compend. priuil. Mendic. verb. ingressus Monast. Monial. num.* 10. Bonac. *de claus. q.* 1. *punct.* 4. *num.* 7. & *q.* 5. *punct.* 3. *num.* 2. Merolla *tom.* 1. *disp.* 1. *cap.* 2. *diffic.* 10. *num.* 253. & Sayr. *in Clau. Reg. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 31. qui tamen subdunt, quod non teneatur eus huius criminis occulti desistere statim ab vsu sui officij, proprij delicti manifestationem, & infamiam timens, sed solum teneatur mediis occultis dispensationem procurare, & interim nullatenus, ratione inhabilitatis, officium aliud acceptare, probabilius tamen negetur; adhuc scilicet ad dictas pœnas incurrendas requiri aliquam iudicis sententiam, saltem declaratoriam criminis, ita vt illa verba, *absque alia declaratione*, intelligen-

da

da sint de declaratione pœnæ, non item criminis. Vide quæ de hac re satis dixi *dubit. 23. sect. 1. 2. & 3.*

Cæterum ad suspensionem à diuinis incurrendam (cum sit censura) non requiritur aliqua iudicis sententia, sicuti dicebam *cit. dub. 23. sect. 2.*

## DVBITATIO LXXXI.

An, & quis possit absoluere à suspensione à diuinis, quam incurrunt Religiosi admittentes fœminas illicitè in Monasteria virorum ingredientes?

### SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest absoluere à suspensione à diuinis, quam incurrunt Religiosi admittentes fœminas illicitè in Monasteria virorum.*
2 *Item quilibet Confessarius ab Ordinario loci approbatus virtute Bullæ Cruciatæ toties quoties, contra nonnullos.*
3 *Item quicumque Confessarius Regularis virtute suæ Religionis priuilegiorum, & etiam toties quoties potest absoluere.*
4 *Dicta de suspensione à diuinis dicuntur etiam de interdicto ab ingressu Ecclesiæ; quia etiam Interdictum est censura.*
5 *Absoluere ab excommunicatione Papæ in hoc motu reseruata dictum est dubitat. 28. & 69.*

1 RESPONDETVR, & dico primò, si occulta illa sit, potest ab illa absoluere Episcopus, virtute Tridentini *sess. 24. cap. 6.* Vide *dubit. 28.*

2 Dico secundò, potest etiam absoluere quicunque Confessarius ab Ordinario loci approbatus, virtute Bullæ Cruciatæ; quia hæc concedit tali Confessario absolutionem ab omnibus censuris; & suspensio à diuinis est censura, *capite quærenti de verb. signif.* quinimò contra Sorbum *verb. ingressus Monast. Monial. in Annotat. num. 11.* & Rodrig. *in Exposit. huius Motus, num. 34.* (qui sentiunt, posse eum absoluere tantum semel in vita, & semel in mortis articulo) potest absoluere toties, quoties: quia censura hæc suspensionis à diuinis non reseruatur in hoc Motu, & Bulla Cruciatæ concedit toties quoties absolutionem à censuris non reseruatis. Merolla *tom. 1. disput. 1. cap. 2. diffic. 10. num. 525.* & Diana *part. 3. tractat. 2. resol. 66.*

3 Dico tertiò, potest etiam absoluere quicunque Confessarius Regularis virtute suæ Religionis priuilegiorum, & etiam toties quoties; quia virtute talium priuilegiorum explicitè conceditur Regularibus posse absoluere toties, quoties ab omnibus casibus, & censuris, & pœnis consurgentibus ex eis, præterquam à contentis in Bulla Cœnæ, & à specialiter reseruatis ab Ordinariis locorum. Vide *capite 14. dubitat. 18. sect. 6. & lib. de Parlament. dubit. 4. sect. 19. subsect. 32. per totam.*

4 Et quod dixi de suspensione à diuinis, idem dico de suspensione, & interdicto ab ingressu Ecclesiæ (quæ censura sicuti dicebam *dub. 54. & 68.* incurritur à Prælatis Monasteriorum Monialium absque causa iusta illuc ingredientibus) quia etiam interdictum est censura, *cit. c.* quærenti, & non reseruatur ibi, sicuti non reseruatur hic suspensio à diuinis.

Cæterùm, quisnam possit absoluere ab excommunicatione Pontifici in hoc motu reseruata contra fœminas in Monasteria virorum illicitè ingredientes, vide *dubit. 28. & 69.*

## DVBITATIO LXXXII.

An, & quis possit absoluere à suspensione in diuinis, & cæteris censuris, etiamsi deductæ sint in forum contentiosum?

### SVMMARIVM.

1 *Confessarius quicumque ab Ordinario approbatus virtute Bullæ Cruciatæ, & quicumque Regularis virtute priuilegiorum suæ Religionis potest absoluere à suspensione à diuinis, & cæteris censuris, etiamsi deductæ sint in forum contentiosum.*
2 *Priuilegium sine limitatione concessum non venit restringendum, sed potius ampliandum.*
3 *Absolutio concessa virtute Bullæ Cruciatæ, & Religionis priuilegiorum non prodest pro foro externo, sed tantum pro foro conscientiæ, consequenter non infert damnum Ordinariis.*
4 *Priuilegia Religionis, & Bulla Cruciatæ non habent limitationem Concilij Tridentini; Episcopis enim concessio Concilij erat perpetua per viam statuti, & magis ampla, cum comprehendat ferè omnes irregularitates, & omnes casus Sedi Apostolicæ reseruatos: at Concessio Bullæ & Religionis non est ita ampla, & perpetua.*
5 *Condemnatus, vel publicè diffamatus de hæresi etiam motu Sixti IV. non potest absolui vigore Bullæ Cruciatæ, vel alterius priuilegij generalis.*
6 *Sixtus IV. tantum prohibet absolutionem faciendam vi facultatum ab ipso, non item ab aliis Pontificibus concessarum.*
7 *Extranagans dicti Sixti IV. non amplius vires habet.*
8 *Dispensare quisnam possit in priuatione officiorum, & inhabilitate ad illa in hoc motu Pij V. statutis, dictum est dubit. 29.*

RESPONDETVR, potest similiter absoluere quicumque Confessarius ab Ordinario approbatus, virtute Bullæ Cruciatæ, & quicumque Regularis virtute priuilegiorum suæ Religionis; quia in Bulla Cruciatæ, & in priuilegiis Religionum conceditur absolutè facultas absoluendi à censuris sine vlla limitatione, si crimen non sit publicum, vel ad forum contentiosum non deductum; priuilegium autem sine limitatione concessum, non est cur limitetur; cum potius, vtpote fauorabile, sit ampliandum, tum quia, cum Pontifex intendit facultatem absoluendi, vel dispensandi limitare, si scilicet crimen est publicum, aut deductum ad forum contentiosum, solet explicare, sicuti patet in priuilegio Episcopis concesso à Tridentino *sessione. 24. cap. 6.* ergo cum hanc limitationem priuilegiis Regularium non adiecerit, signum est in contrarium, atque ita dicebam *lib. de Parlamentis dub. 4. sect. 19. subsect. 31. circa finem,* & docent Merolla, & Diana *in locis suprà cit.* Sotus *in 4. dist. 22. art. 3.* Couar. *in cap. alma mater, 1. par. §. 11. n. 16.* Ledesma *24. quæst. 26. art. 1.* Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap. 13. num. 2. & lib. 8. de Eucharistia, cap. 6. n. 4.* Polancus *in direct. cap. 4. fol. 52.* Angles *1. part. quæst. vnic. de excommunicatione, art. 4. diffic. 2.* Rodriguez *in addit. ad Bullam, num. 49. §. 9.* & Bonacina *de claus. quæst. 1. punct. 5. num. 3.* contra Sorbum *loco supra cit.* & nonnullos alios. 1

Obiicies: dicta facultas absoluendi, vtpote inferens damnum Ordinariis & sic odiosa, potius est restringenda: ergo, &c.

Respondetur, nego antecedens, quia absolutio concessa virtute Bullæ Cruciatæ, & Religionis priuilegiorum 2

3

rum non prodest pro foro externo, sed tantum pro foro conscientiæ; consequenter non infert damnum Ordinariis, cum illi propter rationem dictam, non obstante ista absolutione, possint procedere contra suspensum, vel excommunicatum in foro externo eadem ratione, ac possent procedere, si ille in foro interno non esset absolutus.

Obiicies secundò. Concilium Tridentinum *cit. sess. 26. cap. 6. de reformat.* licet concedat Episcopis amplam facultatem dispensandi in irregularitatibus & aliis censuris, subdit, dummodo non sint in forum contentiosum deductæ: ergo multò magis idem in casu nostro dicendum erit, cum non sit verisimile, Concilium velle negare Episcopis facultatem dispensandi, & absoluendi (quando irregularitates, & censuræ deductæ sunt in forum contentiosum) & mentem Pontificum esse, velle concedere cuilibet Confessario, quod virtute priuilegiorum Religionis possit absoluere ab excommunicatione, & suspensione deductis ad forum contentiosum, & publicis. 4

Respondetur, concedo antecedens: at nego consequentiam; & retorqueo argumentum, quia Concilium apposuit eam limitationem in Episcopis, quam non apponit Pontifex in Bulla Cruciatæ, nec in priuilegiis Religionis, idque totum ex voluntate concedentis. Nec debet esse mirum, quod dictam limitationem non habeant Bulla Cruciatæ, & priuilegia Religionum, sicuti habent Episcopi, quia concessio Concilij in Episcopis erat perpetua per viam statuti, & magis ampla, cùm comprehendat ferè omnes irregularitates, & omnes casus Sedi Apostolicæ reseruatos: at concessio Bullæ, & priuilegiorum Religionum, nec est ita ampla (cum secundum communiorem opinionem Doctorum non se extendat ad irregularitatem) nec est ita perpetua: tum quia si Concilium concederet Episcopis facultatem absoluendi à censuris, & dispensandi ab irregularitatibus deductis ad forum contentiosum, deberet illis concedere eam facultatem etiam pro foro externo, cum in tali foro Episcopi Iudices sint; vnde sequerentur quamplurima incommoda, & perturbaretur iurisdictio eorum, ad quorum forum censuræ illæ forent deductæ. At Confessariis per Bullam, & priuilegia Religionum concedi potuit facultas absoluendi pro solo foro interno, cum ex tali facultatis vsu nullum sequatur inconueniens in foro externo, sicuti dicebam. 5

Obiicies tertiò, Sixtus IV. in Extrauag. *Dominici, 2. de pœnit. & remiss.* iubet, ne virtute Bullæ Cruciatæ, vel alterius priuilegij generalis absoluatur denunciatus sententialiter condemnatus, vel publicè diffamatus: ergo.

Respondetur, Sixtus IV. ibi loquitur non de quocumque Reo cuiuscumque criminis ad forum externum deducti, sed tantum criminis hæresis, vel (dato quod loquatur de quocumque Reo cuiuscumque criminis ad forum externum deducti) Respondetur secundò, tantùm prohibere absolutionem criminum deductorum ad forum externum, faciendam virtute facultatum ab ipso, non item ab aliis Pontificibus concessarum, vti notant Sotus *loco suprà citat.* Syluester *verb. Excommunicatio 17. num. 32.* Angelus *eod. verb. 5. n. 31.* Nauarr. *cap. 12. num. 75.* & *cap. 27. num. 55.* & constat ex ipsamet Extrauag. Vel respondetur tertiò, dicta Extrauag. non amplius vires habet, quia cùm ipsa fuerit additio quædam ad Bullam Cœnæ, quæ per nouam Bullæ Cœnæ editionem cessare solet, sequitur quod ipsa additio etiam cessauerit, & consequenter, quod & casus in dicta Extrauag. contenti sub dispositione iuris communis remaneant. Silu. *cit. num. 32.* & Suar. quem citat, & sequitur Bonac. *num. 4.* 6

Cæterum, quisnam possit dispensare in priuatione officiorum, & inhabilitate ad illa, in hoc Motu Pij V. statutis contra Religiosos, qui fœminas in sua Monasteria illicitè ingredientes admittunt? Vide *dubit. 29.*

*Hic est finis Partis secundæ.*

DEO OPT. MAX. sit sempiterna Laus, & Gloria. Amen.



ADDITIO

# ADDITIO BVLLARVM,

## QVÆ AD MATERIAM

de Immunitate spectant, iuxta seriem Summorum Pontificum qui de ea aliquid sanxerunt.

## PAVLI II. BVLLA II.

De his quæ obseruare debent Iudices à Sede Apostolica delegati, in causis alienationum bonorum Ecclesiasticorum.

*Facultatem has causas delegandi abstulit omnibus Sedis Apost. Officialibus Pius V. vt infrà in eius const. 69.* Volentes.

De materia alienationum, dicam hic infra in const. 5. Ambitiosæ.

*PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Causa const.*

CVM in omnibus iudiciis sit rectitudo iustitiæ, & conscientiæ puritas obseruanda, id multò magis in concessionibus alienationum rerum Ecclesiasticarum conuenit obseruari, in quibus de Christi patrimonio, & dispensatione pauperum, non de proprio cuiusque peculio agitur, vel tractatur. Quapropter oportet vt in examinandis huiusmodi alienationum causis, quæ à Sede Apostolica in forma, si in euidentem vtilitatem cedant, oneratis Ecclesiasticorum Iudicum conscientiis delegantur, nihil fauor vsurpet, nihil timor extorqueat, nulla expectatio præmij iustitiam, conscientiamque subuertat.

*Iudices delegati causarum eiusmodi alienationum curent hic expressa.*

§. 1. Monemus igitur, & sub interminatione diuini iudicij omnibus Commissariis, & delegatis huiusmodi districtè præcipimus, vt cautè, & diligenter attendant causas in literis Apostolicis per supplicationes expressas, illasque solicitè examinent, atque discutiant, testes, & probationes super narratorum veritate recipiant, & solum Deum præ oculis habentes, omni timore, aut fauore depositò, Ecclesiarum indemnitatibus consulant, nec in læsionem, aut detrimentum earum decretum quomodolibet interponant.

*Contrauenientes pœnas hic descriptas incurrunt.*

§. 2. Si quis autem Commissarius, vel delegatus conscientiæ suæ prodigus, in grauamen, aut detrimentum Ecclesiæ, per gratiam, aut timorem, vel sordes alienationi consenserit, aut decretum, vel auctoritatem interposuerit, inferior quidem Episcopo sententiam excommunicationis incurrat, Episcopus verò, aut Superior, ab executione officij per annum nouerit se suspensum, ad æstimationem detrimenti Ecclesiæ illati nihilominùs condemnandus, sciturus, quod si suspensione durante damnabiliter ingesserit se in diuinis, irregularitatis laqueo se inuoluet, à quo non nisi per summum Pontificem poterit liberari.

*Complices quoque in eas incidunt.*

§. 3. Is verò, qui dolo, vel fraude, aut scienter in detrimentum Ecclesiarum alienationem fieri procurauerit, aut per sordes, vel impressionem alienationis decretum extorserit, similem sententiam excommunicationis incurret, à qua non nisi per Romanum Pontificem possit absolui, ad restitutionem nihilominus rerum alienatarum cum fructibus quandocumque de præmissis constiterit, condemnandus.

*In commissionibus hoc Stat. inseratur.*

§. 4. Volumus autem, quod Legati, & Commissarij prædicti de pœnis constitutionis nostræ specificè moneantur, & in quibuscumque literis, & commissionibus huiusmodi hoc statutum nostrum inseratur.

Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1465. 5. Id. Maij, Pontif. nostri anno primo.

## PAVLI II. B. V.

Prohibitio alienandi bona Ecclesiastica, aut illa vltra triennium locandi.

*Hæc bulla est inter extrauagantes communes, sed hìc eam posui, quia in iudiciis quotidie affertur. Et vt tibi dicam, quod circa locationes huiusmodi extat Conc. Trid. sess. 24. cap. 11. Et quoad alienationes habes etiam sup. const. 1. Leon. I. Occasio, & infrà Paul. IV. constitut. 2. Iniunctum, & Pij V. const. 69.* Volentes, *& aliam const. 98.* Etsi de singulis. *Quo verò ad indices huiusmodi alienationum habes hic sup. constitut. 2.* Cum in omnibus.

*PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

AMbitiosæ cupiditati, illorum præcipuè qui diuinis & humanis affectatis, damnatione postposita,

immobilia & pretiosa mobilia Deo dicata, ex quibus Ecclesiæ, Monasteria & pia loca reguntur, illustrantur. que, & eorum ministri sibi alimoniam vendicant, prophanis vsibus applicare, aut cum maximo illorum, ac diuini cultus detrimento exquisitis mediis vsurpare præsumunt, occurrere cupientes.

*Prohibitio alienandi.*

§. 1. Omnium rerum & bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium, concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem vltra triennium, necnon infeudationem vel contractum emphyteuticum, præterquam in casibus à iure permissis, ac de rebus & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, & tunc cum Ecclesiarum euidenti vtilitate, ac de fructibus & bonis quæ seruando seruari non possunt, pro instantis temporis exigentia, hac perpetuò valitura constitutione fieri prohibemus.

*Innouatio constit. Prædecessorum.*

§. 2. Prædecessorum nostrorum constitutionibus, prohibitionibus & decretis aliis super hoc editis, quæ tenore præsentium innouamus, in suo nihilominus robore permansuris.

*Rescissio alienationum aliter fiendarum, cum aliis pœnis.*

§. 3. Si quis contra huius nostræ prohibitionis seriem de bonis & rebus eisdem quicquam alienare præsumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio huiusmodi nullius omnino sit roboris vel momenti, & tam qui alienat, quàm is qui alienatas res & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat, alienanti verò bona Ecclesiarum, Monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet inconsulto Romano Pontifice, aut contra præsentis constitutionis tenorem, si Pontificali, vel Abbatiali præfulgeat dignitate, ingressus Ecclesiæ sit penitus interdictus: & si per sex menses immediatè sequentes sub interdicto huiusmodi, animo (quod absit) perseuerauit indurato, lapsis mensibus eisdem à regimine & administratione suæ Ecclesiæ vel monasterij cui præsidet, in spiritualibus & temporalibus sit eo ipso suspensus. Inferiores verò Prælati commendatarij, & alij Ecclesiarum Rectores beneficiati, vel administrationem quomodolibet obtinentes, Prioratibus, præpositis, præpositatibus, dignitatibus, personatibus administrationibus, officiis, Canonicatibus præbendis, aliisque Ecclesiasticis cum cura & sine cura, secularibus & regularibus beneficiis, quorum res & bona alienarunt dumtaxat, ipso facto priuati existant, illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur, possintque per locorum Ordinarios vel alios ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis quæ propterea priuata fuerint) liberè de iure conferri, nisi aliàs dispositione Apostolicæ Sedis sint specialiter aut generaliter reseruata, & nihilominùs alienatæ res & bona huiusmodi ad Ecclesias, Monasteria & loca pia, ad quæ ante alienationem huiusmodi pertinebant, liberè reuertantur.

Nulli, &c.

Dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo ſexageſimoſeptimo, Kal. Martij, Pont. noſtri Anno quarto.

---

## PII V. B. VIII.

De clauſura & numero Monialium cuiuſcumque Ordinis, & pœnis earumdem abſque licentia Superiorum, ex cauſa magni incendij, vel infirmitatis lepræ, vel epidemiæ tantummodo eis concedenda, è Monaſteriis egredientium, concomitantiumque & receptantium, ac Superiorum aliter eis licentiam concedentium. Necnon de eleemoſynis pro ipſarum Monialium ſubuentione colligendis.

*Quoad clauſuram habes etiam infra Greg. XIII. conſt.* 28. Vbi gratiæ, *& Pauli V. conſt.* 74. Monialium. *Et quoad eleemoſynas vide aliam eiuſdem Greg. bullam* 8. Deo ſactis. *Et conſt. Bonif. VIII. hic citatam, videre eſt in tit. de Stat. Reg. in* 6. *Decretumque Conc. Trid. in ſeſſ.* 25. *cap.* 5.

Quoad verò conſenſus Monialium, ſine quo mulieres ſeculares licentiis Monaſteria ingrediendi vti non poſſent, vt illis vti valeant, declarauit quod de cætero expreſsè, capitulariter, & per ſecreta ſuffragia haberi debeat, S. D. N. Vrban. VIII. conſt. 29. *Sacroſanctum, tom.* 4.

PIVS EPISCOPVS,
*Seruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

CIrca paſtoralis officij nobis, meritis licet impariбus, deſuper commiſſi curam, quantum nobis ex alto permittitur inuigilantes, aſſiduè ad ea, per quæ ſingulis erroribus, & exceſſibus obuiatur, ac perſonis quibuſlibet, præſertim fœminei ſexus virginitatem ſuam Altiſſimo vouentibus, ſub religionis iugo Chriſto Saluatori in caſtitatis holocauſto famulari affectantibus, à ſemita iuſtitiæ & honeſtatis declinantibus, ne quidquam in eis reperiatur incongruum, quod in regularibus ponat honeſtatis gloriæ maculam, & diuinam meritò poſſit offendere Maieſtatem, opportunè ſuccurritur, libenter intendimus, ac in his noſtræ vigilantiæ partes propenſius impartimur, prout id in domino ſalubriter expedire conſpicimus.

*Moniales tacitè vel expreſſè Religionem profeſſæ clauſuram ſeruent.*

§. 1. Hac igitur perpetuò valitura conſtitutione, inhærentes etiam conſtitutioni ſel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, *Periculoſo*, & decretis Conc. Trid. ſuper clauſura Monialium editis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, atque perpetuò decernimus, vniuerſas & ſingulas moniales, præſentes atque futuras, cuiuſcumque Religionis, Ordinis vel militiarum, etiamſi Hieroſolymitanæ ſint, quæ vel iam receptæ ſint, vel in poſterum in quibuſvis Monaſteriis, ſiue domibus recipientur, & tacitè, vel expreſsè religionem profeſſæ, etiamſi conuerſæ, aut quocumque alio nomine appellentur, etiamſi ex inſtitutis, vel fundationibus earum regulæ ad clauſuram non teneantur, nec vnquam in earum Monaſteriis, ſeu domibus, etiam ab immemorabili tempore ea ſeruata non fuerit, ſub perpetua in ſuis monaſteriis, ſeu domibus debere de cetero permanere clauſura, iuxta formam dictæ conſtitutionis ſel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, *Periculoſo*, in ſacro Conc. Trid. approbatam, & innouatam, quam nos auctoritate præfata etiam approbamus & innouamus in omnibus & per omnia, ac illam diſtrictè obſeruari mandamus.

*Inobedientes coërceantur per Ordinarios.*

§. 2. Quod ſi aliquæ moniales forſan reperiantur, quæ conſuetudine etiam immemorabili, aut inſtituto, vel fundatione regulæ ſuæ fretæ animo obſtinato huic clauſuræ reſiſtant, aut quoquo modo reluctentur, Ordinarij, vnà cum ſuperioribus earum, omnibus iuris & facti remediis compellant eaſdem tanquam

quam rebelles & incorrigibiles ad præcisè subeundum dictam clausuram, & perpetuò obseruandum.

*Tertiariæ si solenne votum emiserint, clausura subiiciantur, sin autem per Ordinarios ad clausuram suadeantur.*

§. 3. Mulieres quoque quæ Tertiariæ, seu de pœnitentia dicuntur, cuiuscumque fuerint Ordinis, in congregatione viuentes, si & ipsæ professæ fuerint, ita vt solenne votum emiserint, ad clausuram præcisè, vt præmittitur, & ipsæ teneantur: quod si votum solenne non emiserint, Ordinarij vna cum superioribus earum hortentur, & persuadere studeant, vt illud emittant, & profiteantur, ac post emissionem & professionem eidem clausuræ se subiiciant: quod si recusauerint, & aliquæ ex eis inuentæ fuerint scandalosè viuere, seueriſſimè puniantur.

*Et volentes sine clausura & professione viuere, non recipiantur in aliqua Religione seu Congreg.*

§. 4. Cæteris autem omnibus sic absque emissione professionis, & clausura viuere omnino volentibus interdicimus, & perpetuò prohibemus, ne in futurum vllam aliam prorsus in suum Ordinem, Religionem, Congregationemve recipiant. Quod si contra huiusmodi hanc nostram prohibitionem & decretum aliquas receperint, eas ad sic viuendum omnino inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet professiones & receptiones irritas facimus, & annullamus.

*Eleemosynæ pro monialibus colligantur per Conuersas, aut per Professas habitantes prope monasteria, ætatis annor. 40.*

§. 5. Porro ne moniales, vel Tertiariæ prædictæ propter hanc clausuram detrimentum, aut incommodum aliquod in earum necessitatibus, maximè in pertinentibus ad illarum victum patiantur, sed vt eis opportunè consulatur, auctoritate Apostolica præfata statuimus, decernimus, præcipibus, atque mandamus Ordinariis & Superioribus earum, vt curent colligi fidelium eleemosynas per cõuersas, quæ non sint professæ, vel si professæ fuerint, sint tamen ætatis annorum quadraginta, & in domibus contiguis, extra tamen monasterium degant, & non ingrediantur clausuram aliarum Monialium, nisi in casibus ex earum constitutionibus permissis, & de earum domibus exire non possint pro huiusmodi eleemosynis colligendis, nisi de licentia Ordinarij vel earum Superiorum.

*Conuersæ professæ de cetero non recipiantur. Hoc declarauit Greg. XIII. cit. in rub.*

§. 6. Et de cetero nullæ aliæ conuersæ professæ recipi amplius etiam de consensu suorum Superiorum vel Prælatorum possint; quod si aduersus hanc nostram prohibitionem receptæ fuerint, illarum receptio nulla, irrita & inanis sit, prout ex tunc irritam facimus, & annullamus.

*Monialium recipiendarum numerus reguletur iuxta redditus Monasteriorum. Quod habes in Conc. Trid. sess. 25. c. 3.*

§. 7. Quod si prædicto modo necessitatibus monialium & mulierum Tertiariarum prædictarum succurri sufficienter non poterit, mandamus ipsis Ordinariis, & Superioribus earum, vt ipsi prouideant de aliis personis piis, & Deo deuotis, quæ fidelium eleemosynas colligant, vel alias eo meliori & commodiori modo, quo fieri poterit, etiam ex opere manuum ipsarum monialium, & mulierum prædictarum, arbitrio Ordinariorum & Superiorum earumdem, & prout eis congruentiùs expedire videbitur, prouideatur, & succurratur. Et ne propter monialium numerum exceſſiuum clausuræ obseruatio violetur, inhærentes etiam similiter dispositioni dictæ constitutionis Bonifacij, & Conc. Trid. decreto, monialibus prædictis, & illarum Superioribus, & Ordinariis districtè inhibendo præcipimus & mandamus, ne plures in earum Monasteriis recipiant & admittant, siue recipi & admitti permittant, quàm ex propriis redditibus ipsorum monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commodè sustentari possint.

*Executorum deputatio.*

§. 8. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, vniuersis venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis & Episcopis, quatenus in Ciuitatibus, & diœcesibus propriis præsentes nostras literas publicari faciant, ac in monasteriis monialium sibi ordinario iure subiectis, in iis verò quæ ad Romanam mediatè, vel immediatè spectant Ecclesiam, Sedis Apostolicæ auctoritate vnà cum Superioribus eorumdem monasteriorum clausuram, vt præmittitur, quamprimum potuerint seruari procurent. Contradictores atque rebelles per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Ac vt hoc tam salutare decretum facilius obseruetur, omnes Principes seculares, & alios Dominos, & Magistratus temporales rogamus, requirimus, & obsecramus per viscera misericordiæ D. N. Iesu Christi, eisdem in remissionem peccatorum iniungentes, quod in præmissis omnibus eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis monialium Superioribus assistant, ac suum fauorem & auxilium præstent, ac impedientes pœnis etiam temporalibus afficiant.

*Clausulæ derogatoriæ.*

§. 9. Præmissis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, statutis & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam per Sedem Apostolicam approbatis & confirmatis, priuilegiis quoque indultis & literis Apost. etiam in fundatione, & institutione eisdem Monasteriis, vel domibus, & Monialibus, sub quibuscumque verborum formis, & clausulis irritantibus, & aliis decretis quibuslibet concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habentes, quoad effectum validitatis nostræ constitutionis tantum derogamus & cõtrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, aut suspendi non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

*Ordinarij in his procedant, etiam in locis exemptis.*

§. 10. Per hoc autem in monasteriis exemptis Ordinarij locorum quoad alia nullam sibi credant iurisdictionem vel potestatem aliquatenus eis attributam.

*Iussio publicandi.*

§. 11. Volumus autem quod præsentes literæ ad valuas Basilicæ B. Petri Apostolorum Principis, & in Cancellaria nostra, ac acie Campi Floræ publicentur, & inter constitutiones extrauagantes perpetuò valituras conscribantur.

*Exemplorum fides.*

§. 12. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæcumque loca deferri, volumus & etiam declaramus, quod earum transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides vbicumque adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1566. 4. Kal. Junij Pontificatus nostri anno primo.

*Sequitur declaratio dictæ Bullæ.*

## *PIVS EPISCOPVS, &c.*

*Exordium.*

DEcori & honestati omnium sanctimonialium, quarum Iesus Christus Dominus noster sponsus est, vt in puritate & castitate superædificantes, in ipso feliciter inhabitare valeant, consulentes, ea quæ illarum existimationi detrahere possent, decet nos consultò submouere.

*Causa huius constitut.*

§. 1. Sanè periculo & scandalo plena res est, ac regulari obseruantiæ vehementer aduersatur, sanctimoniales aliquando parentes, fratres, sorores, aut alios agnatos, vel cognatos, necnon Monasteria, & alia filiationes nuncupata, etiam eis subiecta visitandi, aut infirmitatis causa, aliove prætextu à Monasteriis exire & per secularium personarum domus discurrere, & vagari, quo veluti colore eximium quoque honestatis, & pudicitiæ decus in discrimen committunt.

*Monialium à clausura exeuntium absque licentia, &c. pœna.*

§. 2. Vnde nos malo huic pro nostro Pastoralis officij debito salubriter occurrere volentes, inhærentes etiam decreto sacri Conc. Trid. de clausura Monialium disponenti, ac aliis nostris literis super huiusmodi clausura editis adiicientes, volumus, sancimus, & ordinamus nulli Abbatissarum, Priorissarum, aliarumve Monialium, etiam Carthusiensium, Cistercienssium, S. Benedicti & Mendicantium & quorumcumque aliorum Ordinum, etiam Militarium, ac statuum, graduum & conditionum, dignitatum, ac præeminentiarum existentium, etiam infirmitatis, seu aliorum Monasteriorum, etiam eis subiectorum, aut domorum, parentum, aliorumve consanguineorum visitandorum, aliave occasione & prætextu, nisi ex causa magni incendij, vel infirmitatis, præter alios Ordinum Superiores quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiamsi prædicta Monasteria ab Episcoporum & Ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita & expresse in scriptis approbata sit, à Monasteriis præfatis exire, sed nec in prædictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere. Aliter autem quàm, vt præfertur, egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, necnon comitantes, ac illarum receptatrices personas, siue laïcas, aut seculares, vel Ecclesiasticas, consanguineas, vel non, excommunicationis maioris latæ sententiæ vinculo statim eo ipso absque aliqua declaratione subiacere, à quo præterquam à Rom. Pont. nisi in mortis articulo absolui nequeant: & insuper tam egressas, quam præsidentes, & alios Superiores prædictos eis licentiam huiusmodi concedentes, dignitatibus, officiis, & administrationibus, per eas & eos, tunc obtentis priuamus, & illas & illos ad obtenta, & alia in posterum obtinenda inhabiles reddimus.

*Licentia aliter concedentium, & eorum pœna. Hoc ampliat Greg. XIII. in cit. rubr.*

§. 3. Necnon licentias & facultates, seu indulta & priuilegia exeundi à Monasteriis, & extra illa standi, à nobis, seu alio Romano Pontifice prædecessore nostro, ac Sedis Apostolicæ Nunciis, & Legatis, etiam de latere, ac Maiore Pœnitentiario, aut Ordinum prædictorum Superioribus, aliisque personis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis restitutiuis, præseruatiuis, mentis attestatiuis, etiam nouam gratiam, & datam concernentibus, aliisque efficacioribus ac insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, in genere vel in specie, etiam Motu proprio & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, necnon S. R. E. Cardinalium intuitu & contemplatione, ac instantia, vel aliàs quomodolibet concessa (quæ prorsus abolemus) ac literas desuper confectas, & in posterum concedendas, & conficiendas, nullas, & inualidas, nulliusque roboris ac momenti fore, nec illas habentibus, & habituris suffragari posse.

*Decretum irritans.*

§. 4. Et ita per quoscumque Iudices & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, irritum quoque & inane quidquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

*Deputatio & facultates executorum huius const. & Conc. Trid. prædicti.*

§. 5. Mandantes vniuersis & singulis Venerabilibus fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, quatenus per se vel alium, seu alios præsentes literas in Ciuitatibus & diœcesibus propriis quolibet anno publicent, omniaque in illis contenta, necnon præfatum decretum ipsius Concilij, quod incipit *Bonifacy VIII.* diligenter & inuiolabiliter sub censuris Ecclesiasticis, aliisque præfatis pœnis, & in eodem decreto contentis obseruent & obseruari faciant & procurent. Contradictores quoslibet & rebelles, ac præmissis non parentes etiam aliis pœnis auctoritate nostra, appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super his habendis seruatis processibus pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando, vel interdictum Ecclesiasticum apponendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis.

*Clausulæ derogatoriæ.*

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque: aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Aliis Apostolicis constitutionibus & iuribus de huiusmodi clausura disponentibus, nihilominus in suo robore duraturis.

*Fides transumptorum.*

§. 7. Cæterum volumus quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides vbique terrarum, tam in iudicio, quàm extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1570. Kal. Februarij, Pontific. nostri anno 5.

*Publicatio.*

*Anno à natiuitate D. 1570. indictione 13. die verò 27. mensis Febr. Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius 5. retroscripta litera Apost. affixa & publicata fuerunt Romæ ad valuas Cancell. Apostolicæ, & in acie Campi*

*Campi Floræ, vt moris est, per nos Ioannem Guerrerum, & Christianum de Monte, prælibati S. D. N. Papæ Curs.*

*Antonius Clerici Mag. Curs.*

## PIVS V. B. XXXV.

### Prohibitio alienandi & infeudandi Ciuitates & loca S. R. E. vel de eorum alienationibus & infeudationibus tractandiquouis prætextu, etiam euidentis vtilitatis.

*Hæc prohibitio ab omnibus successoribus confirmata fuit initio Pontificatus, vt in eorum bullis, quas omnes tanquam simpliciter confirmatorias prætermisi. Quinimmò extensa est à Greg. XIII. vt notaui in eius const. 3.* Inter: *& à Sixto V. vt pariter notaui in eius const. 26.* Quanta: *ac ab Innoc. IX. in const. 1.* Quæ: *vbi aliarum alienationum materias indicabo. Et iterum ampliata fuit à Clem. VIII. in const. 1.* Ad Romani. *Qui Clemens huic bullæ Ducatum Ferrariæ mox ad Sedem Apostolicam deuolutum cum suis redditibus subiecit in alia const. 52.* Sanctissimus.

At scias non comprehendi Terras & loca confiscata ob delicta de quibus in Greg. XIII. constit. 65. *Tanta*: & Sixt. V. constit. 6. *Hoc nostri.* Provt neque comprehenduntur ea quæ Camera Apost. emit à Baronibus, iuxta constit. Clem. VIII. *Iustitiæ.*

*Attende quæ addidi ad Leon. I. const. 1. sup. tom. 1.*

*PIVS EPISCOPVS,*
*Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

ADmonet nos susceptæ cura regiminis vniuersalis Ecclesiæ, cui auctore Domino præsidemus, vt Ciuitates, Terræ, Oppida, & Loca nobis & Sedi Apostolicæ in temporalibus mediatè & immediatè subiecta perpetuò in iure, dominio, & proprietate, ac possessione dictæ Sedis conseruentur.

*Causæ huius const.*

§. 1. Sanè licèt nonnulli Romani Pontifices prædecessores nostri per eorum Constitutiones rerum Ecclesiasticarum alienationes prohibuerint, & iam factas reuocauerint, & annullauerint; nihilominus cùm retroactis temporibus nonnulli nimium ambitiosi & dominandi cupidi, sub variis prætextibus, coloribus & causis, sæpe etiam falsis (quod non sine maximo animi nostri mœrore referimus) aliquibus Romanis Pontificibus suggestionibus & insinuationibus suis conati sint ostendere, & persuadere magis vtile, & expediens S. R. E. & Sedi præfatæ fore, si aliquæ Ciuitates, Terræ, Oppida, Castra, Arces, & Loca, ad ius & proprietatem eiusdem Sedis pertinentia, in feudum, gubernium, vicariatum, ducatum, aut quemuis alium titulum perpetuum, vel ad tertiam generationem, seu ad vitam, aut aliàs ad longum tempus concederentur, vel etiam ex eo quod aliàs in feudum data, aut quouis alio titulo huiusmodi alienata fuerint, & propterea tanquam ad Sedem prædictam deuoluta, vel deuoluenda posse & debere de iure iterum infeudari, & alienari, atque inde nonnullas alienationes, infeudationes, & concessiones à Sede Apostolica emanasse, ex quibus illa non mediocrem diminutionem non solum patrimonij, sed etiam existimationis recepisse dignoscitur.

*Declaratio quod Ciuitates, & loca S. R. E. tam alienata, infeudata & deuoluta, quàm alienanda & deuoluenda censeantur ipso iure Sedi Apost. incorporata.*

§. 2. Hinc est quod nos considerantes omnium Ciuitatum, & locorum prædictorum singularem fidem, & promptam deuotionem eidem Sedi exhibitam, omni tempore valdè vtilem & salutarem fuisse, & esse; ac volentes non solum alienationes huiusmodi (quas tempore nostro omnino exulare intendimus) de medio tollere, & quod nobis licere non patimur, nostris successoribus indicamus, quos non immemores fore speramus ante Domini nostri Iesu Christi in examine diei magni aduentus tribunal, villicationis nostræ rationem reddituros nos esse, sed vt omnis alienationum huiusmodi fiendarum occasio penitus aboleatur, quantum cum Deo possumus, perampliùs prouidere, constitutionibus prædecessorum nostrorum huiusmodi etiam inhærendo, illasque innouando, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, non ad alicuius super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera animi nostri deliberatione, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, habita etiam super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in Consistorio nostro secreto consultatione matura, de eorum consilio, & vnanimi assensu (qui etiam iurauerunt præsenti Constitutioni non contrauenire, nec Pontificibus alienationes contra tenorem præsentium attentantibus consentire, & absolutiones à iuramento huiusmodi non petere, nec acceptare) hac nostra perpetuò valitura Constitutione decernimus & declaramus, Ciuitates, & loca prædicta etiam hactenus in feudum, aut quemuis alienationis titulum dari solita, vel consueta, ad nos & Sedem præfatam quomodolibet deuoluta, & pro tempore deuoluenda, absque alia vlteriori declaratione, & illorum possessionis apprehensione eo ipso Sedi, & Cameræ Apostolicæ incorporata, ac ad ius proprietatem, & dominium pristinum, ac possessionem rediisse censeri, perinde ac si per quadraginta annos & vltra, Ciuitates, & Loca præfata, à nobis & Sede præfata immediatè possessa, & nunquam in feudum, aut titulum concessa fuissent.

*Prohibitio decet, quamuis de causa infeudandi & alienandi, vel de eis tractandi.*

§. 3. Statuimusque, & decernimus, quod omnes, & singulæ, tam Communitates, & Vniuersitates, quam Ciues, & incolæ Ciuitatum, Terrarum, & Locorum prædictorum, aliæque quæcumque personæ, tam Ecclesiasticæ quàm seculares, cuiusvis dignitatis & ordinis etiam Episcopalis, vel maioris existentes, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, tam publicè in consiliis Ciuitatum, & Locorum præfatorum, quàm priuatim alibi in quibusvis locis, etiam Ciuitatum, & Terrarum earumdem Gubernatores, aut Sedis Apostolicæ Legati, vel Prolegati existant, tractantes, consulentes, aut aliàs verba facientes de infeudationibus, aut alienationibus de Ciuitatibus, & locis præfatis immediatè ad nos & Sedem præfatam spectantibus, & pertinentibus, etiam deuolutis, etiam in feudum communiter, & pluries dari solitis, etiam ex causa permutationis, vel sub annuo censu, aut canone, aut aliàs quomodolibet, etiam contemplatione meritorum erga Sedem præfatam, aut sub prætextu necessitatis, vel euidentis vtilitatis faciendis, seu de postulandis à nobis, & Sede præfata quibusvis personis cuiusvis dignitatis, status, gradus, etiam nobis, & successoribus nostris secundùm carnem coniunctis, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aut quauis alia temporali vel Ecclesiastica dignitate fungentibus, in Duces, Vicarios, Gubernatores, seu quemuis alium titulum, ad vitam, vel in

perpetuum, vel longum tempus, aut etiam Sedis Apostolicæ beneplacitum, Ciuitatum & Locorum præfatorum, ac propterea de eligendis Oratoribus ad nos, & successores nostros super præmissis, vel illorum occasione mittendis proponentes, tam ipsi, quàm Oratores munus huiusmodi recipientes, aut alij quicumque alienationes huiusmodi Romano Pontifici pro tempore existenti, per se, vel alium, seu alios insinuantes, vel suadentes, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, à qua nisi ab ipso Pontifice, præterquam in mortis articulo, absolui nequeant. Et insuper Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Sedi Apostolicæ præfatæ rebelles, etiam in primo capite læsæ maiestatis, & proditores Ciuitatum, & Locorum præfatorum, ac bona eorum fisco, & Cameræ nostræ Apostolicæ ipso iure deuoluta, & incorporata sint, & esse censeantur, omnibusque Ecclesiis, Monasteriis, & aliis per eos quomodolibet obtentis beneficiis Ecclesiasticis eo ipso priuati existant, neque ad Ciuitates, & Loca præfata vllo vnquam tempore remitti possint. Et si aliquando eos reintegrari contigerit, nihilominus infames remaneant, illisque bonorum & dignitatum portæ perpetuò claudantur.

*Reuocatio priuilegiorum de illis meliorandis, & retinendis vsque ad eorum refectionem.*

§. 4. Et quoniam intelleximus aliquos etiam Cardinales, Ciuitates, Terras, Oppida, Castra, Arces & Loca ad vitam, seu tertiam, vel aliam generationem, aut alias à dicta Sede, etiam ex causa onerosa obtinere, habere, & possidere, cum facultate faciendi in illis melioramenta, ita quod ab eis amoueri non possint, nisi restitutis sibi prius pecuniis in melioramenta huiusmodi expositis, omnes, & singulas facultates faciendi melioramenta præfata quibusvis personis etiam Cardinalibus per eosdem prædecessores nostros, aut alios ad id facultatem habentes quomodolibet concessas harum serie reuocamus, & annullamus, & nemini deinceps suffragari posse, neque debere, ac cuicumque facultatem faciendi melioramenta huiusmodi habenti illa, etiam pro munitione, & turione, nisi ex causa necessariæ conseruationis Locorum eorumdem facta fuerint, post publicationem præsentium facere omnino interdicimus, ac prohibemus, & si secus à quoquam factum, attentatumve fuerit, melioramenta quæcumque per eos contra tenorem præsentium facta locis ipsis cedere, & Cameram ad illorum satisfactionem minimè teneri, & obligatam esse volumus, & declaramus.

*Clausula præseruatiua.*

§. 5. Decernentes præsentes literas sub quibusvis reuocationibus, cassationibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus, sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis pro tempore quomodolibet factis minimè comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, & de nouo concessas esse, & censeri debere.

*Decretum irritans.*

§ 6. Irritum quoque & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentarit.

*Clauf. derog.*

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ciuitatum, & Locorum prædictorum iuramento, & confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

*Obseruantia laus.*

§. 8. Sic igitur deuotionis, & fidei constantia Ciuitatum, & Locorum præfatorum erga nos & successores nostros, & eandem Romanam Ecclesiam perseueret, vt meritò integritatis virtus maiora beneficia ab eadem Sede consequi mereatur.

*Iuramentum à Card. præstandum pro obseruantia huius constitutionis.*

*Et etiam à Pont. electo.*

*Quod omne bene obseruarunt, vt dixi in rubr.*

§. 9. Volumus autem quod sicut omnes & singuli Cardinales præsentes Constitutionem huiusmodi, quantum in eis erit, obseruare, illique non contrauenire, nec Pontificibus contrafacientibus consentire, aut absolutionem à iuramento præstito non petere, nec oblatam, aut concessam acceptare in Consistorio nostro secreto promiserunt, & iurarunt, idem per absentes Cardinales à Consistorio, in habitatione eorum, & à Romana Curia, vt quandocumque ad eandem Curiam se contulerint, ac per futuros pro tempore Cardinales in assumptione pilei promitti, & iurari debeat, ac promissionem, & iuramentum huiusmodi in forma iuramenti per eosdem Cardinales præstari soliti adiungi, & inseri debere, ac contrafacientes pœnam periurij, & perpetuæ infamiæ iuris & facti, eo ipso incurrere decernimus. Præterea quod ipsi Cardinales occurrente Apostolicæ Sedis vacatione, in Conclaui, quando de obseruandis literis Iulij Papæ II. prædecessoris nostri super electione Romani Pontificis, & aliis constitutionibus iuramentum præstare solent, etiam de inuiolabiliter obseruanda præsenti Constitutione nostra per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem electus fuerit, & postmodum idem ad Summi Pontificatus fastigium assumptus, post eius assumptionem hoc ipsum promittere, ac iurare, & deinde post coronationem suam promissionem, & iuramentum huiusmodi per literas suas speciales harum confirmatorias reiterare debeat. Quod si illud à Pontifice (quod credendum non est) recusabitur, aut differetur, tunc dicti Cardinales in primo Consistorio secreto, & præcipuè eorum Decanus, & capita Ordinum apud eum omni cum instantia, & instantissimè pro præsentium obseruatione petere, & rogare, ac obtestari non cessent, idque vt omninò efficiat, diligentissimè curare studeant, statuimus, & ordinamus.

*Forma publ. hanc constit. Quam habes hic in fine.*

§. 10. Quodque præsentes literæ in libellum redigantur, & post prædictas Iulij literas, quæ in dicto Conclaui legi solent, inter alias constitutiones nostras adiungantur, & etiam in quinterno Cancellariæ Apostolicæ cum aliis extrauagantibus nostris describantur, ac ad valuas basilicæ Beati Petri Principis Apostolorum, & in Cancellaria nostra Apostolica, ac acie Campi Floræ publicentur. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, decernimus etiam & declaramus, quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorsus fides vbique in iudicio & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

*Sanctio pœnalis.*

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, reuocationis, decreti, statuti, & interdicti, prohibitionis, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimoseptimo, quarto Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

Papa

*Papæ subscriptio.*

Ego Pius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

*Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.*

*Card. subscriptiones.*

Ego F. Card. Pisanus Episcopus Ostiensis.
Ego I. Card. Moronus Episcopus Portuensis.
Ego Christoforus Card. Madrucius Episc. Præn.
Ego A. Card. Fulnesius Episc. Tuscul. Vicecancel.
Ego I. M. Card. Saracenus.
Ego Fulu. Card. Perus.
Ioan. Card. Politianus.
Ioan. B. Cicada Card. S. Clementis.
B. Card. Tranen.
Scipio Card. Pisarum.
I. Card. Capisuccus.
Ego Clemens Card. Aræcœli.
Ego I. Card. Sabellus.
Ego I. Antonius Card. S. Georgij.
Aloysius Card. Cornelius.
Bern. Card. Saluiatus.
Ego Phil. Card. à Burdesia.
Ego Lud. Card. Simoneta.
Ego Ant. Card. Granuelanus.
Ego F. Card. Paciecco.
Ego Marcus-Antonius Card. Amulius.
Ego Hieronymus Card. de Corrigia.
Ego I. Franc. Card. de Gambara.
Ego N. Card. de Sermoneta.
Ego Hipp. Card. Ferrariens.
Ego Innicus Avalos Card. Arag.
Ego Marcus-Antonius Card. Bobba.
Ego Hugo Boncompagnus Card. S. Sixti.
Ego Alexander Card. Sfortia.
Ego Alexander Card. Cribellus.
Ego Franciscus Abundius Card. Castilion.
Ego Benedictus Card. Lomellinus.
Ego Gulielmus Card. Sirletus.
Ego F. M. Card. Alexandrinus.
Ego Hieronymus Card. Simoncellus.
Ego Vitellotius Card. Vitellius S.R.E. Cam.
Ego Franciscus Card. Alciatus.

*Publicatio.*

*Anno à Natiuitate D. N. IESV Christi* 1567. *Indict.* 10. *die verò* 23. *mensis Maij Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius* 2. *retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, per nos Ioan. Andream Rogerium, & Nicolaum de Matthæis Sanctiss. D. N. Papæ Cursores.*

*Antonius Clerici Mag. Curs.*

---

## PIVS V. B. XX.

Quod mulieres etiam prætextu cuiusvis priuilegij, facultatis, aut licentiæ, ingredi non possint (exceptis casibus hic expressis) Monasteria & claustra cuiuscumque Ordinis regularis.

*Reuocationem autem licentiarum huiusmodi tam ingrediendi Monasteria Monialium, quam virorum, habes inf. in const.* 28. *Gregor. XIII.* Vbi gratiæ: *in constit.* 74. *Pauli V.* Monialium. *De clausura autem Monialium vide hic sup. in const.* 8. Circa, *vbi notatio.*

Mulieres seculares non possunt vti his licentiis, nisi habito consensu Monialium Monasterij, quod præstari debet expresse, capitulariter, & per secreta suffragia, provt statuit S. D. N. Vrban. VIII. const. 29. *Sacrosanctum*, inf. tom. 4.

## PIVS PAPA QVINTVS.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

REgularium personarum, quæ relicto sæculo Dei se obsequio dedicarunt, pro commisso nobis officio, quieti consulere cupientes, ad ea remouenda, quæ religiosum earum propositum impedire possunt, curam nostram libenter intendimus, vt nulla re, quæ eas à diuino cultu auocet præpeditæ, secundum Ordinum suorum regularia instituta, & decretum Sacri Tridentini Concilij, tranquillis mentibus gratum Altissimo impendere possint famulatum.

*Causa huius const.*

§. 1. Quia igitur, & Carthusiensium Ordinis, & aliorum regularem vitam professorum quies non parum solet, sicut accepimus, perturbari, propterea quod mulieres modestiæ matronalis oblitæ, domos, ac Monasteria eorum, contra ipsorum instituta, prætextu confessionalium, aut aliarum literarum Apostolicarum ingredi audeant, ipsis etiam Abbatibus, Præpositis, Prioribus, & aliis præsidentibus aliquando recusantibus, & renitentibus, non sine magna eorum molestia, nec sine graui laicorum etiam offensione ac scandalo, si quando admitti nimis facilè videantur.

*Reuocatio licentiarum.*

§. 2. Huic rei prouidere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulas facultates ac licentias ingrediendi monasteria, ac domos Carthusiensium, & aliorum quorumcumque regularium Ordinum, etiam Mendicantium, mulieribus cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, & quacumque dignitate, ac præeminentia præditis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, & cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis ab Apostolica Sede quomodocumque concessas, quarum tenores perinde ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, haberi volumus pro expressis, tenore præsentium reuocamus, & cassas, irritas, & inanes esse decernimus.

*Prohibitio & pœna mulierum ingredientium.*

§. 3. Districtè prohibentes mulieribus quidem prædictas facultates, & licentias prætendentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, postquam harum literarum notitiam habuerint, à qua non possint nisi à nobis, aut Romano Pontifice, qui pro tempore fuerit, absolui, præterquam in mortis articulo, ne dictas domos & monasteria ingredi audeant.

*Pœna Religiosorum eas admittentium.*

§. 4. Ipsis verò Monasteriorum, & Conuentuum Abbatibus, Præpositis, Prioribus, & aliis Præsidentibus quocumque nomine vocentur, & eorum Monachis, Canonicis, & Fratribus, siue mendicantibus, siue non mendicantibus, sub priuationis officiorum, quæ in præsentia obtinent, & inhabilitatis in posterum ad illa, & alia omnia, & suspensionis à diuinis ipso facto, sine alia declaratione incurrendis pœnis, ne eas introducere, admitteréve præsumant.

*Clausulæ derogatoriæ.*

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutioni-

bus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

*Inclusio pœnalis publ.*

§. 6. Volumus autem & mandamus, vt hæ literæ ad valuas Basilicæ B. Petri Apostolorum Principis, & in Cancellaria nostra, atque in acie Campi Floræ de more publicentur.

*Transumptorum fides.*

§. 7. Quia verò difficile foret has literas ad omnia loca deferri, volumus & declaramus, vt earum exemplis, & transumptis manuscriptis vel impressis, & manu alicuius Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis, par vbique fides habeatur, ac si præsentes exhibitæ essent vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 24. Octobris 1566. Pontificatus nostri Anno primo.

*Publicatio.*

*Anno à Natiuitate Domini 1566. indict. 9. die 18. mensis Octobris, Pontific. S. D. N. Pij Papæ V. anno primo, suprascriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in locis suprascriptis, per nos Bernardinum Andreutium, & Ioan. Andream Rogerium, Apost. Curs.*

*Philibertus Chappuis Mag. Curs.*

*Sequitur declaratio constitutionis præinsertæ.*

## PIVS PAPA QVINTVS.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

DEcet Romanum Pont. certissimum mentis suæ interpretem, si quando quidpiam dubieratis in literis ab eo emanatis occurrit, suæ declarationis oraculo quamprimùm explanare.

*Hic Pont. edidit const. præced.*

§. 1. Cum aliàs à nobis emanauerint quædam literæ in simili forma breuis sub die 24. Octobris 1566. Pontific. nostri anno primo. In quibus mulieribus quibuscumque Monasterium Regularium ingressus cum derogatoriis clausulis, & irritantibus decretis prohibetur, & aliàs provt in illis plenius continetur.

*Extensio dictæ prohibitionis ad quascumque mulieres.*

§. 2. Nos intuitu, & in fauorem Congregationis Montis Virginis aliquas dubitationes, quæ circa dictarum literarum, & mentis nostræ intelligentiam oriri possent, elucidare, & submouere volentes, supplicationibus dictæ Congregationis, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Apostolica auctoritate tenore præsentium dicimus & declaramus, fuisse & esse mentē & intentionem nostram, quod dictæ literæ non solum comprehenderent, & comprehendant mulieres habere prætendentes facultatem & indulta ingrediendi Monasteria, sed etiam omnes & quascumque mulieres alias, tam in genere, quàm in specie.

*Declaratio eiusdem prohibitionis.*

§. 3. Significantes nihilominus, provt significamus, quod propter hoc, & prædictas nostras literas, non intelleximus, nec intelligimus, quod mulieribus præcluderetur, nec præcludatur aditus ad Monasteria & loca Regularia dictæ Congregationis, ac eorum claustra, quando in eis Missæ, & alia diuina officia celebrantur, ac dum processiones fiunt, & quando Christi fidelium cadauera ibi sepeliuntur, ac etiam pro eis suffragia fiunt, sed liberè perpetuò concedimus eisdem omnibus mulieribus facultatem, vt ad illa loca dictæ Congregationis, in quibus dicta pia opera exercentur, cum aliis Catholicis personis accedere liberè & licitè possint & valeant.

*Alia declaratio.*

§. 4. Et similiter quod quando diuinum verbum in Claustris Monasteriorum, & Regularium locorum Congregationis huiusmodi proponitur, vel per aliam quamcumque causam tantus concursus populi fuerit, quod commodè ingredi non possint, & egredi per portam Ecclesiæ, perpetuò concedimus, vt dictæ mulieres vnà cum aliis secularibus personis possint ingredi, & egredi per portam Claustri Monasteriorum & locorum Regularium Congregationis huiusmodi, dummodo recto tramite accedant ad portam, qua exitur è Monasterio, sicque volumus pariter & indulgemus.

*Clausulæ præseruatiuæ.*

§. 5. Decernentes præsentes de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quovis alio defectu notari vel impugnari non posse, sicque in præmissis ab omibus censeri, & ita per quoscumque Iudices & Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari & definiri debere; irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Derogatio contrariorum.*

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac dictis nostris literis, cum inde secutis, & quibusvis aliis Apostolicis, vniuersalibus, prouincialibus, & synodalibus, specialibus & generalibus constitutionibus, & ordinationibus, necnon etiam Monasteriorum & locorum prædictorum, ac illorum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, & etiam nouis reformationibus, priuilegiis quoque indultis, & etiam aliis literis Apostolicis, in genere vel in specie sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis, etiam Motu proprio, & consistorialiter, ac aliis quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus & singulis, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die decimasexta Iulij, millesimo quingentesimo septuagesimo, Pontificatus nostri anno primo.

---

## GREGORIVS XIII. B. VIII.

### Declaratio circa eleemosynas Monialibus seruantibus clausuram præstandas.

*Ad hæc vide etiam suprà constit. Pij V.* Circa, *num.* 8. *Et ante eam Concilij Trident. dispositionem in cap. 5. sess. 15.*

## GREGORIVS EPISCOPVS.

*Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

DEo sacris virginibus, quæ contemptis illecebris sæculi diuinis se obsequiis manciparunt, æquissimum est præcipua quædam à nobis, ac singulari solicitudine prouideri, tum vt ab eis omnia, quæ sanctum ipsarum propositum impedire possent, remoueantur, tum etiam vt eis in cultu Dei castè, ac religiosè permanentibus, quæ ad victum necessaria sunt, subministrentur.

*Conc. Trident. decretum istud habes in sess. 25. c. 5. Pij V. constit. istam habes sup.*

§. 1. Et quidem post Sacri Conc. Trident. decretum,

tum, quo constitutio fel. record. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit *Periculoso*, renouatur, prohibens ne aut ipsis monialibus ex monasteriis suis egredi, aut vlli cuiuscumque sexus, aut ordinis personæ ad eas ingredi liceat. Et præterea vniuersis Episcopis præcipitur, vt in omnibus monasteriis sibi subiectis, in aliis verò Sedis Apost. auctoritate clausuram sanctimonialium, vbi violata, diligenter restitui, vbi verò inuiolata, conseruari maximè procurent: piæ mem. Pius Papa V. etiam prædecessor noster, victui quoque & necessitatibus ipsarum prospicere cupiens, cum superiora illa approbasset atque innouasset, eademque omnia etiam in monialibus quarumcumque militiarum etiam Hierosolymitanæ, omnibusque aliis tacitè vel expressè religionem professis, quocumque nomine censerentur, locum habere decreuisset; ne illæ quidquam detrimenti in necessitatibus suis hac occasione paterentur, etiam præcepit locorum Ordinariis, & superioribus earum, vt fidelium eleemosynas per conuersas non professas, vel professas quidem, sed ætatis saltem quadraginta annorum, & iampridem conuersas, quæ in domibus contiguis, extra tamen Monasterium degerent, colligendas curarent; ita tamen vt prædictæ conuersæ neque clausuram aliarum Monialium, nisi in casibus permissis ingrederentur, nec ex illis ipsis habitationibus suis ad tales eleemosynas colligendas sine permissu Ordinariorum, aut superiorum suorum exire possent. Quod si hoc quidem sufficere videretur, idem Pius prædecessor mandauit ipsis Ordinariis & superioribus, vt negotium darent aliquibus personis piis tales eleemosynas colligendi, aliaque arbitratu suo prospicerent, quæ ad subleuandam monialium inopiam expedire iudicarent.

*Causa huius const.*

§. 2. Cum autem, sicut accepimus, multæ Moniales, etiam quæ tertiariæ vocantur, sub solenni Religionis voto, perpetuaque clausura degentes, aliæque talibus literis comprehensæ, & in ipsa clausura permanentes, multis præterea ad se sustentandas necessariis egeant, neque vsque ad hoc tempus vllo sufficienti remedio earum necessitatibus subuentum sit: quin etiam aliæ tertiariæ citra vllum solenne hucusque votum viuant, quæ ad suas, suorumve domos neutiquam redituræ essent, sed sub solenni religionis voto, & clausura prædictis permanerent, si earum congruæ sustentationi prouideretur, nos qui illas necessariis rebus destitui nolumus, certioresque facti sumus in multis Ciuitatibus, oppidis, villis, aut aliis locis piis, etiamque à priuatis hominibus, tum Ecclesiasticis, tum laicis multas ac diuersas eleemosynas Christi pauperibus erogari, considerantes in eiusmodi personas vel in primis exercendam esse charitatem, quæ voluntaria paupertate susceptæ ab omni hominum commercio segregatæ Deo seruiunt, & assiduis precibus iram ipsius ob peccata conceptam Christiano populo deprecantur: illud quoque cogitantes, si eis ad tales eleemosynas petendas ad loca prædicta conferre se liceret, fore, vt prædicta monasteria, Ecclesiæ, loca, ac personæ eis singulis non tantum saltem tribuerent, quantum singulis aliis pauperibus eódem concurrentibus solent, vniuerso illi Deo deuotarum mulierum generi de opportunæ ac sufficientis subuentionis auxilio prouidere cupientes.

*Et modò ab isto Pont. applicatur Monialib. clausuram seruantibus medietas eleemosynarum.*

§. 3. De nobis attributæ potestatis plenitudine statuimus, & ordinamus, vt omnes, & quicumque Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, & alij Ecclesiarum Prælati, necnon Abbates, Priores, Præpositi, & alij Ecclesias Patriarchales, Primatiales, Metropolitanas, Cathedrales, & alias Ecclesias, necnon Monasteria, prioratus, præposituras, canonicatus, præbendas, dignitates, personatus, administrationes, officia, cæteraque beneficia Ecclesiastica, cum cura & sine cura, secularia & S. Benedicti, S. Augustini, Cistercien. Cluniacen. Præmonstraten. Carthusien. Camaldulen. S. Basilij, Cassinen. & aliàs S. Iustinæ, Montis Oliueti, S. Saluatoris, ac Lateranen. & Crucigerorum, seu fratrum S. Hieronymi, necnon Prædicatorum, Minorum, Minimorum, & Carmelitarum, Eremitarum eiusdem S. Augustini, Seruorum B. Mariæ, S. Claræ, & quorumcunque aliorum, tam virorum, quam mulierum etiam Mendicantium Ordinum, & Congregationum, & Militiarum regularia, etiam de iurepatronatus laicorum, etiam Nobilium, Ducum, Regum, & aliorum Principum existentia, in titulum, commendam, administrationem, & aliàs quomodocunque obtinentes, necnon Rectores, Gubernatores, Confratres, Administratores, cæterique omnes, qui ratione illorum, necnon Capitulorum, Conuentuum, mensarum, hospitalium, etiam laicorum, & per laicos administrari solitorum, Christi fidelium confraternitatum, scholarum, collegiorum, ac aliorum piorum locorum quocumque nomine nuncupatorum, & in quibusvis mundi partibus consistentium, quæ singulis annis, mensibus, hebdomadis, vel diebus ex Ecclesiarum, Monasteriorum, prioratuum, officiorum, dignitatum, & beneficiorum, ac Congregationum, hospitalium, confraternitatum, scholarum, collegiorum, piorum & aliorum locorum prædictorum fructibus, redditibus, & prouentibus, pauperibus Christi aliquas eleemosynas in pane, frumento, farina, vino, eduliis, pecunia, seu aliis ad victum vel vestitum pertinentibus, etiam supplicationem, & preces, & per cedulas & bolettina, aut aliàs distribuere, & elargiri ab immemorabili tempore consueuerunt, aut alio quocumque iure ex dictis fructibus, redditibus, & prouentibus, & quoad hospitalia prædicta ex iis quæ seruata illis actuali hospitalitate supersunt, seu supererint, necnon quæcumque personæ particulares etiam laicæ, vel vniuersitates etiam laicorum, quod testamento, vltima voluntate, vel alia dispositione, etiam inter viuos, aliquales tales eleemosynas facere tenentur, dimidiam partem omnium, & quarumcunque eleemosynarum, & largitionum huiusmodi, quocumque nomine nuncupatorum, quocumque tempore, & modo distribui solitarum, etiamsi speciali nota dignæ, & secundum pias defunctorum, aut aliorum voluntates sub certa forma ab eis in testamento, vel alia quacumque dispositione distribuendæ sint (dummodo non in certas personas, nec ad certos vsus pios alios quàm in alimenta pauperum distribuantur) quibuslibet prædictarum Monialium etiam Tertiariarum sub solenni Religionis voto, & perpetua clausura de cætero viuentibus, & in terris, & locis, quorum pauperibus huiusmodi eleemosynæ distribuuntur, consistentibus, verè, realiter, & cum effectu, & absque vlla eleemosynarum, & largitionum huiusmodi petitione, exactione, & conquisitione, aut alia desuper à nobis expectata iussione, aut mentis nostræ declaratione, ac quibusvis mora, subterfugio, ac exceptione cessantibus, & ejectis, dare atque distribuere omninò teneantur, quam dimidiam partem nos illis applicamus.

*Ordinarij locorum exigant, & applicent, & distribuant huiusmodi eleemosynas.*

§. 4. Vt autem præmissa omnia cum charitate, & pietate procedant, & efficaciter suum effectum sortiantur, vniuersis, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis per Apostolica scripta mandamus, vt quisque per se, vel alium seu alios ad præsentium executionem in suis ciuitatibus, & diœcesibus procedens, ab Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, Confraternitatibus, Scholis, Collegiis, & locis, & Ecclesiasticis, ac laicis personis prædictis

dictis, etiam quomodolibet exemptis, dimidium eleemosynarum huiusmodi exigant, ac pro portione, vt Ordinariis ipsis locorum æquum esse videbitur, singulis pauperum Monialium etiam Tertiariarum Monasteriis huiusmodi suarum Ciuitatum, & diœcesum, etiamsi aliis superioribus subiectæ sint, cum effectu distribuant. Nos enim eisdem locorum Ordinariis, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegatis, ac cuilibet illorum, tam per se, quàm alium, vel alios, præmissa faciendi, ac etiam contradictores quoslibet, & rebelles per pœnas pecuniarias eorumdem Ordinariorum, & cuiuslibet illorum arbitrio infligendas, & applicandas, ac in subsidium sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, quacumque appellatione postposita respectiuè compescendi, auxiliumque brachij secularis inuocandi, aliaque in præmissis, & circa ea necessaria, & opportuna faciendi, gerendi, mandandi, & exequendi plenam & liberam facultatem, & auctoritatem concedimus & impartimur.

*Consanguineosque Monialium, & alios hortentur vt eisdem monialibus charitatiuè subueniant.*

§. 5. Insuper, quia valde rationi consonum est, vt etiam ij, qui ipsis Monialibus etiam tertiariis indigentibus præfatis consanguinitate aliqua sunt coniuncti, aliquod in præmissis subsidium conferant, cum ratio sanguinis, & debitum charitatis, & honestatis id postulet, singulis locorum Ordinariis committimus, vt omni eos officio, & diligentia monere, eisque persuadere studeant, parentes verò, & fratres ac alios, ad quos illas, si in sæculo permansissent, dotare pertinebat, vel ad quos bona, & successiones deuenerunt, & qui si eas nuptui tradidissent, multò amplius, quam ingredientibus Monasterium dedissent, vel qui si eas nunc domi retinerent, vel si ad illorum domos redirent, eas alere tenerentur, quibuscumque viis ipsis beneuisis inducant, vt Monialibus etiam tertiariis prædictis iuxta eorum facultates charitatiuè subueniant, sciturі id sibi etiam ad animarum salutem plurimùm profuturum.

*Declaratio constitutionis Pij V. edita circa conuersas professas & non professas. Quam habes sup. cit. in rubr.*

§. 6. Cæterùm quod attinet ad Conuersas professas, quas prædictus Pius prædecessor per prædictas literas sub certis conditionibus ibi contentis permisit posse manere extra Monasteria pro colligendis eleemosynis, eisdem locorum Ordinariis iniungimus, vt quibus Monasteriis prædictarum Monialium quotidianis laboribus computatis, supradicta, vel alia qualibet ratione de sufficienti subuentione, & sustentatione prouisum esse cognouerint, easdem Conuersas sub eadem clausura cum aliis Monialibus reducant, neque à suis Monasteriis amplius exire permittant. Conuersas verò non professas, & profiteri nolentes, dimisso habitu domum remittant, neque alias in futurum, nisi professionem suo tempore emissuras, atque sub perpetua clausura mansuras in Monasteria huiusmodi recipi permittatur. Quod autem idem Pius prædecessor statuit, de cætero nullas alias Conuersas professas recipi amplius etiam de consensu suorum Superiorum posse, ita esse intelligendum declaramus, præter illas Conuersas, quæ extra Monasterium in domibus contiguis degerent. Eleemosynarum verò prædictarum contributionem, & applicationem durare, & valere decernimus, ac suos effectus ad plenum sortiri debere, donec numerus Monialium etiam tertiariarum huiusmodi (quem per ipsos locorum Ordinarios etiam in Monasteriis ab eorum cura, & regimine quomodocumque exemptis, cum illarum Superiorum interuentu stabiliri, & ordinari, neque supra illum numerum alias recipi posse, etiam de consensu Superiorum suorum, volumus, & mandamus) ita imminutus fuerit, vt reliquæ Moniales, & tertiariæ ex propriis redditibus Monasteriorum ipsorum, vel consuetis eleemosynis se commode sustentare queant: super quo eorundem Ordinariorum conscientiam oneramus, ita tamen, vt decedentibus singulis ex tribus earundem Monialium partibus, tertiæ quoque earundem eleemosynarum partis distributio, & sic successiuè in totum extinguatur, atque in pristinum statum sub debitis aut solitis oneribus reuertantur, & remaneant. Declaramus præterea nullis Monialibus etiam tertiariis licere habere ostium, per quod ex Monasterio introiri possit in ipsarum Monialium Ecclesiam exteriorem, in quam secularibus ad Missas, & diuina officia patere solet accessus, sed omninò muro obstruendum: neque itidem licere Monialibus etiam tertiariis egredi à ianua Monasterij, quæ est pro clausura ipsius Monasterij, etiam ad claudendam aliam vlteriorem ianuam, qua patere solet aditus secularibus venientibus vel ad rotam, vel ad crates, seu loca colloquiis destinata, quæ vulgò parlatoria vocantur, vel ad pulsandam ipsam ianuam clausuræ; quæ loca, cum saltem pro causis prædictis patere soleant secularibus, extra clausuram censeri debent, etiam pro tempore quo clausa sunt.

*Domini temporales faueant in præmissis Ordinariis.*

§. 7. Insuper quoscumque dominos, & magistratus temporales in Domino hortamur, monemus, & requirimus, vt ad omnem ipsorum Ordinariorum, aut alicuius ipsorum petitionem, vel simplicem requisitionem illis in præmissis assistentes, omnes opportunum fauorem, & auxilium præstent, & exhibeant.

*Ordinarij faciant publicari, & obseruari hanc constit.*

§. 8. Ipsis denique Patriarchis, Archiepiscopis, & aliis locorum Ordinariis præcipimus, & mandamus, vt has præsentes nostras literas (quarum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eandem vbique fidem in iudicio, & extra adhiberi debere volumus, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ) singuli in sua Ciuitate, & diœcesi publicent, ac publicari, easque iuxta earum continentiam, & tenorem, vnà cum prædictis, ac aliis prædicti Pij V. & aliorum prædecessorum nostrorum literis, & constitutionibus, & iussionibus pro integra clausuræ instauratione, custodia & firmitate editis, inuiolabiliter obseruent, & obseruari faciant.

*Derogatio contrariorum.*

§. 9. Non obstantibus testatorum, & aliorum voluntatibus, ac fundationibus, & Bonifacij prædicti de vna, & Concilij Generalis de duabus, non tamen tribus dictis, ac quibusvis aliis Apostolicis, necnon in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusvis Ecclesiarum, Monasteriorum, & illorum Ordinum, hospitalium, militiarum, confraternitatum, collegiorum, & aliorum piorum locorum prædictorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegiis quoque indultis, exemptionibus, libertatibus, gratiis, & literis Apostolicis Ecclesiis, Monasteriis, & Ordinibus, hospitalibus, confraternitatibus, collegiis, & piis locis, ac eorum superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, ac alias quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & pluries innouatis, etiamsi in eis caueatur expresè quod illis, nisi sub certa inibi expressa forma, aut aliàs derogari non possit: quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de

de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & contrariis quibuscumque, aut si supradictis, vel quibusvis aliis ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimosecundo, Kalend. Ianuarij, Pontificatus nostri anno primo.

*Publicatio.*

*Anno à Natiuitate Domini 1573. indict. 1. die verò 21. mensis Ianuar. Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. anno 1. retroscriptæ literæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Principis Apostolorum de Vrbe, S. Ioannis Lateranensis, Cancell. Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Scipionem de Octauianis, & Alexandrum Asiancollum Cursores Apostolicos.*

*Petrus Sprengerius Mag. Curs.*

---

## GREGORII XIII. B. XXVIII.

Reuocatio licentiarum & indultorum quibuscumque mulieribus concessorum ingrediendi Monasteria cuiuscumque Ordinis Regularium. Prohibitioque vtendi eiusmodi licentiis pro casibus necessariis concedendis, præterquam ipsis necessitatibus vrgentibus. Et declaratio quod Prælati Monialium, in casibus necessariis, & paucis comitati Religiosis ea ingredi possint.

*Aliam declarationem circa vsum eiusmodi licentiarum mulieribus secularibus concedendarum, vide const. 52. Paul. V.* Facultatum. *Et postremò reuocationem generalem omnium concessarum, edidit idem Paul. in alia const. 74.* Monialium.

## GREGORIVS EPISCOPVS,

*Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

VBi gratiæ, & indulta ab hac Sede concessa, successu temporis incommodum afferre noscuntur, expedit illa salubri præsidentis consilio submoueri.

*Reuocatio licentiarum ingrediendi Monasteria Monialium, & virorum cuiuscumque Ordinis.*

§. 1. Proinde Sanctimonialium quieti & tranquillitati consulere, ac omnia quæ illas à spiritualium rerum cogitatione & exercitio auocant, impedimenta tollere, periculaque, & scandala ab eis remouere cupientes, auctoritate præsentium reuocamus, & abolemus omnes, & quascumque licentias, ac facultates ingrediendi Monasteria, Domos, & loca Monialium, ac etiam virorum quorumvis Ordinum, quibusvis etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, & aliis cuiuscumque status & conditionis mulieribus, ac etiam omnes & quascumque licentias ingrediendi Monasteria, Domos & loca ipsarum Sanctimonialium, quibuscumque viris, etiam eiusdem status, & dignitatis, tam à prædecessoribus nostris, quam etiam nobis, & Sedis Apostolicæ Legatis, aut aliis ex quibusvis quantumcunque vrgentibus causis sub quibuscumque tenoribus, & etiam derogatoriarum derogatoriis, reuocatorum restitutoriis, aliisque efficacioribus clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, atque ad Imperatoris, Regum, Reginarum, aliorumve principum contemplationem, vel supplicationem concessas, confirmatas, & etiam iteratis vicibus renouatas. Cassamusque & annullamus literas desuper confectas, & processus habitos per easdem.

*Prohibitio, & pœna Monasteria ingredientium vigore licentiarum.*

§. 2. Inhibentes eisdem qui illas obtinuerunt, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, super qua à nemine nisi à Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo) absolutionis beneficium possit impertiri, ne ipsarum licentiarum prætextu Monasteria huiusmodi quovis modo ingredi audeant.

*Pœna Religiosorum eos admittentium.*

§. 3. Abbatissis verò, necnon Abbatibus, Conuentibus, ac aliis Monasteriorum vtriusque sexus superioribus, & personis quocumque nomine vocentur districtè præcipimus sub eadem excommunicationis pœna, necnon priuationis dignitatum, beneficiorum & officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda, ne in Monasteria, Domos, & loca sua quemquam prætextu huiusmodi licentiarum & facultatum ingredi faciant, vel permittant.

*Prohibitio vtendi licentiis in casibus necessariis concedendis, nisi ipsæ necessitates vrgeant.*

§. 4. Quin etiam sub eisdem pœnis ipso facto incurrendis prohibemus atque interdicimus omnibus, & quibuscumque personis Ecclesiasticis, & secularibus, ac etiam Ordinum quorumcunque etiam Mendicantium Regularibus, ne prætextu licentiarum ab Episcopis, vel Superioribus, quibus illas concedendi in casibus necessariis tantum ex decreto Concilij Tridentini tribuitur facultas ne, Monasteria ipsa Monialium pro libito, sed necessitatibus vrgentibus dumtaxat, ingredi, néve Moniales sub eisdem pœnis illos aliter admittere præsumant.

*Clauſ. derog.*

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, Monasteriorumque, & Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, exemptionibus, & indultis Apostolicis illis, eorumque Superioribus prædictis, ac aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis concessis, & confirmatis, ac etiam iteratis vicibus innouatis, quibus omnibus, eorum tenores, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

*Fides transumptorum.*

§. 6. Quoniam autem difficile esset præsentes ad omnia loca perferri, volumus earum exemplis etiam impressis manu notarij publici, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem fidem in iudicio, & extra illud vbique locorum adhiberi, quæ adhiberetur præsentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimoquinto, idibus Iunij, Pont. nostri Anno 4.

*Publicatio*

*Publicatio.*

*Anno à Natiuitate Domini* 1575. *Indict.* 3. *die verò* 24. *mensis Iunij, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo patris, & D. N. Domini Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno* 4. *retroscriptæ literæ Apostolicæ publicatæ & affixæ fuerunt in valuis Ecclesiæ S. Ioannis Lateran. ac Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Scipionem de Octauianis, & I. Andream Panizzam Apost. Cursores.*

*Ioannes Freile Mag. Curs.*

*Sequitur declaratio dictæ Constitutionis quoad Prælatos Monialium.*

## GREGORIVS EPISCOPVS,

*Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.*

*Causa const.*

DVbiis, quæ emergunt, declarationis remedium expedit adhibere. Cum igitur super eo, quod optima primùm ratione Concilium tenuit Tridentinum, deinde in cõstitutione fel. rec. Pij Papæ V. prædecessoris nostri nomis Iulij, Pontificatus sui anno tertio, atque item nostra idibus Iunij, Pontificatus nostri anno quarto editis fuit prouisum, ne cui in posterum, nisi in casibus necessariis septa Monasteriorum monialium ingrediendi concederetur licentia, à nonnullis dubitatum fuisse sciamus circa personas, quæ alterius ad id licentia non indigent, sed sui auctoritate officij nituntur, an liceat eis pro libito suæ voluntatis huiusmodi septa ingredi, vel potius seruare debeant ipsi quoque regulam à Concilio præscriptam.

*Declaratio quod Prælati Monasteriorum Monialium in casibus tantummodo necessariis ea ingredi valeant.*

§. 1. Nos omnem hæsitationis materiam tollere, & viam scandalis præcidere, ac sanctimonialium quieti consulere volentes, harum tenore auctoritate Apostolica declaramus, Prælatos omnes, tam seculares quàm regulares, quibus cura & regimen Monasteriorum Monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi Monasteria prædicta ita demùm vti posse, si id faciant in casibus necessariis, & à paucis, iisque senioribus, ac Religiosis personis comitati. Quocirca vniuersos & singulos Episcopali, seu maiori, ac etiam Cardinalatus dignitate præditos, necnon quorumvis Ordinum Abbates, Priores, Ministros & alios quoscumque Superiores regulares seriò monemus, vt facultate huiusmodi, qui eam habent, præterquam in casibus, vt præfertur, necessariis neutiquam vtantur.

*Contrauenientium pœnæ.*

§. 2. Quod si contrafecerint, eadem auctoritate Apostolica statuimus atque decernimus, vt qui Pontificalis dignitatis fuerint, eos pro prima vice, qua cõtrafecerint, ingressu Ecclesiæ interdictos, pro secunda à munere Pontificali, & à diuinis suspensos, ac deinceps ipso facto absque alia declaratione excommunicatos existere, regulares verò omni officij ministerio priuatos excommunicationi similiter subiacere.

*Derogatio contrariorum.*

§. 3. Non obstantibus Apostolicis, ac in generalibus & Prouincialibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis Ecclesiis, earumve Prælatis, aut Ordinibus, in genere, vel in specie, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis quovis modo concessis, approbatis, & innouatis, etiamsi illis caueretur expressè, quod nemo interdici, suspendi, vel excommunicari posset per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam de indulto huiusmodi mentionem: quibus, eorumque totis tenoribus, perinde ac si de verbo ad verbum inserertur præsentibus, specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

*Fides transumptorum.*

§. 4. Quoniam verò difficile esset præsentes ad singula loca perferri, volumus earum exemplis, etiam impressis, manuque Notarij publici ac sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eandem fidem adhiberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 23. Decembris 1581. Pont. nostri anno 10.

*Publicatio.*

*Anno à Natiuitate Domini* 1582. *Indict.* 11. *die verò Sabbati* 30. *Mensis Decembris, Pontificatus S. D. N. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. anno decimo, retroscriptæ literæ in formâ breuis publicatæ, & affixæ fuerunt in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Scipionem de Octauianis Apostolicum Cursorem.*

*Callistus Brunettus Mag. Curs.*

---

## GREGORII XIII. B. LXV.

Innouatio constitutionum à Prædecessoribus editarum, contra homicidas & alios capitaliter bannitos. Et maiorum pœnarum inflictio in eorum receptatores, & auxiliantes, Communitatesque eos non persequentes & capientes.

*Aliam contra eosdem receptatores, & Communitates, & cæteros seueriorem edidit const.* 6. *Sixtus V.* Hoc nostri, *vbi alia de materia indicabo.*

## GREGORIVS EPISCOPVS,

*Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Causa huius const.*

TAnta, tamque horrenda quotidie succrescunt sanguinariorum, & sceleratorum hominum maleficia, vt nos, qui subditos nostros charitatis potius vinculo, quàm seueritate pœnarum in officio contineri semper optauimus, tandem necesse sit ad ipsos procul à societate humana submouendos, noua remedia adhibere, ac simul cogitare quomodo illos confouendi facultas tolli ab iis possit, sine quorum auxilio impurissimi illi pleraque omnia delicta neque perficere, neque pœnas effugere possent.

*Innouatio bullarum editarum contra Bannitos.*

§. 1. Quæ fel. record. Pius Secundus, Paulus item Secundus, Sixtus Quartus, Iulius Secundus, Leo Decimus, Clemens Septimus, Pius Quartus, Pius Quintus, & diuersi alij Romani Pontifices prædecessores nostri suo quisque tempore, prout necessitas tulit, bene & prouidenter respicientes, & constitutiones suas in exitiale hoc genus, pro temporis & criminum ratione ediderunt, quas nos cum suis censuris, & pœnis omnibus, ac si ad verbum inserentur præsentibus, haberi volumus pro expressis, ex certa scientia nostra innouantes, ita vt illæ omnes præsentibus, & vicissim præsentes illis vniuersis & singulis ad omnes etiam omnium casus & partes subsidio sint.

*Subditi*

*Subditi Papæ, aut in eius Statu bona possidentes, bannitos vel reos in locis suis receptantes.*

§. 2. Hoc edicto perpetuo de fratrum nostrorum consilio statuimus, vt quicumque etiam Ecclesiastica, & quacumque dignitate præditus, siue Dux, aut Comes, Marchio, Vicarius, Feudatarius, Gubernator, siue alius cuiusvis conditionis, & ordinis huius status & ditionis nostræ temporalis S. R. E. in eisdem temporalibus mediatè, vel immediatè subiectus, etiam dominia, iurisdictiones & loca extra statum prædictum obtinens, ac etiam quicumque extraneus bona in eodem statu habens, homicidas, latrones, grassatores, & alios quocumque crimine capitali bannitos, vel diffamatos, in suis quisque dominiis, locis, seu domibus, tam in ipso statu, quàm extra eum consistentibus receptauerit, seu quod in huiusmodi locis receptentur permiserit quoquo modo.

*Fauentesque.*

§. 3. Ac etiam quicumque ne ij capiantur impediuerit, captosque eripuerit, vel occultauerit, potestatemve euadendi fecerit, nactusve fuerit, siue ad hoc homines, arma, aliáve ministrauerit, seu alias ad auxilium, consilium, vel fauorem, palam vel in occulto, aut quocumque modo præstiterit.

*Iustitiæque ministros in eis perquirendis impedientes.*

§. 4. Præterea quicumque Iudices, ministros, vel executores iustitiæ, in perquisitione, captura, seu abductione, ac omninò in libera eorum officij executione impediuerit, verberauerit, insecutus fuerit, concusserit, perterrefecerit, arma conclamauerit, aliosve concitauerit, seu mandauerit.

*Excommunicatur. Hanc excommunic. abstulit Sixt. V. in rub. cit.*

§. 5. Eum præsentium auctoritate excommunicationis maioris sententia innodamus, à qua solus Romanus Pontifex absoluere possit, nisi in mortis articulo, & satisfactione debita præcedente.

*Criminisque læsæ maiestatis rei sunt.*

§. 6. Ac præterea ipsum læsæ maiestatis reum, & S. R. E. rebellem pronunciamus.

*Bonis omnibus priuantur.*

§. 7. Necnon Ducatu, Comitatu, Marchionatu, terris, oppidis, castris, dominiis, vicariatibus, gubernis, feudis, & aliis quæ à Romana & quibuscumque aliis Ecclesiis obtinet ac obtinebit in futurum, cæterisque omnibus bonis immobilibus, mobilibus, & se mouentibus, rebus & iuribus suis, necnon omni & quacumque etiam Ecclesiastica dignitate, gratia, exemptione reali & personali, honore, priuilegio, & beneficio, Ecclesiastico & temporali priuamus eo ipso.

*Ad dignitates cum filiis inhabilitantur.*

§. 8. Ac ipsum & eius filios indignos decernimus ad illa, & alia in posterum obtinenda, & ad quoscumque actus legitimos exercendos, quibus etiam portæ numquam pateant vllius dignitatis Ecclesiasticæ, vel mundanæ.

*Vassalli liberantur.*

§. 9. Sintque vassalli, custodes, & populi à fidelitatis iuramento, & quocumque alio iure absoluti.

*Et ædificia destruantur, vel Cameræ applicentur.*

§. 10. Omnia eius ædificia disjiciantur, aut aliis Cameræ Apostolicæ iuribus adscribantur.

*Dominia Cameræ prædicta acquirantur.*

§. 11. Ducatus verò ac dominia, vicariatus, gubernia, feuda, cæteraque bona & iura prædicta, eorumque fructus, & emolumenta, aliis Fisci nostri iuribus perpetuò applicamus. Et ita Cam. Apost. eo ipso absque declaratione super incursu pœnæ priuationis huiusmodi, aut citatione eius, vel eorum, qui pœnam huiusmodi incurrerint facienda, aut iudicis sententia, vel decreto, vel alia iuris & facti solennitate habenda, perpetuò applicata, appropriata, & incorporata, & ad nostram, Romanique Pontificis pro tempore existentis liberam dispositionem pertinere volumus, ac si per lapsum temporis concessionis eorum, aut finitam lineam ad ipsam reuertissent.

*Priuilegia in recipiendis bannitis reuocantur.*

§. 12. Neque quisquam exemptionis, vel vetusti priuilegij de recipiendis, & non consignandis huiusmodi facinorosis, & bannitis, aut alio quocumque prætextu iuuari possit.

*Bona confiscata sub const. 35. Pij V. non comprehenduntur.*

§. 13. Declarantes Ducatus, dominia, vicariatus, gubernia, feuda, aliaque prædicta, sub constitutione dicti Pij V. prædecessoris super huiusmodi dominiis & iurisdictionibus in feudum, aut alias non concedendis edita minimè comprehendi.

*Communitates non capientes bannitos eisdem pœnis ligantur.*

§. 14. Communitates, necnon vniuersitates omnium Ciuitatum, terrarum, & locorum status prædicti, cum primum de accessu, statione, vel transitu bannitorum, & aliorum prædictorum notitiam habuerint, si statim populos suos armatos pulsu campanarum, & aliis signis non conuocauerint, illosque non ceperint, & tutò custodierint, vel si illos capere non potuerint, finitimas quasque Communitates, & Vniuersitates, aut dominos non commonefecerint, vel ipsi aut eorum aliqui illos receptauerint, vel tolerauerint, vel cibis, commeatu, auxilio, consilio, vel fauore, aut quocumque alio modo etiam vt euadant, per se vel alios iuuerint, censuris & pœnis omnibus supradictis supponimus, eorumque etiam res & bona omnia, necnon fructus & emolumenta Fisco prædicto, modo & forma præmissis applicamus eo ipso.

*Executorum deputatio, & facultates.*

§. 15. Et nihilominus dilecto filio Camerario nostro, cæterisque omnibus singularum literarum prædictarum executoribus, & præterea Gubernatori Vrbis, ac causarum Curiæ Cameræ prædictæ generali Auditori per Apostolica scripta mandamus, vt quisque pro se ad omnimodam illarum, & præsentium nostrarum, ac censurarum & pœnarum omnium in eis contentarum executionem omninò procedêtes, faciant illas omnes, & in eis contenta quæcumque, semper & vbique per omnia loca prædicta, & ab omnibus sub illis comprehensis, iuxta singularum literarum earumdem continentiam & tenorem, inuiolabiliter obseruari.

*Clausulæ derogatoriæ.*

§. 16. Non obstantibus præmissis, ac omnibus quæ singulis literis prædictis concessum est non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

*Forma & effectus public.*

§. 17. Vt autem præsentes literæ omnibus amplius innotescant, & ne quisquam illarum ignorationem excusare possit, iubemus illas valuis Ecclesiæ S. Io. Lateranen. & basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac acie Campi Floræ, de more appendi, eisque detractis, ipsarum exempla etiam impressa eisdem in locis affixa relinqui: factaque huiusmodi publicatione, volumus ipsas præsentes hic in Vrbe publicatas die sequenti, extra verò eam post decem dies quoscumque perindè arctare, atque afficere, & contrafacientes pœnas & alia supradicta omninò incurrere, ac si eis singulis præsentibus in propriis eorum personis & locis intimatæ fuissent.

*Exemplorum fides.*

§. 18. Insuper earumdem præsentium exempla, etiam impressa, Not. publici manu, & Camerarij prædicti, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo obsignata, eamdem prorsus fidem vbique locorũ in iudiciis & extra illa facere, quæ ipsamet præsentes facerent, si exhiberentur vel ostenderentur.

Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1580. quinto idus Iulij, Pontificatus nostri anno 9.

Ego Gregorius Catholicæ Ecclesiæ Episc. subscr.

*Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.*

*Cardinalium subscriptiones.*

Io. Card. Moronus Episcopus Ostien.
Ego Iac. Card. Sabell. Episc. Tusc.
Ego Io. Antonius Card. S. Gregorij, Episc. Prænestin.
Ego Aloysius Card. Cornelius.
M. S. Card. de Altaemps.
A. Card. Gesualdus.
Ego In. Card. de Aragon.
Ego Ptol. Cardinalis Comensis,
Ego P. Card. Sanctacrucius.
Zachar. Card. Delphinus.
Io. Er. Card. Commendonus.
A. Card. Sfortia.
Fla. Card. Vrsinus.
Gul. Sir. Card.
Fr. Michaël B. Card. Alex.
Lud. Card. Madrucius.
Marcus Ant. Card. Maffæus.
N. Cardinalis de Pelleue.
Iulius Ant. Sanctorius Card. Sanctæ Seuerinæ.
G. Card. Rambouilletus.
F. Felix Card. de Montealto.
F. Vincentius Card. Iustinianus.
Hieron. Card. Rusticucius.
Io. Hieron. Card. Albanus.
Ego Ph. Boncompagnus Card. S. Sixti.
Petrus Card. de Deza.
Ego Fer. Card. de Medicis.
Ego Ant. Card. Caraffa.
Ego Phil. Card. Vastauillanus.

*Publicatio.*

*Anno à Natiuit. Domini* 1580. *indict.* 8. *die verò* 17. *mensis Iulij, Pontific. Sanctiss. in Christo patris, & D.N.D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. anno* 9. *retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Ecclesiæ S. Io. Lateran. & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ, dimissis ibidem earum exemplis impressis per nos Petrum Aloysium Gaytam, & Nicolaum Tagliettum Cursores Apost.*

*Iulius Fontana Mag. Curs.*

---

## SIXTI V. B. VI.

Innouatio omnium constitutionum à Romanis Pont. hactenus editarum contra exules, bannitos, aliosque facinorosos homines, eorumque receptatores & fautores; & multarum impositio pœnarum in eosdem, necnon contra Communitates & alios, sua territoria eiusmodi scelestis hominibus expurgata non custodientes.

*Quoad primam partem, extat in hoc opere constit.* 8. *Pij II.* Ad retinendas, *sup. constit.* 4. *Pauli II.* Viros: *constit.* 14. *Innoc. VIII.* Licet ea: *const.* 6. *Iulij II.* Cum homines: *constit.* 36. *Leonis X.* Omnes: *constit.* 10. *Clem. VII.* In sanct. *const* 17. *Iulij III.* Cum Ciuitates, & *const.* 25. Cum sicut. *Et extat etiam Pij IV. const.* 27. In eminenti: *Pij V. constit.* 10. Ex supernæ, & *Gregor. XIII. const.* 65. In tanta, *tom.* 2. *Quo verò ad secundam partem, contra non custodientes eorum territoria, habes sup. in const.* 2. *Iulij II.* Quia: & *const.* 28. *Leon. X.* Romani, *tom.* 1. *necnon const. Pij IV.* In eminenti, & *const.* 10. *Pij V. iam citatas lib.* 2.

Præterea aduersus eiusmodi perfidos homines, omnesque vindictam transuersalem sumentes, Paulus II. edidit const. 4. *Viros*, vbi notaui lib. 1. Provt contra minantes pro habenda pace, aliam edidit const. iam citatam Innoc. VIII. vbi dixi lib. 1. Necnon contra Franchisias in Vrbe tenentes vel acclamantes habes sup. const. 17. Iulij, III. *Cum Ciuitates*; cum aliis ibi indicatis lib. 1. Et contra facientes caualcatam, habes infra const. 75. *Dum pro*, vbi alia notabo. Provt circa appellationes istorum in contumacia condemnatorum, notaui suprà in const. 52. Pij IV. *Et si cuncta*, & in Pij V. const. 138. *Licet iuri*. Et tandem de prohibita eorum remissione, attende const. 15. Clem. VIII. infrà lib. 3.

*SIXTVS EPISCOPVS.*
*Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Causa huius Const.*

HOc nostri Pontificatus initio, inter multa Reipublicæ damna & incommoda, quæ menti nostræ obuersabantur, nobis longè fuit grauissimum, quod Populos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ditioni temporali subiectos, non modò ad rerum, substantiarumque suarum perturbationem & iacturam, sed etiam vitæ periculum redactos, inuenerimus, exulibus, bannitis, cæterisque id genus facinorosis hominibus ita vendique ingruentibus & grassantibus, vt vix quisquam ab hac hominum pestilentia tutus alicubi consistere posse videatur. Quare cum ad hæc sananda mala ex officij nostri debito, & præcipua erga nostros, ac eiusdem Romanæ Ecclesiæ subditos charitate assiduè stimulemur, nihil non agere & tentare decernimus quo Populis optata quies, salus, securitas & tranquillitas per nos restituatur. Quod ita demum, Deo auxiliante, speramus nos esse consecuturos, si cautè prouideatur, ne vllum domi forisque, intra extrave fines nostros, criminosis hominibus huiusmodi pateat diffugium, aut receptaculum, sed omnino Legum & Magistratuum securitatem, iustitiæque gladium subire, ac debitas pœnas luere cogantur.

*Confirmatio const. prædecessorum cum earum pœnis, præterquam excommunicationis.*

*Tu aduerte quod omnes istæ Bullæ sunt à me indicatæ hic in rubr. præter vnam Sixt. IV. quæ est relata in præcit. const.* 10. *Pij V.* §. 3. & §. 5. *lib.* 2.

§. 1. Itaque de fratrum nostrorum consilio omnes & singulas constitutiones à fel. record. Pio II. & Paulo etiam II. Sixto IV. Iulio similiter II. Leone X. Clemente VII. Iulio III. Pio etiam IV. Pio V. Gregor. XIII. & quibusvis aliis Rom. Pont. prædecessoribus nostris, suo cuiusque tempore, in detestabile prædictorum & aliorum infrascriptorum hominum genus, pro temporis, & criminum ratione editas, cum omnibus & singulis in eis contentis, quoad ea quæ præsentibus non contrariantur, & excepta excommunicationis sententia, per easdem constitutiones illis contrauenientes promulgata, quam ne animarum perniciem potius quàm salutem afferat, consultò tollendam & submouendam duximus, ex certa scientia nostra approbantes & innouantes, illarumque omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis & insertis haberi volentes.

*Barones & Communitates eorum territoria à bannitis, &c. libera custodiant.*

*Vide ad hoc Bullam Pij V. & aliorum cit. in* 2. *part. rubr. & etiam hic infrà.*

§. 2. Vniuersis & singulis Ducibus, Principibus, Marchio

Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Domicellis, etiam quacumque Ecclesiastica dignitate fungentibus, necnon Vicariis, Feudatariis, Armorum ductoribus, Capitaneis, Magistratibus, Communitatibus, Vniuersitatibus, & officialibus ciuitatum, terrarum, castrorum, oppidorum, & aliorum quorumcumque locorum prædictæ Romanæ Ecclesiæ mediatè vel immediatè subiectorum, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, necnon duorum millium per Communitates, & mille per Vniuersitates, ac quinque millium ducatorum auri Cameræ Apostolicæ irremissibiliter ipso facto applicandorum per Dominos temporales, & alios prædictos absque alia declaratione incurrendis pœnis (vltra alias in eorumdem prædecessorum nostrorum literis contentas) districtè præcipiendo mandamus, quatenus adhibita exactissima diligentia, de qua per publica documenta & alias probationes fidem faciant, eorum Ciuitates, terras, oppida, castra, villas, dominia, loca, & territoria omnia à perduellionibus, homicidis, latronibus, viarum grassatoribus, raptoribus, incendiariis, sicariis, pacis & publicę quietis perturbatoribus, armatas facientibus, statum Ecclesiasticum hostiliter peragrantibus, pro quocumque crimine capitali, etiam in contumaciam bannitis, aliisque similibus notoriis delinquentibus, & facinorosis hominibus, etiam nondum condemnatis, eorumque fautoribus & complicibus, quos omnes, nostros, dictæque R.E. rebelles, ac publicos hostes esse decernimus, secura, libera, & expurgata custodire, tenere, & præseruare.

*Eosque capiant & officialibus Pontificis consignent, & capere non valentes persequantur conuocatis Dominis & Communitatibus conuicinis.*

§. 3. Necnon si quos ex ipsis eò accedere, vel commorari, seu ad prædicta loca declinare, vel illac pertransire contigerit, statim illos capere & apprehendere, ac ad carceres conducere, captosque nostris & pro tempore existentium Romanorum Pontificum Magistratibus & Officialibus fideliter tradere & consignare, populosque suos pulsu campanarum, & aliis signis ad arma conuocare & coadunare teneantur. Quod si illos capere & apprehendere per seipsos nequiuerint, finitimas quasque Communitates & Vniuersitates, necnon Dominos temporales commonefaciant, & in auxilium conuocent, iunctisque simul viribus eosdem perduelliones, homicidas, latrones & alios prædictos forti manu, & incessanter quacumque se verterint, etiam extra proprium territorium, & iurisdictionem ipso prosequutionis actu, vsque ad vltimam eorum profligationem persequantur, ac vt capiantur & apprehendantur, seu profligentur, omnem operam adhibeant.

*Et ad cauillosas proponendas excusationes non admittantur.*

§. 4. Cumque verisimile non sit huiusmodi hominum genus in occulto versari, & eos qui ad custodiam tenentur, si diligenter inuigilent, illorum notitiam non habere, neque tantam multitudinem esse posse, quin à Dominis temporalibus, ac Communitatibus & Vniuersitatibus prædictis vinci & opprimi queat, iuncto præsertim finitimorum auxilio, cauillosæ excusationes sibi in posterum nullo modo suffragentur.

*Particulares verò personæ contra bannitos, &c. arma capiant, & accurrant.*

§. 5. Particulares verò personæ cuiuscumque status, gradus, & conditionis existentes, sub quingentorum ducatorum similiter eidem Cameræ ipso facto applicandorum, aliisque corporalibus, etiam vltimi supplicij inclusiuè, Gubernatorum & Officialium prædictorum arbitrio, iuxta cuiuscumque personæ & culpæ qualitatem extendendis pœnis, cum primum campanæ sonitum, aliaue signa, populum aduersus dictos facinorosos homines conuocantia audiuerint, vel aliam de illis quomodolibet notitiam habuerint, arma capere, & ad locum necessarium accurrere, ac vnà cum aliis, & per seipsum omnem conatum in persequendis, capiendis, & profligandis bannitis, aliisque nefariis hominibus prædictis adhibere teneantur.

*Executoribusque iustitiæ non se opponant, vel resistant, sed armata manu subueniant.*

§. 6. Præterea sub eisdem pœnis omnes & singuli prædicti, tam in vrbe, quàm extra eam, ad quamcumque Curiæ, seu ministrorum & executorum iustitiæ, vel cuiusque eorum simplicem requisitionem, ac etiam nulla requisitione præuia, si aliquando ipsos resistere, vel sese opponere, seu aliquod impedimentum afferre, eosve ad aliquam executionem faciendam auxilio egere quoquo modo cognouerint, eisdem Curiæ ministris & executoribus opem & fauorem, armata etiam manu conferre & subuenire, ac præsto esse, & denique obedire, eosque si opus fuerit, in perquisitione, executione, permansione, transitu & aliis præmissis comitari debeant.

*Barones & Communitates facinorosos non capientes, vltra alias pœnas, ad damna reficienda adstringuntur. Tu ad hoc vide bullas suprà cit. in 2. part. 1. rubr.*

§. 7. Insuper statuimus & ordinamus, vt si qui ex perduellionibus, homicidis, latronibus, furibus, & aliis facinorosis hominibus prædictis in Ciuitatibus, terris, oppidis, castris, villis, dominiis, locis, & territoriis huiusmodi damna aliqua intulerint, seu furtum aut latrocinium commiserint, nec capti & deprehensi fuerint, sed impunè euaserint, Domini temporales, seu Communitates, Vniuersitates nobis & Sedi Apostolicæ mediatè ac immediatè subiecti, in quorum locis, territoriis & iurisdictionibus respectiuè similia perpetrata fuerint, præter hoc, quod ad damnorum quorumcunque sic illatorum partì læsæ, damnaque huiusmodi patienti, ac eorum hæredibus plenariam restitutionem & satisfactionem omninò teneantur, ad tantumdem etiam quantum damna illata æstimata fuerint, Cameræ prædictæ realiter & cum effectu persoluendum eo ipso sint adstricti, ac aliàs provt latius continetur in aliis literis dictì Pij V. prædecessoris, contra Dominos, ac Communitates, & Vniuersitates, eorum territoria non custodientes editis, quas firmis tamen remanentibus aliis supra, & infrascriptis pœnis, tenore præsentium etiam innouamus.

*Barones, & alij maiores an. 14. & S. R. E. mediatè & immediatè in temporalibus subiecti, in statu & extra auxiliantes, aut eosdem bannitos receptantes, vel eorum persecutionem impedientes pœnas hìc descriptas incurrant.*

§. 8. Duces quoque, Principes, Marchiones, Comimites, Barones, Domicellos, Vicarios, Feudatarios, Gubernatores, Magistratus, Ductores, Capitaneos, & Officiales prædictos, necnon quoscumque alios cuiuscumque etiam Ecclesiasticæ dignitatis, conditionis, status, gradus, ordinis, excellentiæ, sexus & ætatis, dummodo decimumquartum illius annum excedant, huius status & iurisdictionis nostræ temporalis, ac prædictæ Romanæ Ecclesiæ in eisdem temporalibus mediatè vel immediatè subiectos, etiam dominia, iurisdictiones & loca extra statum prædictum obtinentes, qui perduelliones, homicidas, latrones, & alios nefarios homines prædictos in suis quique dominiis, terris, oppidis, castris, fortalitiis, villis, locis, territoriis, seu domibus, tam in ipso statu, quàm extra eum consistentibus receptauerint, seu confouerint, aut quod in illis recipiantur, vel confoueantur quoquo modo permiserint, seu ne ij capiantur impediuerint, vel captos eripuerint, seu occultauerint, aut illis potestatem, seu commoditatem euadendi fecerint, vel carcerem, aut aliam quamcumque custodiam effregerint, inuaserint, aut quoquo modo violare tentauerint, siue ad hoc homines, vel arma, aliáve ministrauerint, siue aliàs auxilium, consilium vel fauorem, palam, vel in occulto,

per se vel alium seu alios quoquo modo, etiam extra territoria, iurisdictiones & domos proprias præstiterint, seu præstare permiserint, vel etiam quoscumque Iudices, ministros, aut executores iustitiæ in perquisitione, captura, vel abductione, ac omnino in eorum officij libera executione, siue in Vrbe, siue extra vbique locorum impediuerint seu verberauerint vel insecuti fuerint, aut concusserint, seu minis vel alias perterrefecerint, aut ad arma conclamauerint, aliosque concitauerint, seu talia fieri mandauerint, facientibus adhæserint & fauerint, seu alicuius Magnatis nomen auxilij causa aduersus Curiam, executores & ministros prædictos inuocauerint, seu franchisias appellauerint (contra tra quas aliam constitutionem dicti Gregorij prædecessoris editam similiter innouamus, acrioribus etiam remediis in dies vsuris pro huiusmodi asylis præsertim in dicta Vrbe tollendis, & omninò exstirpandis) læsæ Maiestatis reatum, ac nulla iuris aut hominis fictione confictum crimen incurrisse, & eiusdem Romanæ Ecclesiæ rebelles, omnibusque & singulis priuilegiis, gratiis, libertatibus, indultis, exemptionibus, immunitatibus realibus & personalibus, necnon Ducatibus, Principatibus, Marchionatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, terris, oppidis, castris, dominiis, vicariatibus, guberniis, locis, iurisdictionibus, dignitatibus etiam Ecclesiasticis, honoribus, iuribus, officiis, pensionibus, beneficiis, & fructibus Ecclesiasticis, ac etiam quibuscumque feudis & concessionibus, quæ à Rom. prædicta, & quibuscumque aliis Ecclesiis obtinent, & in futurum obtinebunt, cæterisque etiam immobilibus, mobilibus, & se mouentibus bonis, iuribus, & actionibus eo ipso priuatos, ipsosque & illorum filios ad illa, & quælibet alia in posterum obtinenda, ac quoscumque actus legitimos exercendos inhabiles & indignos fore, atque esse: Necnon à toto Statu Ecclesiastico, vna cum eorum familiis perpetui exilij pœna damnari, domosque, ædificia, arces, & fortalitia eorumdem demoliri, & solo æquari, seu aliis dictæ Cameræ iuribus adscribi debere, nec illis portam vllius dignitatis Ecclesiasticæ, vel mundanæ vnquam patere decernimus & declaramus. Vassallos verò, Custodes, Capitaneos, Officiales, Populos, & subditos eorumdem à fidelitatis iuramento, ac homagij, & quocumq; alio iure, quo ipsis quomodolibet adstricti fuerint, ex nunc penitus absoluimus & liberamus. Ducatus autem, dominia, vicariatus, gubernia, feuda, ciuitates, terras, oppida, castra, cæteraque bona prædicta, necnon iura & actiones, cum fructibus & emolumentis eorumdem, Fisco nostro & Cameræ prædictæ ipso facto absque aliqua declaratione, citatione, Iudicis sententia, seu decreto, vel alia iuris & facti solennitate habenda, etiam in præiudicium filiorum descendentium, & aliorum quorumcunque agnatorum in inuestituris, concessionibus, seu aliis dispositionibus comprehensorum, in omnibus, & per omnia, perinde ac si per lapsum temporis illorum concessionis, & finitam lineam ad ipsam Cameram rediissent, seu deuoluta essent, confiscamus, applicamus, & incorporamus, illaque sic nobis, & pro tempore existentibus Romanis Pontificibus & Cameræ prædictæ aperta, deuoluta, confiscata, applicata, & incorporata sub constitutione eiusdem Pij V. prædecessoris de huiusmodi dominiis & iurisdictionibus in feudum, aut aliàs non concedendis minimè comprehendi etiam declaramus. Necnon quæcumque fideicommissa, substitutiones, & alias dispositiones sub quacumque verborum forma, etiam cum expressa alienationis prohibitione, aliisque strictissimis clausulis & cautelis conceptas, ad hoc vt fructus bonorum huiusmodi fideicommissis subiectorum durante vita naturali delinquentis, etiam in contumaciam in prædictis causis condemnati, Fisco applicentur, & in dictæ Cameræ vsum conuertantur, proprietatesque dictorum bonorum quamdiu ipse delinquens naturaliter vixerit per Fiscum & Cameram huiusmodi possideantur & detineantur, tollimus & abrogamus.

*Communitates eos tolerantes eadem pœnas incurrunt.*

§. 9. Ad hæc, Communitates, & Vniuersitates huiusmodi, si homines facinorosos prædictos receptauerint, tolerauerint, cibis, commeatu, auxilio, consilio, vel fauore, aut quocumque alio modo, etiam vt euadant, per se vel alios iuuerint, omnibus pœnis supradictis supponimus, eorumque res & bona omnia, necnon fructus & emolumenta eidem Fisco, modo & forma præmissis applicamus & appropriamus.

*Particulares autem eos capere non valentes illico propalare & conuicinos conuocare debent.*

§. 10. Particularibus autem hominibus, qui ad facinorosos prædictos capiendos & apprehendendos, iustitiæque ministris tradendos sufficientibus viribus fuerint destituti, nisi eosdem illico propalauerint, officialesque & populos finitimos, ita vt nullo modo euadant, conuocauerint.

*Scientes in præmissis aliquem esse culpabilem, reuelare tenentur.*

§. 11. Ac demùm iis, qui aliquem in præmissis culpabilem sciuerint, nec nobis vel successoribus nostris, seu alicui, per quem ad nos vel dictos successores fideliter deferatur, intra trium dierum spatium reuelauerint, pœnam arbitrio Iudicis pro modo culpæ, etiam vsque ad mortem inclusiuè infligendam statuimus.

*Iudices procedant etiam per inquisitionem, &c.*

§. 12. Decernentes super omnibus & singulis præmissis per accusationem, delationem, inquisitionem, & quovis alio meliori modo procedi posse.

*Priuilegia de non consignandis bannitis reuocantur.*

§. 13. Ac quæcumque vetusta priuilegia, siue exemptiones, etiam immemorabiles, vel alias quascumque prætensiones de recipiendis, & non consignandis huiusmodi bannitis, & aliis facinorosis hominibus, nemini contra præsentium tenorem suffragari, etiamsi de eis specialis & indiuidua mentio facienda esset.

*Receptatores non excusantur prætextu agnationis, vel consanguinitatis, aut non dolosæ receptionis.*

§. 14. Neque receptatores, fautores, auxiliatores, consultores, & alios quoscumque, præsentibus nostris ac prædecessorum nostrorum literis, vt præfertur, approbatis & innouatis quomodolibet contrauenientes quocumque prætextu, etiam agnationis, & cuiuscumque consanguinitatis, etiam in primo gradu, aut vnicè, non dolosè & penitus inculpatè, nec ad malum finem receptionis vllatenus excusari, cum beneficium publicum sit priuatæ necessitudini præferendum, nec dolus absit ab eo, qui ipsis nefariis hominibus, & publicis inimicis quoquo modo se amicum præstat, genusque hominum huiusmodi facilè cognoscatur. Eũ quoque qui sese vi & metu ad manifestum & instans vitæ periculum euitandum, de quo tamen per legitimas probationes docere teneatur, eis receptum dedisse, siue victum, & alia præstitisse asseruerit, nequaquam excusari, nisi quamprimùm se subripere, vel alios transmittere potuerit, nulla interposita mora, de transitu vel statione dictorum facinorosorum hominum vicinum locum, illiusque Magistratus & Officiales certiorauerit.

*Clauſ. derog.*

§. 15. Sicque per quoscumque Iudices ordinarios & delegatos, quavis auctoritate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, vbique iudicari & definiri debere, necnon irritum & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Executorum deput. & facult.*

§. 16. Et nihilominus, vt præmissa suum debitum

(prove

(provt ex intimo cordis affectu exoptamus) consequantur effectum. Dilectis filiis eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, Vrbis Gubernatori, causarum Curiæ Cameræ prædictæ generali Auditori, necnon Prouinciarum nostrarum legatis, de quibus plurimùm confidimus, ac Vicelegatis & Præsidibus, Ciuitatumque, & aliorum locorum prædictorum Rectoribus & officialibus, ac cæteris omnibus singularum constitutionum & literarum prædictarum executoribus similiter in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ pœna per Apostolica scripta mandamus, vt quique pro se ad omnimodam præsentium, ac aliarum literarum & constitutionum prædictarum, necnon pœnarum omnium in eis contentarum executionem omnino procedentes, illas omnes, & in eis contenta quæcumque semper & vbique per omnia loca prædicta, ac ab omnibus sub illis comprehensis inuiolabiliter obseruari, capitalesque sententias prædictas à iustitiæ ministris absque alicuius irregularitatis incursu exequi mandent & faciant, ac pro exactione pœnarum contra Communitates, Vniuersitares, Dominos temporales & alios prædictos propter eorum inobedientiam represalias concedant, realiterque & irremissibiliter dictas pœnas pecuniarias exigant.

*Clausulæ derogat.*

§. 17. Non obstantibus fideicommissis, inuestituris, concessionibus, substitutionibus, testamentis, & aliis dispositionibus, necnon priuilegiis, exemptionibus, ac aliis præmissis, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus haberi volumus pro expressis & insertis, necnon omnibus quæ in singulis literis prædictis concessum est non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

*Hortatio ad Principes extra statum Ecclesiasticum temporalem iurisdictionem habentes, vt bannitos non assecurent, sed capiant, & remittant.*

§. 18. Rogamus quoque & hortamur attentè in Domino omnes & singulos quamcunque iurisdictionem temporalem extra Statum Ecclesiasticum prædictum exercentes, etiam Regia, Ducali, vel alia quacumque mundana vel Ecclesiastica auctoritate, superioritate & excellentia fulgentes, vt velint pro sua in nos & hanc sanctam Sedem Apost. deuotione & obseruantia, reique ipsius æquitate prouidere, ne posthac in prouinciis, dominiis, & locis suis perduelliones, homicidæ, & alij facinorosi prædicti vllo modo recipiantur, assecurentur, vel tuti reddantur; quinimò si ipsos ad illa declinare, aut ibidem reperiri contigerit, per suos iustitiæ ministros & executores capi & apprehendi, ac ad Præsides & Gubernatores Prouinciarum & locorum nostrorum, vnde ipsi originem traxerint, vel vbi delictum commiserint, liberè conduci & remitti, eisque consignari mandent & procurent. Ac quoscumque saluosconductus, & alias assecurationes reuocent & annullent, provt nos vice versa idipsum contra huiusmodi facinorosos homines à dictis eorum prouinciis & dominiis bannitos, fieri & obseruari curabimus; sperantes hac optima ratione omninò futurum, vt eiusdem S. R. E. & cuiusque eorum ditionis status, annuente Domino, expurgetur, Populique nobis & illis subditi, pacis & tranquillitatis dulcedine fruantur.

*Formæ, & affectus publ. hanc Const.*

§. 19. Vt autem præsentes literæ omnibus innotescant, & ne quisquam illarum ignorationem allegare possit, iubemus illas valuis Ecclesiæ S. Ioan. Lateran. & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ appendi, eisque detractis illarum exempla, etiam impressa in eisdem locis affixa relinqui, factaque huiusmodi publicatione volumus ipsas præsentes hic in Vrbe publicatas die sequenti, extra eam verò post decem dies quoscumque perinde arctare atque afficere, ac contrafacientes pœnas & alia suprà dicta omnino incurrere, ac si eis singulis præsentibus in propriis eorum personis & locis intimatæ fuissent.

*Fides exemplorum.*

§. 20. Insuper earumdem præsentium exempla, etiam impressa, Notarij publici manu, & Camerarij prædicti, aut alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo obsignata eandem prorsus fidem vbique locorum in iudiciis, & extra illa facere, quæ ipsæmet præsentes facerent, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

*Communitates publicent hanc Const. in earum publicis Consiliis, in Archiuiis custodiant, & quolibet anno eam cum aliis hic nominatis in publico consilio recitent. Quod voluit etiam Pius V. sup. in eius const. cit. in rub.*

§. 21. Necnon quod quælibet Communitas, Vniuersitas & Populus quarumcunque Ciuitatum, Oppidorum, Castrorum & locorum prædictorum, sub indignationis nostræ, ac mille ducatorum dictæ Cameræ applicandorum pœnis per contrafacientes eo ipso incurrendis, statim cum præsentes literæ nostræ huiusmodi, siue earum transumptum, etiam impressum ad eorum notitiam peruenerit, conuocato publico consilio, in præsentia officialium, syndicorum, & curam maleficiorum habentium, eos cum aliis prædecessorum nostrorum constitutionibus, sic vt præfertur, confirmatis & innouatis, ibi alta & intelligibili voce, etiam vulgari sermone illas declarando, vt melius & faciliùs ab omnibus percipi & intelligi possint, legi facere, & deinde in eorum Archiuio publico diligenter custodiri curare omninò debeant, ac singulis annis successiuè in principio cuiuslibet anni perpetuis futuris temporibus similiter easdem literas præsentes, & alias innouatas in eodem publico consilio legendo reiterare teneantur. Alioquin loci Gubernator & Rector, & quilibet alius iustitiæ minister quocumque nomine nuncupatus, contra eos ad executionem pœnarum huiusmodi sine mora irremissibiliter procedat.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1585. Kal. Iulij, Pontificatus nostri Anno 1.

*Papæ subscriptio.*

Ego Sixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

*Cardd. subscriptiones.*

Ego Alexand. Farnesius Episcopus Ostiens.
Ego I. Anton. Episc. Tusc. Card. S. Georgij.
M. Card. ab Altaemps.
Ego In. Aua, Card. de Arag.
Ego P. Card. Sanctacrucius.
Ego Gulielm. Sirletus Card.
F. Mic. Card. Alex.
Ego Lud. Card. Madrutius.
Ego N. de Pelleue Card. S. Praxedis.
Jul. Ant. Sanctorius Card. S. Seuerinæ.
P. Card. Cæsius.
Ego Carolus Card. Rambouilettus.
Ego Hier. Card. Rusticucius.
I. Hier. Card. Albanus.
Ego Phil. Boncom. Card. S. Sixti M. P.
Ego Hier. Card. Simoncellus.
P. Card. Deza.
Ego Ant. Card. Caraffa.
I. Ant. Card. SS. Quatuor Cor.
Ego I. Bapt. Card. S. Marcelli.
Ego Aug. Card. de Verona.
Ego Vinc. Card. Montis Regalis.

Ego M. Presb. Card. S. Stephani in Monte Cælio.
Scipio Card. Lancelottus.
Ego Aloysius Card. Estensis.
Ego Fer. Card. de Medicis.
Phil. Vast. Card. Cam.
Ego Carol. à Lotharingia Card. Vademontanus.
Ego Vincent. Card. Gonzaga.
Ego Franciscus Card. Sfortia S. Georgij.
Alex. Card. de Montealto.

*Publicatio.*

*Anno à Natiuitate Domini* 1585. *Indictione* 13. *die verò quinta mensis Iulij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno* 1. *retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & à publicatæ fuerunt in valuis, seu portis Ecclesiarum Sancti Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, necnon valuis Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Flore, vt moris est, per nos Ioan. Gance, & Nicolaum Tagliettum S. D. N. Papæ Apost. Curs.*

*Ioannes Freile Mag. Curs.*

---

# GREGORII XIV. B. VII.

## De Immunitate Ecclesiarum, quibusdam exceptis casibus, inuiolabiliter obseruanda.

*Ad quod habes etiam dispositionem Concilij Tridentini sess.* 25. *cap.*20. *& Bullam* 1. *Ioan. XXII.* Ex parte, *sup. vbi notaui.*

*GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Pius V. & Sixt. V. certis casibus permisit extrahi ex Ecclesiis homines criminosos.*

CVm aliàs nonnulli prædecessores nostri, & præsertim fel. recordat. Sixtus Papa V. necnon Pius etiam V. sancto zelo ducti diuersas facultates & indulta extrahendi, etiam in casibus quibusdam à iure non permissis, ex Ecclesiis criminosos & delinquentes, compluribus secularibus Principibus, eorumque Curiis & Magistratibus sub variis modis & formis concesserint, prout in illis pleniùs continetur.

*Sed secularium Principum Ministri hac facultate abusi sunt, & mala hìc enarrata euenerunt.*

§. 1. Experientia postmodum docuit, tum ob diuersitatem & differentiam huiusmodi indultorum, tum quia plerique eorundem Principũ Ministri ex hoc ipso quod illa diuersimodè, etiam latiùs quàm par erat, & ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerunt, illisque abuti cœperunt, subortam esse non mediocrem in aliquibus locis libertatis & immunitatis Ecclesiasticæ perturbationem & confusionem; alibi verò ne ipsos quidem laicos indultis huiusmodi vti voluisse, aut potuisse, quòd populis inueterata erga Ecclesias reuerentia deuotis, & assuetis, scandali potius quam quietis occasionem præberent. Illud etiam absurdum sæpè numero secutum est, vt infimæ interdum conditionis laici, non modò iuris, sed etiam literarum penitus ignari, & imperiti, dum quasi Potestates, aut Ministri Curiæ secularis in aliquo Castro, aut Oppidulo iurisdictionem exercebant, facultatum & indultorum huiusmodi limites longè excesserint, eaque suo arbitratu in sensus minus rectos, & ab intentione concedentis omnino alienos detorserint, & illorum prætextu quicquid sibi in mentem venit, attentare præsumpserint, in graue iurisdictionis & immunitatis Ecclesiasticæ præiudicium, locorum, & personarum diuino cultui dicatarum contemptum, ipsius diuinæ Maiestatis offensam, & scandalum plurimorum. Quare pro commisso nobis à Domino Pastoralis officij munere, prædictis absurdis & scandalis obuiare, ac differentias huiusmodi ad vniformem regulam reducere, omnemque dubitandi, ac perperam interpretandi occasionem dilucida declaratione submouere, abusus tollere, & ne Ecclesiastica iura planè conculcentur & negligantur, opportunè prouidere decreuimus, prout etiam dictus Sixtus prædecessor noster iisdem de causis motus statuere decreuerat, licèt morte præuentus hoc adimplere nequiuerit; ita tamen, vt quando præsens temporum calamitas, & nimia, quæ iam inualuit, peruersorum hominum malitia id exposcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium, & ad coërcenda illorum facinora, vltra id quod prisca illa maiorum nostrorum disciplina, & vetus sacrorum canonum norma præscripserat in quibusdam casibus congrua moderatione adhibita, permittamus.

*Hic itaque Pont. huiusmodi facultates reuocat, & immunitatem Ecclesiarum obseruari præcipit.*

§. 2. Hac itaque nostra perpetuò valitura constitutione, omnia & quæcumque priuilegia, indulta, & gratias, tam per prædictum Sixtum ac Pium Quintum, quàm alios quoscumque nostros prædecessores, aut nosmetipsos, Sedemque Apostolicam, eiusve Legatos, super abducendis, vel extrahendis ab Ecclesiis, Monasteriis, Sacellis, domibus regularibus, & secularibus, locisve sacris aut Religiosis, aliasque in casibus à iure permissis hominibus certorum tunc expressorum, vel non expressorum criminum reis, aut fraudulentis decoctoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace, & quiete publica, & ex causis vrgentissimis ac necessariis & æquipollentibus casibus in iure expressis, atque ex paritate, identitate, aut maioritate rationis extensis, perpetuò, vel ad certum nondum elapsum tempus, seu ad vitam alicuius Principis, aut beneplacitum, seu aliàs quomodolibet concessa, etiam iteratis, aut multiplicatis vicibus approbata, & innouata, ac vsu recepta, literasque Apost. sub plumbo, aut in forma Breuis, seu aliàs quomodocumque desuper confectas, quarum tenores hic haberi volumus pro expressis, ac ad verbum insertis, sublata penitus omni differentia, ita ad vnam tantùm formam reducimus, & moderamus.

*Certos tamen casus hic expressos excipit, in quibus laici delinquentes Curiæ seculari remitti debent. Quoad hæreticos habes etiam sup. Bull. Ioan. XXII. cit. in rubro.*

§. 3. Vt laicis ad Ecclesias, locaque sacra, & religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve Cæmeteriis committere non verentur, aut qui proditorìè proximum suum occiderint, aut assassinij vel hæresis, aut læsæ Maiestatis in personam ipsiusmet Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur. Sed vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, cæterisque Ecclesiarum, & Monasteriorum Prælatis, tam secularibus, quàm cuiusvis Ordinis Regularibus, districtè præcipiendo mandamus, & præcipimus, vt laicos in casibus prædictis delinquentes, ad eorum Ecclesias, Monasteria, domos, & alia loca supradicta sacra, seu Religiosa respectiuè confugientes, & in eis se recipientes atque morantes, qui prædicta delicta, eorumve aliquod, iudicio suo committisse videbuntur, quando à Curia seculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, Ministris, & Officialibus Curiæ secularis absque

absque irregularitatis nota, aut alicuius censuræ Ecclesiasticæ incursu, tradi, & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet & faciat.

*Et curia secularis absque licentia Iudicis Ecclesiastici nullo pacto accipiat.*

§. 4. Ne autem Curia secularis prædicta & Ministri facultate illos per se & propria auctoritate extrahendi, & abducendi sibi olim, vt præfertur, attributa, & per præsentes reuocata, abutantur, volumus, dictaque auctoritate decernimus, & declaramus, vt Curia secularis, eiusque Iudices, & Officiales, ab Ecclesiis, Monasteriis, locisque sacris prædictis laïcum aliquem, vt præfertur, delinquentem in nullo ex casibus supradictis sine expressa licentia Episcopi, vel eius Officialis, & cum interuentu personæ Ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos, & non alios Episcopis inferiores, etiamsi alij Ordinarij sint, aut nullius Diœcesis, aut Conseruatores ab hac Sede specialiter vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat. Occurrente autem casu in loco exempto, & nullius diœcesis, tunc ad Episcopum viciniorem deuoluatur hæc cognitio, & non ad alios, qui capere, & extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dictæ personæ Ecclesiasticæ requisitæ illos in delictis superius expressis culpabiles tradere, aut capturæ & carcerationi interuenire, & assistere recusauerint: tuncque reuerentiæ Ecclesiæ, & locis sacris debitæ memores, prædictos delinquentes minori, quo id fieri poterit, cum scandalo & tumultu extrahere curent.

*Sed Ecclesiasticus prius videat, an carceratus aliquod ex criminibus exceptis commiserit.*

§. 5. Quodque delinquentes laïci prædicti, postquam, vt præfertur, ab Ecclesiis, locisve sacris extracti & capti fuerint, ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto & firmo carcere, ac opportuna custodia data illis, si opus fuerit, per Curiam secularem, detineri debeant, nec inde extrahi, Curiæque seculari prædictæ consignari nec tradi possint, nisi cognito priùs per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi verè crimina superiùs expressa commiserint; tuncque demum de mandato Episcopi per Iudicem Ecclesiasticum Curiæ secularis, quacumque appellatione postposita, consignentur.

*Criminis hæresis cognitio totaliter sit fori Ecclesiastici.*

§. 6. De crimine verò hæresis cognitio ad forum Ecclesiasticum tota pertineat, neque in ea Curia secularis se quoquo modo intromittat.

*Et omnia personarum Regularium in omnibus casibus.*

§. 7. Sicuti etiam prohibemus, ne contra Ecclesiasticas personas, seculares, aut cuiusvis Ordinis, vel Militiæ, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani regulares quoquo modo, etiam vigore prædictorum priuilegiorum, indultorum, aut concessionum, quæ omnia ad terminos iuris per præsentes reducimus, procedant, aut se intromittant, illasve ab Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, locisque sacris, aut religiosis, etiam in casibus in hac constitutione expressis, extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, aliàs quàm de iure, & per priuilegia eisdem Ordinibus, aut militiis concessa permittur, quomodolibet præsumant.

*Contrauenientes in pœnas hic enarratas incidant.*

§. 8. Quod si quis quacumque dignitate, & auctoritate præditus, præmissorum, aut alio quouis prætextu quicquam præter, aut contra huius nostræ constitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus eum ipso facto censuras & pœnas easdem incurrere, quæ contra libertatis, iuris, & immunitatis Ecclesiasticæ violatores per sacros Canones, & Conciliorum generalium, nostrorumque prædecessorum constitutiones sunt promulgatæ.

*Clausula sublata, &c.*

§. 9. Sicque per quoscumque Iudices, ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, in quauis causa & instantia iudicari, & definiri debere, necnon decernimus inane si secus super his per quoscumque quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clausula derogatoria.*

§. 10. Non obstantibus præmissis, tam Sixti „& Pij V. quàm aliorum quorumcunque prædecessorum nostrorum literis Apostolicis, priuilegiis, indultis, & facultatibus, quibusvis personis, etiam Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quauis dignitate & auctoritate fulgentibus, aut Rebuspublicis, Dominiis, Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, Terris, & locis, eorumve Curiis, Parlamentis, Senatibus, Consiliis, Communitatibus, Vniuersitatibus, Collegiis, aut Præsidentibus, Proregibus, Gubernatoribus, Locatenentibus, Vicariis, Potestatibus, aliisque Magistratibus, Officialibus, Ministris, aut Consiliariis, ex prædictis, vel aliis etiam grauioribus, & vrgentioribus causis; tam illorum intuitu & contemplatione, siue ad eorum preces, & instantiam, quàm etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac per modum statuti & legis perpetuæ, etiam in vim contractus, & de fratrum nostrorum consilio, sub quibuscumque tenoribus & formis, & cum quibusvis præseruatiuis, restitutiuis, mentis attestatiuis, derogatoriarum derogatoriis, aliisque validissimis, efficacissimis, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiamsi inibi caueatur expressè, quod illis, nisi sub certis modis & formis, & nisi de expresso eorum consensu, ad quorum fauorem concessæ fuerint, derogari possit, & aliter factæ derogationes nullius sint roboris vel momenti, & aliàs quomodolibet concessis, etiam sæpius approbatis, & innouatis. Quæ omnia, & singula, ac illorum tenores pro expressis habentes, quatenus præmissis in aliquo aduersentur, aut plures quàm superiùs expressos casus contineant, auctoritate & tenore præmissis omnino, ac perpetuò tollimus, & abrogamus, ac ad terminos præsentis Constitutionis, quoad superiùs descripta dumtaxat, reducimus, & nolumus cuiquam de cætero suffragari, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali vel speciali, per quæ præsentibus non expressa, vel ad verbum non inserta effectus earum quomodolibet valeat impediri.

*Publicationem huius constitutionis demandat.*

§. 11. Vt autem præsentes literæ ad omnium notitiam faciliùs deducantur, mandamus illas in valuis S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum, Basilicarum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ de more affigi, & publicari, earum exemplis inibi affixis & dimissis, ac post publicationem huiusmodi volumus & decernimus, vt omnes & singulos quos concernunt, & concernent in futurum, perinde arctent, & afficiant, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent. Earumdem verò præsentium transumptis, etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, eamdem fidem in iudicio, & extra illud vbique gentium & locorum haberi volumus, quæ eisdem originalibus literis haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

*Sanctionem pœnalem adiicit.*

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ moderationis, præcepti, mandatorum, decretorum, reductionum, declarationum, prohibitionis, sublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omni-

potentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo primo, nono Kal. Iunij, Pontificatus nostri Anno 1.

*Publicatio.*

*Anno à natiuitate Domini* 1591. *indict.* 4. *die verò* 28. *mensis Maij, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIV. anno eius* 1. *retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valuis Basilicarum Principis Apostolorum de Vrbe, & S. Ioannis Lateranens. necnon Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Caterinum Menandi, & Nicolaum Druyn Curs.*

*Pompeius Guerra Mag. Curs.*

---

## CLEMENTIS VIII. B. XLI.

Institutio Congregationis super Baronibus Status Ecclesiastici, cum iurisdictione eorum Castra & bona etiam fideicommissis subiecta distrahendi pro satisfatione suorum creditorum.

*Quod autem Barones isti teneantur eorum vassallos ab obligationibus pro eis contractis liberare, iussit Pius IV. in const.* 18. Quia, *fol.* 22. *lib.* 2. *vbi notaui.*

*CLEMENS EPISCOPVS,*
*Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

IVstitiæ ratio, & publicæ fidei causa postulat, vt eorum, qui pecunias nostris & S. R. E. subditis crediderunt, seu quibus aliquid ab eisdem, quauis occasione vel causa debetur, indemnitati pro munere nostro, opportuno remedio consulamus.

*Causa huius Constit.*

§. 1. Cum igitur multorum querelis iamdiu ad nos perlatum sit, & quotidianis expostulationibus perferatur, nonnullos Barones & Domicellos, nostros & S. R. E. subditos, tam in Vrbe, eiusque districtu, quàm in vniuerso statu nostro Ecclesiastico existentes, contracto variis de causis ære alieno, nullam prorsus inire rationem illud dissoluendi, immo nec annuas fructuum præstationes idcirco debitas, maximo creditorum incommodo persoluere, ipsosque adeo creditores, dum eorum credita à dictis Baronibus, & Domicellis exigere conantur, magnos sumptus facere, & variis litibus implicari, & nihilominus credita ipsa nullo modo consequi posse, fideiussores etiam, qui pro eisdem Baronibus & Domicellis sese, & bona sua quoquo modo obligarunt, rab eorum obligationibus minimè posse liberari. Præterea, licèt aliàs ad eorumdem Baronum & Domicellorum res aliquo pacto subleuandas, à nonnullis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, ac etiam forsan à nobis, ex speciali gratia concessa fuerit facultas quosdam pecuniarum Montes super eorum Ciuitatibus, Terris, Castris, Casalibus, & aliis bonis stabilibus, ad diuersas summas ascendentes erigendi cum obligatione etiam per ipsos Barones facta fructus hoc nomine singulis annis conuentos soluendi, ac certis modo, & forma Montes erectos intra præscriptum tempus extinguendi, eos tamen qui pecunias in dictis Montibus posuerunt, hactenus annuas fructuum præstationes à nonnullis ex dictis Baronibus, & Domicellis consequi non potuisse, neque adhuc posse, ac præterea aliquos etiam Barones & Domicellos, eosdem Montes, vel eorum partem, iuxta eorum obligationem, statuto tempore non extinxisse, nec forsan vlterius de illorum extinctione cogitare, quo fit, vt iidem creditores sub fide publica hactenus magno detrimento affecti fuerint, & in dies magis ac magis afficiantur.

*Institutio Congregationis pro satisfactione creditorum cuiuscumque Baronis, his modis, videlicet.*

§. 2. Nos hisce malis pro officij nostri munere occurrere, & debitæ supradictorum creditorum (inter quos plerique pauperes, complures etiam pupilli, & viduæ sunt) satisfactioni expedita aliqua ratione prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, dilectum filium nostrum Bartholomeum Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem Cæsium nuncuparum, necnon dilectos filios Tiberium Cerasium Cameræ Apostolicæ Clericum, Paulum Coperchium Fisci, & dictæ Cameræ Aduocatum, Paulum Æmilium Zacchiam eiusdem Cameræ Commissarium generalem, ac Rodulphum Bonfiolum Senatorem Bononiensem ad infrascripta omnia, & singula facienda, Apostolica auctoritate, tenore præsentium constituimus, assumimus, & deputamus, ac eisdem liberam, amplam, & plenam facultatem & auctoritatem concedimus, & impartimur, vt coniunctim omnes, seu saltem idem Bartholomeus Cardinalis, & maior ipsorum pars omnibus, & singulis, tam instrumentariis, siue hypothecariis, quàm chirographariis, ac etiam legatariis, & ratione mercedis, cibariorum, & vestiarij, seu aliàs quouis modo priuilegiatis, vel mercium, siue aliarum rerum occasione, aut etiam ex causa fideiussionum, pro eisdem Baronibus seu Domicellis, ac pro qualibet summa & quantitate quorumcumque Principum, Ducum, Marchionum, & Comitum, aliorumque Baronum, & Domicellorum nostrorum, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subditorum, in Vrbe, eiusque districtu, & in vniuerso Statu nostro Ecclesiastico existentium, cuiuscumque status, gradus, conditionis, & ordinis fuerint, etiamsi dignitate quacumque Ecclesiastica, etiam Cardinalatus honore præfulgeant, aut ipsorum parentum, seu antecessorum, vel auctorum quorumcunque creditoribus, etiamsi eorum vassalli & subditi, aut alij quicumque fuerint, qui de ipsorum creditis, ex quauis causa, & ad quamcunque summam, vt præfertur, ascendentibus, per mandata executiua à quibusvis Iudicibus Vrbis, aut alterius loci Status prædicti, decreta & relaxata docuerint, ipsaque mandata exhibuerint, quamprimum absque vlla dilatione, non obstantibus quibuscumque inhibitionibus, dilationibus, supersessoriis in forma *Non gratietur*, aut aliàs quomodolibet ab iisdemmet, vel aliis Iudicibus, aut etiam forsan à nobis, siue de ordine ac mandato nostro emanatis, & emanandis, quas omnes, & singulas ex nunc auctoritate præsentium reuocamus, annullamus, & irritamus, infrascriptis modis & formis satisfieri curent & mandent, & cum effectu faciant, videlicet.

*Exhibitis à creditoribus mandatis executiuis per Iudices relaxatis contra Barones, Congregatio illa exequi faciat, absque alia citatione super quibuscumque eorum bonis & castris nomine Cameræ Apostolicæ ad commodum creditorum, & statim cesset Baronum iurisdictio, & eius exercitium.*

§. 3. Prædictorum Deputatorum Congregatio, exhibitis prædictis, absque alia citatione, & tela iudiciaria, & sine vlla causæ cognitione, super veritate crediti, vel discussione iustitiæ, aut nullitatis mandatorum relaxatorum, tanquam meri, & puri executores, & propria auctoritate, & mandato, & sine vitio spolij attentatorum

tentatorum, aut nullitatis, omnium & quarumcunque Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, Casalium, Palatiorum, & aliorum bonorum immobilium, tam in vrbe eiusque districtu, quàm alibi vbicumque in nostro Statu Ecclesiastico existentium, ad ipsos Principes, Duces, Marchiones, Comites, vel Barones aut Domicellos quoscumque, contra quos, vel eorum auctores, parentes, & quosvis antecessores, seu hæreditaria eorum bona quæcumque mandata huiusmodi ex quauis causa, vt suprà dictum est, relaxata fuerint, vel eorum partem, arbitrio ipsius Congregationis pertinentium, & per eos quocumque titulo habitorum, & quouis modo tentorum, & possessorum, realem, actualem, & corporalem possessionem nomine Cameræ Apostolicæ capi, & retineri, ad commodum tamen, & vtilitatem eorumdem creditorum, per mensem dumtaxat immediatè sequentem à die captæ possessionis, à qua die omnis ipsorum Principum, Ducum, Marchionum, Baronum, seu Domicellorum, & aliorum prædictorum iurisdictio, & illius exercitium atque administratio penitus cesset & cessare debeat, ita quod ipsi non possint per se vel alios in Ciuitatibus, Terris, Castris, Casalibus, Palatiis, & aliis locis, & bonis prædictis sese ingerere, aut aliquo pacto intromittere, sed illorum iurisdictio & administratio penes dictam Congregationem, seu personas ab ea deputandas remaneat, omnino curent, & re ipsa præstent.

*Elapso mense Ciuitates & bona eorum subhastanda proponant, & absque expensis plus offerenti deliberent.*

§. 4. Quo mense elapso, Ciuitates, Terras, Castra, Casalia, Palatia, & alia bona huiusmodi subhastanda proponant, & plus offerenti, omissa penitus omni alia solennitate, & sine solita etiam subhastatione, & deliberatione per manus Cursorum, seu alias fieri consueta, & absque illarum expensis, præuia dumtaxat vnius edicti per dies quindecim in locis publicis affixione, ad deliberationem plus offerenti, cum cedula bancharia idonei Mercatoris, seruata tamen quoad personas quæ Ciuitates, Terras, Castra, & alia bona huiusmodi emere voluerint, forma Constitutionis fel. record. Sixti Papæ V. prædecessoris nostri, super prohibitione alienandi Castra, & alia bona stabilia in statu Ecclesiastico existentia sine Sedis Apostolicæ licentia, & aliis personis quàm vassallis eiusdem Status, deueniant, illasque & illa deliberent, & vendant, ac instrumentum, vel instrumenta quæcumque, & alia desuper necessaria, & opportuna, obligando etiam personas Principum, Ducum, Marchionum, Baronum & Domicellorum prædictorum, & bona eorum pro euictione, etiam in forma eiusdem Cameræ Apostolicæ celebrent, & celebrari faciant.

*Pretium inde reductum creditoribus consignari faciant.*

§. 5. Ac pretium inde redigendum, in satisfactionem dictorum creditorum, iuxta eorum anteriioritatem, & potioritatem, recepta prius ab eis iurium cessione, ad fauorem emptoris, & si eidem Congregationi visum fuerit, præstita etiam ab ipsis idonea cautione, seu facta obligatione de eodem pretio restituendo prioribus, & potioribus, ad omne mandatum sui Iudicis consignent, & consignari faciant.

*Cam. Apost. inter oblatores admittatur.*

§. 6. Inter oblatores autem Cameram Apostolicam seu eius Commissarium, si offerre voluerit, ad offerendum admittant.

*Oblatore non reperto Camera adiudicet pro pretio æstimando, & ipsa creditoribus satisfaciat.*

§. 7. Sed si intra dictos quindecim dies nullus oblator reperiatur, tunc Congregatio prædicta Ciuitates, Terras, Castra & alia bona prædicta eidem Cameræ nostræ Apostolicæ adiudicet, liberet ac vendat; & ipsa Camera nostra Apostolica, præuia æstimatione per vnum vel plures æstimatores ab ipsa Congregatione deputandos, pro illo pretio, quod æstimatum fuerit, illas, & illa pro se accipere debeat, & de dicto pretio omnino supradictis eorum creditoribus satisfacere teneatur.

*Subhastatio eadem & deliberatio fiat, si extraindicialiter constiterit, Montem vel censum Baronis non fuisse debito tempore extinctum, aut fructus non solutos, vel alia per eum promissa non impleta.*

§. 8. Declaramus autem, si inter dictos creditores reperiantur aliqui, qui occasione quorumvis, tam Montium, quàm censuum, intuitu ac contemplatione ipsorum Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, & Domicellorum, vel eorum auctorum, & prædecessorum supradictorum, erectorum, & impositorum respectiuè creditores fuerint, & quibus de fructibus idcirco debitis hactenus integrè satisfactum non erit, vel in futurum non satisfiet, in præmissis eum seruari debere modum & ordinem, vt capta summaria informatione, etiam extraiudiciali, per dictam Congregationem de lapsu temporis, & de satisfactione non secuta, absque vlla, vt dictum est, causæ cognitione ad subhastationem, deliberationem, venditionem & adiudicationem supradictarum Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, & bonorum pretio, vt suprà æstimando, modo & forma prædictis, & vlterius ad extinctionem dictorum Montium, & censuum, ac satisfactionem dictorum fructuum, vsque ad diem dictæ extinctionis decursorum, ipsa congregatio omnino deueniat. Idemque seruari volumus, & mandamus, quod illos Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones & Domicellos, qui licèt dictos fructus suo tempore quotannis soluerint, supradictos tamen Montes, vt præfertur, erectos, vel census impositos, & venditos intra tempora in erectione ipsorum Montium, aut in impositione, & venditione censuum fideiussoribus promissa, vel aliàs conuenta non extinxerint, aut in futurum debitis temporibus non extinguent, seu etiam alia pacta in eisdem Montium erectionibus & censuum impositionibus, & venditionibus apposita, & aliàs conuenta, seu in quibuscumque contractibus, in quibus, seu quorum vigore dicti Barones, & Domicelli, aut eorum auctores, seu antecessores debitores existunt, adicta non adimpleuerint, vel non obseruauerint, aut in futurum non obseruabunt, siue adimplebunt, in toto vel in parte ipsa Congregatio eos ad dictorum Montium, & censuum integram extinctionem, & debiti solutionem, ac creditorum satisfactionem, etiamsi dies totius Montium, & censuum extinctionis, vel debiti solutionis non aduenerit, cogat & compellat.

*Fideicommissa, &c. hæc non impediant.*

§. 9. Volumus etiam, & pari motu, ac potestate decernimus, Principes, Duces, Marchiones, Barones, & Domicellos supradictos, seu illorum quoscumque pro tempore successores, subhastationem, deliberationem, venditionem, & adiudicationem, & alia prædicta impugnare, impedire vel retardare non posse, nec aduersus ea aliquo modo se tueri, aut pro illorum reuocatione quocumque tempore instare, etiam ea ratione, vel prætextu, quod ipsi in Castris, & bonis prædictis sint hæredes cum beneficio legis, & inuentarij, vel non succedant illis qui debita prædicta contraxerunt, sed quod loca, & bona suprà dicta ex antiquis inuestituris, concessionibus, fideicommissis, donationibus, vel ex contractibus etiam ex causa dotium, vel quacumque alia de iure priuilegiata consecuti fuerint, vel ad ea vocati sint, mandatave à Iudicibus fuerint tantummodo decreta, seu relaxata contra bona hæreditaria illorum qui debitum huiusmodi contraxerunt, dicta bona quouis titulo & modo tenuerint, & possederint, seu quod ipsi

Barones

Barones & Domicelli simili modo illa teneant & possideant, aut ex eo quod creditores ex causa Montium & censuum restitutionem sortis principalis petere non possint, se à fideiussione eximi: quibus, & aliis quibuscumque allegationibus, seu subterfugiis non obstantibus, ad executionem nihilominus subhastationis, & deliberationis, & aliorum præmissorum supradictarum Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, & locorum deueniri omnino debeat, illaque robur perpetuæ firmitatis sortiantur, & obtineant.

*Illisque plenissimè derogatur.*

§. 10. Vt autem præmissa omnia, & singula ad fauorem omnium creditorum prædictorum statuta, & dispositа, statim sine vlla mora, aut aliquo impedimento executioni demandari possint, omnibus, & quibuscumque inuestituris, concessionibus, donationibus, fideicommissis, primogenituris, & alienandi prohibitionibus, necnon pactis de succedendo, tam in contractibus, quàm in vltimis voluntatibus purificatis, & purificandis super Ciuitatibus, Terris, Castris, Casalibus, Palatiis, & aliis bonis immobilibus huiusmodi, per quoscumque ascendentes, seu collaterales, ac penitus extraneos, ac forsan ipsos etiam Romanos Pontifices prædecessores nostros, etiam Motu proprio, & consistorialiter emanatis, & sub quibusvis clausulis, vinculis & cautelis quomodolibet factis, & confirmatis, quorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, ac etiam regulæ nostræ de non tollendo iure quæsito motu, scientia, & potestate similibus, plenissimè ac latissimè derogamus, ac derogatum esse volumus.

*Aliaque bona libera Baronum dictis fideicommissis supposita censeantur.*

§. 11. Quod si forsan iidem Principes, Duces, Marchiones, Barones & Domicelli aliqua alia bona stabilia nulli inuestituræ, concessioni, donationi, fideicommisso, primogenituræ, vel alienandi prohibitioni, aut pacto de succedendo, aliisque prædictis subiecta, vel aliàs immunia, & exempta & libera quoquo modo possederint, nos pari motu, & auctoritate eadem bona inuestituræ, concessioni, donationi, fideicommisso, primogenituræ, prohibitioni, & pacto prædictis in locum bonorum venditorum prædictorum in omnibus, & per omnia subiicimus, substituimus, & subrogamus, & per eandem Congregationem, secuta venditione prædicta, subiici, substitui & subrogari debere decernimus & mandamus.

*Clausula sublata.*

§. 12. Declarantes nihilominus Ciuitates, Castra, & bona, sic vt suprà vendita & assignata, semper, & quocumque tempore penes illorum emptores, & Cameram præfatam, ac successores eorumdem ab omnibus fideicommissis, primogenituris, prohibitionibus, pactis, donationibus, necnon nexibus, oneribus, vinculis, hypothecis, obligationibus, ac aliis prædictis libera, & semper exempta remanere debere, ita vt nullo vnquam tempore prætextu prædictorum fideicommissorum, primogenituarum, prohibitionum, pactorum, donationum, nexuum, onerum, vinculorum, hypothecarum, obligationum, vel successionum, tam ex testamento quàm ab intestato, emptores, Camera & successores prædicti molestari, seu inquietari quomodolibet possint, saluis tamen responsionibus, canonibus, censibus ratione directi dominij, seu cuiuslibet alterius superioritatis, occasione dictorum bonorum eidem Cameræ debitis.

*Si de pretio quid supererit, inuestiatur vt hic.*

§. 13. Cæterùm volumus, & eidem Congregationi pariter mandamus, vt si ex pretio bonorum vigore præsentium vendendorum aliquid solutis debitis superetit, id quod superfuerit, si bona vendita alicui fideicommisso, prohibitioni vel alteri cuicumque oneri, seu vinculo subiecta esse constiterit, in aliorum bonorum stabilium, vel locorum Montium non vacabilium, quæ eidem fideicommisso, prohibitioni, oneri, & vinculo in locum bonorum venditorum omninò subiaceant, conuerti curent, & faciant, eorumque fructus singulis annis in aliorum similium bonorum vel locorum Montium emptionem inuestiri debere declarent, & cum effectu inuestiri faciant, donec ad valorem, & summam bonorum venditorum ascenderint: quæ pariter omnia fideicommisso, prohibitioni, oneri ac vinculo huiusmodi, in omnibus, & per omnia, provt bona vendita huiusmodi antea erant, subiecta existant. Si verò bona eadem vendita nulli fideicommisso, prohibitioni, seu oneri & vinculo obnoxia fuerint, Congregatio ipsa partem quæ supererit ex pretio huiusmodi, solutis debitis, vt præfertur, ipsis Principibus, Ducibus, Marchionibus, Baronibus & Domicellis, solui & consignari faciant.

*Castra per Cameram sic emenda non comprehenduntur per triennium sub Bulla Pij V. quæ est 55. fol. 166. tom. 2.*

§. 14. Ciuitates verò, Terras, Castra & loca iurisdictionalia per Cameram Apostolicam in vim præsentium emenda, & acquirenda in constitutione fel. rec. Pij Papæ Quinti prædecessoris nostri, de Ciuitatibus, Terris, Castris & locis S. R. E. non infeudandis, per triennium à die illarum venditionum computandum, minimè comprehendi debere declaramus.

*Clausula sublata.*

§. 15. Decernentes sic & non aliter in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & Cameræ prædictæ Præsidentes, Clericos, S. R. E. Camerarios, nenon eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Clausula contrariorum derogatoria, & sanctio pœnalis.*

§. 16. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac legibus municipalibus Vrbis, necnon Ciuitatum, Terrarum, Castrorum & locorum supradictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis ac inuestituris, etiam in remunerationem, aut ex quauis alia causa onerosa, aut ex contractu, erectionibus dignitatum, aliisque quibusvis concessionibus, dictis Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus & Domicellis, sub quibuscumque verborum formis & tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & irritantibus ac aliis decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis & innouatis, necnon fideicommissis, ac vltimis voluntatibus, donationibus, pactis quorumcunque, aliisque præmissis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis & ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat, & ad effectum omnium, & singulorum præmissorum specialiter, & expressè, ac latissimè derogamus, cæteris quecumque contrariis quibuscumque.

Nulli

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimoſexto, ſeptimo Kal. Iulij, Pontificatus noſtri anno 5.

*Publicatio.*

*Anno à Natiuitate Domini 1596. indict. 9. die verò vltima menſis Iunij, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. Domini Clementis diuina prouidentia Papæ VIII. anno 5. retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valuis Baſilicarum Principis Apoſtolorum, S. Ioannis Lateran. ac in acie Campi Floræ, vt moris eſt, per nos Catherinum Menandi, & Petrum Aloyſium Peregrinum Curſores*

*Proſper Spada Mag. Curſ.*

## PAVLI V. B. LII.

### Contra mulieres ingrediendi Monaſteria Monialium licentiis abutentes.

*Hic idem Pontifex huiuſmodi licentias vſque tunc conceſſas reuocauit ſui Pontificatus anno 8. vt infrà in conſt. 74. Monialium, vbi notabo.*

S. D. N. Vrbanus VIII. declarauit, quod conſenſus Monialium, ſine quo mulieres ſeculares licentiis ingrediendi Monaſteria vti non poſſunt, expreſsè, capitulariter, & per ſecreta ſuffragia præſtandus ſit, in conſt. 29. Sacroſanctum, inf. tom. 4.

## PAVLVS PAPA V.

*Ad futuram rei memoriam.*

FAcultatum plura Monaſteria Monialium ingrediendi abuſus tollere volentes.

*Declaratio circa vſum licentiarum.*

§. 1. Tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quòd nulla perſona cuiuſcumque gradus, ſtatus & conditionis, ac præeminentiæ exiſtat, etiamſi Ducali, Marchionali, aut alia dignitate præfulgeat, vigore licentiarum plura Monaſteria, domos, & loca Monialium pluribus vicibus ingrediendi, etiam abſque clauſula (in totum, ſeu in vniuerſa, non autem in eorum aliqua, vel ſingula) à Nobis, vel prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſub quouis tenore, vel forma, etiam motu proprio conceſſarum, & expeditarum, aliqua vel ſingula Monaſteria pluribus vicibus ingredi poſſit, ſed licentiæ huiuſmodi reſpectu vniuerſorum, non autem aliquorum, vel ſingulorum Monaſteriorum ſuffragentur, ita vt cui bis in anno, ſeu amplius plura Monaſteria ingredi conceditur, bis, vel amplius tantum vniuerſa, non autem eorum aliqua, vel ſingula ingredi liceat, etiamſi prædicta Monaſteria in diuerſis Ciuitatibus, Terris, Diœceſibus, & locis exiſtant.

*Pœna abutentium.*

§. 2. Iiſdemque mulieribus aliter quàm vt præfertur eaſdem licentias interpretari, vel illis vti, ſub cenſuris & pœnis à Concilio Tridentino, & Apoſtolicis conſtitutionibus intra ſepta Monaſteriorum Monialium abſque licentia ingredientibus inflictis, ipſo facto incurrendis, eadem auctoritate prohibemus.

*Clauſ. derog.*

§. 3. Præmiſſis & aliis quomodolibet in contrarium facientibus quibuſcumque non obſtantibus.

*Fides tranſumptorum.*

§. 4. Volumus autem vt harum literarum exemplis etiam impreſſis & manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſiſmet præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 1. Septembris 1608. Pontificatus noſtri anno quarto.

*Publicatio.*

*Anno à Natiuitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti 1609. Indict. 7. die verò 11. menſis Febr. Pontificatus autem Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Pauli diuina prouidentia Papæ V. anno 4. retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, in acie Campi Floræ, & aliis locis ſolitis & conſuetis Vrbis per me Dominicum de Rubeis Sanctiſſ. D. N. Papæ Curſ.*

*Pro Magiſtro DD. Curſ. Franciſcus de Bonis Curſ.*

## PAVLI V. B. LXXIV.

### Reuocatio omnium licentiarum Monaſteria Monialium ingrediendi, aut cum eis conuerſandi, mulieribus hactenus conceſſarum.

*Ad hanc materiam vide conſt. 28. Greg. XIII.* Vbi gratiæ, *lib. 2. vbi notaui.*

Vide quæ de hac materia addidi ſup. ad huius Pauli Conſt. 52. facultatum.

## PAVLVS PAPA V.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

MOnialium ſtatui, quæ ſecularia deſideria abnegantes, Dei obſequio ſeſe addixerunt, paſtorali ſolicitudine conſulere cupientes, ad ea remouenda, quæ religioſam earum quietem, & regularem obſeruantiam perturbare dignoſcuntur, curam noſtram libenter intendimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

*Reuocatio licentiarum ingrediendi Monaſteria Monialium mulieribus ſecularibus conceſſarum.*

§. 1. Quoniam itaque, ſicut accepimus, experientia compertum eſt, non leuia incommoda licentias ingrediendi Monaſteria Monialium mulieribus ſecularibus conceſſas, dictis Monialibus inferre: Nos malis huiuſmodi opportuno remedio prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes & ſingulas licentias ingrediendi Monaſteria Monialium vbique locorum exiſtentium, ac cum Monialibus conuerſandi, & refectionem ſumendi corporalem mulieribus cuiuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentibus, etiam Marchionali, & Ducali dignitate fulgentibus, ſub quibuſcumque verborum formis & tenoribus, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus & efficacioribus, ac inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis, ad tempus vel in perpetuum à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, & etiam à Nobis conceſſas, quarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus haberi volumus pro expreſſis, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium reuocamus, caſſamus & irritamus, ac reuocatas, caſſas, & irritas eſſe decernimus.

*Pœna vtentium licentiis.*

§. 2. Inhibentes mulieribus prædictis licentias huiuſmodi habentibus, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, à qua non niſi à Nobis, ſeu Romano

Pontifice

Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo absolui possint, ne Monasteria prædicta prætextu licentiarum huiusmodi ingredi audeant, seu præsumant.

*Pœna eas admittentium.*

§. 3. Ipsorum verò Monasteriorum Abbatissis, seu Priorissis, ac Superioribus, sub eadem, ac priuationis suorum officiorum quæ obtinent, & inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, ipso facto sine alia declaratione incurrendis pœnis, ne eas introducere seu admittere, vel quoquo modo retinere audeant, seu præsumant.

*Deputatio executorum.*

§. 4. Quocirca dilectis filiis nostris, & Apostolicæ Sedis pro tempore existentibus Nunciis, ac locorum Ordinariis, necnon dictorum Monasteriorum Prælatis & Superioribus præcipimus & mandamus, quatenus præsentes literas publicari, & præmissa omnia obseruari faciant; contradictores quoslibet, ac præmissis non parentes, per prædictas & alias sententias, censuras & pœnas, aliaque iuris & facti remedia opportuna appellatione postposita compescendo, inuocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachij secularis.

*Derog. contrariorum.*

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

*Fides transumptorum.*

§. 6. Quia verò difficile foret has literas ad omnia loca deferri, volumus quod earum transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, ac si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die decima Iulij 1612. Pontificatus nostri anno 8.

*Publicatio.*

*Anno à Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi 1612. Indictione decima, Pontificatus Sanctissimi D. N. D. Pauli diuina prouidentia Papæ Quinti, anno eius 8. die verò 12. mensis Iulij retroscriptæ literæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostol. de Vrbe, ac in Acie Campi Floræ, per me Brandimartem Latinum Apostolicum Cursorem.*

*Virginius de Virginiis pro Mag. Cursorum.*

---

## GREGORII XV. B. IX.

Reuocatio quarumcunque electionum de Iudicibus Conseruatoribus hactenus factarum, & noua de eis, eorumque electionibus in posterum faciendis dispositio.

*De hac materia vide dispositionem Bonif. VIII. in cap. 11. de rescript. in 6. & etiam cap. 1. & 15. de offic. deleg. in 6. necnon Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. de ref. & Leonis X. const. 22. sup. tom. 1. & Clem. VIII. const. 3. sup. tom. 3.*

Scias super nonnullis verbis huius Const. exortum fuisse dubium, quod declaratum fuit per Congreg. Concil. Trident. Interpret. in quodam Decreto, quod hîc subsequitur.

*Huius Clem. const. est sup. tom. 3.*

SAnctissimus in Christo Pater, & Dominus noster D. Gregorius diuina prouidentia Papa XV. ex certis rationabilibus causis animũ suum mouentibus, & de voto venerabilium fratrum suorum S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, partim fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædecessoris sui vestigiis inhærendo,

*Hic Pont. reuocat omnes, & quascumque electiones Conseruatorum hactenus factas.*

§. 1. Reuocauit, ac nullas, & inualidas decreuit omnes, & quascumque iudicum Conseruatorũ electiones, nominationes, seu deputationes, tam in vim literarum Conseruatoriarum, iuxta formam in quinterno Cancellariæ descriptam, quàm in vim quorumcunque priuilegiorum perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum Apostolica auctoritate concessorum, seu alias quocumque iure, vel titulo hactenus factas pro quibuscumque Conuentibus, Capitulis, Militiis, etiam S. Ioannis Hierosolymitani Congregationis, Collegiis, Ordinibus, Monasteriis, Hospitalibus, aut aliis quibusvis piis, tam secularibus, quàm cuiusvis Ordinis, etiam Mendicantium, seu Instituti, vel Societatis Regularibus locis quantumvis exemptis, etiam de necessitate exprimendis, seu illorum personis, cuiusvis qualitatis, seu conditionis existant.

*Statuit huiusmodi electiones de catero fieri vt hîc.*

§. 2. In futurum verò Sanctitas sua hac generali, & perpetuò valitura constitutione statuit, & decreuit, vt Iudices Conseruatores huiusmodi, siue principales, siue subrogati, eligi, nominari, aut deputari non possint, nisi non solùm habeant qualitates requisitas, & descriptas in Constitutione similis rec. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædecessoris sui, quæ incipit *Statutum*, ita vt vel dignitate Ecclesiastica præditi, vel personatum obtinentes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant; sed etiam in Conciliis Prouincialibus, aut diœcesanis, iuxta Decretum Concilij prædicti, Iudices electi, seu designati sint.

*Deinde Bonif. VIII. cap. Statutum est, in 6. decr. Trident. rescript.*

§. 3. Quodque deinceps literæ Conseruatoriæ per Sedem Apostolicam concedendæ suprascriptis tantùm dirigantur, & si quæ literæ aliter expedientur, illæ, ac deputationes huiusmodi, omniaque exinde sequenda nullius sint roboris, vel momenti.

*Ac Conseruatores aliter eligendos irritat, eligentibusque pœnas infligit.*

§. 4. Et nihilominus qui secus, quàm iuxta formam superiùs præscriptam, Conseruatores huiusmodi cum effectu eligere, nominare, seu deputare, aut electis, nominatis, seu deputatis vti ausi fuerint, Regulares quidem voce actiua, & passiua sint ipso iure priuati, adeò vt habilitationem à nemine, præterquam à Romano Pontifice consequi valeant, reliqui verò aliis pœnis arbitrio Sanctitatis suæ coërceantur, & prædictorum omnium Conuentus, Monasteria, ac loca huiusmodi, eorumque personæ, ac bona careant conseruatore ad annum, ita vt illorum causæ inter ea coram locorum Ordinariis dumtaxat cognosci ac definiri debeant.

*Conseruatores in Synodis prouincialibus ab Ordinario certo modo eligi debeant.*

§. 5. Cæterùm vt latiùs pateat Conseruatorum huiusmodi deligendorum facultas, Sanctitas sua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, vt in Synodis Prouincialibus, aut Diœcesanis quamplures personas ex habentibus qualitates in prædicta Constitutione eiusdem Bonifacij prædecessoris contentas, & alioquin ad id aptas designari procurent, & si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in eius locum vsque ad futuram Prouincialem, aut Diœcesanam Synodum.

*Tempus ad elig. huiusmodi Conf. præfinit.*

§. 6. Insuper Sanctitas sua, inhærendo hac in parte Decreto similis record. Gregorij Papæ XIII. etiam prædecessoris sui, statuit, & ordinauit, vt Regulares, ac

ac personæ huiusmodi in Italia infra duos, extra Italiam verò infrà sex menses à die publicationis in Vrbe præsentis Constitutionis inchoandos, debeant sibi eligere, seu assumere Conseruatores iuxta formam superiùs propositam.

*Electionesque factas in Curiis Ordinariorum in actis exhiberi mandat.*

§. 7. Eiusque electionis, seu assumptionis documentum infra tempus huiusmodi penes Acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur; alioquin eo termino elapso, quandiu Conseruatores secundum formam præsentis Constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinariis conueniantur.

*Necnon electos infrà quinquen. non mutari præcipit.*

§. 8. Quodque Conseruatores huiusmodi semel legitimè deputati, nisi ex legitima causa à Sede Apostolica, aut locorum Ordinariis, provt iisdem Regularibus, & aliis supradictis libuerit, approbanda, durante quinquennio à die deputationis, amoueri, aut mutari nullatenus possint, aut valeant.

*Conseruatorum iurisdict. declarat.*

§. 9. Ad hæc statuit Sanctitas sua, vt coram ipsis Conseruatoribus Regulares, ac personæ suprascriptæ conueniri quidem, aut trahi debeant, sed alios conuenire, aut trahere non possint, itaut memorati Conseruatores in causis, in quibus Regulares, & alij actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeant, sed in iis tantùm, in quibus rei extiterint, neque extra Ciuitates, seu Diœceses, in quibus fuerint deputati, contra quoscumque procedere præsumant.

*Conseru. huiusmodi à manifestis iniuriis deferri de iure posse regul. declarauit Cong. Concil. Trident. in quodam decr. sub anno 1624. & hic subsequitur. Controuersias inter Conseru. & Ordinar. per arbit. decidi iubet. Conseru. & litigantium limites suos excedentium iuxta Bonifac. VIII. const. pœnas declarat.*

§. 10. Si qua verò inter Iudices Conseruatores huiusmodi, & locorum Ordinarios controuersia super competentia iurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma Iuris electos super iurisdictionis competentia fuerit iudicatum.

*Hæc Bonif. const. est cap. 15. de Offic. deleg. in 6.*

§. 11. Quod si qui Conseruatores, siue in hac parte, siue aliàs quomodolibet suos limites excesserint, per annum ab Officio Conseruatoris huiusmodi suspensi sint, & pars quæ hoc fieri procurauerit, sententiam excommunicationis incurrat, iuxta formam alterius Constitutionis eiusdem Bonifacij prædecessoris, quæ incipit: Hac Constitutione; quam Sanctitas sua in omnibus, quæ præsenti Constitutioni non aduersantur, innouauit, & innouat.

*Iudices non suspecti, quando à Principibus peti possint, explicat.*

§. 12. Per hoc tamen non intendit Sanctitas sua prohibere, quominus Regulares, & alij supradicti in casibus à iure permissis petant Iudicem non suspectum à Principibus, seu Magistratibus secularibus; dum tamen hæc tria copulatiuè concurrant: videlicet, vt Regulares, & alij prædicti sint actores, non autem rei; vtque agant contra laicum, non autem contra Ecclesiasticum, vel aliàs à iurisdictione seculari exemptum; atque vt causa, in qua Iudex deputatur, fuerit profana, non autem Ecclesiastica, & in ea iuxta sacrorum Canonum dispositionem laicus, vt præfertur, eligendus, Iudex competens existat.

*Obseruantiam præmissorum præcipit cum decr. irritante.*

§. 13. Quæ omnia & singula in præsenti Constitutione contenta Sanctitas sua voluit inuiolabiliter obseruari: decernentes sic in iis, cæterisque omnibus præmissis per quoscumque, &c. etiam sacri Palatij Apostolici Auditores, necnon S. R. E. Cardinales, sublata, &c. iudicari, &c. necnon irritum, & inane, &c.

*Contrariis quibuscumque plenissimè derogat.*

§. 14. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac literis conseruatoriis, quas omnes ad formam præsentis Constitutionis reduxit, in fauorem quorumcunque Ordinum, tam mendicantium, quàm non mendicantium, Militiarum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, aut cuiusvis alterius Instituti, etiam necessariò exprimendi, Collegiorum, Capitulorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, ac piorum quorumcunque, tam secularium quam Regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegiis quoque, etiam ex causa, & titulo oneroso indultis, & literis Apostolicis, etiam Marimagno, seu Bulla Aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque tenoribus, & formis specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, quibus quoad ea, quæ præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogauit, cæterisque contrariis quibuscumque.

*Hanc legem in locis solitis, & in Cancellaria publicari, & in illius quinterno describi mandat.*

§. 14. Cæterùm, vt præsens Constitutio faciliùs omnibus innotescat, Sanctitas Sua voluit, & mandauit, vt non solùm in Cancellaria Apostolica, sed etiam ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ publicetur, illiusque exempla in iidem locis affixa dimittantur, ac in Quinterno Cancellariæ inter Constitutiones perpetuas describatur, & annotetur.

*Papæ subscriptio.*

Placet, publicetur & describatur A.

*Publicatio in Cancell. die 20. Sept. 1621.*

*Lecta, & publicata fuit supradicta Constitutio in Cancellaria Apostolica ab altero ex Reuer. P. D. Maioris Præsidentiæ Abbreuiatoribus, die vigesima mensis Septembris, anno Incarn. Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimoprimo, Pontificatus verò prælibati Sanctissimi Domini Nostri D. Gregorij Papæ Decimiquinti anno 1.*

*Discretio in illius Quinterno.*

*Et postmodum die, & anno supradictis in Quinterno eiusdem Cancellariæ inter alias Constitutiones Apostolicas descripta & annotata fuit.*

Nicolaus Vrsinus Procustos.

*Publicatio in Vrbe die 20. Septembris 1621. P. A. 1.*

*In Dei nomine. Amen. Anno à Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimoprimo, Indictione quarta, die verò vigesimo Septembris,*

*bris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri, D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XV. anno primo, retroscripta Constitutio Apostolica affixa, ac publicata fuit in valuis Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, per me Augustinum Bracherium, Apostolicum Cursorem.*

*Octauius Spada Mag. Curs.*

*Sequitur aliquod dubium super ista Constitutione exortum, cum sua declaratione.*

*Dubium.*

In Constitutione de Conseruatoribus, edita à sanct. mem. Gregorio Decimoquinto, ex sententia Sacræ Congregationis Concilij inter cætera statutum est, vt coram Conseruatoribus Regulares conueniri quidem, aut trahi debeant, sed alios conuenire, aut trahere non possint, ita vt memorati Conseruatores in causis, in quibus Regulares, & alij actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeant; sed in iis tantùm, in quibus rei extiterint.

Dubitatur nunc: An per hæc verba sublata sit facultas, quam habent Conseruatores defendendi Regulares, & alios à manifestis iniuriis, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus deiiciuntur, & propriis bonis vti, ac frui impediuntur.

*Responsio dicti dubij.*

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum censuit, eiusmodi verbis minimè sublatam fuisse facultatem, quam habent Conseruatores defendendi Regulares à manifestis iniuriis, ac violentiis; dummodò obseruent formam præscriptam Constitutionibus Innocentij Quarti, & Bonifacij Octaui relatis in cap. 1. & fin. de oblig. deleg. in 6.

C. Card. de Torres.

---

## GREGORII XV. B. XVIII.

De Exemptorum priuilegiis circa animarum curam, & Sacramentorum administrationem, Sanctimonialium monasteria, & prædicationem Verbi Dei.

*Tu scias nonnulla dubia super ista Constitutione exorta fuisse, super quibus emanatæ sunt declarationes Sacræ Congregationis Card. Concilij Tridentini Interpretum, ab istomet Gregor. & S. D. N. Vrb. VIII. eius successore respectiuè approbata, qua hic subsequuntur.*

### GREGORIVS EPISCOPVS,

*Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Causa huius const.*

INscrutabili Dei prouidentia vniuersalis Ecclesiæ regimini, meritis licet imparibus, præsidentes, pastoralis nostræ solicitudinis partes esse dignoscimus, in eam curam præcipuè incumbere, vt à dignis, & probatis tantùm sacerdotibus sanctè administrentur Ecclesiastica Sacramenta; atque vt virginum Deo sacrarum Monasteria diligentissimè custodiantur, & viri assumantur idonei ad prædicationis officium salubriter exequendum.

*Concil. Trid. sess. 23. c. 15. circa Confessorum idoneitatem & approbationem disponit.*

§. 1. Sanè Tridentinæ Synodi decretis prouidè cautum est, nullum Presbyterū etiam regularem, posse confessiones secularium etiam Sacerdotū audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.

*Et sess. 25. c. 11. & 15. circa sanctimoniales statuit.*

§. 2. Necnon vt in monasteriis, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum secularium, præter eas, quæ sunt de illorum monasteriorum, seu locorum familia, personæ tam regulares quàm seculares eiusmodi curam exercentes, subsint immediatè in iis, quæ ad dictam curam & Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius diœcesi sunt sita. Itemque vt Episcopi vniuersi sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ in omnibus monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis verò Sedis Apostolicæ auctoritate clausuram sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restitui, & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent; inobedientes, atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas quacumque appellatione postposita, compescentes.

*Et sess. 24. c. 4. circa prædicatores Verbi Dei.*

§. 3. Atque vt regulares in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare volentes, se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur; in Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, nullo modo prædicare possint sine Episcopi licentia; contradicente autem Episcopo nulli, etiam in suorum Ordinum Ecclesiis prædicare præsumant.

*Hic autem Pont. super huiusmodi decr. multas adiungit quoad Exempt. priuat. circa animarum curam, & Sacram. administ.*

§. 4. Verùm quia experientia compertum est, Ecclesiastici regiminis rationes postulare, vt decreis eiusmodi aliquid adiungatur, matura deliberatione nostra, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac generali, ac perpetuò valitura Constitutione decernimus, statuimus, & declaramus, vt deinceps tam regulares, quàm seculares, quomodolibet exempti, siue animarum curam personarum secularium monasteriis, seu domibus regularibus, aut quibusvis aliis Ecclesiis, vel beneficiis, siue regularibus incumbentem exerceant, siue aliàs Ecclesiastica Sacramenta, aut vnum ex illis ministrent, præuia Episcopi licentia, & approbatione, siue quoquo modo in dictæ curæ exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicuius ex illis administratione de facto, absque vlla auctoritate se ingerant in his, quæ eiusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ iurisdictioni, visitationi, & correctioni diœcesani Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, plenè in omnibus subiiciantur. Ad hæc tam regulares, quàm seculares huiusmodi nullis priuilegiis, aut exemptionibus tueri se possint, quominus si deliquerint circa personas intra sepra degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem monasteriorum monialium, etiam regularibus subiectarum, ab Episcopo loci similiter tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.

*Et quoad Confessores.*

§. 5. Confessores verò, siue seculares quomodocumque exempti, tam ordinarij, quàm extraordinarij, ad Confessiones monialium, etiam regularibus subiectarū, audien

audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo diœcesano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. Sed & administrantes bona ad eadem Monasteria Sanctimonialium, vt præfertur, etiam regularibus subiectarum, pertinentia, siue Regulares exiterint, siue seculares, quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque iuris remediis cogi, & compelli queant. Liceatque Episcopo ex rationabili causa Superiores regulares admonere, vt eiusmodi Confessores, atque Administratores amoueant: iisque Superioribus id facere detrectantibus aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & Administratores amouendi quoties, & quando opus esse iudicauerit. Ac similiter possit Episcopus vnà cum superioribus regularibus, quarumcunque Abbatissarum, Prioryssarum, Præfectarum, vel Præpositarum eorumdem monasteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere, absque vlla tamen ipsorum monasteriorum impensa.

*Et etiam quoad Prædicatores.*

*Ad hæc omnia vide declarat. quæ hic subiiciuntur.*

§. 6. Ac demùm habeat Episcopus, tanquam dictæ Sedis delegatus, auctoritatem coërcendi, ac puniendi quoscumque exemptos, tam seculares, quàm regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint. Ita vt Episcopi in præmissis omnibus & singulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas vti eiusdem Sedis delegati, procedere, omnemque iurisdictionem exercere liberè, & licitè valeant.

*Et ita, & non aliter iudicari posse decernit.*

§. 7. Decernentes sic per quoscumque Iudices quavis auctoritate fungentes, etiam Sacri Palatij Auditores, necnon S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere; irritum quoque & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, & vel ignorantur contigerit attentari.

*Contrariis omnibus plenè derogat.*

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, in fauorem quarumcunque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum etiam S. Ioan. Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiusvis alterius instituti, etiam necessariò, & in individuo exprimendi, Monasteriorum, Conuentuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque, tam secularium, quàm regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, vel Consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & priuilegiis, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causa, titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, Conseruatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minimè teneantur, & quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio, ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset; tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, incerti forent præsentibus, pro expressis habentes, quibus quoad ea, quæ eisdem præsentibus aduersantur, illis alias in suo robore permansuris, specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

*Publicationem Romæ factam omnes ligare statuit.*

§. 9. Cæterùm quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca deferri, vt eæ tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad valuas Lateran. & Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum, atque Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis spatium dimitti, eisque detractis, earum exempla eo in loco relinqui.

*Transumptis credi mandat.*

§. 10. Ac volumus, vt earumdem præsentium literarum transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo Prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio, & extra illud, vbi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

*Sanctionem pœnalem subiicit.*

§. 11. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum Statuti, declarationis, decretorum, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1622. nonis Februarij, Pontificatus nostri anno 2.

*IN nomine Dom. Amen. Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi* 1622. *Indictione* 6. *die verò* 8. *mensis Februarij, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XV. anno secundo, retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateran. Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, dimissis ibidem earumdem literarum originalibus appensis per aliquod temporis spatium, & exinde remotis, deinde dimissis earumdem literarum copiis affixis, vt moris est, per nos Cosmum Modium, & Alexandrum de Rocchis, Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursores.*

*Octauius Spada Mag. Curs.*

*Subsequuntur hic aliquod dubia super ista Constitutione exorta, quorum resolutiones mox subiiciuntur.*

## Posita Constitutione fel. rec. Gregorij XV. de exemptorum priuilegiis, &c. Dubitatur.

AN liceat Episcopis visitare Altaria regularium Ecclesiarum, quibus cura animarum personarum secularium non incumbit, aut loca, vbi in iisdem Ecclesiis asseruatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel vbi audiuntur Confessiones personarum secularium.

ij. An Episcopi possint regularibus præscribere, vt certis tantùm in locis, ac temporibus, aut certa-

rum personarum confessiones audiant, vel illorum priuilegia restringere, ac moderari in sacramentis administrandis.

iij. An facultas Episcopis per Constitutionem attributa in exemptos, tam seculares, quàm regulares, intelligatur etiam tributa in personas nullius diœcesis?

iv. An eadem facultas competat inferioribus Prælatis proprium territorium, ac iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus.

v. An per eandem Constitutionem in illis verbis: Possit Episcopus vnà cum superioribus regularibus quarumcunque Abbatissarum, &c. electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere, ius Abbatissas confirmandi Episcopis attributum censeatur.

vj. An Confessores Monialium ante editam Constitutionem deputati, debeant ab Episcopo examinari, & approbari?

vij. An superiores Regulares similiter ante ipsius Constitutionis publicationem electi, seu deputati, alia indigeant Episcopi approbatione pro Confessionibus sanctimonialium sibi subiectarum audiendis.

viij. An confessiones, quas audiunt superiores Regulares electi, seu deputati, vel confirmari post publicationem, & scientiam tenoris dictæ Bullæ, non obtenta Episcopi approbatione, sint nullæ, atque irritæ, necne?

ix. An Regulares generaliter ab Episcopo approbati ad confessiones personarum secularium audiendas, censeantur etiam approbati ad audiendas confessiones Monialium sibi subiectarum.

x. An Regularis ad audiendas confessiones Monialium vnius Monasterij ab Episcopo approbatus, confessiones Monialium alterius Monasterij audire possit.

xj. An Confessores Regulares extraordinatij semel ab Episcopo deputati, & approbati ad audiendas Monialium confessiones pro vna vice infra annum ad præscriptum sacri Concilij Tridentini, possint virtute dictæ approbationis pluries tanquam Confessores extraordinarij, earumdem Confessiones audire absque noua Episcopi licentia?

xij. Cum in eadem Constitutione statutum sit, vt liceat Episcopo ex rationabili causa superiores Regulares admonere, vt amoueant Confessores Monialium, atque administratores bonorum ad earumdem Monialium Monasteria pertinentium; iisque superioribus id facere detrectantibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & Administratores amouendi quoties, & quando opus esse iudicauerit. An eiusmodi causam Episcopus superioribus Regularibus significare teneatur.

xiij. An eadem Constitutio qua parte supponit Episcopi iurisdictioni Regulares delinquentes circa personas degentes intra septa Monasteriorum Monialium, aut circa clausuram, vel bonorum administrationem eorumdem Monasteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an verò solùm in notoriis, & cum scandalo populi?

*Subsequuntur declarationes ad supradicta dubia à Congregatione Card. S. Concilij Tridentini Interpretum data, & ab isto Pont. & Vrb. VIII. eius successore respectiuè approbata.*

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum censuit, Constitutionem sanctæ mem. Gregorij XV. de exemptorum priuilegiis, nequaquam subiicere Regulares exemptos, quibus cura animarum personarum secularium non incumbit, Episcoporum iurisdictioni in his, quæ Sacramentorum administrationem concernunt, nisi cum in Sacramentis personis secularibus administrandis iidem Regulares delinquunt: ac propterea,

Ad primum dubium respondit, Episcopis non licere in vim eiusdem Constitutionis visitare Altaria Ecclesiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura personarum secularium, nec loca, vbi in iisdem Ecclesiis asseruatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel vbi Confessiones personarum secularium audiuntur.

Ad ij. Hac in parte Constitutionem nihil noui iuris induxisse, nec vllam nouam auctoritatem Episcopis in Regulares attribuisse: ideóque in vim ipsius Constitutionis non posse Episcopos Regularibus præscribere, vt certis tantùm in locis, ac temporibus, aut certarum personarum confessiones audiant, vel alias illorum priuilegia in Sacramentis administrandis restringere, aut moderari. Quod si aliunde Episcopis huiusmodi facultas competat, illam non fuisse ab eadem Constitutione sublatam.

Ad iij. Censuit huiusmodi facultatem non intelligi tributam Episcopis in personas nullius diœcesis.

Ad iv. Non competere.

Ad v. Ius confirmandi Abbatissas minimè fuisse Episcopis per Constitutionem attributam.

Ad vj. Confessores quidem extraordinarios Monialium nullatenus posse post Constitutionem illarum confessiones audire, nisi priùs ab Episcopo diœcesano idonei iudicentur, & approbentur. Ordinarios verò Confessores ante Cõstitutionis publicationem deputatos posse, durante triennio ab eorum deputatione inchoando, pergere in confessionibus Sanctimonialium audiendis absque alio examine, & approbatione Episcopi. Quod si contingat, vt illorum facultas à Sede Apostolica vltra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Episcopo examinari, & approbari.

Ad vij. Superiores Regulares electos, seu deputatos ante ipsius Constitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi Confessiones Monialium sibi subiectarum, posse, durante eorum officio, pergere sine alia Episcopi approbatione in confessionibus audiendis illarum tantùm, quæ spontè, ac proprio motu id ab eis petierint. At verò eos, qui post Constitutionem eligentur, aut quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum officiis, seu dignitatibus, expleto iam tempore à Constitutionibus cuiusque Ordinis, vel aliàs legitimè præfinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam posse Sanctimonialium Confessiones audire, nisi prius à diœcesano Episcopo idonei iudicati, atque approbati fuerint.

Ad viij. Confessiones huiusmodi nullas, atque irritas esse.

Ad ix. Regulares generaliter ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum secularium audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subiectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione.

Ad x. Regularem ad audiendas Confessiones Monialium vnius Monasterij ab Episcopo approbatum, minimè posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterij.

Ad xj. Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro vna vice audiendas, haud posse pluries in vim approbationis eiusmodi illarum Confessiones audire: sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.

Ad xij. Non teneri eiusmodi causam significare Superioribus Regularibus; sed hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Episcoporum, quorum conscientiam Sacra Congregatio seriò onerauit, ne facultate sibi hac in parte attributa

attributa quoquo modo abutantur, eius rei in districto Dei iudicio rationem reddituri.

Ad xiij. Constitutionem, habere locum in omnibus delictis, non autem in notoriis tantum, & cum populi scandalo.

*Quæ Sacræ Congregationis responsa ad se relata fel. record. Gregor. XV. & S. D. N. Vrbanus VIII. in omnibus approbarunt.*

A. Card. Cæetanus.

*Prosper Fagnanus S. Congreg. Sec.*

*Subsequuntur alia duo dubia ab eadem Congregatione declarata, & à Sanctiss. D. N. approbata.*

AN Regularis absque legitima licentia accedens ad Monasterium Monialium Regularibus subiectarum, ibique in loco colloquiis destinato cum Moniali colloquens, à diœcesano Episcopo, tanquàm Sedis Apostolicæ delegato, coërceri, & puniri possit?

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum censuit, Posse. Quam Congregationis sententiam Sanctissimus Dominus Noster Vrban. VIII. ad se relatam approbauit.

AN liceat Episcopo in vim Constitutionis sanct. mem. Greg. XV. de exemptorum priuilegiis, punire Regulares, qui ad Abbatissæ electionem procedunt ante tempus ipsi Episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenus prænunciata?

*Declaratio dicti dub.*

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum respondit. Regulares ex eadem Constitutione ita demùm teneri Episcopo significare diem electionis Abbatissæ, eumque vsque ad præfinitum tempus expectare, si antea ipse expresse declarauerit, se vti velle facultate sibi hac in parte attributa, Abbatissarumque in electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere. Post eam verò declarationem licere Episcopo animaduertere in Regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non prænunciata, ad Abbatissæ electionem procedunt.

Cos. Card. de Torres.

*Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.*

---

## VRBANI VIII. BVLLA V.

### Confirmatio Constitutionis Pij V. de Ciuitatibus, Terris, & Locis S. R. E. non infeudandis.

*Et Declarationis INNOCENTII IX. desuper editæ.*

*VRBANVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.*

SAcrosancti Apostolatus ministerij cura, quam altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei humilitatem nostram nullo licet meritorum suffragio gérere voluit, iugiter nos admonet, vt in iis præcipuam Apostolicæ seruitutis solicitudinem adhibeamus, per quæ temporali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ditionis, conseruationi consulitur: atque ideò Nos, quæ à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris hanc ob causam prouidè sancita fuerunt, ea non solum ipsi inuiolatè curabimus custodire, sed etiam ab aliis perpetuò obseruari debere statuemus. Dudum siquidem à felicis recordationis Pio Papa Quinto prædecessore nostro literæ huius tenoris emanarunt. Pius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Admonet nos suscepti cura regiminis vniuersalis Ecclesiæ, cui auctore Domino præsidemus, vt Ciuitates, Terræ, Oppida, & loca Nobis, & Sedi Apostolicæ in temporalibus mediatè & immediatè subiecta perpetuò in iure, dominio, & proprietate, ac possessione dictæ Sedis conseruentur. Sanè licèt nonnulli Romani Pontifices prædecessores Nostri, per eorum Constitutiones rerum Ecclesiasticarum alienationes prohibuerint, & iam factas reuocauerint, & annullauerint: nihilominus cum retroactis temporibus nonnulli nimium ambitiosi, & dominandi cupidi, sub variis prætextibus, coloribus, & causis sæpè etiam falsis (quod non sine maximo animi nostri mœrore referimus) aliquibus Romanis Pontificibus suggestionibus, & insinuationibus conati sint ostendere, & persuadere magis vtile, & expediens Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sedi præfatæ fore, si aliquæ Ciuitates, Terræ, Oppida, Castra, Arces, & loca ad ius, & proprietatem eiusdem Sedis pertinentia in feudum, gubernium, Vicariatum, Ducatum, aut quemvis alium titulum perpetuum, vel ad tertiam generationem, seu ad vitam, aut aliàs ad longum tempus concederentur; vel etiam ex eo, quod aliàs in feudum data, aut quovis alio titulo huiusmodi alienata fuerint, & propterea tanquam ad Sedem prædictam deuoluta, vel deuoluenda, posse, & debere de iure iterum infeudari, atque inde nonnullas alienationes, infeudationes, & concessiones à Sede Apostolica emanasse: ex quibus illa non mediocrem diminutionem non solùm patrimonij, sed existimationis recepisse dignoscitur. Hinc est, quòd nos considerantes omnium Ciuitatum, & locorum prædictorum singularem fidem & promptam deuotionem eidem Sedi exhibitam, omni tempore valde vtilem, & salutarem fuisse, & esse, ac volentes non solùm alienationes huiusmodi, quas tempore nostro omninò exulare intendimus, de medio tollere, & quod nobis licere non patimur, nostris successoribus indicamus, quos non immemores fore speramus, ante Domini Nostri Iesu Christi in examine diei magni aduentus Tribunal villicationis nostræ rationem reddituros nos esse: sed vt omnis alienationum huiusmodi fiendarum occasio penitus aboleatur quantum cum Deo possumus, peramplius prouidere, Constitutionibus prædecessorum nostrorum, huiusmodi etiam inhærendo, aliasque innouando, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, non ad alicuius super hæc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera animi nostri deliberatione, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, habita etiam super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in consistorio nostro secreto consultatione matura, de eorum consilio, & vnanimi assensu) qui etiam iurauerunt præsenti Constitutioni non contrauenire, nec Pontificibus alienationes contra tenorem præsentium attentantibus consentire, & absolutiones à iuramento huiusmodi non petere, hac nostra perpetuò valitura Constitutione decernimus, & declaramus Ciuitates, & loca prædicta, etiam hactenus in feudum, aut quemvis alienationis titulum dari solita, vel consueta, ad nos, & Sedem præfatam quomodolibet deuoluta, & pro tempore deuoluenda, absque alia vlteriori declaratione, & illorum possessionis apprehensione eo ipso Sedi, & Cameræ Apostolicæ incorporata, ac ad ius, proprietatem, & dominium pristinum ac possessionem rediisse censeri, perinde ac si

per quadraginta annos, & vltra Ciuitates & loca præfata à nobis, & Sede præfata immediatè possessa, & nunquam in feudum, aut alium titulum concessa fuissent. Statuimusque, & decernimus, quòd omnes, & singulæ, tam Communitates, & Vniuersitates, quàm Ciues, & Incolæ Ciuitatum, Terrarum, & locorum prædictorum, aliæque quæcumque personæ, tam Ecclesiasticæ, quàm seculares, cuiusvis dignitatis, & ordinis, etiam Episcopalis, vel maioris existentes, ac S. R.E. Cardinales, tam publicè in Consiliis Ciuitatum, & locorum præfatorum, quàm priuatim alibi in quibusvis locis, etiamsi Ciuitatum, & Terrarum earumdem Gubernatores, aut nostri, & Sedis Apostolicæ Legati, vel Prolegati existant, tractantes, consulentes, aut aliàs verba facientes de infeudationibus, aut alienationibus de Ciuitatibus, & locis ad præfatam Sedē spectantibus, & pertinentibus, etiam deuolutis, etiam in feudum cōmuniter, & pluries dari solitis, etiam ex causa permutationis, vel sub annuo censu, aut canone, aut aliàs quomodolibet; etiam contemplatione meritorum erga Sedem præfatam, aut sub prætextu necessitatis, vel euidentis vtilitatis faciendis, seu de postulandis à nobis, & Sede præfata quibusvis personis cuiusvis dignitatis, status, gradus, etiam nobis, & successoribus nostris secundum carnem coniunctis, etiam S. R. E. Cardinalibus, aut quavis alia temporali, vel Ecclesiastica dignitate fungentibus, in Duces, Vicarios, Gubernatores, seu quemvis alium titulum ad vitam, vel in perpetuum, vel longùm tempus, aut etiam ad Sedis Apostolicæ beneplacitum, Ciuitatum, & locorum præfatorum, ac propterea de eligendis Oratoribus ad Nos, & successores nostros super præmissis, vel illorum occasione mittendis proponentes, tam ipsi, quàm Oratores munus huiusmodi recipientes, aut alij quicunque alienationes huiusmodi Romano Pontifici pro tempore existenti per se, vel alium, seu alios insinuantes, vel suadentes, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, à qua nisi ab ipso Pontifice, præterquam in mortis articulo, absolui nequeant: Et insuper Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ præfatæ rebelles, etiam in primo capite læsæ Maiestatis, & proditores Ciuitatum, & locorum præfatorum, ac bona eorum Fisco, & Cameræ nostræ Apostolicæ ipso iure deuoluta, & incorporata sint, & esse censeantur, omnibusque Ecclesiis, Monasteriis, & aliis per eos quomodolibet obtentis beneficiis Ecclesiasticis eo ipso priuari, & ad illa ac alia in posterum obtinenda inhabiles existant, neque ad Ciuitates, & loca præfata vllo vnquam tempore remitti possint: Et si aliquando eos reintegrari contigerit, nihilominus infames remaneant, illisque bonorum, & dignitatum portæ perpetuò claudantur. Et quoniam intelleximus aliquos etiam Cardinales, Ciuitates, Terras, Oppida, Castra, Arces, & loca ad vitam, seu tertiam, vel aliam generationem, aut aliàs à dicta Sede, etiam ex causa onerosa obtinere, habere, & possidere, cum facultate faciendi in illis melioramenta, ita quod ab eis amoueri non possint, nisi restitutis sibi prius pecuniis in melioramenta huiusmodi expositis, omnes, & singulas facultates faciendi melioramenta præfata quibusvis personis etiam Cardinalibus per eosdem prædecessores nostros, aut alios ad id facultatem habentes quomodolibet concessas harum serie reuocamus, & annullamus, & nemini deinceps suffragari posse, neque debere, ac cuicumque facultatem faciendi melioramenta huiusmodi habenti, illa, etiam pro munitione, & tuitione, nisi ex causa necessariæ conseruationis locorum eorumdem facta fuerint, post publicationem præsentium facere omnino interdicimus, ac prohibemus, & si secus à quoquam factum, attentatumve fuerit, melioramenta quæcumque per eos contra tenorem præsentium facta locis ipsis cedere, & Cameram ad illorum satisfactionem minimè teneri, & obligatam esse volumus, & declaramus. Decernentes præsentes literas sub quibusvis reuocationibus, cassationibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus, sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis pro tempore quomodolibet factis minimè comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties ille emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, & de nouo concessas esse, & censeri debere: irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ciuitatum, & locorum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Sic igitur deuotionis & fidei constantia Ciuitatum, & locorum præfatorum erga nos, & successores nostros, & eandem Romanam Ecclesiam perseueret, vt meritò integritatis virtus maiora beneficia ab eadem Sede consequi mereatur. Volumus autem, quod sicut omnes, & singuli Cardinales præsentes, Constitutionem huiusmodi, quantum in eis erit, obseruare, illique non contrauenire, nec Pontificibus contrafacientibus consentire, aut absolutionem à iuramento præstito non petere, nec oblatam, aut concessam acceptare in Consistorio nostro secreto promiserunt, & iurarunt, idem per absentes Cardinales à Consistorio in habitatione eorum, & à Romana Curia, vt quandocunque ad eandem Curiam se contulerint, ac per futuros pro tempore Cardinales in assumptione pilei promitti, & iurari debeat, ac promissionem, & iuramentum huiusmodi in formula iuramenti per eosdem Cardinales præstari soliti adiungi, & inseri debere, ac contrafacientes pœnā periurij & perpetuæ infamiæ iuris & facti eo ipso incurrere decernimus. Præterea quod ipsi Cardinales occurrente Apostolicæ Sedis vacatione in Conclaui, quando de obseruandis literis Iulij Papæ Secundi, prædecessoris nostri super electione Romani Pontificis, & aliis Constitutionibus iuramentum præstare solent, etiam de inuiolabiliter obseruanda præsenti Constitutione nostra, per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem electus fuerit; & postmodum idem ad Summi Pontificatus fastigium assumptus, post eius assumptionem, hoc ipsum promittere, ac iurare, & deinde post coronationem suam promissionem, & iuramentum huiusmodi per literas suas speciales harum confirmatorias reiterare debeat. Quod si illud à Pontifice (quod credendum non est) recusabitur, aut differetur, tunc dicti Cardinales in primo Consistorio secreto, & præcipuè eorum Decanus, & Capita Ordinum apud eum omni cum instantia, & instantissimè pro præsentium obseruatione petere, & rogare, ac obtestari non cessent. Idque vt omnino efficiat diligentissimè curare studeant, statuimus, & ordinamus. Quodque præsentes literæ in libellum redigantur, & post prædictas Iulij literas, quæ in dicto Conclaui legi solent, inter alias constitutiones nostras adiungantur, & etiam in quinterno Cancellariæ Apostolicæ, cum aliis Extrauagantibus nostris describantur, ac ad valuas Basilicæ Beati Petri Principis Apostolorum, & in Cancellaria nostra Apostolica, ac acie Campi Floræ publicentur. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, decernimus etiam, & declaramus, quòd earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides vbique in iudcio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, reuocationis, decreti, interdicti, prohibitionis, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit,

indignatio

indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimoseptimo, quarto Calend. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno secundo. Quæ quidem Constitutio veluti optima & ad conseruandam S. R. E. Iurisdictionem & dignitatem planè salutaris approbata, confirmata, & innouata fuit ab iis qui eidem Pio V. successerunt recolendæ memoriæ prædecessoribus nostris Gregorio XIII. Sixto V. Greg XIV. & Innocentio VIII. qui etiam de fratrum tunc S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu declarauit eadem Constitutione prohibitum fuisse, & prohiberi omnem & quamcumque infeudationem ac alienationem Ciuitatum, Terrarum, Oppidorum, & Locorum Sedi Apostolicæ tam mediatè quàm immediatè subiectorum, non solum ne fiat, néve attentetur post eorum deuolutionem, sed etiam antequam Ciuitates, Terræ, Oppida, & Loca prædicta deuoluantur, ac omnem & quamcumque in perpetuum, vel ad tempus prorogationem, ac extensionem, infeudationem, inuestituram, & concessionem de dictis Ciuitatibus, Terris, Oppidis, & Locis, finitarum quoque incorporationem, quoad effectum impediendæ infeudationis, alienationis, prorogationis, & extensionis huiusmodi, non à die eorum deuolutionis, sed à die ipsius Constitutionis etiam antequam illa deuoluantur ipso Iure cum omnibus clausulis & decretis in prædicta Constitutione contentis Cameræ, & Sedi Apostolicæ factam censeri, adiecto etiam decreto, & declaratione, vt promissio & iuramentum præstitum, & præstandum de seruanda ea Pij prædecessoris prædicti Constitutione per ipsum Innocentium & successores suos Romanos Pontifices prædictos, & S. R. E. Cardinales, intelligatur de ipsa Pij V. prædecessoris Constitutione per eum vt suprà declarata, & secundum huiusmodi declarationem eandem Constitutionem ad vnguem, & inuiolabiliter obseruari oportere, & debere, sicuti etiam se seruaturum esse promisit, ac sanctè & solenni more iurauit, provt in eiusdem Innoc. prædecessoris, sub datum Pridie Non. Nouembris, Pontificatus sui Anno primo, expeditis literis latius continetur. Subindè verò à Clemente VIII. & nouissimè à Paulo V. Romanis Pontificibus, & Prædecessoribus Nostris iuxta eandem Innocentij IX. declarationem confirmata, approbata, & innouata fuit. Quare Nos cum primùm ad Apostolicæ dignitatis gradum Diuina prouidentia vocati fumus, idipsum ad exequendum nostri Pastoralis officij debitum præcipuè pertinere existimantes, Pij prædecessoris literas, ac omnia in eis contenta, etiam iuxta declarationem prædictam per ipsum Innocentium prædecessorem factam, ac desuper confectarum literarum continentiam, & tenorem, quem pariter præsentibus haberi volumus pro expresso, & ad verbum inserto, auctoritate Apostolica tenore præsentium comprobamus, confirmamus, & innouamus, easque firmiter, & inuiolatè, ac iuxta declarationem prædictam Nos similiter seruaturos esse promittimus & iuramus, atque per eos, ad quos spectat, pariter perpetuò obseruari præcipimus, nec nostræ vinculum comprobationis, confirmationis, innouationis, promissionis, iuramenti, præcepti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimotertio. Pridie Kal. Octobr. Pontificatus Nostri Anno Primo.

I. Dar.

*A. Rondinius.*

S. de Vrsinis.

*Registrata in Secretaria Breuium.*

---

## VRBANI VIII. BVLLA.

### Constitutio super præseruatione Iurium Sedis Apostolicæ, & inferiorum Ecclesiarum, personarumque Ecclesiasticarum à quibuscumque præiudicialibus.

*VRBANVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

ROmanus Pontifex in sacra Beati Petri sede à Domino constitutus, non valens curam suæ pastoralis solicitudinis in gregem sibi commissum personaliter in qualibet mundi parte exercere, Legatos etiam de Latere, ac Nuncios, aliosque ministros Apostolicos ad diuersas Prouincias, & Regna, prout cognoscit in Domino expedire, consueuit destinare, vt vices suas supplendo, facultatesque sibi concessas non excedendo, errata corrigant, & commissis sibi populis iustitiæ & gratiæ incrementa ministrent, iuraque Sedis Apostolicæ, iurisdictionem, immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam tueantur, ac de grauioribus Summum Pontificem reddant certiorem, remediaque ac mandata opportuna Apostolica expectent, & exequantur. Cum autem vt accepimus, à nonnulis prætendatur quosdam ex Legatis, siue natis, siue aliis etiam de Latere, S. R. E. Cardinalibus, Nunciisque ac aliis ministris Apostolicis quovis nomine nuncupatis, ac etiam ex Rectoribus, seu Gubernatoribus Prouinciarum, Ciuitatum, & locorum ditionis temporalis S. Rom. Ecclesiæ, per Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam per Nos missis, cæterisque Officialibus Cameræ Apostol. & Romanæ Curiæ, etiam S. R. E. Cardinalibus, etiam Vicecancellariis, & Camerariis ac feudatariis quantumlibet qualificatis, & indiuidua mentione dignis, ac etiam Baronibus, aliisque iurisdictionem quomodolibet exercentibus aliqua eidem Sedi, aut iurisdictioni, vel immunitati, seu liberati Ecclesiasticæ, Ecclesiisque & personis Ecclesiasticis præiudicialia præter, aut contra facultates sibi concessas nedum fecisse, declarasse, concessisse, ac decreuisse, seu aliàs quomodolibet disposuisse, sed etiam prædicta, & quæcumque aliàs eis præiudicialia à quibuscumqae aliis siue Ecclesiasticis, siue Laïcis quomodolibet qualificatis, sufficientem facultatem Apostolicam non habentibus commissa, & facta, oneraque super Ecclesiis, ac earum bonis, & iuribus, earumque fructibus absque sufficienti facultate Apostolica imposita, transgressionesque & excessus contra sacrorum Canonum, Constitutionum Apostolicarum, & Conciliorum vniuersalium dispositionem contra Sedem Apostolicam, iurisdictionem, immunitatem, aut libertatem Ecclesiasticam, seu Ecclesias vel personas Ecclesiasticas, earumque bona, & iura quæcunque quomodolibet commissos & perpetratos toleraſſe, & approbasse, vel quomodolibet permisisse, seu eisdem præiudicialibus consensisse, immò ex ipsorum Legatorum, Nunciorum, & ministrorum Apostolicorum, ac etiam respectiuè Gubernatorum Prouinciarum, Ciuitatum, & locorum ditionis temporalis eiusdem Sedis Apostolicæ, & quorumcunque aliorum ipsius Officialium, seu cuiuslibet eorum asserta scientia, taciturnitate, tolerantia, vel consensu, ipsorumque præiudicialium obseruantia inferri posse tam in prædictis, quàm in cæteris quibuscumque præiudicialibus, nedum

ad præsumptam scientiam, tolerantiam, consensum, seu approbationem Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, & cuiuslibet eorum, ac nostram, sed etiam ad præsumendum super eis, & eorum quolibet fuisse concessum beneplacitum Apostolicum, etiamsi prædecessores nostri prædicti multoties ea via, qua licebat, se opposuerint, & Nos quoque contradixerimus: concessiones quoque, & gratias quascumque, ac inuestituras etiam Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, aliorumque locorum, & bonorum etiam iurisdictionalium, ad eandem Apostolicam Sedem, seu ad Ecclesias inferiores respectiuè spectantium, ab aliquibus ex eisdem prædecessoribus nostris, vel à Prælatis, seu Rectoribus Ecclesiarum inferiorum prædictarum quomodocumque, & quandocumque ad certas vitas, aut generationes, seu lineas iam extinctas, vel ad certum tempus iam elapsum, illorumque ac illarum pignorationes, seu in pignus dationes, ac alienationes cum pacto redimendi factas ex prædicta asserta scientia, & tolerantia Sedis Apostolicæ, nedum longius protrahi, sed etiam perpetuari, aliaque indebita, & iniusta prætendantur in prædictæ Sedis Apostolicæ, Iurisdictionis, immunitatis, seu libertatis Ecclesiasticæ, aliarumque Ecclesiarum, personarumque Ecclesiasticarum maximum detrimentum, & populorum graue scandalum, animarumque ipsorum prætendentium, transgredientium, vel occupantium, seu vsurpantium, ac in censuris eo ipso incursis insordescentium perniciem: Propterea Nos, sicut ex onere pastorali tenemur, indemnitati Sedis Apostolicæ, iurisdictionisque, & immunitatis, ac libertatis Ecclesiasticæ, Ecclesiarumque, & personarum Ecclesiasticarum, quantum Nobis ex alto conceditur, provt iidem prædecessores nostri omnibus præiudiciis obuiam ire exoptarunt, consulere volentes, attendentesque quòd prædicti Legati, Nuncij, & Cardinales, etiam Vicecancellarij, & Camerarij, aliique omnes, & singuli prædicti sine speciali Papæ mandato nulla eidem Sedi, & Ecclesiis, aliisque prædictis præiudicialia vnquam tacitè, vel expressè facere potuerunt, vel possunt, quódque ob locorum distantiam, ac negotiorum molem, quibus Sedes Apostolica præmitur, huiusmodi præiudicia non fuerunt Summo Pontifici pro tempore existenti, minusque eius successoribus nata, saltem eum suis circumstantiis præiudicium inferentibus, & aggrauantibus, quodque confirmationes, approbationes, & beneplacita Papæ, præsertim vbi actum fuit, vel agitur de præiudicio perpetuo, semper consueuerunt in scriptis expediri, præcipuè per literas Apostolicas, siue sub plumbo, siue in forma Breuis sub Annulo Piscatoris, provt etiam in Pontificatu nostro expediuntur; ideo si in registris Apostolicis, quæ fideliter custodiuntur, & asseruantur, prædictorum quorumcunque præiudicialium approbationes, confirmationes, vel beneplacita Apostolica non reperiuntur descripta seu registrata, vel non exhibentur originalia literarum Apostolicarum, aut transumpta iuxta formam constitutionis nostræ desuper aliàs edita, sub datum Romæ, apud S. Mariam Maiorem sub die 1. Iunij 1635. Pontific. nostri Anno 12. inde deducitur, neque Romanos Pontifices prædecessores nostros, nec Nos vnquam præiudicialia approbasse, vel confirmasse, beneplacitaque Apostolica super præiudicialibus nunquam concessisse: ac denique quòd Romani Pontifices prædecessores nostri pro damnandis, impugnandis, & euitandis omnibus & singulis præiudicialibus, illisque & prætensis tolerantiis, conniuentiis, consensibus, possessionibus, intrusionibus, occupationibus, vsurpationibus, obseruantiis, & præscriptionibus quibuscumque impediendis, interrumpendis, penitusque auertendis, & excludendis hactenus consueuerunt quolibet anno in die Cœnæ Domini facere processus generales, Bullas eiusdem Cœnæ nuncupatas contra quoscumque, sicut etiam Nos fecimus, & publicauimus, provt in eis; idcircò etiamsi prædicta omnia, & singula eidem Sedi Apostolicæ, iurisdictioni, vel immunitati, aut libertati Ecclesiasticæ, seu Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, earumve bonis, iuribusque ac fructibus quomodolibet præiudicialia, per prædictos, & alios quoscumque contra, aut præter facultates eis concessas facta, eo ipso fuerint, & sint nulla, & inualida: nihilominus abundantiori cautela vti volentes, omniumque & singulorum quomodolibet præiudicialium quandocumque, & à quibusvis, ac ex quacumque causa, & quovis modo factorum, & gestorum, ac inde secutorum quorumcunque, cæterorumque hic de necessitate forsan exprimendorum, ac inferendorum tenores, etiam maiores, & veriores pro plenè expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, Motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, motique ex prædictis causis, aut illarum altera, seu ex aliis iustis, & rationabilibus animum nostrum mouentibus, ad quarum omnium, & singularum verificationem Ecclesiam Romanam præfatam, Sedemque Apostolicam, & quemcunque alium nunquam teneri volumus, vltra quascumque reuocationes hactenus factas, quas innouamus, hac nostra perpetuò valitura constitutione declaramus omnia & singula acta, decreta, statuta, indulta, concessiones, ordinationes, declarationes, concordias, & pacta, etiam nomine eiusdem Sedis Apostolicæ inita, venditionesque, & alienationes officiorum, aliorumque eiusdem Sedis, Ecclesiarumve inferiorum, iurium, & quascumque alias dispositiones quocumque nomine nuncupatas, eidem Sedi Apostolicæ, Romanæque Ecclesiæ, seu quibuscumque aliis Ecclesiis, seu locis piis, ac personis Ecclesiasticis, seu iurisdictioni, vel immunitati, aut libertati Ecclesiasticæ quomodolibet præiudicialia, & præiudiciales, à quibuscumque Legatis etiam de latere, etiam S. R. E. Cardinalibus, Nunciis, seu aliis Ministris Apostolicis, Cameræque Apostolicæ, & Romanæ Curiæ Officialibus, & ministris etiam Cardinalibus, Vicecancellariis, & Camerariis, & respectiuè Rectoribus, & Gubernatoribus, Feudatariis, Baronibus, & cæteris iurisdictionem quomodolibet exercentibus, aliisque præfatis quantumlibet qualificatis, & indiuidua expressione dignis quandocumque, qualitercumque, quomodocumque, præter vel contra facultates eis concessas facta, & gesta, factasque, & gestas, aut aliàs quovis modo ab eis emanata, & emanatas hactenus, etiam per modum edicti, declarationis, constitutionis, pragmaticæ, reformationis, ac prohibitionis, etiam generalis, ac aliàs quomodolibet, etiam cum clausula, saluo, vel reseruato Sedis Apostolicæ beneplacito, vel fortasse etiam cum intentione data, vel promissione etiam facta illud ab hac Sancta Sede, seu à Rom. Pontifice, aut etiam à Nobis impetrandi, etiam cum prætensa illarum executione, & obseruantia quantumlibet longissima, ac aliis inde quomodolibet secutis quibuscumque, etiam in fauorem, seu intuitu, vel contemplatione Imperatoris, Regum, aliorumque Principum, etiam supremorum, etiam laicorum, Nationum, Rerumpublicarum, Prouinciarum, Regnorum, aliorumque dominiorum, & officialium quorumcunque, vel Ciuitatum, Vniuersitatum, etiam Studiorum generalium, Collegiorum, Religionumve, seu Militiarum, & Ecclesiarum, & Monasteriorum quorumcunque Ordinum, vel aliorum quorumvis, etiam speciali nota dignorum, ex quacumque ratione, occasione, vel causa quantumlibet pia, publica, fauorabili, seu priuilegiata, etiam transactionis, vel concordiæ, siue belli, treugæ, vel pacis etiam vniuersalis, &c

& ad maius malum, vel scandalum, vt asseritur, euitandum, seu ex aliis rationibus, & causis etiam omnibus insimul concurrentibus, ac alias indiuiduam expressionem requirentibus. Necnon quascumque tolerantias, taciturnitates, conniuentias, permissiones, consensus, declarationes, executiones, approbationes; vel confirmationes expresse vel tacitè, dicto, vel facto, ac aliàs quomodolibet præter, aut contra suas facultates ab iisdem Legatis, Nunciis, ac Ministris Apostolicis, & respectiuè Rectoribus, Gubernatoribus, & Feudatariis, vt asseritur, factas, seu habitas, vel respectiuè præstitas in quibuscumque actibus eidem Sedi Apostolicæ, siue iurisdictioni, immunitati, seu libertati Ecclesiasticæ, aut Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis quomodolibet præiudicialibus per quoscumque alios, etiam laicos, quantumlibet vt præmittitur, qualificatos, quavis authoritate, & potestate etiam Imperiali, Regali, aut quacumque alia indiuiduam expressionem requirente fungentes, etiam sub prætextu, quòd Bullæ, seu constitutiones Apostolicæ non fuerint publicatæ, vel vsu receptæ, aut contrario vsu, etiam decennali, & quantumlibet longissimo, vt prætenditur, abrogatæ, vel sub prætextu Constitutionum, literarum, seu dispositionum Apostolicarum, de quarum existentia per canonica documenta Apostolica non constat, seu reuocatæ, aut non sufficientes sunt, ac etiam in permittendo editionem, seu impressionem librorum eidem Sedi, aliisque prædictis præiudicialium, seu continentium opiniones damnatas, vel in admittendo, seu exequendo minus legitimam earumdem Constitutionum, literarum, seu dispositionum Apostolicarum interpretationem, vel faciendo, aut approbando ea, quibus disciplina Ecclesiastica quomodolibet eneruatur, seu læditur, factis, & gestis. Molestias quoque, vexationes, & impedimenta quæcumque Legatis, Nunciis, vel aliis Ministris, & Officialibus Apostolicis, per quoscumque etiam laicos cuiusvis status, gradus, conditionis, qualitatis, dignitatis etiam Ecclesiasticæ, vt præmittitur, existentes, quomodolibet factas, & illatas, factáque & illata, tam eorum ingressum in prouincias sibi commissas denegando, quàm ne suas facultates liberè in eis exercerent impediendo, ac eos ab illis expellendo, necnon quascumque contributiones, collectas, gabellas, militum hospitationes, decimas, vel alias fructuum partes, aliaque onera, & grauamina quæcumque super Ecclesiis, Monasteriis, & locis piis, præsertim vacantibus, vel personis Ecclesiasticis, earumque, vel eorum bonis, seu fructibus, etiam prætextu, vel causa facultatis bona stabilia acquirendi, seu retinendi, ac aliàs quomodolibet per laicos præfatos, & quoscumque alios quomodolibet qualificatos absque sufficienti facultate Apostolica impositas, & imposita, exactasque & exacta etiam à sponte dantibus, vel contribuentibus. Item molestationes, perturbationes, acta, carcerationes, executiones, & attentata quæcumque à quibusvis laicis, etiam Officialibus quomodolibet qualificatis contra personas Ecclesiasticas, vel Ecclesias, seu cuiuslibet earum bona, siue iura vel fructus, tam ciuiliter, quàm criminaliter, & aliàs quomodolibet quandocumque hactenus facta, gesta, & commissa, etiam de facto executioni, etiam pluribus vicibus, & quocumque temporis cursu, etiam longæuo, & longissimo, ac vt prætenditur, immemorabili, etiam cum fama asserti priuilegij quomodolibet demandata. Necnon quascumque transgressiones, & excessus contra dispositiones sacrorum Canonum, Constitutionum Apostolicarum, & Conciliorum vniuersalium, præsertim Lateranensis sub Alexandro III. Generalis nuncupati sub Innocentio III. Viennensis sub Clemente V. Lateranensis vltimi sub Leone X. fel. record. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, seu Tridentini, à quibuscumque, & ex quibusvis causis quomodolibet, & quandocumque factas in præiudicium Sedis Apostolicæ, siue iurisdictionis, vel immunitatis, aut libertatis Ecclesiasticæ, seu Ecclesiarum, vel personarum Ecclesiasticarum, earumque bonorum, seu fructuum, etiam effectum, vt præmittitur, de facto fortitas, & inde secuta quæcumque. Item quascumque prorogationes, extensiones, protractiones, seu perpetuationes quarumcunque gratiarum, concessionum, & inuestiturarum à Sede Apostolica, vel à Prælatis, seu Rectoribus Ecclesiarum inferiorum, quandocumque hactenus factarum, ad certas vitas aut generationes seu lineas iam finitas, vel extinctas, siue ad certum tempus iam elapsum, pignorationumque, & venditionum cum pacto redimendi, permutationum, aliorumque contractuum, ac dispositionum quarumcunque de Ciuitatibus, Terris dominiis, Castris, locis, & bonis etiam feudalibus vel iurisdictionalibus, ac iuribus eiusdem Sedis Apostolicæ, vel Ecclesiarum inferiorum à quibuscumque quatumlibet, vt præmittitur, qualificatis quandocumque prætensas, etiam executioni demandatas, & quocumque temporis cursu continuatas. Necnon reliqua omnia quotcumque & qualiacumque eidem Sedi Apostolicæ, vel iurisdictioni, immunitati, aut libertati Ecclesiasticæ, seu Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, earumve iuribus, bonis, & fructibus quomodolibet præiudicialia, per quoscumque sufficienti, & legitima facultate Apostolica non munitos facta, gesta, & respectiuè perpetrata cum omnibus, & singulis quandocumque, & quomodocumque inde secutis, & quocumque tempore etiam longissimo executioni demandatis, ac obseruatis fuisse, & esse ipso iure nullas, & inualidas, ac nulla, & inualida, nulliusque roboris, vel momenti, indebitaque & illicita, ac de facto præsumptas, & præsumpta, nullumque præiudicium eisdem intulisse, nec inferre vnquam posse, illasque & illa ex quocumque, temporis cursu, nec etiam ex quacumque prætesa obseruantia, quantumlibet diuturna, longæua, longissima, seu immemorabili, etiã cum fama prætensi priuilegij Apostolici, ac etiam iuncta quavis scientia, conniuentia, tolerantia, taciturnitate, facultate, & permissione etiam ex actibus positiuis non legitimis resultante Prælatorum Ecclesiarum inferiorum, Legatorum, Nunciorum, & aliorum quorumcumque Ministrorum Apostolicorum, ac etiam respectiuè quorumvis Rectorum, & Gubernatorum, aliorumque prædictorum, etiam Feudatariorum, etiam Sedis Apostolicæ, ac Baronum, cæterorumque iurisdictionem quomodolibet exercentium, ac forsan Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, & nostros, nequaquam fuisse hactenus, nec in posterum fore approbata, conualidata, neque respectiuè prorogata, extensa, protracta, vel perpetuata, minusque inde aliquam approbationem, vel præsumptionem alicuius beneplaciti Apostolici, neque aliquam bonam fidem, possessionem, vel quasi, aut præscriptionem in aliquo etiam impedientе, imponente, exigente, attentante, vel respectiuè occupante, vsurpante, vel transgrediente, aut quomodolibet continuante, nec in quocumque alio potuisse, nec vnquam posse resultare, vel induci respectiuè in Sedis Apostolicæ, iurisdictionis, immunitatis, aut libertatis Ecclesiasticæ, seu Ecclesiarum, vel personarum Ecclesiasticarum, earumve iurium, ac bonorum, & fructuum præiudicium, talemque præsumi fuisse semper mentem, & intentionem Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum prædictorum, ac respectiuè nostram fuisse, & esse quovis modo prædicta, & quæcumque alia præiudicialia nunquam approbandi, seu confirmandi,

di, nisi de prætensa approbatione, vel confirmatione Apostolica constiterit ex prædictis registris Apostolicis, vel alias iuxta formam prædictæ alterius constitutionis nostræ. Quinimmò omnia, & singula præiudicialia fuisse à sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, & Conciliis, etiam vniuersalibus, præsertimque à prædicta Bulla in Cœna Domini legi solita respectiuè reprobata, ac damnata, provt etiam ad abundantiorem cautelam tenore præsentium reprobamus, & damnamus, beneplacitaque Apostolica per prædecessores nostros, & per Nos hactenus denegata fuisse declaramus, sicut etiam harum vigore denegamus, & quatenus foret opus, omnia, & singula præiudicialia prædicta, omniaque alia, si quæ sint, irritanus & annullamus, ac respectiuè reuocamus cum inde secutis quibuscumque, præsertim intrusionibus, occupationibus, vsurpationibus, & obseruantiis, ac vsibus, & consuetudinibus, quantumvis longissimis, & immemorabilibus, etiam cum asserta fama priuilegij Apostolici, quas, & quæ illicitas, & illicita, irrationabilesque & irrationabilia declaramus, ac pro reprobatis, illicitis, irrationabilibus, irritis, & annullatis perpetuò haberi volumus, decernimusque, & damnamus; ita quod in posterum illa, & illæ non possint vnquam in iudicio, nec extra iudicium à quoquam quomodolibet allegari, deduci, probari, nec ab aliquo admitti ad quemcunque effectum, & quatenus opus foret, adversus illos, & illa, ac alia quæcumque quomodolibet præiudicialia harum serie in eandem Sedem Apostolicam, Romanamque Ecclesiam, & Ecclesias inferiores, ac personas Ecclesiasticas quascumque plenariè, & plenissimè ex iustis causis Nobis benevisis, ac si talia nunquam extitissent, in integrum, & pristinum, in quo antea erant, statum restituimus reponimusque, ac reintegramus, præiudicialiaque huiusmodi, ne in posterum perpetuis futuris temporibus fiant, etiam interdicimus, & prohibemus. Insuperque cum etiam Nobis innotuerit, quod aliquando in prouisionibus Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitanarum, Primatialium, aliisque gratiis, & dispositionibus Apostolicis fuit ob incuriam quorumdam Sedis Apostolicæ, seu Rom. Curiæ Officialium inaduertenter in præiudicium liberæ prouisionis earum narrata, vel etiam forsan de facto admissa præsentatio, nominatio, vel supplicatio alterius quantumlibet, vt præmittitur, qualificati, absque eo, quòd de eius iure præsentandi, nominandi, vel supplicandi constitisset, & aliquando prædicta, seu alia eidem Sedi Apostolicæ narratiua præiudicialis fortasse in prætenso Ecclesiarum vltimo statu fundata extitit, etiamsi de contrario statu, aut aliàs de libera prouisione, etiam per literas erectionis, aut alio modo appareret, seu constare posset: aliquando etiam in prouisionibus Ecclesiarum pro cultu diuino, & ipsarum Ecclesiarum felici gubernio apponuntur diuersa decreta, quæ per obitum prouisorum, vel aliàs asseruntur expirasse, cum nihilominus perdurare debeant, donec fuerint adimpleta: quandoque etiam in concedendis facultatibus, indultis, seu aliis gratiis, per Sedem Apostolicam, etiam Regibus, & Principibus, Rebuspublicis, seu dominiis ac feudatariis quomodolibet qualificatis, ac speciali expressione dignis concedi solitis, in quibus iuxta antiquum stylum erant priùs habendæ literæ declarationis, & promissionis, per priuilegiatos scribendæ Papæ concedenti, quibus ipsi petentes facultates, & priuilegia se è conuerso obligare debent pro obseruatione, & conseruatione quarumcunque immunitatum, libertatum, & iurium Sedis Apostolicæ, Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum, ac bonorum Ecclesiasticorum quorumcunque; & tamen illis literis non receptis fuerunt concessæ facultates, indulta, & gratiæ Apostolicæ præfatæ, etiam absque aliquo onere illas intra aliquod tempus scribendi, & eidem Sedi præsentandi, immò etiam aliquando Officiales Cameræ Apostolicæ, siue notitiam iurium, & scripturam Cameræ non habentes, seu memoria non retinentes, vel aliàs expediuerunt, siue expediri à Romanis Pontificibus, seu etiam à Nobis fecerunt, vel permiserunt vigore conuentionum, concordatorum, transactionum, & compactorum cum Sede Apostolica initorum, quasdam gratias, facultates, seu concessiones, & priuilegia, vti debitas, ac debita, cum tamen conuentiones, concordiæ, & pacta, tunc per obitum personarum, vel alias quomodolibet, etiam ex lapsu temporum, saltem in ea parte cessissent, seu exspirassent, quæ omnia, eorumque singula, etiam prætenduntur in magnum ipsius sanctæ Sedis redundare detrimentum. Ideircò motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus præsentium litterarum tenore præfatas narratiuas, enunciatiuas, seu assertiones quomodolibet eidem Sedi præiudiciales factas, seu admissas, ac respectiuè easdem facultatum, indultorum, & gratiarum Apostolicarum concessiones, ac literarum expeditiones factas non expectatis, nec receptis literis ipsorum priuilegiatorum, seu priuilegiandorum, concessiones quoque in vim conuentionum, & pactorum quomodolibet exspiratorum fuisse, & esse erroneas, erroneéque respectiuè expeditas, nullumque propterea, cum non sit æquum, vt error veritati præualeat, intulisse, nec inferre potuisse, neque in futurum posse præiudicium Sedi Apostolicæ, ac statui Ecclesiarum, statumque vltimum ipsarum Ecclesiarum, & respectiuè Ciuitatum, Terrarum, Dominiorum, Castrorum, & locorum iurisdictionalium prædictorum, & quarumcunque facultatum, gratiarum, concessionum, aliorumque iurium Sedis Apostolicæ, & Ecclesiarum inferiorum non fuisse, nec vnquam esse attendendum, vbi de antecedenti contrario statu, vel initio constat, modo, & forma præmissis pariter declaramus, ac decernimus, & respectiuè omnia præiudicialia tollimus, & irritamus, ac decreta in prouisionibus prædictarum Ecclesiarum apposita non expirasse, nec exspirare, sed donec adimpleta fuerint, vigere, & in sequentibus censeri repetita etiam declaramus, sicque in posterum perpetuò obseruari volumus. Et quatenus vnquam contingeret, tam super præsentium literarum, quàm super quarumcunque concessionum, facultatum, indultorum, gratiarum, ac dispositionum Apostolicarum in fauorem Imperatoris, Regum, Principum, Rerumpublicarum, Dominiorum, Nationum, Prouinciarum, seu Regnorum per Romanos Pontifices prædecessores nostros, & per Nos concessorum, seu aliàs à Sede Apostolica emanatarum, interpretatione, vel declaratione hæsitari, vel dubitari, tunc omnibus, & singulis cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, ac dignitatis etiam Ecclesiasticæ existentibus, etiam quomodolibet, vt præmittitur, qualificatis, etiam regularibus cuiuscumque ordinis, instituti, congregationis, ac societatis, de quibus indiuidua expressio facienda foret, quamlibet interpretationem, ac declarationem sub maioris excommunicationis latæ sententiæ, ac nullitatis omnium gerendorum pœnis, eo ipso, etiam nulla facta declaratione incurrendis prohibemus, & interdicimus, & quamcunque declarationem quomodolicet necessariam, seu opportunam desuper quandocumque faciendam dumtaxat Nobis, ac Romanis Pontificibus successoribus nostris canonicè intrantibus perpetuò reseruamus, & ante factas declarationes huiusmodi volumus præsentes nostras literas, & quascumque alias concessiones, ac dispositiones Apostolicas prædictas esse intelligendas

intelligendas ad literam, provt iacent: Præsentes quoque literas, ac omnia, & singula in eis contenta etiam ex eo, quòd quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis nullatenus consenserint, & ad ea vocati, citati, vel auditi non fuerint, minusque causæ, propter quas eædem præsentes emanarunt, deductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam vllo modo iustificatæ non fuerint, nullo vnquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis, quamtumlibet magno, inexcogitato, & substantiali defectu, aut ex quovis alio capite à iure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine resultante, siue præscriptionis etiam quadraginta annorum, & immemorabilis, ac enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocumque alio colore, vel prætextu, etiam in corpore Iuris clauso, seu ex quacumque causa, & occasione etiam quantumvis iusta, rationabili, & priuilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, aut quòd de voluntate nostra huiusmodi, & aliis superiùs expressis, seu relatis nihil vllibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, inualidari, retractari, in ius, vel controuersiam reuocari, aut ad terminos Iuris reduci, vel aduersus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos Iuris, aut aliud quodcumque Iuris, facti, gratiæ, vel iustitiæ remedium impetrari, seu etiam motu proprio, & aliàs quomodolibet concedi, aut sic impetrato, vel concesso quempiam vti, seu se iuuare in iudicio, vel extra illud minimè posse, sed easdem præsentes semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum inuiolabiliter obseruari, sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam Palatij Apostolici Auditores, Clericosque Præsidentes, ac Cameram, & quosvis Sedis, & Cameræ prædictarum ministros, & officiales, necnon S. R. E. Cardinales, etiam Vicecanc. Camerarios, ac etiam de latere Legatos, eiusdemque Sedis Nuncios, ac quascunque Congregationes, etiam specialem expressionem requirentes, etiam quorumcunque S. R. E. Cardinalium, & Prælatorum, & quosvis alios quacumque auctoritate fugentes nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, declarandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, semper, & vbique iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, similiter decernimus. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, tam generalibus, quàm specialibus: etiam in Conciliis vniuersalibus editis, & quatenus opus sit, regula nostra de non tollendo iure quæsito, & fel. rec. Pij Papæ IV. etiam prædecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse Cam. Apostolicæ concernentibus, infra certum tunc expressum tempus in eadem Camera præsentandis, & registrandis, itavt præsentes nullo vnquam tẽpore in eadem Camera præsentari, seu registrari necesse sit: necnon quibusvis conniuentiis, tolerantiis, consensibus, taciturnitatibus, permissionibus, vsibus, consuetudinibus, etiam longissimis, & immemorabilibus, etiam cum asserta fama priuilegij Apostolici, ac statutis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis: priuilegiis quoque indultis, concessionibus, licentiis, & literis Apostolicis quibuscumque personis etiam, vt præmittitur, qualificatis, ac Prouinciis, Regnis, Ciuitatibus, Vniuersitatibus, Ecclesiis, Ordinibus etiam Militaribus, etiam S. Ioan. Hierosolymitani, Congregationibus, Institutis, Societati Iesu, aliisque locis, & personis quibuslibet, etiam speciali nota, & expressione dignis, etiam motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis, etiam irritantibus, & aliàs quomodolibet in contrariũ præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries, & iteratis vicibus confirmatis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti essent, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis, formamque in illis traditam pro seruata habentes, ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Non intendimus autem per præsentes tollere declarationes, & causarum terminationes, ac alias, quæ etiam respectu iurisdictionalium, tam allodialium, quàm feudalium, præsertim in ditione temporali Sedis Apostolicæ consistentium, factæ, seu facta fuerunt hucvsque, vel in futurum fient iudicialiter, vel etiam extraiudicialiter, causa tamen cognita in Romana Curia, per Rotam, vel Cameram, aut etiam per specialiter deputatam, seu deputatum à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, vel à Nobis, seu à successoribus nostris Congregationem, aut Iudicem: Nec etiam tollere centenariam præscriptionem concurrentibus de Iure requisitis: Nec immemorabilem, nisi in casibus, in quibus per sacros Canones, seu Concilia vniuersalia, vel Constitutiones, Ordinationes, aut dispositiones Apostolicas illa reprobatur, seu illi derogatur, aut aliàs de iure illa non suffragatur, firma tamen, & illibata remanente Bulla Cœnæ Domini, tam per Nos, & Rom. Pontifices prædecessores nostros publicata, quàm in posterum à Nobis, & successoribus nostris publicanda, quoad omnia, & singula, quæ in ea continentur. Volumus autem, & Apostolica auctoritate decernimus, vt eædem præsentes ad Valuas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ de Vrbe per aliquem ex Cursoribus nostris publicentur, & affigantur, quæ sic publicatæ, & affixæ omnes, & singulos, quos concernunt, arctent, & afficiant, perinde ac si illorum vnicuique personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 5. Iunij MDCXLI. Pontificatus Nostri Anno decimo octauo.

M. A. Maraldus.

*Publicatio.*

*Die 14. Augusti, anno vt suprà, Pontificatus decimo octauo, supradictæ literæ Apostolicæ publicatæ & affixæ fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ Vrbis per me Dominum Vareſium S. D. N. Papæ Cursorem, &c.*

Pro Mag. Cursorum Dominicus Mangilius Curs.

## VRBANI VIII. BVLLA.

### Decreta Sanctæ Congregationis Concilij authoritate edita.

### De Celebratione Missarum.

*VRBANVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

CVm sæpè contingat, in quibusdam Ecclesiis tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis impositum esse, vt illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri; & tamen noua onera Missarum in dies suscipiantur, indeque fiat, vt depereãt piæ testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animæ suffragiis priuentur, Ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac Christi fideles graui scandalo affecti, plerumque à similibus charitatis operibus retrahantur: Cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quod ij, qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas breui ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri; aut quòd Ecclesiis, forte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera Missarum absque vllo emolumento; aut quòd eleemosyna pro illis celebrandis sit adeò tenuis, vt non facilè inueniantur, qui velint huic se muneri subiicere, & redditus Ecclesiæ, aut Monasterij adeò exigui, vt Sacerdotes pro necessaria sua sustentatione nouis se oneribus obstringere compellantur: Sacra Congregatio Card. Conc. Trid. Interpretum animaduertens, facturam se rem Deo gratissimam, charitatique ac Iustitiæ maximè consentaneam, si pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum è Christiana Republica conuellere, atque eradicare, Sanctiss. D. N. Vrbani Diuina Prouidentia PP. VIII. authoritate sibi specialiter attributa, infrascripta Decreta edidit.

Ac primò districtè prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit.

Deinde vbi pro pluribus Missis, etiam eiusdem qualitatis celebrandis plura stipendia, quantumcunque incongrua, & exigua, siue ab vna, siue à pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capellis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conuentibus, Congregationibus, Domibus, ac locis piis quibuscumque, tam secularibus, quàm regularibus, Sacra Congregatio sub attestatione Diuini Iudicij mandat, ac præcipit, vt absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attribuæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; ita vt alioquin ij, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimmò grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur.

Id verò, vt deinceps obseruetur exactiùs, Sacra Congregatio eadem auctoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis, ac locis piis, tam secularibus, quàm regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quamcunque ob causam concessa, quibus indulgetur, vt certarum Missarum, vel Anniuersariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Præterea, ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, vt par est, adimplendis eò tepidiores, ac segniores reddantur, quod onera huiusmodi cum nulla, aut parua sint vtilitate coniuncta: statuit, atque decernit, vt pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conuentibus, ac locis omnibus, tam secularibus, quàm regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda à die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes Ædem Sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium quam primùm inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur: ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium sub eadem pœna, vt suprà, deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis, cum eiusdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debeat.

At hæc Sacra Congregatio quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum, tam secularium, quàm regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districtè prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum: seculares quidem sine Episcopi, vel eius generalis Vicarij, Regulares verò sine Generalis, vel Prouincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda: alioquin secularis, qui huius prohibitionis transgressor extiterit ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso: Regularis verò pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ, ac passiuæ, absque alia declaratione incurrat. Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis, ita demùm iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, vt noua quoque onera suscipere valeant: alioquin omninò abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa, Eleemosyna pro Missis, vel alia simili, sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur: Episcopus verò, seu eius Vicarius, aut Generalis, vel Prouincialis, vbi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrandarum obligationibus cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut loco pio incumbentibus: nec antea assensum huiusmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè constiterit, illius Sacerdotes tam nouo oneri suscipiendo, quam antiquis iam susceptis satisfacere posse: præcipuamque rationem habeant, vt redditus, qui Ecclesiis, & locis relinquuntur, omninò respondeant oneribus adiunctis, secundum morem cuiusque Ciuitatis, vel Prouinciæ, intelligantque si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in nouissimo die se huius prætermissi muneris rationem esse reddituros.

Postremò

Postremò Illustres SS. Patres, non sine graui animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ regularem disciplinam euertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fouent in oneribus Missarum super vires susciendis, veluti ex infecta radice pullulare ex maiori Regularium numero, quàm ferant redditus, & eleemosynæ cuiusque Monasterij: inhærentes Summorum Pontificum, ac Sacri Trid. Conc. decretis hac de re editis, Sanctissimi D.N. authoritate præcipiunt ac mandant omnibus, & singulis Generalibus, Prouincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, & quibuscumque aliis Superioribus Monasteriorum, Conuentuum, ac Domorum regularium bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti existentium intra fines Italiæ, & Insularum adiacentium, vt singuli ad quos pertinet, in qualibet Prouincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum vsu peritioribus, bona immobilia, census, redditus, & prouentus omnes, consuetas item eleemosynas, & obuentiones, tam communes Monasteriorum, Conuentuum, & Domorum eiusdem Prouinciæ, quàm etiam singularibus personis religiosis assignatas, seu permissas, in communem vsum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione diligenter, & maturè recognoscant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates, aliáve cuiuslibet generis onera consueuerunt absorbere: eaque omnia scripto fideliter exarata idem Superior, cuius interest, in proximo Capitulo, seu Congregatione generali, vel prouinciali coram tribus Iudicibus ab ipsomet Capitulo, & Congregatione deligendis proponat, qui computatis huiusmodi redditibus, eleemosynis, & obuentionibus vniuersis, & oneribus, vt supra detractis, sedulò examinent, quot religiosi homines, connumeratis etiam laicis, aliisque necessariis seruientibus, in vnoquoque Monasterio, Conuentu, & Domo regulari, iuxta regionis, & proprij instituti morem, victum, & vestitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorumdem bonorum, redditum, eleemosynarum, & onerum præcisam notam ipsimet Capitulo, seu Congregationi exhibeant, vt in illo diligenter omnibus discussis, cuiusque familiæ, Monasterij, Conuentus, ac Domus regularis in singula quaque prouincia certus earum tantùm personarum numerus Patrum capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleemosynis, & obuentionibus, vt superius, sufficienter ali possint. Ne verò Superiores qui id præstare debent, seriùs quam par est, suo muneri satisfaciant, mandat Sacra Congregatio, vt infrà annum post proximum Capitulum generale, vel prouinciale computandum, omnia hoc de genere particulariter gesta, in authenticam formam redacta ad Sacram ipsam Congregationem Concilij singuli mittant, numerumque familiæ, singulorumque Conuentuum, Monasteriorum, & Domorum huiusmodi regularium, Capituli, seu Congregationis generalis, vel prouincialis sententia, & authoritate præfinitum, ijdē Superiores, tam Generales, & Prouinciales omnes, quàm locales perpetuò seruare omninò teneātur, nec possint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augmenti redditum, absque Sacræ ipsius Congregationis licentia. Superiores autem huiusmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præstiterint, vel numerum, vt suprà præscriptū, quouis modo augere præsumpserint, priuationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vocisque actiuæ, ac passiuæ, & ad omnia suæ religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipso incurrere, atque aliis etiā grauioribus à Sede Apostolica infligendis pœnis Sacra Cōgreg. subiacere voluit, & declarauit.

Deinceps verò Monasterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis eiusmodi locis duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, & ex redditibus, & consuetis eleemosynis, detractis omnibus vt suprà detrahendis, competenter sustentari valeant, ad præscriptum decreti fel. rec. Greg. XV. hac de re editi. Alioquin Monasteria, & loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, vt suprà, sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint, Ordinarij loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ iurisdictioni subiecta esse intelligantur.

Porrò, ne vllo vnquam tempore hæc in obliuionem, seu desuetudinem abeant, Superiores locales cuiusque Monasterij, Conuentus, ac Domus regularis curare, atque efficere teneantur sub pœna priuationis officij, vocisque actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrenda, vt in perpetuum sexto quoque mense, ideſt feria secunda post primam Dominicam Aduentus, & feria sexta post Octauam Corporis Christi, præsentes ordinationes in publica mensa perlegantur. Ordinibus & tam Ecclesiasticis personis cuiuscumque sint ordinis, conditionis, & gradus, quàm laicis, quocumque honore, ac potestate fultis, præsentia Decreta declarandi, vel interpretandi, facultate penitus interdicta.

Non obstantibus quoad suprà scripta omnia, & singula in præsentibus Decretis contenta, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcunque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Ioan. Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet alterius instituti, etiam necessariò, & in indiuiduo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcunque, tam secularium, quàm regularium locorum, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus Decretis, etiam Motu proprio, & ex certa sciencia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, quibus, quoad ea, quæ præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, Sacra Congregatio Sanctitatis suæ authoritate, & specialiter, & expresse derogat, cæterisque contrariis quibuscumque.

Et ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, voluit eadem Sacra Congregatio, vt præsentes Ordinationes in Valuis Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in Acie Campi Floræ, vt moris est, affixæ, omnes, ad quos pertinet, ita arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent. Vtque earumdem præsentium transumptis, etiā impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate

Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ die 21. Iunij 1625.

Cosmus Cardinalis de Torres.

*Loco † Sigilli.*

Prosper Fagnanus Sacr. Congreg. Secr.

*Publicatio.*

*Anno Domini Nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimoquinto, Indictione octaua, Pontificatus autem in Christo Patris, & Domini nostri D. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. anno eius tertio, die vero vigesimasecunda mensis Septembris, suprascripta decreta affixa, & publicata fuerunt ad valuas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe ac in acie Campi Flora, vt moris est, per nos Camillum Fundatum, & Fabium Æmilianum Sanctiss. D. N. PP. Cursor.*

*Brandimartes Latinus prælibati S. D. N. PP. ac S. Roman. & Vniuersalis Inquisitionis Curs. pro Mag. DD. Curs.*

---

## VRBANI VIII. BVLLA.

Decretum Congregationis Concilij S. D. N. Vrbani Papæ VIII. iussu editum. De rebus Regularium non alienandis.

### *VRBANVS EPISCOPVS,*

*Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.*

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum rerum experimento edocta quantum Religiones accipiant detrimenti ex bonorum immobilium, & pretiosorum mobilium distractionibus, quas crebrò faciunt Regulares Apostolicis priuilegiis innixi, ac proindè operæ pretium putans illorum facilitatem aliqua ratione compescere: speciali Sanctissimi D. N. iussu Generalibus, & Prouincialibus Capitulis, vel Congregationibus, Abbatibus, Generalibus, & quibuscumque aliis Superioribus Regularibus, cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, vel Instituti, intra fines Europæ existentibus, omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretiosorum mobilium alienationem, omnéque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem, & conductionem vltra triennium, concessionem in feudum, vel emphyteusim, præterquā in casibus à iure permissis, facere perpetuò prohibet, atque interdicit absque ipsius Congregationis Concilij expressa licentia in scriptis, & gratis concedenda; sub pœna priuationis omnium beneficiorum, quæ tunc obtinebunt, vociſque actiuæ, & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia imposterùm obtinenda, quam ipso facto absque alia declaratione incurrant, sublata etiam Generali, & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate; pœnis nihilominus Apostolicarum Constit. & præsertim fel. record. Pauli II. quæ incipit Ambitiosæ, in suo robore permansuris. Alienationes verò, pacta, census, hypothecas, locationes, conductiones, & concessiones quascumque contra huiusmodi prohibitionem faciendas, Sanctitatis Suæ authoritate ipso iure nullas, atque irritas decernit. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcunque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum etiam S. Ioan. Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiusvis alterius instituti, etiam necessariò, & in indiuiduo exprimendi, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcunque, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque indultis, & priuilegiis sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viā communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis; etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ac formis specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi præsentibus pro expressis habentes, quibus quoad ea, quæ præsenti decreto, ac prohibitioni aduersantur, illis alias in suo robore permansuris, specialiter, & expressè, Sanctitatis Suæ authoritate derogat, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ, die vij. Septembris M.DC.XXIV.

Cosmus Card. de Torres.

Loco † Sigilli.

*Die xvj. Septembris 1624. Supradictum decretum affixum, & publicatum fuit in acie Campi Flora, & aliis solitis Vrbis, per me Ioan. Radica Sanctiss. D. N. PP. Curs.*

Brandimartes Latinus pro D. Mag. Curs.

Stante tamen prohibitione prædicta, S. Congregatio declarauit anno 1625. quod tali prohibitione quoad immobilia non comprehendantur Clerici Regulares Theatini, sub his verbis:

*S. Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum censuit, Religionem Clericorum Regularium Theatinorum, quamdiu Institutum non possidendi bona immobilia retineat, quoad bona immobilia non comprehendi in prohibitione nuper edita de rebus regularium non alienandis.*

Cosmus Cardinalis de Torres.
Prosper Fagnanus S. Congreg. Secret.

CVm post editum decretum de rebus Regular. non alienandis, compertum sit, Regulares, qui eodem decreto prohibentur census imponere, & alios contractus facere super bonis ad eorum Monasteria pertinentes, loco censuum, & contractuum huiusmodi pecunias accipere mutuò, etiam sine alicuius lucri solutione, vel ad cambium cum solutione alicuius lucri, etiam cessantis, vel damni emergentis, cum obligatione, seu hypotheca bonorum, aut dato pignore. Cumque ex huiusmodi contractibus eludatur mens S. Congregat. cui in primis in votis fuit consulere Religionum indemnitati, quæ ex dictis contractibus plurimùm læduntur, S. D. N. approbante, decreuit, & declarauit, non licere Regularibus pecunias, vt suprà proponitur, accipere, & si acceperint, in ipsius decreti pœnas ipso facto incidere.

Datum

Datum Romæ 21. Martij 1626. quod innouatur hac die 19. Septembris 1643.

*Ioan. B. Card. Pamphilius.*

*Franciscus Paulutius S. C. Conc. Secr.*

*Die 21. Octobris 1643. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit in acie Campi Floræ, & aliis locis solitis Vrbis per me Franciscum Angelicum Cursorem.*

Dominicus Mangilius pro D. Mag. Curs.

## INNOCENTII X. BVLLA.

Decretum Sacræ Congregationis supremæ & Vniuersalis Inquisitionis in tota Republica Christiana à Sancta Sede contra hæreticam prauitatem specialiter deputatæ.

Feria v. die 15. Ianuarij 1654.

*INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

CIrcumfertur in Vrbe, & forsan aliis in locis quoddam manuscriptum Idiomate Hispano exaratum, quod incipit, Por mano d'este Nuncio reciuio Su Excellentia vna Carta, &c. & finit, Lo que mas conuenga al seruicio de Dios, bien de las Almas, y recta Iusticia. Cuius manuscripti Auctor (vt publicè fertur) est, BENEDICTVS DE TREGLIES Collateralis Consilij, siue Cancellariæ Neapolitanæ Regens, in quo inter alias Propositiones temerarias, & scandalosas habetur quæ infrà sequitur, videlicet: LA IVRISDICION ECCLESIASTICA QVE TOCA A SV SANTIDAD COMO A PONTIFICE, FVERA DE SV TERRITORIO TEMPORAL *RESPICIT CAVSAS, ET PERSONAS*, Y A DETERMINADAS CAVSAS, Y PERSONAS SE RESTRINGE, Y EN ELLAS SOLAMENTE SE PVEDE EXERCITAR, PERO EL TERRITORIO NO ES SVYO SINO DEL REY, Y ASSI COMO QVIEN EXERCITA IVRISDICION EN AGENO TERRITORIO, TIENE OBLIGACION A PEDIR EL BENEPLACITO AL DVEÑO DE LA RIVISDICION AQVEL TERRITORIO, ASSI QVANDO SIN TENER IVRISDICION DE TERRITORIO QVIERE EL PONTIFICE EXERCITARLA EN EL DEL REY SOBRE LAS CAVSAS, O PERSONAS, EN QVIEN LE TOCA, DEVE PERMITIR, SE EXAMINEN POR EL PRINCIPE TEMPORAL SVS RESCRIPTOS, PARA QVE RECONOZCA SI SON DE SV IVRISDICION LAS CAVSAS Y PERSONAS QVE EN ELLOS SE CONTIENEN.

Quam quidem propositionem iussu Sanctissimi D. N. Innocentij Papæ Decimi à Qualificatoribus Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis examinatam, & perpensam, iidem Qualificatores vnanimi consensu, SCHISMATICAM, ET HÆRETICAM CENSVERVNT.

Quocirca, ne ex lectura præfati manuscripti prauis opinionibus, & Hæresibus Christi fideles inficiantur, & deprauentur. Eadem Congregatio Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis prædictum manuscriptum, siue Hispano, siue alio quocumque idiomate circumferatur, & diuulgetur, de speciali mandato Sanctitatis Suæ omninò prohibet, & damnat, sub pœnis, & censuris in Indice Librorum prohibitorum contentis.

Et nisi illius Auctor quamprimùm sese expurgauerit, censuris, ac aliis pœnis Ecclesiasticis intelligat se omninò coërcendum.

*Ioannes Antonius Thomasius Sanctæ Rom. & Vniuers. Inquisitionis Notarius.*

*Publicatio.*

*Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimoquarto, Indictione septima, die verò decimasexta mensis Ianuarij, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Innocentij diuina Prouidentia Papæ X. anno eius decimo, supradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateran. & S. Petri de Vrbe, necnon ad valuas Palatij Sac. Inquisitionis, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Hieronymum Mascellam eiusdem Sanctiss. D. N. Papæ & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.*

## INNOCENTII X. BVLLA.

Declaratio nullitatis Literarum Senatus Mediolani, & Edicti Gubernatoris Status Mediolanensis super obseruatione festiuitatis S. Dominici in dicto Statu.

*INNOCENTIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.*

DVm nuper ad notitiam nostram non sine graui animi nostri molestia peruenerit, quod dilecti filij Senatus Mediolani per literas circulares datas die xx. Iunij proximè præteriti, & dilectus filius nobilis vir modernus Gubernator Status Mediolani per Edictum publicatum die 30. eiusdem mensis Iunij mandauerint obseruari diem festum Sancti Dominici die quarta mensis Augusti cuiuslibet anni in toto illo Statu, præcipientes vt Populi & subditi illius Status abstineant ab operibus seruilibus, & artifices tabernas & apothecas clausas teneant, provt seruatur cæteris diebus festis ex præcepto, & vlterius in Edicto prædicto exprimatur festiuitatem esse celebrandam cum omni deuotione, ac pietate Christiana: Nos, quibus vniuersalis Ecclesiæ regimen à Domino commissum est, considerantes quàm pernicioſum authoritati Ecclesiasticæ id esse possit, cùm Principes laici, quos in rebus Ecclesiæ obsequendi potius manet necessitas, quàm authoritas imperandi, non habeant facultatem indicendi dies festos in honorem Sanctorum: De Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus præpositorum, quibus hoc negotium discutiendum commisimus, consilio prædictas literas, ac Edictum emanata authoritate laicali super obseruatione prædictæ festiuitatis Sancti Dominici, fuisse & esse omnino nullius roboris, & momenti, nec aliquo modo seruanda, Apostolica authoritate tenore præsentium declaramus; sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & quosvis alios quacumque authoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub

Annulo Piscatoris, die vj. Octobris M.DC.LIII. Pontificatus nostri anno 10.

*G. GVALTERIVS.*

---

## ALEXANDRI VII. BVLLA.

### Literæ Processus lectæ die Cœnæ Domini M. DC. LVI.

In nomine Sanctiss. & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

*Nouerint vniuersi, & singuli hoc præsens Transumptum inspecturi, quod nos Odoardus Vecchiarellius Protonotarius Apostolicus vtriusque Signaturæ, Sanctissimi D.N. Papæ Referendarius, necnon Curiæ Causarum Cam. Apost. Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Iudex ordinarius, sententiarum quoque, & censurarum tam in eadem Romana Curia, quàm extra eam latarum, ac literarum Apostolicarum quarumcunque vniuersalis, & merus executor ab eodem S. D. N. Papa specialiter electus, & deputatus, vidimus, & diligenter inspeximus literas Apost. S. D. N. ALEXANDRI diuina Prouidentia Papæ VII. hodie, quæ fuit dies feriæ quintæ, & Cœnæ Domini, solenniter more solito lectas, & publicatas, eiusque Bullam plumbeã cum chordula rubei croceique colorum more Romanæ Curiæ pendente expeditas, & omni suspicione carentes tenoris prout infrà, videlicet.*

*ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.*

*Excommunic. & anathematizantur.*

PAstoralis Romani Pontificis vigilantia, & solicitudo, cùm omni Christianæ Reipublicæ paci, & tranquilitati procurandæ, pro sui muneris officio assiduè versatur, tùm potissimum in Catholicæ fidei, sine qua impossibile est placere Deo, vnitate, atque integritate retinenda, & conseruanda maximè elucet: Nimirum, vt fideles Christi non sint paruuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumuentionem erroris, sed omnes occurrant in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum, neque se in huius vitæ societatem & communionem dent, vt inter se alter alteri offensionem præbeat: sed potius in vinculo charitatis coniuncti, tanquam vnius corporis membra sub CHRISTO capite, eiusque in terris Vicario Rom. Pontifice Beatissimi Petri Successore, à quo totius Ecclesiæ vnitas dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita diuina gratia adiutrice, sic præsentis vitæ quiete gaudeant, vt futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sanè causas Rom. Pontifices Prædecessores nostri, hodierna die, quæ anniuersaria Dominicæ Cœnæ commemoratione solennis est, spiritualem Ecclesiasticæ disciplinæ gladium, & salutaria iustitiæ arma per ministerium Summi Apostolatus ad Dei gloriam, & animarum salutẽ solenniter exercere consueuerunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quàm fidei inuiolatam integritatem, publicam pacem, & iustitiam, Deo auctore tueri, vetustum, & solennem hunc morem sequentes.

*Hæretici cuiuscumque secta, eorumdem fautores, libros legentes, tenentes, aut imprimentes & schismatici.*

1. Excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac Nostra, quoscumque Hussitas, Vvichlephistas, Luteranos, Zuinglianos, Caluinistas, Vgonottos, Anabaptistas, Trinitarios, & à Christiana fide apostatas, ac omnes, & singulos alios hæreticos quocunque nomine censeantur, & cuiuscumque secta existant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorũ defensores, ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostra & Sedis Apost. scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quavis causa publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore, necnon schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

*Appellantes à Pontif. ad futurum Concilium, eorumque fautores.*

2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos cuiuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint: Vniuersitates verò, Collegia, & Capitula quocumque nomine nuncupentur, interdicimus ab ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad vniuersale futurum Concilium appellantes: necnon eos, quorum auxilio, consilio, vel fauore appellatum fuerit.

*Piratæ, atque eorum receptatores, & fautores.*

3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Cursarios, ac Latrunculos maritimos, discurrentes Mare nostrum, præcipuè à monte Argentario vsque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.

*Naufragorum Christianorum cuiuscumque generis bona, etiam in litoribus inuenta surripientes.*

4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui Christianorum quorumcunque nauibus tempestate, seu in transversum (vt dici solet) iactatis, vel quoquo modo naufragium passis, siue in ipsis nauibus, siue ex eisdem electa in mari, vel in litore inuenta cuiuscumque generis bona, tam in nostris Tyrrheni, & Adriatici, quàm in cæteris cuiuscumque maris Regionibus & litoribus surripuerint; ita vt nec ob quodcumque priuilegium, consuetudinem, aut longissimi, & immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcunque prætextum excusari possint.

*Imponentes noua pedagia, & gabellas, vel eas augentes.*

5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in Terris suis noua Pedagia, seu gabellas, præterquam in casibus sibi à iure, seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis imponunt, vel augent, seu imposita, vel augeri prohibita exigunt.

*Falsific. lit. Apost. aut suppl. à quocumque auct. habente signatas, & falsò publicantes literas Apost.*

6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios literarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis, ac supplicationum gratiam, vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Rom. Pontificis signatarum, necnon falsò publicantes literas Apostolicas, & etiam falsò signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarij, aut gerentium vices prædictorum.

*Deferentes arma, & alia vsui bellico idonea ad Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos, & ad Reipubl. Christianæ statum pertinentia, & idem in damnum Christianorum nunciantes.*

7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sarracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes & inimicos, vel hæreticos per nostras, siue huius Sanctæ Sedis sententias expressè & nominatim declaratos deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque

omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canabem, funes, tam ex ipso canabe, quàm alia quacumque materia, & ipsam materiam, aliaque huiusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant: necnon illos, qui per se, vel alios de rebus statum Christianæ Reipublicæ concernentibus, in Christianorum perniciem, & damnum, ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, necnon Hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant. Non obstantibus quibuscumque priuilegiis quibusvis personis, Principibus, Rebuspublicis, per Nos, & Sedem prædictam hactenus concessis, de huiusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

*Impedient. eos qui victualia, & alia necessaria Romam conuehunt.*

8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, seu inuadentes eos, qui victualia, seu alia ad vsum Rom. Curiæ necessaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Rom. Curiam adducantur, vel asferantur, prohibent, impediunt, seu hæc facientes defendunt per se, vel alios, cuiuscumque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiamsi Pontificali, seu Regali, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

*Ad Sedem Apost. venient. vel ab ea recedent. sua aut aliorum opera ladentes, & sine iurisdictione vexant. in Curia commorantes.*

9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent, necnon illos omnes, qui iurisdictionem ordinariam, vel delegatam à Nobis, vel Nostris Iudicibus non habentes, illam sibi temerè vendicantes, similia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.

*Romipetas, ac peregr. etiam in Vrbe morantes, vel abeuntes ladentes.*

10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu Peregrinos ad Vrbem causa deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel fauorem.

*Offendentes S. R. E. Card. & alios Prælatos.*

11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos à suis Diœcesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis eicientes: Necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel fauorem.

*Ad Rom. Cur. pro negotiis suis recurrentes per se, vel per alios ladentes.*

12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel per alios personas Ecclesiasticas quascumque, vel seculares ad Romanam Curiam super eorum causis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, aduocatos, procuratores, & agentes, seu etiam Auditores, vel Iudices super dictis causis, vel negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum huiusmodi occidunt, seu quoquo modo percutiunt, bonis spoliant, seu qui per se, vel per alios, directè, vel indirectè delicta huiusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

*Appellantes à grauamine, vel futura executione literarum Apostolicarum ad Laicam Potestatem.*

13 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tam Ecclesiasticos, quàm seculares cuiuscumque dignitatis, qui prætexentes friuolam quandam appellationem à grauamine, vel futura executione lit. Apost. etiam in forma Breuis, tam gratiam, quàm iustitiam concernentium: Necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorũ, processuumexecutorialium, & aliorum decretorum à Nobis, & à Sede prædicta, seu Legatis, Nunciis, Præsidentibus, Palatij nostri, & Cam. Apost. Auditoribus, Commissariis, aliisque Iudicibus, & Delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanauerint, aut aliàs ad Curias seculares, & laicam potestatem recurrunt, & ab ea, instante etiam Fisci Procuratore, vel Aduocato, appellationes huiusmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta capi & retineri faciunt, quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine exequutioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarij super huiusmodi literarum & processum exequutione instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cuius interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, Notarios, exequutores, & subexequutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Ciuitatibus, Locis, & Regnis eiiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se, vel alium, seu alios, publicè vel occultè, quive aliàs quibuscumque personis in genere, vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis, vel literis impetrandis ad Rom. Cur. accedant, recursum habeant, seu gratias ipsas, vel literas à dicta Sede impetrent, seu impetratis vtantur, directè prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut Notarios, seu Tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præsumunt.

*Executionem literarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum impedientes, & prohibentes ad gratias impetrandas accedentes.*

14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscumque, qui per se, vel alios, auctoritate propria, ac de facto quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum prætextu beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commissariis nostris, aliisque Iudicibus Ecclesiasticis auocant, illorúmve cursum, & audientiam, ac personas, Capitula, Conuentus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam Iudices interponunt: Quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt ad reuocandum, & reuocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut aliss literas in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eis, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolui, per statutum, vel aliàs compellunt, vel exequutionem literarum Apostolicarum, seu exequutorialium processuum, ac decretorum prædictorum quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, consilium, aut assensum, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad Nos informandos, vt dicunt, supplicauerint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi coram Nobis, & Sede Apostolica legitimè prosequantur; etiamsi talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarij, Vicecancellarij, Consiliarij

ordinarij, vel extraordinarij quorumcunque Principum secularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarij, seu Vicarij fuerint.

*Iudices seculares, qui Ecclesiast. personas trahunt ad sua Tribunalia, quique Ecclesiast. libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant.*

15. Quive ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcunque personas Ecclesiasticas, Capitula, Conuentus, Collegia Ecclesiarum quarumcunque coram se ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum, præter Iuris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quovis quæsito colore: Necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quævis alia decreta in genere, vel in specie, ex quavis causa, & quovis quæsito colore, ac etiam prætextu cuiusvis consuetudinis, aut priuilegij, vel alia quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quovis modo restringitur, seu nostris, & dictæ Sedis, ac quarumcunque Ecclesiarum iuribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè præiudicatur.

*Imped. Præl. ne sua iurisd. vtantur, quique illorum, & deleg. iudicia eludentes ad Cur. secul. recur. aut contra illos decernunt, præstantesque auxilium.*

16. Necnon qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque superiores & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscumque Iudices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directè, vel indirectè carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, necnon consanguineos, affines, aut aliàs impediunt, quominus sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque vtantur, secundùm quod Canones, & Sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum Generalium, & præsertim Tridentini statuunt; ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunque sententias, & decreta, aut aliàs fori Ecclesiastici iudicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pœnalia, Ordinariis, & delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & fauorem in eisdem.

*Vsurpantes Sedis Apost. & quarumcunque Ecclesiæ iurisdictiones, vel etiam fructus sequestrantes.*

17. Quive iurisdictiones, seu fructus, redditus, & prouentus ad Nos, Sedem Apostolicam, & quascunque Ecclesiasticas personas, rationes Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes vsurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.

*Imponentes decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, Monasteriis, aut eorum fructibus.*

18. Quive collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum, bonis, illorumque fructibus, redditibus, & prouentibus huiusmodi absque simili Rom. Pont. speciali, & expressa licentia imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam à spontè dantibus, & concedentibus recipiunt. Necnon qui per se, vel alios, directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij Potentatus quicunque, etiam Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, & Terris quoquo modo Præsidentes, Consiliarij, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate insigniti, Innouantes decreta super his per sacros Canones, tam in Lateranensi nouissimè celebrato, quàm aliis Conciliis generalibus edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis.

*Iudices seculares, qui se interponunt in causis capitalibus, seu criminalibus contra Ecclesiasticas personas.*

19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunque Magistratus, & Iudices, Notarios, Scribas, exequutores, subexequutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa huius Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, quique huiusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel aliàs illa perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint Consiliarij, Vicecancellarij, aut quovis alio nomine nuncupati.

*Occupantes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ, & illius iurisdictionem vsurpantes.*

20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios, directè, vel indirectè sub quocunque titulo, vel colore inuadere, destruere, occupare, & detinere præsumpserint, in totum, vel in partem, Almam Vrbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ, & Corsicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Veneysinum, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas Prouincias, illarumque Terras, & loca, ac Terras specialis commissionis Arnulforum, Ciuitatesque nostras Bononiam, Cæsanam, Arimimum, Beneuentum, Perusinum, Auenionem, Ciuitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias Ciuitates, Terras, & loca, vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subiecta: necnon supremam iurisdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto vsurpare, perturbare, & vexare variis modis præsumunt, necnon adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstantes.

*Absolutio soli Pontifici reseruatur.*

Volentes præsentes nostros processus, ac omnia, & quæcunque his literis contenta, quousque alij huiusmodi processus à Nobis, aut Rom. Pont. pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omninò sortiri.

*Absolnere præsumentes excommunicantur.*

Cæterùm à prædictis sententiis nullus per aliam quàm per Rom. Pont. nisi in mortis articulo constitutus,

tus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, absolui possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuscumque personis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum regularibus, etiam Episcopali, vel alia maiori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis piis, necnon laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cuiusvis Concilij decreta, verbo, literis, aut alia quacumque scriptura in genere, vel in specie concessorum, & innouatorum, aut concedendorum, & innouandorum.

Quòd si fortè aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate illaqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, grauiùs contra eos spiritualiter, & temporaliter, provt expedire nouerimus, processuri.

*Papæ absolutio non comprehendit eos, qui à præmissis non desliterint.*

Declarantes ac protestantes quamcunque absolutionem, etiam solenniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi priùs à præmissis, cum vero proposito vlterius similia non committendi, desliterint: ac quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, vt præfertur, statuta fecerint, nisi priùs statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta huiusmodi publicè reuocauerint, & ex Archiuis, seu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & cassari, ac Nos de reuocatione huiusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per huiusmodi absolutionem, aut quoscumque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel successorum nostrorum quantocumque tempore continuatam, in præmissis omnibus & singulis, ac quibuscumque iuribus Sedis Apost. & S. R. E. vndecumque & quandocumque quæsitis, vel quærendis, nullatenus præiudicari posse, aut debere.

Non obstantibus priuilegiis, indulgentiis, indultis & literis Apostolicis, generalibus, vel specialibus, supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis cuiuscumque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamsi, vt præfertur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis Ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, seu locis à prædicta Sede ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis: & sub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis concessis, etiam continentibus quòd excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de priuilegiis, indulgentiis, & indultis, huiusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem, necnon consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcunque longissimis, & aliis quibuslibet obseruátiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias, quominus includantur in eis, se iuuare valeant, vel tueri.

Quæ omnia quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitùs omisso, insererentur, præsentibus pro expressis habentes, penitùs tollimus, & omninò reuocamus, cæteraque contraria quæcumque.

Vt verò præsentes nostri processus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, seu membranas processus ipsos continentes, valuis Ecclesiæ S. Ioan. Lateran. & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe appendi faciemus, vt ij, quos processus huiusmodi concernunt, quòd ad ipsos non peruenerint, aut quòd ipsos ignorauerint, nullam possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cùm non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Insuper, vt processus ipsi, & præsentes literæ, ac omnia & singula in eis contenta eò fiant notiora, quò in plerisque Ciuitatibus, & locis fuerint publicata, vniuersis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatis vbilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, vt per se, vel alium, seu alios præsentes literas, postquam eas receperint seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesiis suis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, solenniter publicent, & ad Christi fidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

*Quicumque audiunt confessiones apud se has literas habeant.*

Cæterùm Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique locorum Ordinarij, & Ecclesiarum Prælati, necnon Rectores, cæteriique curam animarum exercentes, ac Presbyteri seculares, & quorumvis Ordinum regulares ad audiendas peccatorum confessiones quavis auctoritate deputati, transumptum præsentium literarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant. Volentes earumdem præsentium transumptis etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, & sigillo Iudicis ordinarij Romanæ Curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in iudicio, & extra illud vbique locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innouationis, declarationis, protestationis, iubilationis, reuocationis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimosexto. Idib. Aprilis, Pontificatus Nostri anno 1.

*Loco † Plumbi.*

I. Card. Prodatarius.

G. Gualterius.

Visa di Curia P. Ciampinus.

*P. Ciampinus.*

Registrata in Secretaria Breuium.

*Publicatio.*

*Anno à Natiuitate Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimosexto, Indictione nona, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri diuina Prouidentia Papæ VII. anno eius secundo, die verò 13. mensis Aprilis, supradicta literæ Apostolicæ, affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Curiæ, & in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Vrbis, per me Petrum Paulum de Grassis Apostolicum Cursorem.*

*Pro D. Mag. Curs. Iacobus Cornelius Cursor.*

Quibus

QVibus quidem literis diligenter inspectis, illas ad requisitionem, & instantiam Mag. D. Iustini Gentilis Sanctissimi D. N. Papæ, & Cameræ Apostolicæ Proc. Fiscalis, per nostrum, & dictæ Curiæ Notarium, & Mensarium infrascriptum transumi, & exemplari, ac in hanc publicam transumpti formam redigi mandauimus. Decernentes, & volentes, vt huic præsenti transumpto, iuxta earumdem literarum, & decreti in eis appositi formam, continentiam, & tenorem, de cætero plena, & indubitata fides adhibeatur vbique locorum, ac si ipsæ literæ originales exhibitæ, vel ostensæ forent. Quibus omnibus, & singulis authoritatem nostram ordinariam, & decretum interposuimus, & interponimus per præsentes. In quorum fidem præsentes literas, atque præsens publicum instrumentum transumpti exinde fieri, & per dictum nostrum, & Curiæ nostræ Notarium infrascriptum subscribi, & publicari mandauimus, nostrique soliti sigilli impressione muniri iussimus, & fecimus.

Datum Romæ ex ædibus nostris, an. Domini 1656. Indictione 5. die verò 13. mensis Aprilis, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini N. D. ALEXANDRI diuina prouidentia Papæ VII. anno 2. Præsentibus ibidem DD. Iacobo Simoncello, & Gaspare Chrysostomo, dictæ Curiæ nostræ Notariis, ad prædicta omnia & singula vocatis, habitis specialiter atque rogatis.

*Loco † Sigilli.*

Od. Vecchiarellius Auditor Cameræ.

*Loco † Signi.*

Dominicus Petrucciolus Cur. Caus. Cameræ Apostolicæ Notarius & Mensarius.

DEO OPT. MAX. sit sempiterna Laus, & Gloria. Amen.



ADDITIONES

R. P. D. THOMÆ

# DELBENE,

## ADDITIONES AD OPVS DE IMMVNITATE,

ET IVRISDICTIONE ECCLESIASTICA,

*HOC EST*

## CONSTITVTIONES APOSTOLICÆ,

Declarationes, & Decreta,

Tum Sacræ Congregationis Immunitatis Ecclesiasticæ, tum sacrarum Congregationum S. Concilij Tridentini, & Episcoporum ac Regularium; quæ suis locis distributa totam ferè doctrinam in iis contentam vel confirmant, vel declarant.

*Summo studio, parique fide partim ab admodum* R. P. Fr. ANGELO LANTVSCA, *partim ab eruditißimo viro* D. IACOBO PIGNATELLO, *ad annum usque* 1673. *cum eorum indice collecta, recognita, & in hanc formam digesta.*

Imprimatur, si videbitur R. P. Mag. Sac. Pal. Apost. I. de Angelis Archiepisc. Vrbin. Vicesg.

Imprimatur. Fr. Hyacinthvs Libellvs, Sac. Pal. Apost. Mag.

# ADDITIONES
## R. P. THOMÆ
# DELBENE,
## AD SVOS TOMOS
# DE IMMVNITATE,
## Et Iurisdictione Ecclesiastica ;

*Quæ totam ferè doctrinam in iis traditam vel confirmant, vel explicant.*

## SYLLABVS RERVM,

Quæ in hisce Additionibus continentur.


A

Abortvs.
Absolutio.
Actuarius.
Aduocatus.
Affictuarius.
Affida.
Alienatio.
Animalia.
Appellatio.
Apotheca.
Archiepiscopus.
Archimandrita.
Arma.
Aromataria.
Assassinus.
Assessor.
Auditor Episcopi.
Auditor Cameræ Apostolicæ.

B

Baliuus.
Baldachinum.
Banniti.
Baricellus.
Baro.
Baronia.
Beneficium.
Beretinum.
Bigamus.
Birruarius.
Blasphemator & Blasphemia.
Bona acquisita per Ecclesiasticos.
Bona indiuisa Clericorum & parentum.
Bona data pro erectione locorum piorum.
Bona emphyteutica Ecclesiasticorum.
Bonatenentia.
Breuia Pœnitentiariæ.
Bulla.

C

Cadauera.
Camerarius.
Campanile.
Campana.
Cancellarius.
Candela.
Canonica portio.
Canonici.
Cantor.
Cantus.
Capella.
Capitulum.
Carcer.
Carcerati.
Casa, siue Tugurium, vulgò Capanna.
Catastrum.
Causarum cognitio.
Censura.
Citatio.
Clauis.
Claustrum.
Clausura.
Clericus.
Clerici coniugati.
Clerici saluatici.
Clerici Græci.
Cæmeterium.
Collecta.
Collegium.
Coloni.
Colonica portio.
Commissarius.
Communitas.
Concubina.
Confraternitas.
Confugiati ad Ecclesiam.
Consanguinei Ecclesiasticorum.
Contributio.
Contumacia.
Curia Ecclesiastica.
Curia laïcalis.
Cursor.
Custodia refugiatorum.

D

Damna data.
Debitor.
Decimæ.
Declaratio.
Decoctores.
Defensio.
Delinquens.
Depositarius.

Domus.
Donatio.
Donatiuum Regium.
Dos.

E

Eccleſia.
Edictum.
Eiectio.
Emphyteuſis.
Emptio.
Epiſcopus.
Equites Hieroſolymitani.
Equites S. Stephani.
Equites S. Mauritij.
Equites S. Iacobi.
Equites Portugalliæ.
Eremitæ.
Exactio.
Exactor.
Executio.
Excommunicatio.
Excommunicatus.
Exemptio.
Exemptus.
Exilium.
Extractio victualium.
Extractio à loco immuni.

F

Factor.
Falliti, ſeu Decoctores.
Falſarij, & Falſantes.
Familia.
Familiares.
Famulus.
Farina.
Feneſtræ.
Feſti dies.
Feudum.
Fidei profeſſio.
Filius.
Fiſcalis.
Forus Eccleſiaſticus.
Franchiſia.
Frumentum.
Furioſus.
Furnus.
Fur.

G

Gabella.
Generalis.
Graduatus.
Græci.
Graſſatores.
Gubernator.

H

Habitatio.
Habitus.
Hebræus.
Hæreticus & Hæreſis.
Heres.
Hæreditas.
Hieroſolymitani Equites.
Homicidium & Homicida.
Hortatoriæ.
Hoſpitalarius.
Hoſpitale.
Hoſpitatio Militum.

J

Illegitimus.
Immunitas.
Impunitas.
Incorrigibilis.
Indulgentia.
Infidelis.
Iniuria.
Interdictum.
Itali.
Iubilæum.
Iudæus.
Iudex.
Iuramentum.
Iuriſdictio.
Ius Eccleſiaſticum.
Ius congrui.
Iuſpatronatus.

L

Laboratores.
Laïcus.
Latrones.
Legatum.
Legatus Apoſtolicus.
Liber.
Libertas Eccleſiaſtica.
Licentia.
Liparis Inſula.
Lis.
Literæ eiectionis.
Locatio.

M

Macellum.
Magiſter Scholæ.
Magiſter actorum.
Magiſtratus.
Mandatarius.
Mandatum.
Mater.
Matrimoniales cauſæ.
Medicus.
Medicina.
Meretrix.
Metropolitanus.
Mezadri.
Miles.
Miſerabiles.
Miſſa.
Mixti fori cauſæ.
Mola.
Molendinum.
Monaſterium.
Monetarij.
Mons.
Mulier.
Muſicus.

N

Negotiator.
Notarius.
Nundinæ.
Nuncius.

O

Oblati.
Oeconomus.
Officiales.
Onera Cameralia.
Oratorium.
Ordinarij.
Ordo.

P

Palafrenarius.
Palatium.
Parochus.
Paſcua.
Patentati.
Patrimonium.
Patronus.
Pauper.
Pax.
Pœna.
Penſionarius.
Penſio.
Pileolus.
Piſtor.
Porta.
Præuentio.
Presbyter.
Prædicantes, &c.
Prima Tonſura.
Priuilegium.
Priuatio priuilegij.
Proceſſus.
Promotor.
Proditor.
Proditorium homicidium.
Proſpectus.
Protector.
Protonotarius.

Q

Quæſtor.
Quæſtuatio.

R

Raptor.
Recognitio corporis delicti.
Reconciliatio.
Recurſus.
Regulares.
Repreſaliæ.
Reus.
Rota Romana.

S

Sacramentum.
Satellites.
Sclauus.
Schola.
Scripturæ.
Sedes.
Sententia.
Sepultura.
Sequeſtrum.
Seruitor.
Seruus.
Societas.
Sodomia.
Statutum.
Subcollector.
Subdiaconus coniugatus.
Subſidium triennale.
Syndicus.

T

Tertiariæ.
Tertiarij.
Teſtamentum.
Teſtis.
Tranſactio.

V

Vicarius.
Vſurarius.
Vxor.

# A.

## ABORTVS.

ABortvm procurans malis medicamentis, non gaudet immunitate Ecclesiastica. S. Congreg. Concilij, 3. Decembris 1632.

*Absolutio.*

Absolutio à censuris ex causa violatæ Immunitatis Ecclesiasticæ est reseruata Summo Pontifici. Die 13. Iulij 1638. Licienſis: *lib.3. decr. Paul. fol.66. à tergo.*

Auditor Cameræ non potest dare hanc absolutionem, nec cætera Tribunalia Vrbis. Die 4. Augusti 1626. Romana: *lib.1. decr. Paul. fol.10.*

Absoluendi facultas non debet concedi Ordinario inferiori, sed Episcopo viciniori. Die 23. Augusti 1632. Melitensis: *lib.2. decr. Paulutij, fol. 137.*

Episcopus absque facultate S. C. non debet committere absolutionem cum reincidentia, secus incidit in excommunicationem. Die 3. Decembris 1652. Cassanensis: *lib.3. decr. Paul. fol.5.*

Neque ratione infirmitatis, nisi sit periculosa. Die 6. Februarij 1635. Lycienſis: *lib.2. decr. Paul. 216.*

Neque in honorem festiuitatis. Die 27. Martij 1635. Auersana: *lib.2. decr. Paul. fol.220. à tergo.*

Absolutio non datur, nisi expressis nominibus. Die 1. Octobris 1652. Compsana: *lib.4. decr. Paul. fol.199.*

Iubilæum non suffragatur excommunicatis in foro fori. Die 17. Decembris 1630. Aquilana: *lib.2. decr. Paul. fol. 67.* In vna Mediolanensi, die 27. Ianuarij 1632. *lib.2. decr. Paul. fol. 113.* In vna Nuscana, die 6. Februarij 1635. *lib.2. decr. Paul. fol.217.*

Breue Pœnitentiariæ non suffragatur excommunicatis in foro exteriori. Die 9. Octobris 1629. Grauinensis: *lib.2. decr. Paul. fol.8. à tergo.* In vna Marsicana, die 7. Septembris 1638. *lib.3. decr. Paul. fol.72.* In vna nullius Terlitij, die 12. Ianuarij 1649. *lib.4. decr. Paul. fol.69. à tergo.*

Absolutio aliquando datur cum pœna soluendi eleemosynam. Die 29. Octobris 1628. Salernitana. In vna nullius Orbitelli, die 29. Octobris 1624 *lib.1. decr. Paul. fol. 110. à tergo.*

Nec est concedenda vigore Iubilæi. Die 14. Octobris 1630. S. Marci: *lib.2. decr. Paul. fol.63.*

Absolutio cum facultate S.C. datur aliquando cum reincidentia in honorem festiuitatum. die 3. Aprilis 1632. Britinorienſis: *lib. 2. decr. Paul. fol. 120. à tergo.* In vna Cassanensi, die 19. Decembris 1634. *lib. 2. decr. Paul. fol.112.* In vna Caiacensi, die 24. Martij 1627. *lib.1. decr. Paul. fol. 42. à tergo.*

Absoluendi facultas datur aliquando per substitutum. Die 21. Septembris 1633. Asculana: *lib.1. decr. Paul. fol. 176. à tergo.* Aliquando datur facultas Episcopo subdelegandi absolutionem. In vna Baronensi, die 7. Augusti 1657. *lib. decr. Rocci, fol.22. à tergo.*

Absolutio datur aliquando cum cautione de soluendo damna. Die 22. Septembris 1633. Asculana: *lib.2. decr. Paul. fol.200.* In vna Oritana, die 5. Maij 1637. *lib.3. decr. Paul. fol. 32. à tergo.*

Absolutio est personaliter petenda. Die 8. Aprilis 1636. Nucerina: *lib. 3. decr. Paul. fol. 2.* In vna Aprutina, die 5. Martij 1641. *lib.3. decr. Paul. fol. 139.*

Lapso termino absolutionis cum reincidentia, Ordinarius debet affigere cedulones contra iam absolutos. Die 12. Decembris 1634. Parensis. In vna Alexanensi, die 17. Ianuarij 1634. *lib.2. decr. Paul. fol. 211. à tergo, & fol. 181.*

Excommunicati ob extractionem factam ab Ecclesia, cùm aliquando extracti fuerunt ab eisdem occisi, ex quo Ecclesia non potest reintegrari, possunt absolui in foro conscientiæ; in foro autem exteriori fuit variatum. Die 13. Decembris 1633. Oppidensis: *lib.2. decr. Paul. fol.180.*

Commissarius Nuntij non potest absoluere à censuris. Die 10. Iulij 1640. Melfiensis: *lib.3. decr. Paul. fol.123. à tergo.*

Nec potest absoluere ob non solutionem decimarum Locumtenens A. C. Die 29. Maij 1629. Beneuentana: *lib.1. decr. Paul. fol. 183.*

Locumtenens A. C. non potest absoluere ab excommunicatione reseruata. Die 29. Maij 1629. Catacensis: *lib.1. decr. Paul. fol.183. à tergo.*

Facinorosus non est absoluendus ab Episcopo cum facultate Summi Pœnitentiarij. Die 27. Maij 1654. Auellinensis: *lib.5. decr. Paul. fol.40.*

Exactores onerum ab Ecclesiasticis non sunt absoluendi, nisi præcedente restitutione omnium exactorum. Alexandrina: *lib. decr. Paul. fol. 38.*

Absolutio multorum concurrentium in vno crimine quomodo est conferenda. Die 13. Augusti 1647. Barensis: *lib.4. decret. Paul. fol. 22. à tergo.*

Absolutio diuersorum delinquentium datur secundùm qualitatem delictorum. Die 10. Nouembris 1648. Episcopi Regni: *lib.4. decr. Paul. fol.64. à tergo.*

Petentes absolui ab excommunicatione, sunt absoluendi in forma Ecclesiæ consueta. Die 9. Nouembris 1626. Caietana: *lib.1. decr. Paul. fol.21. à tergo.*

Absolutio ab excommuuicatione non prodest, nisi sequutâ restitutione & reintegratione Ecclesiæ. Die 9. Octobris 1629. Laudensis: *lib. 2. decret. Paul. folio 9.*

Tria requiruntur, vt quis legitimè absolui possit ab excommunicatione reseruata. Die 2. Iulij 1630. Alessana: *lib.2. decr. Paul. fol. 46. à tergo.*

Excommunicatus mortuus potest absolui in forma iudicij. Die 23. Septembris 1653. Nietnensis: *lib. 5. decr. Paul. fol.21.*

Excommunicatus mortuus, si signa pœnitentiæ dederit, potest absolui. Die 14. Septembris 1626. Ianuensis: *lib.1. decr. Paul. fol. 15. à tergo.*

Circa absolutionem excommunicati demortui seruanda est dispositio capitis finalis *de sepult.* Mediolanensis: *lib.2. decr. Paul. fol. 150. à tergo.*

Qui habent priuilegium à Sede Apostolica absoluendi à casibus, & censuris reseruatis, non possunt, etiam virtute huiusmodi priuilegiorum, absoluere extra Vrbem in Italia,

A casibus Episcopo reseruatis.

A casibus Bullæ Cœnæ.

A percussione Clericorum.

A violatione clausuræ monialium ad malum finem.

Ab excommunicatione Gregor. XIV. ob violationem Ecclesiasticæ immunitatis.

Ab excommunicatione duelli in casibus contentis in Concilio Tridentino, & Constitutione Gregorij XIII. *Ad tollendam.*

Ab excommunicatione ob simoniam realem scienter contractam.

Ab excommunicatione contracta ob confidentiam beneficialem.

Ita S. Congregatio Episcoporum, ac Regularium negotiis præposita, declarans, non posse etiam Episcopos.

Absolutio ab excommunicatione dari debet satisfactâ parte, vel quando delinquens fuit sufficienter punitus, etiam à Iudice seculari. S. Congreg. Episc. in Triuentina, 17. Aprilis 1602. & in Beneuentana, 27. Martij 1653.

Absolutio excommunicationis fulminatæ pro delicto non valdè graui, priuatim dari debet. S. Cong. Episc. in Suessana, 20. Nouembris 1654.

Absolutio à censuris ob violatam immunitatem Ecclesiasticam, iuxta constitutionem san. mem. Greg XIV. quæ incipit, *Cùm alias nonnulli*, est Sedi Apostolicæ reseruata. S. Congregatio Concilij sub anno 1617.

Constito de signis pœnitentiæ datis ab excommunicato, & de satisfacta parte, potest absolui in forma ad tenorem capitis *Anobis 2. de sent. excommun.* & tradi Ecclesiasticæ sepulturæ. S. Congr. Immun. in Tarentina, 17. August. 1669.

Absolutio à censuris debet concedi omninò gratis, etiam in foro exteriori, excepto eo, quod debetur Notario pro mercede, & Iudici pro decreto. S. Congr. Episc. in Neocastrensi, 27. Iulij 1618.

Etsi in absolutione excommunicationis reseruatæ commutentur expensæ itineris, & incommoda Romam veniendi in aliquam eleemosynam. S. Congr. super Episc. in Mediolanensi, 22. April. 1603.

Vrbanus VIII. aliquando imponi iussit eleemosynam pro Metropolitana Salerni, conuertendam in paramenta, vel lampadem. S. Cong. Immunit. 28. Octobris 1628.

Licèt absolutio Sacramentalis data sub conditione de futuro, sit nulla, absolutio tamen à censuris data sub conditione de futuro, non solum est valida, sed etiam licita, maximè existente iusta causa; putà, quia postea non patebit aditus ad superiorem. Item licèt absolutio à censuris differat à Sacramentali peccatorum absolutione, etiam in hoc, quod ex causa dari possit etiam inuitis, antea tamen curari debet, vt delinquentes errorem suum recognoscant, & absolutionem humiliter petant. S. Congreg. Episcop. in Gauensi, 6. Septembris 1604. & 18. Martij 1649.

Absolutio censurarum, & dispensatio irregularitatis ad cautelam dari solet, quando reus allegat probabilem causam nullitatis earum, & sic quando dubium est, an inciderit; & ab eo Iudice, qui certas personas absoluere posset, excepto interdicto locali generali, à quo non datur absolutio ad cautelam. Ante tamen causam finitam debet præstari cautio de stando iuri. S. Congreg. Episcop. in Anagnina, 3. Maij 1647. Et datur secretò absque solennitate iudiciali. S. Congr. Episc. in Neapolitana, 17. Iunij 1577.

Multi sunt casus, in quibus quis antequam causa plenè cognita fuerit, absolui potest cum reincidentia, præstita promissione de parendo, & stando iuri.

Primus, quando petitur ab Ordinario, vel ab alio informatio, maximè cùm præcipitur transmissio processus. S. Congreg. Episcop. in Tarracinensi, 5. Maij 1645. in Martoranensi, 11. Maij 1646. in Montisfalisci, 18. Septembris 1648.

Secundus, quando adest fumus boni iuris eius, qui recurrit. S. Congreg. Episc. in Boianensi, 16. Februar. 1646. in Monopolitana, 3. April. 1649. & iterum in Boianensi, 30. Septembris 1650.

Tertius, quando Ordinarius excommunicauit in causa propria, dum non tractatur de decimis. S. Congr. Episc. in Larinensi, 21. Septembr. 1646.

Quartus, quando sunt excommunicati ob non exhibitionem librorum Confraternitatis, quos asserunt non esse in suis manibus. S. Congreg. Episc. in Scalensi, 27. Martij 1647.

Quintus in honorem alicuius magnæ festiuitatis, præsertim Resurrectionis, & Natiuitatis Domini. S. Congreg. Episc. in Ianuensi, 4. Martij 1603. in Vmbriaticensi, 16. Martij 1621. in Riminensi, 3. Aprilis 1648.

Sextus propter aliam iustam causam. S. Congreg. Episc. in Salernitana, in Tropiensi, & in Nouarien si, 1601. in Ianuensi, 2. Iulij 1602. in Vulturarien si, 23. Decembris 1603.

Licèt Excommunicatus propter aliorũ offensam non debeat absolui neque in foro exteriori, neque conscientiæ, nisi priùs satisfactâ parte, vel concordatâ, & si fuit offensa libertas, vel immunitas Ecclesiastica, nisi omnibus in pristinum restitutis: si tamen excommunicatus est paratus satisfacere, vel si tunc non possit, vult præstare cautionem idoneam per pignora, vel fideiussores, vel si hæc non possit, saltem per iuramentum, debet absolui, licet pars offensa nolit acceptare satisfactionem. Imputari namque non debet ei, per quem non stat, si non facit quod per eum fuerat faciendum. S. Congreg. Episcop. in Melitensi, 4. Augusti 1579. in Bergomensi, 6. Decemb. 1606. in Sulmonensi, 12. Martij 1619.

Maximè si quis fuit excommunicatus pro manifesto excessu, tunc enim non debet absolutio concedi, nisi priùs Ecclesiæ satisfiat. S. Congreg. Episcop. in Barensi, 12. Iunij 1577. in Catacensi, 5. Nouembris 1602.

Excommunicati verò ob carcerationem Clerici non debent absolui vsque ad integram satisfactionem expensarum, si sunt liquidæ, licèt haberent Bullam S. Pœnitentiariæ. Si verò non sunt liquidæ, debent absolui cum idonea cautione alicuius personæ Ecclesiasticæ in forma depositi. S. Congreg. Episc. in Telesina, 20. Febr. 1613.

Iudex autem laïcus, vel eius executor, excommunicatus ob carcerationem Clerici, non debet absolui, donec illum restituerit, licet asserat se illum Regiæ Audientiæ consignasse, ideoque restituere non posse. Quia hæc non reputatur excusatio legitima, propter suspicionem collusionis. S. Congreg. Episcop. in Laquedonensi, 22. Martij 1614.

Nec sufficiat si restitutio, vel relaxatio fiat sub fideiussione, sed debet liberè dimitti, seu restitui. S. Congr. Episc. in Crotonensi, 3. Augusti 1618.

Quidam Gubernator, qui extractum maiori iudici consignauerat, fuit absolutus ad annum cum reincidentia. S. Congreg. Episcop. in Sulmonensi, 23. Febr. 1612.

Non prohibetur Episcopus, vel alius Superior affigere cedulones, & punire excommunicatum, licèt fuerit in foro conscientiæ absolutus, vel cum Breui S. Pœnitentiariæ, vel cum Bulla Cruciatæ, aut Iubilæi, vel in vim capitis *liceat 6. sess. 24.* Concilij Trid. vel alio quocumque modo. Quia isti duo fori sunt separati,

rati, & actum in vno non generat præiudicium in alio. Potest tamen Iudex Ecclesiasticus absolutionem in foro conscientiæ datam etiam pro foro exteriori ratam habere, nisi hoc redundet in præiudicium partis. S. Congr. Episc. in Compsana, 14. Iunij 1619 in Oppidensi, 8. Maij 1621. in Melitensi, 30. Septembr. 1622.

*Actuarius.* Vide *Familia.*

Actuarius Archiepiscopi gaudet priuilegio fori. Die 20. Iulij 1655. Beneuentana: *lib. 5. decr. Paul. fol. 70.*

Si est Clericus, gaudet exemptione ab oneribus. Die 30. Ianuarij 1630. Taurinensis: *lib. 2. decr. Paul. fol. 27. à tergo.*

*Aduocatus.*

Aduocatus Fiscalis Curiæ Episcopalis gaudet priuilegio fori. Die 4. Decembris 1629. Bellicastrensis: *lib. 2. decr. Paul. fol. 16.*

Aduocati Ecclesiastici non debent præstare iuramentum per Senatum Taurinense prætensum. Die 24. Ianuarij 1645. Taurinensis: *lib. 3. decr. Paul. fol. 244. à tergo.*

Clerici, qui aut beneficiati, aut in Sacris Ordinibus constituti sunt, coram Iudice seculari postulare prohibentur, nisi pro se, vel Ecclesia sua, vel coniunctis, vel miserabilibus personis, si necessitas immineat: nec Episcopus talem licentiam eis concedere potest. S. Congr. Episc. in Iuuenacien si, 16. Febr. 1603.

Domi tamen consulere possunt absque salario, tam verbo, quàm scriptura, dummodo non contra Ecclesiam suam. S. Congr. Concilij, 19. Iulij 1619.

Item Clericis in minoribus non beneficiatis prohiberi non debet adnotationis, vel procurationis officium exercere, etiam coram Iudice seculari. S. Congreg. Episc. in Firmana, 28. Februarij 1589. & in Camerinensi, 14. Aprilis 1615.

Aduocatus pauperum Curiæ Episcopalis gaudet priuilegio fori. S. Congr. Immun. in Interamnensi, 17. Iulij 1668.

*Afficuarius.*

Afficuarij Ecclesiasticorum gaudent exemptionibus pro bonis ipsis Ecclesiasticis competentibus. Die 27. Septembris 1632. *libr. 2. decret. Paul. fol. 139.* Fanensis.

Afficuarius Molendini Mensæ Episcopalis, vti Minister, & de familia Episcopi, gaudet priuilegio fori. Die 29. Ianuarij 1636. Interamnensis: *lib. 2. decr. Paul. fol. 141. à tergo.*

Afficuarij Ecclesiasticorum non tenentur ad gabellam pro fructibus recollectis in eorumdem bonis. Die 14. Februarij 1628. Agrigentina: *lib. 1. decr. Paul. fol. 83. à tergo.*

Afficuarius Abbatiæ non tenetur ad gabellam transitus pro frumento recollecto in Terris eiusdem. Die 4. Decembris 1657. Assisiensis: *decr. Roccij fol. 47. à tergo.*

Simplex Afficuarius non gaudet priuilegio fori. Die 30. Martij 1666. Terracinensis: *lib. decr. Borromei, fol. 154.*

*Affida pro animalibus Ecclesiasticorum.*

Animalia propria Clericorum non tenentur ad affidam. Die 10. Septembris 1629. Firmana: *lib. 2. decr. Paul. fol. 5.*

Retinens ad socieratem animalia Ecclesiasticorum gaudet exemptione à solutione affidæ, & aliarum impositionum. Die 9. Octobris 1629. in Spoletana: *lib. 2. decr. Paul. fol. 10. à tergo.*

Circa affidam in prouincia Marchiæ seruanda est consuetudo cuiusque loci. Est impressum.

Animalia Ecclesiasticorum sunt exempta à gabellis. Die 29. Maij 1634. in Auximana: *lib. 2. decr. Paul. folio 190.*

Sunt etiam in totum immunia à gabellis communitatis: ibidem, &c.

Subhastatio facta super animalibus Clerici pro portione bonorum fratris Iæcularis, cum quo viuit, est inualida. Die 26. Augusti 1636. in Sorana: *lib. 3. decr. Paul. fol. 13.* Vide *Pascua.*

Clerici non tenentur ad onus affidæ. S. Congr. Immunit. in Ostunensi, 22. Octobris 1667.

*Alienatio.*

Non potest nec quidem fieri permutatio inter vnam, & aliam Ecclesiam, etiamsi bona quorum dominium acquisitum est ab Ecclesia, aliis anteà obligata essent. Hanc opinionem sequitur S. Congreg. Concilij, & Rota Romana.

Alicubi solus Episcopus priuilegium concedit decimas non soluendi, vel minùs soluendi, licet hoc S. Congregatio nunquam probare voluerit, vt est videre in Spoletana, 16. Iulij 1601. & in Reatina 1. Octobris eiusdem anni.

Bona Monasterio acquisita non possunt alienari ex quibuscumque priuilegiis, quæ reuocata sunt per decretum S. Congregationis Concilij, confirmatum ab Vrbano VIII. 7. Septembris 1624.

Itavt Regulares neque ad cambium accipere possint, ex alio eiusdem S. Congreg. Concilij decreto, 21. Martij 1626.

Constitutiones Vrbanæ *cap. 4. tit. 2.* §. 7. quæ concedunt Guardianis Minorum Conuentualium facultatem accipiendi pecuniam mutuam propter vrgentes Conuentuum necessitates, non ideò concedunt eis facultatem hypothecandi bona eorumdem Conuentuum. S. Congr. Regul. 3. Octobris 1652.

Neque propter quamcunque necessitatem conceditur Monialibus licentia alienandi stabilia. Quia esset Monasterium velle supprimere. S. Congreg. Episcop. 6. Septembris 1604. in Nucerina.

Facultates canonis *Terrulas*, non competunt superioribus Regularium, præsertim post supradictum decretum. Eadem S. Congr. in dicta Nucerina, 10. Ianuarij 1653.

In specie prohibentur strictiori prohibitione alienari domus Parochorum, & alia prædia Ecclesiæ vicina. S. Congr. Episcop. in Parnouensi, 7. Octobris 1602. Præsertim in Rectorum consanguineos, vel affine ex copula licita intra gradus prohibitos in materia matrimonij. Eadem S. Congr. ibidem.

Consumentes, vel expendentes dotes sup anumeratias sine licentia, licet in vtilitatem, incurrunt in excommunicationem, à qua non absoluuntur, nisi cum onere restituendi tantumdem. S. Congr. Episcop. in Aretina, 24. Martij 1597. & 17. Septembris 1601. Abbatissa autem suspenditur ab officio, vel si non est amplius in officio, punitur aliis pœnis. Depositarij verò, qui illas exbursauerunt contra tenorem licentiarum, coguntur ad soluendum de nouo. S. Congr. Episc. in Mediolanensi, 4. Augusti 1603.

Non possunt propria authoritate incidi arbores solo adhærentes. Quod si huiusmodi arbores sunt sylua cædua, solita cædi certis temporibus, potest propria authoritate incidi, secundùm solitum, sed non aliàs, putà triennio soluta cædi, non cædatur annuatim. Si

verò sylua non est cædua, sed tamen ex incisione huiusmodi dilataretur, & redderet fructus ampliores, vel solùm reduceretur ad culturam, tunc Episcopus debet mandari capi per peritos informationem de vtilitate, quæ ex huiusmodi cæsione resultaret, & posteà de hoc in capitulo tractare. Quod si resoluat, faciendum esse, extendatur resolutio, & decretum huiusmodi ab actuario capituli, & postea cædantur arbores deputando depositarium pecuniæ, quæ ex illarum venditione redigetur, vt erogetur in id, quod magis vtile, vel necessarium videbitur ad beneficium mensæ, vel Ecclesiæ. S. Congr. Episcop. in Nussana, 29. Maij 1590.

Quare non permittitur arbores cædere Syluæ Capitularis non cæduæ ad diuidendum pretium inter Capitulares, licet cæsio necessaria esset; quia implicari debet in beneficium Mensæ Capitularis. S. Congr. Episc. 11. Iulij 1594. in Melphitensi. Reinuestiendo pretium in stabilibus, vel censibus securis. S. Congr. Episc. in Tolentina, 13. Maij 1603. Pro quo licet aliquando soleat obtineri facultas à S. Congr. Episcoporum, & Regularium, vel Concilij; hoc tamen fit solùm ad maiorem cautelam, quia sufficit licentia Episcopi, cuiuscumque quantitatis sint ligna cædenda, dummodo id cedat in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, & pretium implicetur, vt suprà. Eadem S. Congreg. Episcop. locis citatis.

In alienationibus bonorum Hospitalis, Confraternitatis, Collegij, Congregationis, vel Oratorij erecti authoritate Episcopi, sunt necessariæ solennitates requisitæ in alienatione bonorum Ecclesiasticorum, & præsertim beneplacitum Apostolicum in re non leuis momenti. S. Congr. Episc. in vna ciuitatis Castellanæ, 2. Augusti 1641. & 30. Augusti 1642.

Prælatus absque beneplacito Apostolico, sed seruatis aliàs seruandis, præiudicare potest Ecclesiæ suæ in requirendis, putà renunciare substitutionibus in fauorem Ecclesiæ factis in casu mortis, vel defectionis lineæ, vel non implementi oneris primi instituti. S. Congr. Episc. in Calliensi, 27. Iulij 1605.

Signanter bona Ecclesiæ nondum incorporata alienari possunt sine solennitate ad dissoluendum æs alienum hæreditatis. S. Congregat. Episc. in Imolensi, 5. Februarij 1602.

In re parui momenti, *can. Terrulas*, 12. *q.* 2. cui per extrauagantem *Ambitiosæ*, non censetur derogatum, dummodo concurrat necessitas, vel euidens vtilitas Ecclesiæ, & prædium alienandum non valeat vltra 25. aureos. S. Congr. Episc. in Fauentina, 22. Maij 1601. in Messanensi, 29. Nouembris. 1613.

Quam tamen facultatem S. Congregatio censuit non competere Superioribus Regularibus, præsertim post decretum superiùs relatum de rebus Regularium non alienandis. Eadem S. Congr. Episc. in Nucerina, 10. Ianuarij 1653.

Item bona Ecclesiæ diuidi non possunt ad hoc, vt fiant alienabilia sine assensu Apostolico, quia esset facere fraudem legi. S. Congreg. Episcop. in Parmensi, 7. Octobris 1602.

In rebus relictis à Testatore sub ea conditione, vt alienentur, dummodo pretium inde retrahendum in beneficium ipsius Ecclesiæ iuxta piam dispositionem eiusdem testatoris integrè erogetur, non habet locum extrauagans *Ambitiosæ*. Interim verò penes Ædem Sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam deponatur. S. Congregat. Episcopor. in Ferentina, 9. Decembris 1639.

Non solùm bona Ecclesiastica alienari nequeunt ex causa voluntaria, sed neque ex necessaria, putà in executionem iudicati. Vnde subhastari non possunt absque licentia Superiorum respectiuè. S. Congr. Episcop. in Vrbeuetana, 24. Aprilis 1648.

Imò neque debita notabilia contrahere absque Sanctæ Sedis, vel Superiorum licentia respectiuè. Sacr. Congr. Episc. in Mutinensi, 18. Decembris 1648.

Non licet vendere stabilia pro fabrica monasterij. S. Congregatio Episcoporum, 12. Martij 1619. Neque vendere stabilia, vt ematur census. Eadem S. Congregat. ibidem. Neque alienari debet census pro solutione æris alieni. Eadem S. Congregatio, 19. Aprilis 1619.

*Animàlia.* Vide *Affida.*

Animalia Clericorum non possunt cogi à Principe ad triturandum eius, vel aliorum frumentum. S. Congregat. Immunit. in Castrensi, 7. Septembr. 1666.

*Archiepiscopus.*

Archiepiscopi in materia immunitatis Ecclesiasticæ non possunt recipere appellationes, neque concedere inhibitiones subditis suorum suffraganeorum, vt in literis circularibus eiusdem S. Congregationis Immunitatis.

Vide *Metropolitanus.*

*Appellatio.*

Appellatio regulariter non datur, nisi quando constat de iniustitia. Die 31. Augusti 1626. Theatina: *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 14. *à tergo.*

Vt euitetur occasio recurrendi ad Monarchiam committitur Archiepiscopis Siciliæ, vt procedant in causis appellationum: *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 119. Panormitana.

Appellatio non recipitur contra verum contumacem. Die 3. Octobris 1600. Romana *in regristr. scriptur. veter.*

Appellatio non admittitur in causa violatæ immunitatis Ecclesiasticæ. Die 8. Aprilis 1642. Rossanensis: *lib.* 3. *decr. Paul. fol.* 173. *à tergo.*

Appellatio non datur à declaratione Episcopi, quisnam gaudere debeat immunitate Ecclesiastica. Die 12. Ianuarij 1649. Nuciensis. Et in vna Vercellensi, die 23. Augusti 1649. *lib. decr. Paul. fol.* 69. *à tergo*, & *fol.* 85. *à tergo.*

Appellatio in Bulla Gregoriana intelligitur indistinctè prohibita: in Cisaludensi: *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 7.

Appellatio interposita super condemnatione ad triremes habet effectum suspensiuum. S. Congreg. Episc. in Auersana, 22. Ianu. 1591. Non obstante, quod præ timore maiorum grauaminum condemnati gratiam petierint à Iudice primæ instantiæ. Eadem S. Congr. in Massalubrensi, 17. Septembr. 1655.

Appellatio non est admittenda à comminatione Episcopi facta contra incurrentes excommunicationem, & alias censuras Ecclesiasticas à Iure latas, ad dicendum causam, quare non debeant declarari incidisse; secus si comminatio fiat contra alios delinquentes ad effectum illos excommunicandi ob aliquod delictum, vel crimen sub excommunicationis ab homine latæ pœna. S. Congregat. Concilij, in Tropiensi, 17. Martij 1619.

Appellationis causa dum pendet, appellans in eodem, quo reperitur carcere, permanebit quoad Iudex ad quem appellatum est, visis actis, & causâ cognitâ, aliter decreuerit. Et tunc si à Iudicis ad quem decreto vim diffinitiuæ habente fuerit appellatum, nihil mandare, aut pro sui decreti executione attentare

potest,

potest, donec per Iudicem superiorem aliud fuerit ordinatum. S. Congreg. Concilij, 13. Octobris 1600.

Quando Episcopus est in quasi possessione ex alia ratione, quàm feudi, cognoscendi causas ciuiles, vel mixtas, vel etiam criminales aliquorum laïcorum, vel omnium, vt in locis, vbi Tribunalia sunt communia, appellationes à sententia Episcopi deferantur ad Tribunalia Superiora Ecclesiastica, non laïca. S. Congreg. Episc. in Salernitana, 23. Nouembris 1615.

Multò magis vbi adest consuetudo, vt omnes causæ, tam actiuæ, quàm passiuæ Ecclesiasticorum, Monasteriorum, Confraternitatum, & aliorum piorum locorum cognoscantur tantùm in foro Ecclesiastico. Sacr. Congr. Episc. 13. Febr. 1596. in Perusina.

Appellatio per constitutionem Gregorij XIV. de violatione immunitatis prohibita reo à sententia de tradendo illum Curiæ sæculari, denegata censetur etiam Fisco, vel Actori, si Episcopus pronunciet, reum Ecclesiæ restituendum esse. S. Congreg. Immun. 6. Iunij 1629. & 1634.

Appellatio à declaratione censurarum in materia violatæ libertatis, vel immunitatis Ecclesiasticæ non admittitur, nisi priùs Ecclesia quoad suum honorem fuerit in integrum restituta. S. Congregatio Episc. in Neapolitana, 11. Octobris 1617. in Liparensi, 4. Iulij 1620. in Rhegiensi, 28. Iulij eiusdem anni, & in Syracusana, 19. Iulij 1622.

Licèt à comminatione censuræ detur appellatio, S. Cong. Episc. in Capanensi, 5. Iulij 1619. non tamen datur à comminatione declaratoriæ in materia immunitatis. S. Congreg. Concilij in Salernitana, & Tropiensi, 16. Martij 1615. Nisi Ecclesia prius fuerit redintegrata, vt in dictis Neapolitana, Liparensi, Rhegiensi, & Syracusana.

Die 4. & 11. Augusti 1626. habita fuit Congregatio à S. D. N. specialiter deputata super abusibus Tribunalium, in qua:

Primò dubitatum fuit, an à Tribunali Auditoris Cameræ, & aliis Tribunalibus Curiæ Romanæ possint concedi inhibitiones, seu monitoria cum absolutione, etiam cum reincidentia, vel ad cautelam excommunicatis per Episcopos, vel alios Ordinarios ex causa violatæ iurisdictionis, immunitatis, vel libertatis Ecclesiasticæ, appellantibus, vel aliàs recurrentibus ad supradicta Tribunalia?

Secundò an in causis, quæ agitantur in supradictis Tribunalibus Curiæ Romanæ, possit recursus haberi ad S. Congregationem super immunitate, & controuersiis iurisdictionalibus, super resolutione, vel declaratione, an sit, vel non sit commissa violatio iurisdictionis, immunitatis, vel libertatis Ecclesiasticæ, & non sit locus reintegrationi huiusmodi violationis, & interim debeant dicta Tribunalia supersedere vsque ad resolutionem, seu declarationem eiusdem S. Congregationis, illamque sequi, & exequi?

Quæ S. Congregatio dubiis supradictis maturo discursu, ac rationibus hinc inde deductis diligenter ponderatis, vnanimi consensu censuit, quoad primum, Tribunal Auditoris Cameræ, necnon alia Tribunalia supradicta non posse huiusmodi absolutiones concedere, etiam cum reincidentia, vel ad cautelam.

Quo verò ad secundum, licere partibus ad dictam Congregationem, vt suprà recurrere, & interim supradicta Tribunalia debere resolutionem, seu declarationem expectare, & illam omninò sequi, & exequi.

Sanctissimus approbauit die 5. Septembris 1626. & expresso iussu Sanctitatis Suæ notificatum fuit omnibus Iudicibus Curiæ Romanæ pro illarum obseruantia.

Super verò huiusmodi appellationibus, & inhibitionibus dictum fuit in Congregatione habita die 27. Augusti 1650. Auditorem Cameræ posse quidem concedere monitoria, & inhibitiones iis, qui ab Episcopis, vel ab aliis Ordinariis declarati fuerunt excommunicati ob violatam iurisdictionem, immunitatem, vel libertatem Ecclesiasticam, & ad Sedem Apostolicam appellarunt, cùm ab huiusmodi declaratione, nisi excessus sit notorius, detur appellatio ad vtrumque effectum, & Auditor Cameræ sit Iudex Ordinarius quarumcunque appellationum, quæ à sententiis per Ordinarios latis, etiam extra statum Ecclesiasticum, ad eandem Sedem interponuntur. Sed non posse eos absoluere, etiam cum reincidentia, vel ad cautelam, obstante decreto hac de re edito, & ab Vrbano VIII. confirmato, quod S. Congregatio seruari mandauit.

*Apotheca.*

Apothecæ locatæ vsui prophanorum gaudent immunitate Ecclesiastica. Die 13. Iunij 1637. Verulana: *lib. 3. decr. Paul. fol. 38. à tergo.*

Apothecæ sitæ sub Palatio Episcopali locatæ laïcis non gaudent immunitate Ecclesiastica. Die 28. Februarij 1662. *lib. decr. Roccij, fol. 387. à tergo.*

Censuit apothecas locatas vsui prophano (vt dicitur) di Pizzicane, di Tauerne, & similium, non gaudere immunitate Ecclesiastica. Hoc pluries declaratum fuit, quando habent ingressum in viam publicam, & non per intus claustra Hospitalis.

*Archimandrita.*

Palatium Archimandritæ gaudet immunitate, vbi adest consuetudo. Messanensis.

Familiaris eiusdem gaudet priuilegio fori, concurrente legitimâ consuetudine.

Archimandrita potest procedere contra laicos turbantes eum in exercitio suæ iurisdictionis. Die 6. Nouembris 1634. *lib. 2. decr. Paul. fol. 106.*

*Arma?*

Non licet Curiæ seculari auferre arma à confugientibus ad loca immunia. Die 11. Augusti 1631. in Matulana: *lib. 2. decr. Paul. fol. 86 à tergo.* In vna Tranensi, die 6. Nouembris 1634. *lib. 2. decr. Paul. fol. 207. à tergo.* In vna Neritonensi, die 17. Ianuarij 1628. *lib. 1. decr. Paul. fol. 80.*

Arma oblata à confugientibus ad Ecclesiam sunt restituenda. Die 9. Iunij 1637. in Ianuensi: *decr. Paul. fol. 34.*

Proceditur contra auferentes arma à confugientibus. Die 3. Ianuarij 1632. in Castrensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 110.* In vna Maturanensi. Die 15. Iulij 1636. *lib. 3. decr. Paul. fol. 9. à tergo*

Sequuta restitutione possunt absolui in forma consueta Ecclesiæ. Die 10 Nouembris 1638. in Ianuensi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 77.* In vna Maturanensi, die 19. Ianuarij 1638. *lib. decr. Paul. folio 56. à tergo.*

Arma etiam prohibita non possunt auferri à Curia sæculari. Die 6. Ianuarij 1635. in Venusina: *lib. 2. decr. Paul. fol. 215.*

Nec à Clericis etiam coniugatis. Die 7. Decembris 1638. in Cusentina: *lib. 3. decr. Paul. fol. 80. à tergo.*

Pro iustificando corpore delicti Ordinarij possunt extrahere arma ab Ecclesia, quæ posteà sunt reportanda. Die 10. Iulij 1640. in Tudertina: *lib. 3. decr. Paul. fol. 124.*

Curia laïcalis non potest auferre arma prohibita intra Ecclesiam, nec à Clericis deferentibus: nec perducere ad carceres sine licentia Episcopi. Die 18. Martij 1631. in

1631. in Adiacensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 98.*

Episcopus cum legitimâ causâ potest dare licentiam delationis armorum Clericis. Die 18. Iunij 1658. in Bilicastrensi: *lib. decr. Roccij, fol. 92. à tergo.*

Armorum prohibitorum gestatio, quamvis in Ecclesiis delictum sit, non est tamen de comprehensis in constitutione Gregoriana. S. Congreg. Episcop. in Salernitana, 30. Septembris 1616.

In prohibitione venationis, vel delationis armorum, etiam prohibitorum, facta quibuscumque, etiam Clericis, non debet apponi pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, nec priuatio priuilegij Clericalis, sed aliæ pœnæ Sacrorum Canonum. S. Congreg. Episc. 2. Aprilis 1601. & Licien sis, 18. Iunij 1602. & in Squillacensi, 15. Iulij 1603. & in alia Licensi 5. Aprilis 1604.

Arma per Principes sæculares prohibita teneri non possunt, neque in Conuentibus Ecclesiasticorum, tam sæcularium, quàm Regularium. S. Congregatio Episcop. 4. Martij 1603.

Iudex laicus non potest in Ecclesia auferre reo arma prohibita sine licentia Episcopi. S. Congreg. Episc. in Sipontina, 12. Maij 1604. & in Salernitana, 30. Septembris 1616.

*Assessor.*

Assessor Archiepiscopi gaudet priuilegio fori, non autem exemptione à gabellis. Die 14. Ianuarij 1630. in Panormitana: *lib. 2. decr. Paul. fol. 24.*

Domesticus Iudicis, vel assessoris, qui & ipse Iudex dicitur, maximè si sit electus ex necessitate in defectum Doctoratus Iudicis, non potest esse Aduocatus, vel Procurator coram eodem Iudice, vel assessore, sub pœnis arbitrio S. Congreg. Episc. Ciuitatis Ducalis, 28. Octobris 1586.

*Aromataria.*

Regulares possunt exercere aromatatarias pro eorum vsu, & pauperum. Die 21. Nouembris 1635. in Barchinonensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 237. à tergo.*

Clerici non possunt exercere officium aromatarij, neque in Hospitalibus, sine licentia Papæ, vel S. Congregationis. S. Congreg. Episcop. in Panormitana, 23. Aprilis 1591.

Regulares item non possunt aromatariam tenere, nisi pro seipsis. Quo casu visitari non potest à Protomedico. S. Congreg. Episc. 9. Ianuarij 1602. Sicut nec aliquam aliam artem, siue apothecam, nisi pro seipsis. S. Visitatio Apostolica, 29. Augusti 1637.

Permitti potest Regularibus, & Monialibus, præsertim pauperibus, vendere medicinalia suæ aromatariæ renouandæ gratiâ, maximè pretiis moderatis. S. Congreg. Episc. 26. Maij 1602. & 11. Octobris 1647.

Supradictum autem decretum Visitationis Apostolicæ non habet locum extra Vrbem. Eadem S. Congreg. in Neapolitana, 5. Octobris 1646.

Idem dicendum de aliis locis piis. S. Congreg. Episc. in Mediolanensi, 30. Aprilis 1655.

*Assassinus.*

Rei criminis assassinij non gaudent immunitate Ecclesiæ. Greg. XIV.

Antequam tamen sequatur effectus, qui pecuniam dedit propter homicidium, gaudet immunitate. S. Congr. Episc. in Sarzanensi, 21. Febr. 1620.

Gaudet qui mandat, seu mandatum recipit, vel cooperatur propter pretium acceptum, vel promissum ad fugiendum, seu vulnerandum; quia tales impropriè dicuntur assassini. S. Congr. Episc. in Neapolitana, 25. Iun. 1601.

*Auditor Episcopi.*

Auditor Episcopi Clericus coniugatus gaudet priuilegio fori, etiam quoad personalia. Die 30. Aprilis 1626. In Lancianensi: *in Registro script. veterum.*

*Auditor Cameræ.*

Non habet facultatem absoluendi à censuris in causis violationis immunitatis ecclesiasticæ, nec cum reincidentia: nec concedere inhibitiones. Die 27. Ianuarij. Alatrina: *lib. 3. decr. Paul. 2. fol. 194.* Die 10. Ianuarij 1639. Grauinensis: *lib. 3. decr. Paul. fol. 83. à tergo.* Die 1. Iulij 1642. Capritanensis: *lib. 3. decr. Paul. fol. 172. à tergo.*

Auditor Cameræ, & quivis alius Iudex Romanæ Curiæ non potest hodie cognoscere de causis externis in prima instantia, nec monitoria concedere ad extrahendas partes à suis domiciliis, neque de consensu Ordinarij; tum propter præiudicium iurium Metropolitani; tum ne subditi vexentur inuiti. S. Congr. Episc. in Licien si, 30. Iulij, & 15. Augusti 1613.

Et si concedat, debet illa reuocare absque citatione partis, tanquam concessa de facto. S. Congr. Episc. in Terracinensi, 2. Septembris 1622.

Auditor Cameræ inhibere non potest Episcopo, ne procedat contra Curatum non residentem, neque Ordinario præcipere, vt admittat resignationem. S. Congreg. Episc. in Aquensi, 6. Iulij 1613. & 7. Decembris 1645.

Nec absoluere iustè excommunicatum ab Ordinario, putà quia non paruit præcepto Paschali, neque cum præfixione termini ad parendum. Eadem S. Congr. in Bouinensi, 7. Iunij 1652.

Auditor Cameræ est Iudex competens causarum quarumcunque Prælatorum, Officialium Romanæ Curiæ, Oratorum, Curialium, Notariorum Cameræ, & familiarium eorumdem, campsorum, & mercatorum, ac pensionum, quamvis solutio alibi facienda esset. Est insuper executor omnium literarum Apostolicarum; vbi quidem nullus alius est deputatus executor, solus, ac priuatiuè; vbi verò deputati sunt alij, cumulatiuè. Remissorias, & compulsorias dat, monitoria ad partes decernit, censuras promulgat, ac solus cognoscit de causis, & litibus ortis vigore obligationis Cameralis, & potest in partibus citare in prima instantia, non obstante decreto Concilij Trid. *sess. 24. cap. 20.* Pius IV. *const. 33.* Paulus V. *constit. 28.* & S. Episcop. Congr. in Pistorien si, 18. Aprilis 1595.

Ordinarius quoque tenetur exequi citationes, & monitoria Auditoris Cameræ. S. Congr. Episc. in Pistrien si, 18. Aprilis 1594. & in Feretrana 6. Augusti 1602.

Auditor Cameræ inhibere non potest Metropolitano, ne se ingerat in causis suffraganei, vel subditorum eiusdem, tam motis, quàm mouendis. S. Congr. Episc. in Rhegien si, 17. Septembris 1655.

Vide *Appellatio.*

---

B

*Balliuus.*

Balliuus Curiæ Episcopalis si inseruiat etiam Gubernatori, potest puniri ab eo, si deliquerit in eius seruitio. Die 23. Septembris 1653. in Forosempronien si: *lib. 5. decr. Paul. fol. 22.*

Balliuus Ciuitatis tenetur inseruire Curiæ Episcopali ad eius requisitionem. Die 23. Iunij 1648. in Narnien si: *lib.4. decr. Paul. fol. 53. à tergo.* Vide verbum *Curia laicalis, num.* 4.

*Baldachinum.*

In Ecclesia nullus, neque Dominus loci, præterquam Episcopus, potest erigere baldachinum, & Episcopus omnibus Sacrorum Canonum remediis huiusmodi baldachinum omninò remoueri facere debet. S. Congregatio Episcoporum *in Boianensi*, 12. *Ianuary* 1618.

Etiamsi Episcopus esset absens. S. Congreg. Episcopor. in Mediolanensi, 2. Augusti 1594.

Episcopus erigere potest baldachinum, etiam in Ecclesiis Regularium, quando ibi de iure, vel consuetudine functionem aliquam Pontificalem, etiam cum sola Cappa facere debet. S. Congreg. Episcopor. 16. Iunij 1603.

Baldachinum non potest erigi à Vicariis Episcopi, ipso absente, in Ecclesiis Monasteriorum Congregationis Cassinensis, inuitis Monachis. S. Rit. Congreg. 10. Iulij 1621.

Baldachinum non est parandum pro benedictione sponsi & sponsæ. S. Rit. Congr. 25. Febr. 1606.

Baldachini vsus permittitur Abbatibus Congregationis Cassinensis in tribus ad summum festiuitatibus anni, quibus solenniter celebrant, iuxta consuetudinem, modestè, sine pompa & auro. Vrbanus VIII. *const.* 101.

*Banniti.*

Regulares receptatores Bannitorum, & sicariorum incurrunt pœnas priuationis officiorum, vocisque actiuæ, & passiuæ. S. Congregat. Episcopor. in Bertinorensi, 27. Octobris 1603.

Banniti, & alij facinorosi non possunt in Ecclesiis, tam secularium, quàm Regularium vltra triduum permanere. S. Congreg. Episcop. sub anno 1627.

Et fuit concessum Nuntio ad annum, vt illos extrahi faceret non seruatâ formâ constitutionis Gregorij XIV. S. Congr. Episc. in Neapolitana 16. Martij 1601. & in Tropiensi, 2. Maij, & 12. Martij 1602.

Bannitos Ecclesiæ Romanæ in temporalibus subditos receptans, vel eorundem publicam prosequutionem impediens incurrit in pœnas à Gregorio XIII. *constit. 65. Tanta, tamque horrenda*; & à Sixto V. *constit. 6. Hoc nostri*, §. 1. inflictas.

*Baricellus.*

Baricellus Episcopi gaudet priuilegio fori. Die 25. Aprilis 1614. in Romana: *in registro.*

Baroncellus Episcopalis Curiæ gaudet priuilegio fori. Die 28. Iulij 1648. Narniensis: *lib.4. decr. Paul. fol. 55. a tergo.*

Cognitio causæ homicidij à Baroncello Curiæ Episcopalis commissa spectat ad ipsum Episcopum, non autem ad Gubernatorem.

Baricellus Episcopi, cùm sit de eius familia armata, gaudet priuilegio fori. S. Congr. Episc. in Sorana, 25. Aprilis 1614.

Baricellus Curiæ Episcopalis in eadem Curia syndicari debet; ideoque in eodem Tribunali in officij principio cautionem præstare tenetur. Eadem S. Congr. Ciuitatis Castelli, 14. Aprilis 1615.

Sicut etiam satellites, & alij executores. Eadem S. Congreg. in Fulginatensi, 1. Septembris 1651. & in Assisiensi, 1. Decembris eiusdem anni.

Qui ad triremes damnatus est à Curia seculari, non potest eligi ab Episcopo in Baricellum suæ Curiæ, quando condemnatio ab ipso non ignoratur. S. Congr. immunitatis Castellanæ, 21. Decembris 1667.

*Baro & Baronia.*

Baroniæ Ecclesiæ in Regno Neapolis præpeditæ sunt recuperandæ. Die 12. Decembris 1651. in Aprutina: *lib. 4. decr. Paul. fol.* 169. die 3. Augusti 1649. *lib.* 4. *decr. Paul. fol.* 84.

Licet Baro non possit creare Officiales Clericos, vel alios Regi non subditos; fallit tamen in Baronia Ecclesiæ, quando consueta fuit creare Officiales Ecclesiasticos. S. Congr. Episc. in S. Marci, 23. Aprilis 1607.

*Beneficium.*

Clericus non tenetur ad onera laïcalia pro bonis assignatis in dote Beneficij. Die 9. Decembris 1630. Montis Alti: *lib. 2. decr. Paul. fol.* 106. *à tergo.*

Bona, quæ assignantur pro dote Beneficij sunt immunia à quibuscumque oneribus. Die 27. Martij 1635. in Firmana: *decr. Paul. fol.* 221. *lib.* 2.

Per assequutionem beneficij non extinguitur patrimonium. Die 30. Maij 1628. Nullius: *lib. 1. decret. Paul. fol.* 95.

Post assequutionem beneficij patrimonium remanet immune ab oneribus. Die 16. Ianuarij 1635. in Auximana: *lib. 2. decr. Paul. fol.* 214.

Obtinentis beneficia ad sustentationem non sufficientia patrimonium est immune. Die 7. Decembr. 1638. in Auximana: *lib. 3. decr. Paul. fol.* 80.

Post assequutionem beneficij patrimonium remanet exemptum quousque per Episcopum facta fuerit subrogatio. Die 10. Iulij 1640. in Firmana: *lib. 3. decr. Paul. fol.* 123. Ciuitatis Castelli, die 5. Maij 1648. *lib. 4. decr. Paul. fol. 49. à tergo:* Montis Alti, die 15. Iunij 1649. *lib. 4. decr. Paul. fol.* 81.

Ordinarius pro collatione beneficij, tam in vim literarum Apostolicarum, quàm authoritate ordinaria, in suis mensibus facta, nihil recipere potest pro se, vel Vicario. Notarius autem pro charta, scriptura, sigillo, & quolibet alio iure, quod ad eum spectaret, non amplius quàm vnum ducatum de Camera, secundùm quod resoluit S. Congregatio Concilij in Placentina, 25. Ianuarij 1577. & in Recanatensi, 10. Ianuarij 1594.

Et pro Decretis prouisionum in forma *dignum*, à Notariis potest exigi merces congrua, ab aliis minimè, nisi modicum quid ratione sigilli, iuxta Prouinciæ consuetudinem. S. Congreg. Episc. in Auersana, 22. Ianuarij 1591.

Si sit Ecclesiæ consuetudo, vel statutum, vel Episcopus expressè dispenset, potest quis obtinere duo beneficia conformia sub eodem tecto, si alterum non sufficiat. Ad tria verò sub eodem tecto, quantumvis difformia, vel insufficientia, Episcopus dispensare non potest. S. Congreg. Episc. 2. Nouembris 1607.

*Beretinum.*

Beretinum in Missa, etiam extra Canonem à solo Papa concedi potest; quia caput *Nullus 56. de consecr. dist. 1.* etiam Episcopo prohibet velato capite celebrare, vel cum baculo accedere ad altare. Ergo neque secum, neque cum aliis dispensare potest. S. Rituum Congregatio 31. Ianuarij 1626. cuius decretum appositum postea fuit in principio Missalis.

*Bigamus.*

Clerici bigami ritu Græco viuentes non gaudent priuilegio fori, nec exemptione ab oneribus. Die 22. Augusti 1628. in Rossanensi: *lib.1. decr. Paul. fol.* 103. *à tergo.*

Bigamus non gaudet priuilegio Clericali. Die 15. Ianuarij 1658. in Cotronensi: *lib. 5. decr. Roccij, fol.* 54. *à tergo.*

Clerici bigami non gaudent priuilegio fori. Die 17 Augusti 1655. in Bisignianensi: *lib.5. lit. Paul.fol.* 117. Hydruntina, die 15. Ianuarij 1658. *lib. decr. Roccij, fol.55. à tergo.* Tortonensis, die 17. Decembris 1658. *lib. decr. Roccij, fol.*144. Alexandrina, die 30. Martij 1666. *lib.decr. Borromai, fol.*146.

Bigamis nihil tribuitur, nisi quod est de iure. Die 22. Iunij 1666. in Cassanensi: *lib.decr.Borromai. fol.*165.

Bigamus effectus bigamiâ interpretatiuâ, etiamsi antè constitutus esset in Ordine Ostiariatus, non potest mortuâ vxore dispensari per Episcopum, vt in ordine susceptо ministret. S. Congreg. Concilij in Feretrana, 13. Aprilis 1630.

*Birruarius.*

Birruarius Curiæ Episcopalis gaudet priuilegio fori, etiam respectu delictorum commissorum ante officium. Die 5. Iulij 1633. in Cusentina: *lib. 2. decret. Paul. fol.* 162.

Gubernator prohibere non potest quominus birruarij Curiæ laïcalis inseruiant Curiæ Ecclesiasticæ. Die 2. Septembris 1664. in Macceratensi, *lib. decret. Roccij, fol.* 578.

*Bona acquisita per Ecclesiasticos.*

Pro bonis acquisitis Clerici tenentur soluere onera realia. Die 26. Iunij 1628. in Marsicensi: *lib.1. decr. Paul. fol.* 97. Auximana, die 22. Ianuarij 1629. *lib. 1. decr. Paul. fol.* 121. Ferentina, *in fol... decr. Paul.* Firmana Iesuitæ, die 9. Octobris 1529. *lib. 2. decr. Paul. fol.*8. Taurinensis, die 25. Aprilis 1634. *Lib. 2. decr. Paul. fol.* 189.

Pro bonis acquisitis Clerici non tenentur ad onera personalia. Die 14. Augusti 1634. in Albanensi: *l.b.2. decr. Paul.fol.*189.

Pro bonis acquisitis seruanda est decisio Rotæ in Brundusina, die 26. Martij 1629. in Taurinensi: *lib.1.decr. Paul. fol.*132. Fauentina, die 2. Iulij 1647. *lib.4.decr. Paul. folio* 15. Fanensis, die 20. Ianuarij 1637. *lib. 3. decr. Paul.fol.* 22. Montis Regalis, die 11. Augusti 1638 *lib.3. decr. Paul.fol.* 69. Senogallensis, die 27. Iunij 1634. *lib.2. decr. Paul.fol.*194. *à tergo.* Firmana Fratrum S. Dominici, die 11. Augusti 1631. *lib.2.decr. Paul. folio* 86.

Bona Clericorum pro indiuiso cum fratribus sunt exempta pro virili. Die 6. Decembris 1627. *lib. 1. decret. Paul. fol.*75. in Viterbiensi.

Bulla Pij IV. in statu Vrbinatensi non est in vsu, & non tenentur nisi ad onera realia. Die 29. Ianuarij 1636. in Pisaurien si: *lib.2. decr. Paul. fol.*242. *à tergo.*

Bona Clericorum si prætendantur feudalia, & ab eis negentur esse talia, cognitio dictæ qualitatis spectat ad Iudicem Ecclesiasticum. S. Congr. Immun. in Cassanensi, 9. Septembris 1631.

Bona Clericorum, Prælatorum, & quorumcunque beneficiatorum, qui de eis testantur sine licentia Papæ, cadunt sub spolio, & pertinent ad Cameram Apostolicam. Pius IV. *const.*8. 26. Maij 1560.

Bona acquisita à Clericis, & quibuscumque personis Ecclesiasticis ex illicita negotiatione, & à carnonibus vetita, cadunt sub spolio, & sunt Cameræ Apostolicæ. Pius IV. *const.* 19. nonis Nouembris 1560.

Bona Equitum Hierosolymitanorum ex illicita negotiatione parta non faciunt spolium Cameræ, seu ad eorum pertinent Religionem. Pius IV. *const.*29. data sub 24. Martij 1561.

Bona patrimonij ordinati reputantur sicut bona Ecclesiastica, pro quibus Clericus tenetur experiri coram Iudice Ecclesiastico, sicut pro bonis beneficialibus. S. Congr. Concilij in Feretrana, 6. Augusti 1616.

Bona, ad quorum titulum ordinatus est Clericus, gaudent priuilegio bonorum Ecclesiasticorum; & ideò sunt exempta ab omnibus collectis, gabellis, & oneribus laïcorum. S. Congreg. Episc. in Catharensi, 3. Augusti 1592. & in Montis Pelusij, 24. Martij 1599. & in Vulturanensi, 13. Decembris eiusdem anni, &. in Aquilana, 2. Maij 1601. & in Bisignanensi, 9. Martij 1604. & alibi sæpissimè.

Bona Hospitalium, & Confraternitatum potiuntur iisdem priuilegisi, ac bona Ecclesiastica. S. Congr. Episc. in Barensi, 30. Iunij 1617.

Bona peruenientia ad Clericum tunc tenentur ad collectas, quando collecta est certa, perpetua, & inuariabilis, ipsisque bonis annexa. S. Congr. Immunitatis, 21. Aprilis 1640.

*Bona indiuisa Clericorum, & Parentum.*

Exemptio bonorum Ecclesiasticorum non suffragatur bonis ad matrem, fratrem, & sororem spectantibus. Die 14. Augusti 1634. in Albanensi, *lib.2. decr. Paul. fol.*197. Auximana, die 25. Ianuarij 1650. *lib.2. decr Paul. fol.* 94. *à tergo.*

Si coniuncti Ecclesiasticorum viuant cum ipsis, & impensis eorundem, sunt etiam exempti à collectis pro portione bonorum. Die 6. Martij 1635. in Aprutina, *lib.2. decr. Paul. fol.* 218. Hydruntina, die 14. Iunij 1630. *lib.2.decr. Paul.fol.*44. Cauensis, die 27. Aprilis 1632. *lib.2. decr. Paul. fol.*123.

*Bona data pro erectione locorum piorum.*

Bona data pro erectione Monasterij Monialium sunt exempta. Die 15. Ianuarij 1641. in Tropiensi: *lib.3. decr. Paul. fol.*138.

Bona assignata Capellæ iurispatronatus sunt exempta. Die 11. Martij 1642. in Asculana: *lib.3. decr. Paul. folio* 168.

Bona assignata pro dote beneficij erecti sunt exempta. Die 20. Ianuarij 1637. in Firmana: *lib. 3. decr. Paul. fol. 22. à tergo.*

*Bona emphyteutica Ecclesiasticorum.*

Bona emphyteutica Ecclesiasticorum non possunt à laïcis collectari. Die 15. Februarij 1633. in Balneoregiensi, *lib. 2. decr. Paul. fol.* 149. *à tergo.*

Fundus patrimonij rerum emphyteuticarum non potest collectari. Die 27. Augusti 1627. in Capacensi, *lib.1. decr. Paul. fol.*62. vide hìc infrà.

Molendina, & alia ædificia Ecclesiæ sunt exempta. Die 15. Ianuarii 1647. in Montis Regalis: *lib.4.decr. Paul. fol.2. à tergo.*

Bona Ecclesiarum in emphyteusim concessa, sunt exempta ab oneribus laïcalibus. Die 23. Iulij 1652. *lib.* 4. *decr. Paul. fol.*191.

Cognitio causæ super bonis emphyteuticis Ecclesiasticorum spectat ad Iudicem Ecclesiasticum. Die 14. Ianuarij

Ianuarij 1634. in Montis Falisci: *lib. 2. decret. Paul. fol. 179.*

Emphyteuta Ecclesiæ non potest recedere à foro ecclesiastico. Die 14. Februarij 1628. in Casalensi: *lib. 1. decr. Paul. fol. 84.* Sacra Congreg. censuit Emphyteutam Ecclesiæ non posse declinare forum respectu solutionis canonis, val quando agitur de dominio Ecclesiæ: & statutum, consuetudinem, vel edictum Principis secularis, quo prohibetur extractio fructuum extra territorium, non comprehendere Ecclesiasticos. In dicta Montis Falisci, 24. Ianuarij 1634. S. C. Immunitatis censuit cognitionem causæ super bonis emphyteuticis Ecclesiasticorum spectare ad Iudicem Ecclesiasticum priuatiuè quoad alios, etiamsi dubitetur, dicta bona esse emphyteutica, cum ista cognitio spectet ad Ecclesiasticum: *lib. 2. decr. Paul. fol. 179.*

Dom. Oppidensis Episcopus, die 23. Iulij 1652. Sacra Congreg. Immun. censuit bona Ecclesiasticorum, & locorum piorum in emphyteusim laïcis concessa, siue canones, qui pro dictis bonis soluuntur, sint tenues, siue fructibus correspondentes, esse exempta ab omnibus oneribus, & impositionibus laïcalibus.

In dicta Capacensi, D. Secretarius cum Episcopo, quod ratione fundi emphyteutici non permittat collectari, *lib. 1. fol. 72.*

In dicta Imolensi, Marcus Rinaldus Ceronus, die 27. Maij 1654. Sacra Congreg. censuit emphyteutas bonorum Ecclesiasticorum gaudere exemptione ab oneribus.

Oppidensis Episcopus, die 29. Maij 1646. S. Congreg. Immun. censuit emphyteutas bonorum Ecclesiasticorum gaudere exemptionibus ab oneribus laïcalibus.

### *Bonatenentia.*

Clericus gaudere debet exemptione bonatenentiæ, quamvis absens. Die 23. Martij 1638. in Fundana: *lib. 3. decr. Paul. fol. 56. à tergo.*

Clerici sunt exempti à bonatenentia. Die 28. Maij 1626. in Tricaricensi, *lib. 1. decr. Paul. fol. 2. a tergo.*

Clericus gaudet exemptione bonatenentiæ pro bonis emptis, & donatis. Die 19. Augusti 1630. in Casertana: *lib. 2. decr. Paul. fol. 53. à tergo.*

Clericus quamvis inhabilis ad suscipiendos Ordines sacros, gaudet exemptione bonatenentiæ. Die 6. Maij 1631. in Salmonensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 78.*

Bona Clericorum non tenentur soluere bonatenentiam. S. Congr. Episc. in Barensi, 10. Iunij 1616. & in Vgentina, 31. Augusti 1618. & 26. Ianuarij 1619. & in Brundesina, 15. Decembris 1623.

Bonatenentia neque donatori, seu venditori, siue cedenti imponi potest; quia sic indirectè Ecclesiasticis imponetur. S. Congregat. Episcop. 8. Decembris 1582. & 1583.

### *Breuia Pœnitentiariæ.*

Non suffragatur excommunicatis in foro exteriori. Vide verbo *Absolutio*, n. 10.

Munera, seu mercedem accipientes Officiales S. Pœnitentiariæ incidunt in pœnas statutas à Pio V. *in Constit.* quæ incipit: *In omnibus.*

### *Bulla.*

Gregoriana est obseruanda in Regno Sardiniæ. Die 30. Iunij 1632. *lib. 2. decr. Paul. fol. 131.*

Messanensis est etiam obseruanda in Regno Siciliæ. Die 29. Maij 1629. *lib. 1. decr. Paul. fol. 139.*

Bulla Pij V. *Dum ad Vberes*, pro Mendicantibus est obseruanda. Die 1. Decembris 1637. in Fauentina: *lib. 3. decr. Paul. fol. 49 à tergo.*

Bullæ præsentatæ postquam fuerunt registratæ, vel relicta copia collationata, debent restitui. S. Cong. Episc. in Narniensi, 25. Ianu. 1593. & in Ianuensi, 17. Nouembris eiusdem anni, & in Suessana 4. Iunij 1655.

Episcopus cogere debet beneficiatos quoslibet, licet tenuissimi redditus, ad expediendas Bullas, dummodo ipsi nullum exinde resultet emolumentum, nec canonizet iuspatronatum non satis probatum. S. Congr. Episc. in Rossanensi, 15. Ianuarij 1616.

### *Blasphemator, & Blasphemia.*

Blasphemator seipsum accusans euitat pœnas temporales. S. Congr. Episc. 13. Iunij 1578. in Interamnensi.

Blasphemia est mixti fori. S. Congr. Episc. 16. Octobris 1607.

Etiam in cogendo testes laïcos recusantes ferre testimonium in foro Ecclesiastico, etiam per censuras, in subsidium. S. Congr. Episc. 23. Ianuarij 1609. in Caietana.

In causa Hebræi, qui profana quædam, & execranda in Christum impuro verba protulit ore procedat, si præuenit Ordinarius, non obstante inhibitione Inquisitoris. S. Congr. Episc. in Carpentoratensi, 16. Nouembris 1621.

Ordinarius debet sibi reseruare casum blasphemiæ, præsertim hæreticalis, non solùm quoad blasphemantes, sed etiam quoad audientes, & non reuelantes, & imponendo etiam alias graues pœnas, quas postea exigat cum seueritate; parcendo tamen accusatori, licèt esset principalis. S. Congr. Episc. in Interamnensi, 17 Iunij 1578.

---

## C

### *Camerarius.*

Episcopi Camerarij gaudent priuilegio fori, & immunitate aboneribus personalibus. Die 11. Decembris 1614. in Vasionensi.

### *Cadauera.*

Exhumari non debent pro capienda informatione, absque licentia S. Congregationis Episc. in Æsyna, 17. Decembris 1602. & in Sutrina, 5. Iunij 1604.

### *Candelæ.*

Candelæ in die Purificationis B. Virginis non debent recipi de manu Syndicorum, vel aliorum laïcorum, sed Epicopi. S. Congr. Episc. in Hierachensi, 22. Ianuarij 1577. & 10. Ianuar. 1653.

Qui laïci neque se ingerant in eis ponderandis. S. Congregat. Episcopor. in dicta Hierachensi, 15. Ianuarij 1678.

### *Canonica portio.*

Quartarum locatio, siue affictus, debet sub granibus pœnis inhiberi. S. Congr. Episc. 14. Decembr. 1592. in Cossentina.

Quando Barones, & aliæ similes personæ moriuntur extra Diœcesim, vbi habent feudum, & Baroniam, Regaliæ dari debent Episcopo, in cuius diœcesi, situm est feudum, licèt Baro haberet domicilium alibi,

nisi de consuetudine alibi seruaretur contrarium. S. Congr. Episc. in Licien si, 26. Iulij 1599. & 17. Ianuarij 1600. & in Neritonensi, 23. Septembr. 1624.

*Capitulum.*

Capitulum in processionibus debet incedere totum vnitum absque intermedio laïcorum. S. Congr. Episc. in Feltrien si, 13. Maij 1603.

*Casa, siue tugurium, vulgò Capanna.*

Casa Ecclesiæ intra triginta passus ab ea distans, quæ solummodò pro Ecclesiæ vsu deseruit, gaudet immunitate. S. Congreg. Immunitatis, 7. Decembris 1632. apud Delbene ipsum in hoc Opere, *cap.* 16. *dub.* 11 *sect.* 8. *num.* 12. vbi campana pro capanna mendosè legitur.

*Censura.*

Censuræ relaxatæ cum fundamento non debent suspendi sine debita satisfactione, non obstantibus hortatoriis. S. Congreg. Episcop. in Hortana, 6. Augusti 1602.

Inter actus irretractabiles, in quibus contra exemptos procedi potest sine adiunctis, vel sine licentia Sacræ Congregationis, comprehenduntur etiam censuræ. S. Congreg. Episc. in Elnensi, 3. Februarij 1648.

*Cæmeterium.*

Cæmeterium non potest profanari absque licentia Summi Pontificis, quia Concilium concedit solum profanationem Ecclesiarum, & in odiosis non est facienda extensio. S. Congr. Episc. in Comensi, 2. Septembris 1579.

Quæ licentia non conceditur propter causam profanam. S. Congregat. Episcopor. in Rhegiensi, 12. Decembris 1581.

Neque ex eo, quod amplius ibi nemo sepeliatur. Eadem S. Congr. in Tranensi, 15. Iunij 1590. & in Alatrina, 5. Decembris 1614.

*Citatio.*

Reprobatur decretum, quod Clerici teneantur conuenire, vel querelare laïcos in foro Ecclesiastico, etiam vbi Tribunalia sunt communia, vel sub prætextu, quod debita sint contracta occasione bonorum beneficij. S. Congregat. Episc. in Parmensi, 4. August. 1593. & in Castrensi, 1. Iulij 1639. & in Castellanetensi, 16. Martij 1642.

Valet tamen consuetudo, quod laïci trahi possint à Clericis ad forum Ecclesiasticum, etiam priuatiuè quoad Iudicem secularem. S. Congreg. Episc. in Aretina, 31. Ianuarij 1617.

Laïci citari possunt à Curia Ecclesiastica ad deponendum, & examinari sine alia licentia Principis, seu Iudicis laïci. S. Congr. Episc. in Pennensi, 7. Ianuarij 1611. & in Cremonensi, 6. Octobris 1628.

Episcopi vocati ad audiendum verbum Regium, si non vadant, non possunt grauari. S. Congreg. Episc. in Neapolitana, 15. Maij 1621. & in Sanseuerina, 1. Iulij 1622.

Multò minùs è Regno eiici, neque simplices Clerici. S. Congregat. Episcop. in Gallipolitana, 25. Septembris 1612.

*Clauis.*

Clausuræ exterioris claues remaneant semper apud personas pias, moribus, & ætate graues, ab Ordinario eligendas. S. Congr. Episcop. in Materana, 12. Iulij 1599. & in Licien si, 7. Ianuarij 1611.

Non obstantibus prætensionibus Communitatis, quod illas tenere debeat suus syndicus. Qui si non paruerit, poterit excommunicari. S. Congregat. Episcop. in Gallipolitana, 1. Decembris 1608. & in Caëtana, 7. Ianuarij 1611.

Nam claues huiusmodi, si sine maiori incommodo fieri possit, non debent esse in manu laïcorum. S. Congr. Episc. in Licien si, 30. Iunij 1620.

*Claustrum.*

Debent fratres suas clausuras terminare, signaque apponere, quæ si vlla mulier transgrediatur, incidat in pœnas Constitutionis Pij V. S. Congr. Episc. 18. Aprilis 1605.

Quoad Monasteria, quæ fabricantur de nouo, in quibus adhuc non habetur Conuentus firmatus, non incidunt; & generaliter nulli, vbi nunquam fuit solitum tenere, nisi vnum Monachum, & vnum conuersum: neque hospitia, quò deferuntur Regulares ægroti. In aliis verò sic, licèt ingrediantur occasione fabricæ, vt cæmentariis deseruiant. S. Congr. Episcop. 29. Nouembris 1578. & in Eugubina, 8. Aprilis 1577.

*Clausura.*

Porta clausuræ non debet aperiri pro quacumque visitatione, etiam matrum, vel sororum. S. Congr. Episc. in Parmensi, 26. Ianuarij 1604. sed solùm pro necessitate introducendi res, vel personas. Eadem S. Congr. in Perusina, 4. Maij 1604.

Clauis ad custodiendam ianuam à pariete interiori per Abbatissam tenenda, diuersa fieri debet ab exteriori, quam tenet Confessarius. S. Congr. Episc. in Marsicana, 5. Decembris 1600. vel alia persona moribus, & ætate grauis ab Ordinario eligenda, quæ non ideò licentiam habere censeatur ingrediendi Monasterium. S. Congr. Episc. in Gallipolitana, 29. Martij 1589.

Non autem Capellanus iunior, vel Magistratus secularis, vel eius syndicus, vel alius quilibet laïcus, nisi in defectum Ecclesiasticorum, & ad nutum. S. Congreg. Episc. in Telesina, 17. Septemb. 1601. & in Marsicana, 27. Maij 1603. & in Licien si, 4. Iunij 1610. Multò minùs Superior Regularis ipsarum monialium. S. Congr. Episc. in Perusina, 19. Augusti 1605.

Accessus ad collocutoria, vel rotas, vel alias Monasteriorum monialium partes, est materia pertinens ad clausuram, & per consequens spectat ad Ordinarium, etiam in Monasteriis subiectis Regularibus, qui eas ad libitum visitare potest. S. Congr. Episc. in Ianuensi, 17. Iunij 1605. Nec Superiores Regulares poterunt illum impedire. Eadem S. Congr. in Ferrarien si, 2. Maij 1600. Neque Nuncius, 19. Iunij 1648. Immò neque ipsi Superiores Regulares ingredi possunt in Monasteria Monialium sibi subiectarum sine licentia Ordinarij in scriptis. S. Congr. in Taurinensi, 23. Ianu. 1651.

Cùm exteri, quicumque sint, etiam Confessarius, ingrediuntur in clausuram, Moniales omnes secedere debent, nec sinere se conspici, præter Superioriss as, & comitatrices. S. Congr. Episc. in Ianuensi, 1. Octobris 1602. & in Caspensi, 13. Decembris 1603. & in Neapolitana, 10. Iunij 1616.

Non

Non potest Episcopus, neque de mandato S. Congregationis, ponere puellas ad explorandam voluntatem in Monasteriis subiectis Regularibus, nec aliis licentiam ingressus dare sine consensu Superioris eorum. S. Congr. Episc. in Ferrarien si, 10. Decembr. 1581. & in Pisana, 22. Maij 1582. & in Rhegien si, 6. Decembris 1593.

Licentiæ accessus, vel ingressus in Monasteria Regularibus subiecta, personis sæcularibus dandæ, debent etiam ab Ordinariis subscribi. S. Congr. Episcop. 24. Augusti 1594.

*Communitas.*

Communitates non possunt facere consilium in Conuentibus Regularium. S. Congr. Episc. in Triuentina, 1. Octobris 1602.

Nec ordinationes aliquas in præiudicium Regularium, putà quod non vocentur ad processiones, non admittantur supplicationes ad eorum fauorem, non dentur eis eleemosynæ consuetæ. Eadem S. Congr. Episc. 30. Iulij 1613. & 7. Aprilis 1645.

*Concubina.*

Iudex Ecclesiasticus potest procedere contra concubinarios, etiam nullis præcedentibus monitionibus, quando non procedit ad censuras; aliàs trinas monitiones præmittere debet. S. Congr. apud Dian. *p. 5. tr. 1. resolut. 10.*

Et quidem distinctè, adeo vt non sufficiat vna pro trina. S. Congregat. Episcop. in Panormitana, 23. Iul. 1581.

Concubinarius in peccato impœnitens mortuus non est in loco sacro sepeliendus. S. Congr. Episc. in Rossanen si, 14. Ianuarij 1628.

*Contributio.*

Contributiones cessant finitâ causâ propter quam fuerunt impositæ. S. Congreg. Episcop. in Ezoren si, 2. April. 1601.

Clerici non contribuant gabellis impositis pro salario Medici, vel Chirurgi. S. Congr. Episc. in Tranen si, 6. Octobris 1612.

cèt Clerici tenerentur annonæ contribuere, non tamen ad id cogi possunt à Iudice laïco. S. Congreg. Episc. in Imolen si, 19. Iulij 1622.

*Campanile.*

Campanile Ecclesiæ gaudet immunitate Ecclesiastica. Die 7. Decembris 1632. In Clypeo Immunitatis Ecclesiasticæ, suo loco.

*Campana.*

Campanæ consecratæ, etiam in turri profana existentes, nullatenus vsui profano inseruire debent, etiamsi in hunc vsum à secularibus fabricæ prætenderentur. S. Congr. Episc. in Papien si, 1581.

*Cancellarius.*

Cancellarius Mensæ Episcopalis gaudet priuilegio fori etiam extra Episcopatum. Die 27. Nouembris 1636. in Fundana: *lib. 3. decr. Paul. fol. 17.*

Gaudet exemptione ab oneribus personalibus, præsertim sordidis. Die 7. Septembris 1638. in Montis Regalis: *lib. 3. decr. Paul. fol. 71. à tergo.*

Non gaudet exemptione ab oneribus Ecclesiasticis, & mixtis, nisi concurrat legitima consuetudo. Die 23. Iunij 1648. in Aquinaten si, *lib. 4. decr. Paul. fol. 59. à tergo.*

Cancellarius Episcopi eximitur à repræsaliis. Die 11. Februarij 1648. in Ciuit. Castelli: *lib. 4. decr. Paul. fol. 40. à tergo.*

Cancellarius Vicarius foranei gaudet priuilegio fori. Die 19. Augusti 1630. in Senogallien si: *lib. 2. decr. Paul. fol. 55.* Æsina, die 7. Augusti 1657. *lib. decret. Roccij, fol. 21.*

Cancellarius Episcopi gaudet priuilegio fori S. Congr. Episc. in Grossetana, 30. Septembris 1616. & in Asculana, 28. Septembris 1621. & 6. Maij 1628.

Debet esse Notarius. S. Congreg. Episc. in Ostunen si, 1577. 16. Septembris. Et quoad fieri potest, extetus. Eadem S. Congr. in Melphiten si, 9. Febr. 1588.

Non debet esse Sacerdos, præsertim Curatus, nisi propter necessitatem, & per modum prouisionis. S. Congreg. Episc. 3. Febr. 1645. & in Fundana, 13. Iulij 1646. & 17. Maij 1652.

Toleratur tamen Sacerdos pro seruitio communitatis pauperis, dummodo non se ingerat in rebus, ex quibus oriri possit irregularitas, nec faciat officium Notarij, præterquam in testamentis, de quibus rogari possit etiam Parochus proprius. S. Congreg. Episc. in Tiburtina, 22. Augusti 1581.

Item propter necessitatem Pontifex dat licentiam curato exercendi gratis officium Cancellarij communitatis, sine tamen præiudicio curæ animarum. S. Congr. in Sulmonen si, 3. Iunij 1595.

Prohibitio, ne Cancellarius accipiat informationes, vel scripturas à partibus, sed quod omnes dentur in manus Iudicis, continet rigorem nimium. S. Congreg. Episc. in Ciuitatis Castelli, 3. Iulij 1601.

*Canonici.*

Ædes canonicales in canonia existentes, non debent locari laïcis. Die 14. Maij 1652. in Perusina: *lib. 4. decr. Paul. fol. 184.*

Non possunt Canonici facere statutum, vt in eorum Ecclesia non admittatur aliquis prouisus exterus. S. Congr. Episc. in Bisignianen si, 6. Augusti 1596.

Canonici Iureconsulti substitui non possunt à Gubernatore Ciuitatis in ipsius locum in absentia. S. Congreg. Concilij apud Barbos. *in collect. Bull. verb. Canonicus, n. 1.*

*Cantor.*

Cantor Ecclesiæ Cathedralis, qui viuit salario eiusdem, gaudet priuilegio fori. Die 13. Augusti 1647. in Vrbeuetana: *lib. 4. decr. Paul. fol. 26.*

*Cantus.*

Cantiones vulgari sermone in festo Sanctissimi Sacramenti cantare non conuenit. S. Rituum Congregat. in Abulen si, 21. Martij 1609.

Cantiones nocturnas, vulgò *serenatas*, prope Monialium Monasteria cani prohibitum est. S. Congr. Episc. in Monopolitana, 11. Maij 1646.

*Capella.*

Capella Palatij, si est perpetua, & inuariabilis, gaudet immunitate Ecclesiastica. Die 7. Maij 1658. in Tudertina: *lib. decr. Roccij, fol. 89. à tergo.*

Capella Palatij, quæ est ad publicam vtilitatem, gaudet immunitate Ecclesiastica. Die 18. Nouembris 1662. in Nullius: *lib. decr. Roccij, fol. 439. a tergo.*

Capella beneficiata in domo priuata gaudet immunitate Eccleſiaſtica, ſed eſt remouenda. Die 17. Ianuarij 1628. in Neritonenſi : *lib. 1. decr. Paul. fol. 80.*

Capellæ priuatæ Palatiorum regulariter non gaudent immunitate Eccleſiaſtica. Die 9. Nouembris 1631. in Peruſina, & Marſicenſi, die 17. Nouembris 1617. Tudertina, die 12. Iunij 1633. *lib. decr. Roccij, fol. 489. à tergo.*

Capella ruralis, quæ vulgò dicitur *vna Maëſta*, non gaudet immunitate Eccleſiaſtica. Die 21. Martij 1642. in Spoletana : *lib. 3. decr. Paul. fol. 171.*

Capellæ Regiæ ſubiiciuntur decreto Concilij Trid. *ſeſſ. 7. cap. 8.* quia reſeruatio exemptioms, de qua *ſeſſ. 24. cap. 11.* procedit iuxta terminos capitis *cum Capella, de priuil.* ſolùm quoad ſuſpenſionem, vel excommunicationem, aut interdictum, non quoad viſitationem. S. Congr. Concilij, teſte Rota *dec. 744 p. 1. diuerſ.*

Capellæ priuatorum Palatiorum immunitatis priuilegio non gaudent. S. Congr. Epiſc. in Marſicenſi, 17. Nouembris 1617.

*Carcer.*

Adhærentes ferratis carcerũ Curiæ Epiſcopalis gaudent immunitate Eccleſiaſtica. Die 30. Iunij 1632. in Nullius : *lib. 2. decr. Paul. fol. 131.*

Licentia Sanctiſſimi transferendi ad carceratos infirmos ad hoſpitalia, & illos poſtquam conualuerint, miniſtris Curiæ ſecularis reſtituendi, modò dicti miniſtri non ſe ingerant ſub aliquo prætextu in re vlla ad hoſpitale pertinente, neque circa ipſum, neque propter curam, & cuſtodiam ipſorum infirmorum. S. Congr. Epiſc. in Salernitana, 10. Maij 1614.

Cùm pendet differentia de iuriſdictione, carcerati relaxari debent cum fideiuſſione de ſe repræſentando, vel de tenendo domum pro carcere. S. Congr. Epiſc. in Balneoregienſi, 29. Nouembris 1600.

Campanile, ſi eſt idoneum, poteſt deſeruire pro carcere. S. Congr. Epiſc. in Alifana, 20. Februarij 1607.

Non verò Monaſteria Monialium, neque pro carcere mulierum delinquentium. S. Congr. Epiſc. in Conſentina, 21. Aprilis 1599.

Epiſcopus prouidere debet, vt in principalibus carceribus, etiam laïcalibus, adſit Capella, vel Oratorium ad celebrandum. S. Congr. in Burgenſi, 1. Decembris 1593. Beneuolis tamen, & vrbanis monitionibus quoad laïcales. S. Congr. Epiſc. in Agrigentina, 23. Aprilis 1602.

Mittere Clericos armatos ad capiendum reos, res eſt peſſimi exempli. S. Congr. Epiſcop. 1. Ianuarij 1620.

*Carcerati.*

Carcerati in carceribus laïcalibus poſſunt aliquando in eiſdem detineri ad liberam diſpoſitionem Curiæ Eccleſiaſticæ. Die 9. Nouembris 1626. in Mileuitana : *lib. 1. decr. Paul. fol. 22. à tergo.*

Die 14. Februarij 1628. in Camerinenſi : *lib. 1. decr. Paul. fol. 83.* Sutrina, die 21. Martij 1628. ibidem *fol. 86. à tergo.* Ianuenſis die 18. Iulij 1628. ibidem *fol. 98.*

Pauperes carcerati à quibus debeant ali, & quibus expenſis. Die 13. Octobris 1637. in Mileuitana : *lib. 3. decr. Paul. fol. 45. à tergo.*

*Cataſtrum.*

Bona donata beneficiato debent deleri de cataſtro laïcorum. Die 31. Auguſti 1626. in Aſculana : *lib. 1. decr. Paul. fol. 13. à tergo.*

Bona Eccleſiaſticorum ſunt delenda de cataſtro laïcorum. Die 18. Nouembris 1629. in Nucerina : *lib. decr. Paul. fol. 21.* Caſalenſis, die 9. Iunij 1637. *lib. 3. decr. Paul. fol. 33. à tergo.*

Epiſcopus tueatur, ne bona Eccleſiaſticorum accataſtrentur in cataſtro laïcorum. Die 18. Martij 1631. in Altamirana : *lib. 2. decr. Paul. fol. 98.*

Bona Eccleſiaſticorum non poſſunt accataſtrari per miniſtros laïcos. Die 30. Martij 1632. in Nullius : *lib. 2. decr. Paul. fol. 120.*

Bona empta à Monialibus debent deleri à cataſtro laïcorum. Die 14. Februarij 1634. in Ferettana : *lib. 2. decr. Paul. fol. 184.*

Impedientes mutationem nominum laïcorum in bonis emptis ab Eccleſiaſticis, incidunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini. Die 26. Iulij 1644. in Vercellenſi : *lib. 3. decr. Paul. fol. 234.*

*Cauſarum cognitio.*

Iudex, qui præuenit in cauſa, debet realiter cognoſcere. Die 16. Iulij 1626. in Caſenatenſi : *lib. 1. decr. Paul. fol. 9.* Ritus cognoſcendi Clericatum per laïcos, non eſt permittendus. Die 15. Ianuarij 1647. *lib. 4. decr. Paul. fol. 1.*

Datur alius Iudex non ſuſpectus Abbatiæ S. Viti. Die 27. Auguſti 1627. in Tarentina : *lib. 1. decr. Paul. fol. 64.*

In dubio feudi cognitio ſpectat ad Eccleſiaſticum. Die 22. Ianuarij 1629. in Caſſanenſi : *lib. 1. decr. Paul. fol. 122.*

Quando controuerſia vertitur ſuper bonis Eccleſiaſticis, cognitio ſpectat ad forum Eccleſiaſticum. Die 2. Maij 1629. in Verulana : *lib. 1. decr. Paul. fol. 136.*

Cauſarum cognitio ſuper bonis emphyteuticis Eccleſiaſticorum ſpectat ad Curiam Eccleſiaſticam. Die 26. Iunij 1629. in Liparenſi, *lib. 1. decr. Paul. fol. 143.*

Cognitio cauſæ Hoſpitalarij, & raptus Clerici ſpectat ad Epiſcopum. Die 17. Nouembris 1630. in Beneuentana : *lib. 2. decr. Paul. fol. 67. à tergo.*

Cognitio cauſæ fabricationis falſæ monetæ contra Clericum ſpectat ad Curiam Epiſcopalem. Die 18. Februarij 1631. in Eugubina : *lib. 2. decr. Paul. fol. 96.*

In cauſis mixti fori datur locus præuentioni. Die 18. Februarij 1631. in Sorana : *lib. 2. decr. Paul. fol. 96. à tergo.*

In cauſa ſuſpicionis contra Epiſcopum datur alius Iudex. Die 22. Nouembris 1631. in Licienſi : *lib. 2. decr. Paul. fol. 108. à tergo.*

Cognitio cauſæ Equitis S. Stephani ſpectat ad Curiam Eccleſiaſticam. Die 13. Iulij 1637. in Rauennatenſi : *lib. 3. decr. Paul. fol. 28. à tergo.*

In cognitione cauſarum, etiam merè laïcalium, ſeruanda eſt conſuetudo ad fauorem Epiſcopi. Die 15. Septembris 1637. in Spoletana : *lib. 3. decr. Paul. fol. 43.*

In complicitate delinquentium vtriuſque fori, nempe Clerici, & ſecularis, poſſunt procedere Curia Eccleſiaſtica, & laïcalis. Die 13. Februarij 1663. in Nullius. Foroſempronienſis : *lib. decr. Roccij, fol. 460.* Amerina, die 28. Septembris 1663. *lib. decr. Roccij, fol. 506. à tergo.* Vide verbo *Epiſcopus.*

Cognitio fraudis donationum Clericis factarum ſpectat ad forum Eccleſiaſticum. S. Congr. immunitatis, 9. Martij 1632.

Cognitio tam quoad bona, quàm quoad perſonas laïcorum, & eorum animalia ſpectat ad Iudicem laïcum priuatiuè, & miniſtri Eccleſiarum, Clericorum, & Eccleſiaſticorum cum animalibus propriis bona laïcorum damnificant; ſed ſi cum animalibus

malibus Ecclesiasticorum, vel Ecclesiarum, quoad personas spectat ad laïcum; quo verò ad animalia spectat ad Curiam Ecclesiasticam, S. Congr. immunit. in Terracinensi:

Cognitio fraudis, quâ dicitur quem assumpsisse characterem, & habitum Clericalem post delictum commissum, occasione gaudendi priuilegio fori, ad Iudicem Ecclesiasticum spectat. S. Congr. Immun. in Ciuitatis Castellanæ, 18. Febr. 1631.

*Clericus.*

Decretum circa promouendos ad primam Tonsuram, vel ad minores Ordines in Regno Neapolitano, tempore Greg. XV. In Clypeo immunitatis Ecclesiasticæ, vide verbo *Clericus, num.* 1.

Decretum ad formam Sac. Conc. Trid. circa ea, quæ obseruare debent Clerici, qui non sunt in sacris, nec aliquod beneficium Ecclesiasticum obtinent. Die 21. Ianuarij 1626. in Auersana, *ibidem num.* 2.

Modus procedendi contra Clericos beneficiatos non deferentes habitum, & tonsuram. Die 24. Iulij 1628. in Ianuensi: *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 100.

Modus procedendi contra Clericos non inseruientes Ecclesiis, nec incedentes in habitu, & tonsura, & contra fraudulentas donationes. Die 21. Martij 1645. in Castrensi, *lib.* 3. *decr. Paul. fol.* 246. *à tergo.* Pedemontana die 28. : : : 1658. *lib. de decr. Roccij, fol.* 70. 74. 110.

Datur modus ordinariis moderandi superfluum numerum Clericorum, & cognoscendi super fraudibus donationum. Die 22. Augusti 1628. in Tricaricensi, *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 104. Meleuitana, die 2. Iulij 1630. *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 48.

Die 15. Iulij 1644. in Anglonensi: *lib. decr. Roccij, fol.* 565. *à tergo.* Aquilana, die 5. Martij 1641. *lib.* 3. *decr. Paul. fol.* 139. Licensis, die 6. Nouembris 1634. *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 206. Tranensis die 16. Ianuarij 1635. *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 205.

Datur modus priuandi inobedientes priuilegio Clericali. Die 18. Nouembris 1653. in Bisignanensi: *lib.* 5. *decr. Paul. fol.* 24. *à tergo.*

Declaratio necessaria post dimissionem habitus Clericalis ad hoc, vt Clerici non possint illum reassumere. Die 16. Decembris 1642. in Mazarensi: *lib.* 3. *decr. Paul. fol.* 192.

Clerici cum dimissoriis falsis ordinati quomodò amittant fori priuilegium. Die 7. Septembris 1624. in Licensi, *in regesto lit. Paul. fol.* 327.

Clericus non potest gerere curam Vicegubernatoris absentis. Die 15. Ianuarij 1650. in Ciuit. Plebis: *lib.* 4. *decr. Paul. fol.* 97.

Clerici non possunt conducere bona, nisi pro eorum sustentatione. Die 30. Maij 1628. in Tranensi: *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 95. *à tergo.*

Clerici delinquentes confugientes ad Ecclesiam gaudent immunitate Ecclesiastica. Die 17. Ianuarij 1628. in Romana: *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 29. *à tergo.* Tropiensis, die 24. Ianuarij 1617. Clypeus Immunitatis Ecclesiasticæ, *num.* 15.

Clericus vulnerans patrem suum gaudet immunitate Ecclesiastica, sed carcerandus est per triennium. Die 14. Decembris 1655. in Sarzanensi: *lib.* 5. *decr. Paul. fol.* 83.

Clericus percussor alterius Clerici gaudet immunitate Ecclesiastica, sed mittitur ad triremes. Die 9. Octobris 1635. in Sulmonensi: *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 256. *à tergo.*

Clerici per Iudices laïcos remissi ad Sanctissimum sunt priùs transmittendi ad illorum Ordinarios. Die 27. Aprilis 1632. in Rossanensi: *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 124.

Clericus successor laïci non ligatur instantia inchoata coram Iudice laïco. Die 27. Septembris 1632. in Nullius: *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 140.

Allegatus ritus cognoscendi de Clericatu est detestandus. Die 6. Februarij 1635. in Licensi: *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 216. *a tergo.* Alessanensis, die 10. Nouembr. 1637. *lib.* 3. *decr. Paul. fol.* 46. *a tergo.*

Clericus non debet interesse consiliis laïcalibus. Die 16. Iulij 1658. in Assisiensi: *lib. decr. Roccij, fol.* 101. *à tergo.*

Quando Clericus delinquit, vt non habeatur pro Clerico, quomodò procedendum in eius carceratione. Die 10. Septembris 1629. in Papiensi: *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 6.

Iudex secularis non potest se ingerere in causis Clericorum. Die 10. Septembris 1629. in Papiensi: *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 6. *a tergo.*

Clericus post dimissionem habitus, reassumens illum in fraudem, gaudet immunitate tantum quoad personam, non quoad bona. Die 10. Septembris 1622. in Reatina: *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 6. *à tergo.*

Post delictum patratum assumens habitum Clericalem gaudet immunitate quoad personam, non autem quoad bona. In Clypeo immunitatis Ecclesiasticæ, *num.* 26. in Papiensi.

Clericus potest aliquando habitum reassumere, etiam contradicente Episcopo, vt gaudeat priuilegio fori, *ibidem num.* 27. in Mazarensi.

Clericus Ecclesiæ seruiens, non tamen ex mandato Episcopi, gaudet priuilegio fori, *ibidem num.* 28. in Valentina.

Ordines sacros suscipere non sunt Clerici cogendi, nec ob id priuilegio, & exemptione Clericali priuandi, dummodo debitum Ecclesiæ seruitium præstent. S. Congr. Episc. 19. Aprilis 1619.

Vbi communitates conqueruntur Clericorum inutilium numerum nimium excessisse, S. Congregatio prohibere solet collationem primæ tonsuræ absque licentia. Quæ prohibitio non cessat ex eo, quod Episcopus remittatur ad residentiam, amoto exinde Vicario Apostolico. S. Congr. Episc. in Bisinianensi, 18. Iunij 1655.

Clerici non seruientes, post debitas monitiones priuari debent habitu, & priuilegio Clericali. S. Congreg. Episc. in Catharensi, 3. Augusti 1592. & in Caietana, 22. Ianuarij 1596.

Si tamen priuati pœniteant, & seruire velint, redintegrari debent. S. Congr. in Vritana, 3. Iulij 1590.

Clerici possunt animi causâ scribere libros, fiscellas imo texere, olera serere in areolis, & plantas inserere, aliaque honesta operari, & etiam illa vendere, necnon in terris propriis vel Ecclesiæ agriculturam exercere. S. Congr. Episc. in Tarusina 1616.

Non tamen exercere possunt mercaturam viliùs emendo, vt cariùs vendant, nisi vendere vellent superfluum quod emerant, putantes necessarium ad sustentationem suarum personarum, ac familiæ; & id eis licet iusto pretio tunc currenti, licèt cariori. Eadem Sacra Congr. *loc. cit.*

Clerici debent ad studia impelli propter alia media, quàm priuationis priuilegij clericalis. S. Congr. Episcop. in Larinensi, 29. Ianuar. 1616.

Nec compelli debent ad ludum Vniuersitatis, si discere nolunt à Magistro particulari. Eadem S. Congreg. in Monopolitana, 9. Ianuarij 1601.

Clerici prohiberi non debent, ne vadant de nocte sine luminibus. S. Congr. Episcop. in Vulturarien si, 17. Septembris 1602.

Multò

Multò minùs propterea carcerari. Eadem S. Congr. in Nepesina, 22. Maij 1601.

Nec Episcopus potest dare talem licentiam Curiæ sæculari. Eadem S. Congreg. in Castellancten, 23. Iulij 1602.

Clerici possunt querelare laïcos in officio damni dati pro damnis receptis in suis possessionibus, modò iuramentum præstetur in tribunali Ecclesiastico. Sacra Congregatio Episcop. in Ciuitatis Castelli, 14. Aprilis 1653.

Alicubi tamen requiritur licentia Episcopi, in casibus permissis gratis concedenda. S. Congr. Episc. in Neritonensi, 29. Decembris 1614.

In criminalibus, quando laïcus, & Clericus simul delinquunt, vterque punitur à Iudice Ecclesiastico. S. Congregatio apud Dian. *p.* 3. *tr.*1. *resol.* 1. & *p.*4. *tr.*1. *resol.* 7.

Clericus carceratus ab Episcopo propter enormia delicta, si solos habet ordines minores absque vllo beneficio Ecclesiastico, non solet incedere in habitu, & tonsura, non est adscriptus seruitio alicuius Ecclesiæ, nec manet in Seminario, vt requiritur ex decreto S. Concilij Tridentini ad gaudendum priuilegio fori Ecclesiastici; remitti debet ad Iudicem secularem, cùm non deceat sub Clèricatus clypeo subterfugi à delinquentibus meritam vltionem. S. Congr. Episc. in Sulmonensi, 14. Decembris 1594.

Clerici non tenentur denunciare sua frumenta, vel bladа Iudici laïco, sed Episcopo, qui notam dabit secularibus Magistratibus; absque eo tamen, quod grauentur Clerici. S. Congregatio in Ferrarien si, 19. Iunij 1592.

Cùm Vniuersitas Ciuitatis Polinianensis, vt æs alienum ducatorum centum mille persolueret, presbyteros ad soluendum omnium bonorum suorum, non tamen patrimonialium, bonatenentiam cogere posse, per S. Congregationem sibi facultatem impertiri supplicasset, S. Congregatio petitionem hanc, vtpote Sacris Canonibus de directo contrariam, reiecit die 25. Ianuarij 1619.

Perente Vniuersitate Lauretana Pennensis diœcesis, Ecclesiasticos ad solutionem onerum pro Physico, Ludimagistro, & Chirurgo impositorum, attento quod illorum opera vtuntur, obligatos esse declarari, Sacra Congregatio negatiuè respondit, 2. Augusti 1619.

Idem decreuerat S. Congr. Episcoporum, 5. Nouembris 1602. pro Studio, vel Academia publica.

Non est permittendum, vt pro Vniuersitatum oneribus quicquam Ecclesiastici contribuant, neque sub elemosynæ nomine. S. Congr. Episc. in Squillacensi, 21. Maij 1598.

Clericus, qui dimisso habitu rediit ad sæculum, ad soluendum pecuniam exemptionis, quâ potitus est tempore Clericatus, nequaquam cogi potest. S. Congr. Episc. in Catharensi, 3. Augusti 1592.

Bona per Ecclesiasticos possessa gaudent exemptionibus à quibusvis impositionibus, & oneribus, quæ non sunt copulatiuè certa, & inuariabilia; necnon ab impositionibus Cameralibus, etiam comprehensiuis Ecclesiasticorum, quando Ecclesiastici libertatem eam non soluendi præscripserint. S. Congr. Immun. 21. Aprilis.

Episcopus permittere debet, vt Presbyteri pro causis ciuilibus in foro seculari examinentur, dummodo ex eo aliquo modo criminalitas exoriri non possit, & iuramentum in Tribunali Episcopi præstetur. Sacra Congregat. Episcop. in Tiphernatensi, 14. Aprilis 1616.

Clericus in minoribus constitutus Ecclesiæ deseruiens, non ex mandato Episcopi, sed habitum, & tonsuram deferens, gaudet priuilegio fori. S. Congr. Concilij in Materanensi, 2. Augusti 1631.

Clericus coniugatus, qui exercet officia incompatibilia, potest etiam à Iudice Ecclesiastico cogi ad soluenda debita. S. Congr. Episcop. in Oppidensi, 23. Nouembris 1646.

Clerici in minoribus Ordinibus constituti recusantes frequentare scholas, & Ecclesiam, ita vt esset probabilis spes profectus, non possunt priuilegio fori priuari. S. Congr. Concilij in eadem Materanensi, 2. Augusti 1631.

Clerici non possunt patrocinari, sed domi absque salario scribere valent. Sacra Congregat. Concilij, 20. Iulij 1619.

Clericis absque metu illicitæ negotiationis licet agros beneficiorum & bonorum patrimonialium laïcorum operâ colere, & pro culturæ vsu boues, & alia animalia emere, illorumque fœtus iusto pretio, & honesta ratione vendere; & si habuerint in propriis bonis quercus, & castaneas, suos emere, eosque alere pro sua, & familiæ sustentatione, dummodo tamen in emendis, alendis, distrahendisque nihil sordidum, aut indecens Ordini Clericali exequantur. Item eis licet folia arborum in propriis bonis existentium alicui laïco concedere, eo pacto adiecto, vt lucrum ex bombycibus inter vtrumque diuidatur. Et pariter eisdem licet earundem arborum foliis per seipsos absque officij eorum detrimento arti sericæ operam dare pro sua, & familiæ sustentatione, dummodo tamen in artificio huiusmodi personas non suspectas adhibeant, & quoad hoc Episcopi licentia gratis concedenda accedat. S. Congreg. Concilij in Caputaquensi, sub Paulutio.

Clerici pauperes absque reatu illicitæ negotiationis possunt terras Ecclesiæ conducere ad suas, suæque familiæ sustentationem; bona verò laicorum non possunt, nisi ex mera, & præcisa necessitate. Item possunt retinere, & locare boues, & oues, & alia animalia, quæ habent ex successione, vel ex decimis, necnon fructus illorum vendere, sicut & granum, hordeum, & alios fructus recollectos ex bonis patrimonialibus, vel Ecclesiæ pro sua, & suorum sustentatione. Eadem S. Congreg. in dicta Caputaquensi.

Clerici filius legitimus ante Clericatum susceptus gaudet priuilegio fori, durante vita eius patris. S. Congr. immunitatis, in Callien si, 18. Martij 1631.

Clericus qui ante carcerationem reassumpserat habitum, fori priuilegio gaudet. S. Congreg. Episc. immunitatis, in Rossanensi, 18. Martij 1631.

Clerici beneficiati possunt operas suorum boum, quos pro laborandis prædiis suis patrimonialibus, seu beneficialibus, aut ad eos quoquo modo spectantibus retinent, dum sibi vacant, aliis locare pro certa mercede, absque periculo spolij, & pœnarum Clericis negotiatoribus impositarum; dummodo tot iuga boum retineantur, quot sunt pro prædiis necessaria; vel si vltrà necessitatem boues illi nati sint ex vaccis, quæ pro necessitate culturæ prædiorum, vel alio licito modo tenentur. Item possunt boues proprios, quos scilicet in suis prædiis natos educauerint, & instruxerint, concedere pro certa tritici quantitate quolibet anno persoluenda; secus quoad boues emptos. Item possunt oues centum, vel saltem quinquaginta simili modo concedere pro certa caseorum quantitate, pro eorum, & suæ familiæ vsu, si oues propriæ fuerint, & non emptæ ad illum effectum causâ lucri comparandi; secus si causâ acquirendi necessaria ad victum. S. Congreg. Concilij apud Aldan. *lib.*2. *can. resolut. tit.*20. *num.*3.

Clerici

Clerici de bonis patrimonialibus non tenentur ad ratam pro compositionibus Cameralibus. S. Congr. de Bono Regimine, 4. Febr. 1609.

Clerici non tenentur soluere onera imposita per Communitatem super eorum bonis patrimonialibus, & domibus, vbi habitant, etiam quod per prius soluerint. S. Congr. immunitatis, 7. Decembris 1632.

Clericus effectus post delictum commissum non punitur quoad personam, nisi à Iudice Ecclesiastico. S. Congreg. immunit. eadem die 7. Decembr. 1632.

Clericus si ducat vxorem, & illâ mortuâ habitum reassumat, gaudet priuilegio capitis *Odoardus, de solut.* S. Congreg. Concilij, 17. Martij 1619.

Clerici, qui post delicta patrata ad Ecclesias confugiunt, beneficio immunitatis extra casus in Bulla Gregorij XIV. comprehensos gaudere debent. S. Congreg. Episc. in Tropiensi, 24. Ianuarij 1617.

Clericus non debet se subdere examini coram Iudice laïco, vbi timetur posse indirectè oriri criminalitatem. S. Congregat. Episc. 19. Iulij 1619.

Clerici post delicta patrata confugientes ad Ecclesiam non possunt inde extrahi, præterquam in casibus degradatione dignis, & si fiat secus, restituantur. S. Congr. Episc. 17. Augusti 1618.

Clericus, qui in habitu, & tonsura se immiscet enormitatibus, & pluribus vicibus, censetur absque monitione renunciasse priuilegio Clericali, secus si in habitu laïcali hæc perpetrasset; quia tunc requiritur monitio. S. Congr. Concilij in Motulensi, 1. Februarij 1620.

Clerici coniugati præditi qualitatibus requisitis tam in constitutione Bonifacij VIII. quæ incipit *Clerici*, quàm in decreto Concilij Trid. *cap. 6. sess. 23. de reform.* non gaudent priuilegio fori in ciuilibus, nisi vbi de crimine etiam ciuiliter ageretur; sed illi ob tales causas ciuiles à crimine non descendentes non possunt à Iudicibus laïcis in carcerem coniici, aut personaliter distringi. S. Congr. Concilij, 13. Februarij 1610.

Clerici coniugati gaudent priuilegio fori, etiam in ciuilibus, præsertim in Regno Neapolitano, in quo adest consuetudo. S. Congr. Immunit. 27. Februarij 1630. Iidem non incedentes in habitu, nec inseruientes diuinis, non gaudent priuilegio fori. Eadem S. Congr. 2. Augusti 1619.

Clerici, qui de iure possunt esse tutores, possunt negotiari res pupilli, non tamen causa turpis lucri. S. Congreg. Concilij, 23. Nouembris 1619.

Clericus repertus à Curia seculari sine habitu clericali, donec doceat de suo Clericatu, in carceribus laïcis potest detineri, dummodo non sit notoriè Clericus. Et si per octo menses ante carcerationem habitum dimiserat, priuilegio clericali nullo modo gaudet, si à Curia, vt suprà, captus fuerit in tali habitu. S. Congreg. Concilij, 2. Ianuarij 1619.

Clericus, qui characterem, & habitum clericalem assumpsit post delictum, processum, & fideiussionem de se repræsentando coram Iudice laïco, gaudet fori priuilegio, & à iurisdictione Iudicis laïci est liberatus quoad personam. Quod si fraus subsit, quam Iudex Ecclesiasticus inspicere debet, potest Iudex laïcus processui finem imponere, contra illum quoad bona procedendo. S. Congregatio Concilij, in Papiensi, 23. Maij 1626. Et S. Congregatio Immunit. in Ciuitatis Castellanæ, 18. Febr. 1631.

Clerici in minoribus Ordinibus constituti, nisi beneficium Ecclesiasticum habeant, aut clericalem habitum, & tonsuram deferentes Ecclesiæ deseruiant, vel in Seminario, aut alia Schola, vel Vniuersitate de licentia Episcopi versentur, iuxta decretum S. Concilij Trid. *cap. 6. sess. 23.* forum Iudicis laïci declinare non possunt; non tamen idem Concilij decretum obstat Episcopo, quominus iure suo in huiusmodi Clericos possit animaduertere, eosque punire. S. Congreg. Concilij in Valentina, 17. Maij 1627. & in Nuscana, 12. Iulij 1628.

Clericos non inseruientes Ecclesiiis non potest Ordinarius immunitate à gabellis, & aliis oneribus laïcalibus priuare, sed iidem Clerici, nisi vt suprà inseruiant, ac habitum & tonsuram clericalem deferant, aut beneficium Ecclesiasticum obtineant, priuilegio fori non gaudent. S. Congr. Episc. 24. Ianuarij 1631.

Clerici Cameræ Apostolicæ exempti sunt à contributione seminarij ratione beneficiorum, quæ obtinent. S. Congr. Episc. in Maceratensi, 12. Maij: & in Perusina, 17. eiusdem 1604.

### *Clerici coniugati.*

Clerici coniugati gaudent priuilegio Canonis, & fori tantùm. Die 29. Decembris 1625. In Bouinensi: *in regist. scripturarum veterum fol...* Neocastrensis, die 6. Maij 1631. *lib. 2. decr. Paul. fol. 77. à tergo.* Bouinensis, die 13. Nouembris 1629. *libr. 2. decret. Paul. fol. 12. à tergo.* Alessanensis, die 9. Octobris 1628. *lib. 1. decret. Paul. fol. 106.*

Clerici coniugati non tenentur pro oneribus personalibus, prout est foculare; pro mixtis verò tenentur, nisi concurrat legitima consuetudo ad eorum fauorem. Die 24. Aprilis 1646. *lib. 3. decr. Paul. fol. 279. à tergo.* in Nuscana.

Habentes requisita capitis vnici *de Cleric. coniug.* gaudent priuilegio fori. Die 27. Aprilis 1638. in Perusina: *lib. 3. decr. Paul. fol. 60. à tergo.*

Etiam in casibus merè ciuilibus. Die 6. Martij 1635. in Oppidensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 219. à tergo.*

Non dependentibus à criminalitate. Die 27. Februarij 1630. in Bouinensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 29.*

Clerici coniugati gaudent franchisiis, suppositâ consuetudine. Die 9. Iunij 1637. in Bisignianensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 33. à tergo.*

Non tenentur ad collectam, quæ imponitur pro solutione Officialium Curiæ laïcalis. Die 9. Martij 1649. in Cariatensi: *lib. 4. decr. Paul. fol. 73. à tergo.*

Nec pro donatiuo Regio, quatenus adsit consuetudo. Die 12. Decembris 1645. in Caputaquensi: *lib. 3. decret. Paul. fol. 266. à tergo.*

Clerici coniugati sunt exempti ab Hospitatione Militum, suppositâ legitima consuetudine. Die 20. Aprilis 1649. in Theatina: *lib. 4. decr. Paul. fol. 77. à tergo.* In Oppidensi, die 23. Augusti 1633. *lib. 2. decr. Paul. fol. 169.* Hydruntina, die 7. Augusti 1640. *lib. 3. decr. Paul. fol. 26.*

Gaudent exemptione ab impositione capitationis, siue super capita. Die 8. Aprilis 1631. in Rossanensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 102.*

Non possunt conueniri in causis merè ciuilibus, nisi coram Iudice Ecclesiastico. Die 23. Martij 1638. in Rossanensi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 58.* Tropiensis, die 26. Iunij 1629. *lib. 1. decr. Paul. fol. 144.*

Clerici coniugati sunt exempti ab Officiis laïcalibus Communitatis. Die 26. Augusti 1636. in Melitensi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 12. à tergo.*

Eximuntur ab officio Ærariatus. Die 12. Ianuarij 1649. in Auellinensi: *decr. Paul. fol. 68. lib. 4.*

Possunt interesse Conciliis Communitatis. Die 3. Octobris 1634. in Auellinensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 203.*

Non debent exercere officia publica laïcalia sub pœna

priuationis priuilegij. Die 2. Maij 1640. in Anagnina, *in regiſtro.*

Gaudent priuilegio fori, & poli, & onerum perſonalium; ſeruata tamen legitima conſuetudine. Die 19. Aprilis 1627. in vna Sanctæ Seuerinæ: *lib. 1. decr. Paul. fol. 46.*

Non eximuntur ab oneribus fiſcalibus, niſi adſit legitima conſuetudo. Die 6. Martij 1635. in Oppidenſi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 219. à tergo.*

Tenentur ad impoſitiones reales, & mixtas, ceſſante legitima conſuetudine contraria. Die 20. Ianuarij 1654. in Ciuitatis plebis: *lib. 5. decr. Paul. fol. 30. à tergo.*

Aliquando non gaudent exemptione à collectis. Die 6. Octobris 1626. in Catacenſi: *lib. 1. decr. Paul. fol. 17. à tergo.*

*Clerici ſaluatici.*

Decretum de mandato Gregorij XV. editum circa Diaconos ſaluaticos in Regno Neapolitano: *in regeſto ſcripturarum veterum, fol. 15.* in Romana.

Clerici ſaluatici gaudent exemptione à collectis, conſtito de legitima conſuetudine. Die 6. Maij 1631. in Oritana: *lib. 2. decr. Paul. fol. 77. à tergo.* Policaſtrenſis, die 9. Octobris 1629. *ibid. fol. 10.* Aprutina, die 6. Martij 1635. *ibid. fol. 218.*

Clerici ſaluatici eximuntur ab onere focularis. Die 17. Nouembris 1654. in Oppidenſi: *lib. 5. decr. Paul. fol. 57.*

Gaudent eiſdem priuilegiis, etiam Sede Epiſcopali vacante. Die 23. Auguſti 1629. in Oppidenſi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 2. à tergo.*

Gaudent priuilegio capitis, attenta conſuetudine. Die 23. Februarij 1638. in Maturanenſi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 54. à tergo.*

Gaudent priuilegio fori. Die 17. Decembris 1630. in Oritana: *lib. 2. decr. Paul. fol. 69.*

Gaudent immunitate ab oneribus realibus, & mixtis, ſuppoſita conſuetudine. Die 24. Martij 1637. in Bellocaſtrenſi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 28.*

Gaudent franchiſiis, ſuppoſitâ conſuetudine. Die 31. Ianuarij 1628. in Laquedonenſi, *lib. 1. decr. Paul. fol. 82.* Biſignianenſis, die 9. Iunij 1637. *lib. 3. decr. Paul. fol. 33. à tergo.*

Clerici ſaluatici non poſſunt conueniri coram iudice laïco. Die 4. Iulij 1645. in Hieracenſi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 255.*

In Diaconos ſaluaticos poſſunt eligi nobiliores ciuitatis, illique gaudere priuilegio fori; ſed non decet. Die 4. Iulij 1645. in Hieracenſi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 255.*

Non eximuntur ab hoſpitatione militum. Idem, vt ſuprà, in Hieracenſi.

Tenentur ad taxam pro ſolutione medici, pro refectione pontium, viarum, &c. niſi, &c. Die 16. Septembris 1630. in Neritonenſi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 60.*

Non eximuntur ab oneribus fiſcalibus, niſi adſit conſuetudo. Die 18. Iunij 1626. *lib. 1. decr. Paul. fol. 14.* Caſſanenſis, die 26. Iulij 1644. *lib. 2. decr. Paul. fol. 232.*

*Clerici Græci.*

Clerici Græci gaudent priuilegiis ſicut Clerici Latini. Die 27. Septembris 1632. in Regienſi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 140. à tergo.*

Sunt exempti à gabella impoſita ſuper vino. Die 2. Iulij 1647. in Licienſi: *lib. 4. decr. Paul. fol. 16. à tergo.*

Clerici Græci bigami non gaudent priuilegio fori. Die 22. Auguſti 1628. in Roſſanenſi: *lib. 1. decr. Paul. fol. 103. à tergo.*

Clerici Albanenſes gaudent priuilegiis clericalibus. Die 26. Iunij 1646. in Biſignianenſi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 284.* Gaudent etiam exemptione ab omnibus realibus. Die 22. Ianuarij 1645. *ibidem, fol. 242. à tergo.*

An Clericus initiatus primâ tonſurâ ſub ritu Latino poſſit iterum ritè, ac rectè eandem primam tonſuram cum cæteris Ordinibus accipere ſub ritu Græco? Reſpondendum negatiuè. In Clypeo Immunitatis Eccleſiaſticæ, *num. 6.*

*Collecta.*

Clerus non poteſt ſoluere collectas abſque incurſu cenſurarum. Die 18. Decembris 1629. in Volaterrana: *lib. 2. decr. Paul. fol. 21. à tergo.*

Eccleſiaſtici ſunt exempti à ſolutione collectarum. Die 19. Nouembris 1630. in Firmana. *lib. 2. decr. Paul. fol. 64. à tergo.* Catanienſis, die 11. Septembris 1634. *ibid. fol. 200. à tergo.*

Moniales non tenentur ad collectam per æs & libram impoſitam pro bonis acquiſitis. Die 22. Decembris 1631. in Feretrana: *lib. 2. decr. Paul. fol. 108. à tergo.*

Clerici in minoribus ſunt exempti à collectis, etiamſi non inſeruiant Eccleſiæ. Die 21. Martij 1646. in Ciuitatis Pennenſis: *lib. 3. decr. Paul. fol. 275.*

Eccleſiaſtici viuentes ſimul cum coniunctis, ſunt exempti à collectis pro portione bonorum ad eos ſpectantium. Die 8. Martij 1635. in Aprutina: *lib. 2. decr. Paul. fol. 218.*

Vendens bona Eccleſiaſticis non debet grauari collecta. Die 18. Octobris 1582. *in regeſto*, in Caglienſi.

Bona quæ tranſeunt ad Eccleſiaſticos ſunt exempta à collectis laïcalibus. Die 14. Februarij 1645. in Montis Regalis: *lib. 3. decr. Paul. fol. 246.*

Clerici non tenentur ad collectas pro bonis datis. Die 4. Iulij 1645. in Hieracenſi, *ibidem fol. 255.*

*Collegium.*

Collegium de propaganda fide gaudet immunitate Eccleſiaſtica. Die 8. Nouembris 1650. in Romana: *lib. 4. decr. Paul. fol. 125.*

Collegia Societatis Ieſu gaudent exemptione Eccleſiaſtica. In Catanienſi: *libro 2. decr. Paul. fol. 120. à tergo.*

*Colonica Mediolanenſis.*

Breuis informatio huius controuerſiæ. Breue Pauli V. ad Gubernatorem Mediolanenſem, die 7. Iunij 1619. In Clypeo Immunitatis Eccleſiaſticæ, *litera alli Veſcouì dello Stato di Milano, che mantenghino l'immunita Eccleſiaſtica.*

Epiſtola Congregationis Concilij ad Archiepiſcopum Mediolanenſem pro tuitione immunitatis Eccleſiaſticæ. Decretum pro tuitione portionis colonicæ, ſub Paulo V. Decretum pro tuitione colonicæ, ac libertatis, & immunitatis Eccleſiaſticæ. Hæc omnia habentur per extenſum in Clypeo Immunitatis.

*Coloni Eccleſiaſticorum.*

Coloni partiarij gaudent priuilegio fori, & exemptione ab exactionibus. Die 13. Auguſti 1629. Neocaſtrenſis: *lib. 2. decr. Paul. fol. 2.* Vrbeuetana, die 29. Decembris 1625. *in regeſto ſcripturarum veterum, fol. 81.* Firmana, die 20. Ianuarij 1654. *lib. 5. decr. Paul. fol. 30. à tergo.* S. Agathæ Gothorum, die 16. Iulij 1626. *lib. 1. decr. Paul. fol. 8. à tergo.* Viterbienſis, die 6. Decembris 1627. *ibid. fol. 75.* Fulginatenſis, die 7. Nouembris 1651. *lib. 4. decr. Paul. fol. 162. à tergo.*

Eximuntur ab oneribus, & contractibus Communitatis.

Die

Die 20. Martij 1630. in Ceruiensi : *lib. 2. decr. Paul. fol. 32. à tergo.*

Eximuntur à solutione affidæ, & aliarum impositionum. Die 9. Octobris 1629. in Spoletana : *lib. 2. decr. Paul. fol. 10. à tergo.*

Eximuntur à portione colonica. Die 12. Nouemb. 1652. in Placentina : *lib. 5. decr. Paul. fol. 2.*

Non tenentur ad gabellam furni, seu focularis. Die 25. Maij 1655. in Auximana : *lib. 5. decr. Paul. fol. 64.*

Nec ad solutionem affidæ pro animalibus propriis, nisi ciuitas sit vera Domina pasculorum, & affida sit pretium herbarum : *ibid.* Coloni non possunt arrollari in milites : *lib. 3. decr. Paul. 11.* Decembris 1646. in Perusina.

Eximuntur ab hospitatione militum. Die 14. Decembris 1649. in Regiensi : *lib. 4. decr. Paul. fol. 95.*

Eximuntur ab onere ærariatus, & aliis oneribus personalibus. Die 1. Septembris 1648. in Bouinensi : *lib. 4. decr. Paul. fol. 57.*

Coloni non sunt priuandi quasi possessione non soluendi affidas, & ius pascendi. Die 18. Februarij 1653. in Maceratensi : *lib. 5. decr. Paul fol 9. à tergo.*

Eorum bestiæ eximuntur à seruitio publico viarum. Die 15. Decembris 1654. in Maceratensi : *lib. 5. decr. Paul. fol. 60.*

Non tenentur ad seruitia sordida. Die 16. Iulij 1626. in Cesenatensi : *lib. 1. decr. Paul. fol. 7. à tergo.*

Nec ire ad molendina Communitatis. Die 25. Maij 1655. in Vrbeuetana. *lib. 5. decr. Paul. fol. 76. à tergo.*

Eximuntur ab angaria transportationis palearum. Die 22. Iunij 1655. in Recanatensi : *ibid. fol. 68. à tergo.*

Eximuntur à solutione macinatus pro rebus inseruientibus pro cultura Monialium. Die 4. Nouembris 1631. in Auximana : *lib. 2. decr. Paul. fol. 105.*

Coloni Monialium eximuntur à gabella iuris pascendi pro animalibus Monialium tantùm. Die 18. Iulij 1629. in Spoletana : *lib. 1. decr. Paul. fol. 164.*

Coloni, arrendatarij, locatarij, affictuarij, negotiorumque gestores Ordinum Mendicantium sunt immunes à cunctis executionibus, tam rusticis, quàm Vrbanis. Pius V. *const. 10. 18. Calend. Decemb. 1566.*

Coloni, aut affictuarij, vel partiarij bonorum Ecclesiasticorum, exemptione collectarum, tam ordinariarum, quàm extraordinariarum pro portione colonica gaudent. S. Congr. Episc. in Oppidensi, 18. Septembris 1618.

Coloni partiarij Episcoporum durante colonia gaudent fori priuilegio. S. Congr. Immunit. 6. Decembris 1627.

*Commissarius.*

Commissarius Nuntij non potest absoluere à censuris reseruatis. Die 10. Iulij 1640. in Melfitensi : *lib. 3. decr. Paul. fol. 123. à tergo.*

Commissarius Reuerendæ Fabricæ potest procedere contra Ministros Curiæ Episcopalis pro legatis piis. Die 26. Februarij 1658. in Bononiensi : *lib. decr. Roccij, fol. 63.*

*Confraternitas.*

Confraternitas authoritate Apostolicâ erecta subest Iurisdictioni Episcopi, ac etiam Confratres, vbi agitur de interesse spirituali. Die 10. Septembris 1629. in Papiensi : *lib. 2. decr. Paul. fol. 6.*

Confraternitatis domus gaudet immunitate Ecclesiastica, etiam quoad confugientes. Die 23. Iulij 1652. in Ciuitatis Castelli : *lib. 4. decr. Paul. fol. 189. à tergo.*

Confraternitatis domus per Sacristam locata laïcis non gaudet immunitate. Die 4. Decembris 1628. in Reatina : *lib. 1. decr. Paul. fol. 115. à tergo.*

Episcopus debet cogere Administratores Confraternitatum sibi appropriantes redditus pro reddenda ratione. Die 18. Iunij 1652. in Guardiensi : *lib. 4. decr. Paul. fol. 186. à tergo.*

Custodes animalium confraternitatum eximuntur à gabella panis. Die 24. Ianuarij 1651. in Potentina : *lib. 4. decr. Paul. fol. 135. à tergo.*

*Confugiati ad Ecclesiam.*

Confugiati ad Ecclesiam, etiamsi ligati catenis, & ferris confugerint, gaudent immunitate. Die 6. Maij 1653. in Beneuentana : *lib. 5. decr. Paul. fol. 12. à tergo.*

Qui cum armis prohibitis ad Ecclesiam se recipiunt, gaudent immunitate. Die 30. Septembris 1616. in Salernitana, *in regesto.*

Confugiens ad Ecclesiam pro debito ciuili gaudet immunitate. Die 21. Iulij 1627. in Cotronensi, *in regesto.*

Confugiens ad Ecclesiam, dum ducitur ad supplicium, gaudet immunitate. Die 19. Maij 1627. in Vallisoletana : *lib. 1. decr. Paul. fol. 49.*

Confugitus exiens cum saluoconducto, & carceratus à Curia laïcali, est restituendus. Die 3. Maij 1628. in Ariminensi : *lib. 1. decr. Paul. fol. 97.*

Ecclesiastici confugientes ad loca immunia gaudent immunitate, provt gaudent laïci. Die 19. Iunij 1635. in Tranensi : *lib. 2. decr. Paul. fol. 228.*

Innixus stipiti portæ Ecclesiæ gaudet immunitate. Die 28. Maij 1628. in Amerina : *lib. 1. decr. Paul. fol. 1.*

Adhærens muro Ecclesiæ gaudet immunitate. Die 18. Februarij 1632. in Amerina : *lib. 2. decr. Paul. fol. 95.* Camerinensis, die 13. Iulij 1638. *lib. 3. decr. Paul. fol. 65. à tergo.*

Euadens è manibus birruariorum, & vt dicitur, *si attacco à alla porta della Chiesa*, gaudet immunitate. In manipulo scripturarum huius mensis, die 13. Iulij 1657. in Firmana.

Qui in actu carcerationis, vt vulgò dicitur, *stana attaccato alla porta della Chiesa con vn piede, & vna mano*, gaudet immunitate. Die 4. Septembris 1640. in Brundusina : *lib. 3. decr. Paul. fol. 128.*

Tenens annulum portæ Ecclesiæ gaudet immunitate. Die 7. Septembris 1638. in Caputaquensi : *lib. 3. decr. Paul. fol. 71.*

Captus à birruariis in porta Conuentus gaudet immunitate. Die 18. Februarij 1653. in Rossanensi : *lib. 5. decr. Paul. fol. 10.*

Captus in platea Cathedralis Ecclesiæ gaudet immunitate. Die 17. Iulij 1663. in Narniensi : *lib. decr. Roccij, fol. 494.*

Confugiens ad Ecclesiam ligatus cum birruario, non gaudet. Die 6. Nouembris 1634. in Florentina : *lib. 2. decr. Paul. fol. 205. à tergo.* Alatrina, die 2. Martij 1660. *lib. decr. Roccij, fol. 236.*

Carceratus sequens, & manutenens fimbriam vestis Sacerdotis redeuntis ad Ecclesiam cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento gaudet immunitate. Die 28. Maij 1626. in Melitensi : *lib. 1. decr. Paul. fol. 2.*

Associans processionem Sanctissimi Sacramenti gaudet immunitate. Die 30. Septembris 1636. in Beneuentana : *lib. 3. decr. Paul. fol. 14.*

Condemnatus ad supplicium mortis, *ruppe la carcere, è non li ferri à piedi, fuggì in Chiesa*, gaudet immunitate. Die 25. Nouembris 1636. in Beneuentana. In manipulo scripturarum huius mensis.

Delinquens ereptus è manibus birruariorum dum ducebatur ad carceres, statimque confugiens ad Ecclesiam, gaudet immunitate. Die 11. Februarij 1648. in Romana : *lib. 4. decr. Paul. fol. 42.*

Furans in Ecclesia, quamvis gaudeat, punitur pœna exilij. Die 15. Ianuarij 1647. in Ianuensi: *lib.4. decr. Paul. fol. 2.*

Delinquens in Ecclesia non gaudet. Die 11. Augusti 1626. in Veliterna: *lib. 1. decr. Paul. fol. 12. à tergo.* Amerina, die 7. Maij 1630. *lib. 2. decr. Paul. fol.38. à tergo.*

Confugiati non possunt retineri in Ecclesia in compedibus, aut ligati. Die 11. Iunij 1627. in Cusentina: *lib.1. decr. Paul. fol.50. à tergo.*

Condemnatus ad triremes aufugiens è carcere ad Ecclesiam, gaudet immunitate. Die 22. Iunij 1660.in Anglonensi: *lib.decr.Rocciy, fol. 260.à tergo.*

Ad gaudendum immunitate sufficit confugito probatio arbitrio Episcopi. Die 16. Iulij 1626. in Siracusana: *lib.1.decr.Paul.fol.8. à tergo.*

*Consanguinei Ecclesiasticorum.*

Molestantes consanguineos Ecclesiasticorum ob eorumdem causam, excommunicantur. Die 4. Iulij 1663.in Neapolitana: *lib.2.decr. Paul. fol. 162.à tergo.*

Iniungitur Nuntio Neapolitano, ne permittat Ecclesiasticorum parentes molestari. Die 8. Aprilis 1636.in Isernienſi: *lib.3. decr.Paul. fol. 1. à tergo.* Lucerina, die 27. *Martij* 1635. *lib.2.decr.Paul. fol.221.*

Varij casus, in quibus conceditur facultas Ecclesiasticis, & regularibus contribuendi pro necessitatibus publicis, provt in Clypeo Immunitatis Ecclesiasticæ, qui asseruatur apud D. Secretarium.

*Contumacia.*

In contumacia potest ab vtroque foro procedi. Die 10. Iulij 1540.in Cesenatensi: *lib.3. decr. Paul. fol.122. à tergo.* Aprutina, die 8. Aprilis 1642. *lib.3. decr. Paul. fol. 172.* Mantuana, die 10. Septembris 1629. *lib.2. decr. Paul. fol. 5. à tergo.* Ianuensis, die 9. Octobris 1629.*ibid.fol.8.*

*Curia Ecclesiastica.*

Officiales Curiæ Ecclesiasticæ gaudent priuilegio fori, etiam pro delictis non concernentibus officium. Die 6. Maij 1631.in Liparensi: *lib.decr. Paul.fol. 77.*

Durante seruitio non debent exercere munia communitatis. Die 6.Maij 1631.in Terracinensi: *lib.decr. Paul. fol.78.* Turritanensis, die 18. Maij 1603.*in regesto.*

Proceditur ad censuras contra insultantes Curiam Ecclesiasticam. Die 13. Octobris 1637. in Caputaquensi: *lib.3. decr. Paul.fol. 44. à tergo.*

Index Ecclesiasticus, exceptis casibus Bullæ Gregorianæ, non potest extrahere reum à loco immuni, & consignare laïco. Die 19.Maij 1627.in Vallisoletana: *lib.1. decr.Paul.fol.49.*

Cognitio causæ homicidij coloni partiarij mensæ Episcopalis spectat ad Curiam Ecclesiasticam. Die 28.Nouembris 1634.in Montis Alti: *lib.2.decr.Paul.fol.210.*

Balliuus Gubernatoris tenetur inseruire Curiæ Episcopali. Die 23. Iunij 1648.in Narniensi: *lib.4. decr. Paul. fol.53.à tergo.*

Clerici carcerati à Curia laïcali restituendi sunt Curiæ Ecclesiasticæ. Die 3. Octobris 1634. in Isolana: *lib.2. decr. Paul.fol. 204.*

Indebitè extracti à loco immuni à Curia laïcali, & carcerati, restituendi sunt Curiæ Ecclesiasticæ. Die 21. Maij 1634. in Ianuensi: *lib. 2. decr. Paul. fol.186. à tergo.*

*Curia laïcalis.*

Iudex secularis non potest se ingerere in causis clericorum. Die 10. Septembris 1629.in Papiensi: *lib.2.decr. Paul. fol.6.*

Clerus potest conuenire debitorem laïcum in foro laïcali cum facultate Episcopi. Die 5.Maij 1637.in Aquilana.

Clericus non potest sine licentia Episcopi testimonium ferre coram iudice laïco. Die 5. Maij 1637. in Aquilana: *lib.3.decr.Paul.fol.30.à tergo.*

Iudex secularis non potest prohibere executoribus Curiæ laïcalis quominus exequantur mandata Curiæ Ecclesiasticæ. Die 2. Septembris 1664. in Maceratensi: *lib. decr.Rocciy, fol. 578.*

Clerici non debent pro ciuili iurare in foro laïcali, sed Ecclesiastico. Die 14. Aprilis 1615. in Romana.

Clerici non debent deponere in causa ciuili absque licentia. Die 4. Septembris 1640. in Romana: *lib. 3. decr. Paul. fol.129. à tergo.*

Proceditur contra binos Curatos, qui recursum habuerunt ad iudices laïcos. Die 14.Septembris 1626.in Lunensi: *lib.1. decr. Paul.fol.15.*

Fratres conuentuales non potuerunt comparere coram iudice laïco. Die 10. Aprilis 1628. in Castrensi: *lib. decr. Paul.fol. 88.*

Acriter reprehenditur Episcopus Lancianensis, eò quia permisit clericum comparere coram iudice laïco. Die 16. Aprilis 1630. in Lancianensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 37.*

Reprehenditur Prior Barensis, eò quia ausus fuit comparere coram iudicibus laïcis. Die 19. Nouembris 1630. in Barensi: *lib.2. decr.Paul. fol.63. à tergo.*

Scriptor Apostolicus non potest conueniri in foro laïcali. Die 21. Ianuarij 1631.in Nouariensi: *lib.2. decr. Paul.fol. 37. à tergo.*

Monialium factores non debent conueniri in pertinentibus ad Monasteria, nisi coram Iudice Conseruatore. Die 21. Ianuarij 1631. in Portugallensi: *lib. 2.decr. Paul.fol.73. à tergo.*

Nonnulli Fratres Dominicani puniuntur eo quia adierunt Tribunalia laïcalia. Die 25.Aprilis 1634.in Nuscana: *lib.2. decr. Paul. fol.189.*

*Cursor.*

Cursor Curiæ Episcopalis, si actu inseruit, gaudet priuilegio fori. Die 27.Ianuarij 1643.in Catacensi: *lib.3. decr. Paul. fol.194. à tergo.*

*Custodia refugiatorum.*

Declarantur excommunicati ex causa custodiæ Baroncelli in Ecclesia custodientes. Die 4. Decembris 1629. in Amerina: *decr. Paul.fol.15.à tergo.*

Non est permittenda custodia confugientium ad Ecclesiam. Die 22. Iunij 1627.in Neapolitana: *lib.1.decr. Paul. fol.54.* Acriter reprehenditur Archiepiscopus Cusentinus super custodia refugiatorum. Die 21. Iunij 1627.in Cusentina: *lib.1. decr. Paul.fol.50.*

Custodia etiamsi remota ab Ecclesia, est amouenda. Die 14. Februarij 1634. in Isclana: *lib.2. decr. Paul. fol.184. à tergo.*

Custodia refugiatorum ad Ecclesiam non est de iure permissa. Die 6. Maij 1631. in Verulana: *lib.2. decr. Paul. fol. 78. à tergo.*

D

## *Damna data.*

DAmna dantes in bona Ecclesiasticorum, non debent molestari per iudicem laïcum. Die 19. Aprilis 1627. in Anconitana : *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 44.

Decretum super causis damnorum datorum, quod solet transmitti à sacra Congregatione. Die 6. Decembris 1627. in Terracinensi : *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 71.

Custodes animalium clericorum non debent diuexari à iudice laïco ob causam damnorum datorum. Die 11. Augusti 1618. In Romana, in Clypeo Immunitatis Ecclesiasticæ, *num.* 3.

Quoad pœnam damnorum datorum seruetur decisio Tudertina coram bon. mem. Card. Lancellotto, sub die 9. Nouembris 1602. in Assisiensi, die 10. Septembris 1629. *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 4. est post Ghilland. *ad stat. Perusiæ, decis.* 73. 74.

Quando damna dantur casualiter, potest tantùm exigi æstimatio noxæ. Die 4. Decembris 1629. in Anagnina: *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 15. *à tergo.*

Cognitio damni dati à subditis Ecclesiasticorum spectat ad Curiam Ecclesiasticam. Die 29. Ianuarij 1636. in Tudertina: *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 242. *à tergo.* Castrensis, die 12. Nouembris 1652. *lib.* 5. *decr. Paul. fol.* 1.

Damna data non possunt exigi à Colonis Ecclesiasticorum per iudices laïcos. Die 9. Octobris 1629. in Firmana : *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 8.

Animalia Ecclesiasticorum non comprehenduntur in gabella imposita super pascua communitatis. Die 31. Ianuarij 1628. in Laquedonensi : *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 82.

Nec in statutis laïcorum prohibentibus moram, vel ingressum quibuscumque animalibus in territorio communitatis. Die 9. Decembris 1602. in Brundusina : in Clypeo Immunitatis, *num.* 11. S. C. de Bono Regimine, 1. Februarij 1661. in Narniensi : *fol.* 107. ibi : *Il figliolo del Mandatario del Vescono di Narni, è tenuto non solo all'emenda del danno dato, mà anco alla pena, che spetta in virtu della Bolla di Sisto V.*

Episcopus potest deputare custodes pro damnis datis in bonis Ecclesiasticis, & personarum Ecclesiasticarum. Rota in Tudertina damnorum datorum, 24. Maij 1602. coram Card. Lancellotto, impressa post Ghilland. *decis.* 74. & *decis.* 75. 9. *Decembris.*

Et fiscus Episcopi consequitur pœnas damnorum datorum in bonis Ecclesiasticis, & debent applicari locis piis, cum pœna sit soluenda ei, qui condemnat.

Et Episcopus habet de iure, vel saltem de consuetudine Fiscum. Rot. *dict. decis.* 75. *&c.* Custodes animalium Ecclesiæ, seu Ecclesiæ coloni, non tenentur, nisi ad damna data, eorumque æstimationem, non autem ad pœnam, quando damna data sunt casualiter. S. C. 1611. ex Typographia R. C. Apostolicæ, impressa Romæ, videlicet : *Sac. Congr. &c. alias censuit pœnas pro damnis datis exigi non posse à colonis, seu custodibus animalium Ecclesiasticorum, sed tantùm æstimationem noxæ, quando damna dantur casualiter, & non studiosè, culpâ eorumdem colonorum, seu custodum, &c. I. B. Card. Pamphilius, locus † sigilli. Franciscus Paulutius S. C. secret. Romæ ex Typographia R. C. A.* 1611. Nunquam contra Ecclesiasticos procedet iudex secularis. Borellus *cons. In prima contumacia, num.* 49.

Æstimari debet damnum à peritis electis de communi consensu partium. S. Congr. Episc. in Ferentina, 27. Maij 1603.

Ecclesiastici quoque tenentur ad emendationem, & satisfactionem damni, non autem ad pœnam statuti laïcalis. S. Congr. Episc. in Ferentina, 5. Decembris. 1595. & in Barensi, 21. Octobris 1616.

Dum à colonis Ecclesiasticis datur damnum in bonis laïcorum cum animalibus ipsorum Ecclesiasticorum, causa spectat ad forum Ecclesiasticum priuatiuè. S. Congreg. Episc. in Firmana, 18. Martij 1625.

## *Decimæ.*

Qui tenentur ad decimas non sunt absoluendi, nisi factâ priùs integra solutione. Die 2. Maij 1639. in Arianensi : *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 133. Beneuentana, die 29. Maij 1629. *ibid. fol.* 138.

Archiepiscopus Beneuentanus tueatur iura Ecclesiasticorum, quoad decimas soluendas. Die 8. Aprilis 1631. in Beneuentana : *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 101.

Causæ decimarum, quæ sine dubio sunt spirituales, cognosci debent in foro Ecclesiastico. S. Congr. Episc. in Larinensi, 28. Ianuarij 1606. & in Rossanensi, 26. Septembris 1614. & in Cosentina, 20. Martij 1615.

*Decoctores*, vide *Falliti.*

## *Delinquens.*

Delinquentes extracti à loco immuni aliquando conceduntur liberè Curiæ laïcali. Die 25. Septembris 1637. in Bononiensi : *lib.* 3. *decret. Paul. fol.* 42. Mutinensis, die 11. Iunij 1627. *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 51. Cremonensis, die 29. Decembris 1625. *in regesto script. veter. fol.* 77. *à tergo.* Auersana, die 25. Septembris 1627. *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 65. Ferrariensis, *die* 25. *Iulij* 1632. *lib.* 2. *fol.* 133.

Aliquando conceduntur ex gratia Curiæ laïcali, die 2. Iulij 1624. in Papiensi, *in regesto script. veter. fol.* 27. Mediolanensis, die 2. Iunij 1624. *ibid. fol.* 27. *à tergo.* Laudensis, die 29. Septembris 1624. *in regesto script. veter. fol.* 36. Mediolanensis, die 161. Decembris 1623. *ibid. fol.* 70.

Aliquando conceduntur citra pœnam sanguinis. Die 19. Nouembris 1625. in Ianuensi, *in regesto script. veter. fol.* 73. Romana, die 22. Ianuarij 1627. *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 1. *à tergo.* Sutrina, die 9. Martij 1627. *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 41. Imolensis, die 22. Decembris 1631. *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 108. *à tergo.*

Aliquando ratione publici boni eiiciuntur ab Ecclesia. Die 9. Nouembris 1626. in Nepiesina : *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 23. *à tergo.*

In delicto læsæ Majestatis Diuinæ quomodò procedendum. Die 6. Aprilis 1629. in Siracusana : *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 132. *à tergo.*

In delicto læsæ Majestatis quomodo procedeudum. Die 25. Maij 1638. in Bruxellensi : *lib.* 3. *decr. Paul. fol.* 61. *à tergo.*

In degradatione quomodò procedendum. Die 18. Iulij 1629. in Neapolitana : *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 146. Isolana, die 22. Iunij 1627. *ibidem fol.* 53.

Breue Clementis VIII. in quo iniungitur Archiepiscopo Panormitano tradere liberè tres homicidas Curiæ laïcali. Die 6. Februarij 1597. in Panormitana, in Clypeo Immunitatis Eccl. *verb. Delinquens, num.* 7.

Licet multiplicitas delictorum aggrauet delinquentem, non tamen addit eam qualitatem, quæ requiritur, vt Curia Ecclesiastica possit tradere reum seculari. S. Congr. Episc. in Montis Alcini, 11. Maij 1640.

Delinquentes, qui ab Ecclesiis, aliisque locis immunibus extrahuntur, dum articulus, an immunitate Ecclesia-

ſtica gaudere debeant, diſcutitur per Eccleſiaſticos Miniſtros, ſub cuſtodia, iuxta Bullam ſanctæ mem. Gregorij XIV. retineri debent. S. Congr. Epiſcop. in Neapolitana, 30. Septembris 1616.

*Declaratio.*

Declaratio caſuum non eſt danda in abſtracto, ſed in concreto; ideò exprimendi ſunt caſus particulares. Die 27. Septembris 1632. in Romana: *lib. 2. decr. Paul. fol. 140.*

*Debitor.*

Non debet impediri iuriſdictio Iudicis Eccleſiaſtici ſuper rebus debitorum repoſitis in loco immuni, cùm immunitas deſeruire non debeat ad fraudandos creditores. S. Congr. Epiſc. in Barenſi, 2. Aprilis 1621. & in Interamnenſi, 26. Nouembris eiuſdem anni.

Debitores fraudulenti ad Eccleſiam cum bonis confugientes non debent ibi multo tempore tolerari, ſed ab Eccleſia ſunt eiiciendi. S. Congr. Epiſc. in Barenſi, 12. Martij 1600.

Debitores res, & bona in creditorum præiudicium ad Eccleſias tranſportare non debent, ſed Iudici ſeculari conſignanda ſunt, vt illas, & illa cui de iure adiudicet. S. Congr. Epiſc. 1. Decembris 1617.

*Defenſio.*

Qui petit ad defenſionem admitti, debet antea ſe conſtituere carceratum. S. Congr. Epiſc. in Aquinenſi, 6. Martij 1618.

Quando delicti qualitas talis eſt, vt intrare poſſit pœna corporalis, vel depoſitionis. S. Congr. Epiſc. in Aquilana, 23. Martij 1612.

Non debent admitti defenſionum articuli, ſi ſint irreleuantes, vel contra propriam confeſſionem rei. S. Congreg. Epiſc. in Florentina, 10. Octobris 1620.

In delictis grauibus, atrocibus, benè probatis Princeps ſupremus concedere ſolet facultatem procedendi, denegatis defenſionibus. S. Congr. Epiſc. in Nullius Altamuræ, 17. Febr. 1645.

Ad defenſiones eſt permittenda etiam repetitio complicis, ſi non conſtat de præcedenti ſubornatione, vel alio releuanti in contrarium. S. Congr. Epiſc. in Viterbienſi, 26. Febr. 1649.

*Depoſitarius.*

Depoſitarius pignorum Curiæ Epiſcopalis gaudet priuilegio fori. Die 5. Maij 1637. in Spoletana: *lib. 3. decr. Paul. fol. 49. à tergo.* Recanatenſis, die 5. Maij 1637. *Ibidem.* Senogallienſis, die 10. Septembris 1647. *lib. 4. decr. Paul. fol. 78.* Spoletana *ibidem.*

Depoſitarius pro liuellis exigendis Curiæ Archiepiſcopalis gaudet priuilegio fori. Die 10. Iunij 1636. in Ceſenatenſi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 6.*

*Domus.*

Domus Parochialis gaudet immunitate Eccleſiaſtica. Die 18. Februarij 1631. in Mutinenſi: *lib. 2. decret. Paul. fol. 96.*

Gaudet immunitate etiam reſpectu bonorum ibidem exiſtentium. Die 19. Auguſti 1630. in Nullius Caſtriduranti: *lib. 2. decr. Paul. fol. 54. à tergo.*

Gaudet immunitate etiam pro ciuili. Die 3. Maij 1661. in Ariminenſi: *lib. decr. Roccij, fol. 331. à tergo.*

Gaudet immunitate, etiamſi diſtet ab Eccleſia, & non ſit locata laïcis. Die 18. Nouembris 1653. in Ceſenatenſi: *lib. 5. decr. Paul. fol. 24. à tergo.*

Delinquens in domo Parochiali gaudet immunitate. Die 4. Martij 1626. in Nepeſina: *in regeſto ſcripturarum veterum, fol. 93. à tergo.*

Domus in quibus habitant Clerici, gaudent exemptione in totum ab oneribus. Die 5. Maij 1637. in Nullius Affini: *lib. 3. decr. Paul. fol. 32. à tergo,*

Domus Eccleſiæ contigua gaudet immunitate Eccleſiaſtica. Die 17. Nouembris 1654. in Oppidenſi: *lib. 5. decr. Paul. fol. 57. à tergo.*

Domus contigua Eccleſiæ Confraternitatis gaudet immunitate. Die 23. Iulij 1652. in Ciuitatis Caſtelli: *lib. 4. decr. Paul. fol. 189. à tergo.*

Domus laïcalis, quæ habet portam tendentem ad Eccleſiam, eſt claudenda. Die 7. Maij 1658. in Vrbeuetana: *lib. decr. Roccij, fol. 89. à tergo.* Reatina, die 4. Decembris 1628. *lib. 1. decr. Paul. fol. 115. à tergo.*

*Donatio, & Donatiuum.*

Donatio bonorum pro erigendo Monaſterio Monialium eſt immunis ab omni onere laïcali. Die 15. Ianuarij 1641. in Tropienſi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 138.*

Donationes fraudulentæ non ſunt permittendæ. Vide verbum *Clericus, à num. 5. vſque ad num. 9.*

*Donatiuum Regium.*

Talia donatiua ſolui non ſolent ab Eccleſiaſticis, niſi pro beneficiis, quæ ſunt iuriſpatronatus Regij; & neque pro iſtis, ſi eorum Prælati, ſeu Rectores ea in Parlamento ſpontè non obtulerunt, quia ſolùm pro huiuſmodi concedi ſolet indultum Apoſtolicum. Quare ſi œconomus Regius moleſtat eos, qui ea non promiſerunt, incidit in cenſuras. S. Congr. Epiſc. in Panormitana, 2. Decembris 1589. & in Agrigentina, 22. Ianuarij 1596. & in Meſſinenſi, 22. Ianuarij 1601. & in Panormitana, 23. Aprilis 1602.

Vnde Clerus Mazaræ, qui talia donatiua nunquam obtulit, non poteſt ad ea compelli. S. Congr. Epiſc. 14. Ianuarij 1586.

Clerus quoque Panormitanus eſt ab illis exemptus, etiam ratione beneficiorum alibi exiſtentium, maximè beneficiis Panormitanis vnitorum; quia gratiam exemptionis obtinuit ab ipſo Rege anno Domini 1561. S. Congr. Epiſc. 12. Nouembr. 1585.

Regulares præcipuè non tenentur contribuere iſtis donatiuis, ſi ea ſpecialiter, & expreſsè non promiſerunt. S. Congr. Epiſc. 23. Aprilis 1603. & 25. Iunij eiuſdem anni.

*Dos.*

Dos beneficij erecti eſt exempta ab oneribus. Die 20. Ianuarij 1637. in Firmana: *lib. 3. decr. Paul. fol. 22. à tergo.*

Dos beneficij ſimplicis gaudet exemptione ab oneribus, & collectis. Die 10. Iunij 1653. in Alexandrina: *lib. 5. decr. Paul. fol. 15. à tergo.*

Dos Monialis eſt ſoluenda in pecunia ad effectum actualis depoſiti. Die 20. Septembris 1650. in Taurinenſi: *lib. 4. decr. Paul. fol. 122. à tergo.*

Superiores Regulares circa depoſitionem, ſolutionem, & implicationem dotis nihil diſponere poſſunt ſine licentia Ordinarij, ſub pœna priuationis vocum, & officiorum, ex Gregorio XV. conſtitutione 18. *Inſcrutabili*, & S. Congregatione Epiſcop. in Taurinenſi, 15. Nouembris 1652.

Anathema S. Concilij Trid. *ſeſſ. 25. cap. 16.* contra ſoluentem

uentem, vel recipientem dotes anticipatas, non incurritur ipso facto. S. Congr. Episc. 2. Martij 1592.

---

## E

### *Edictum.*

Ecclesiastici quoad pascua non sunt subiecti edictis Communitatis. Die 13. Iulij 1637. in Firmana: *lib. 3. decr. Paul. fol. 37.*

Ecclesiastici non comprehenduntur sub edicto super prohibitione pascendi. Die 13. Augusti 1629. in Sutrina, *lib. 2. decr. Paul. fol. 2. à tergo.*

Clerus non tenetur ad obseruationem edicti publici Gubernatoris Ciuitatis; sed Ordinarius debet facere simile edictum. Die 12. Decembris 1652. in Tarentina: *lib. 4. decr. Paul. fol. 171.*

Vineæ emphyteuticæ Ecclesiæ non comprehenduntur sub edictis laicalibus. Die 23. Augusti 1632. in Montis Falisci: *lib. 2. decr. Paul. fol. 136.*

Officiales Communitatis possunt cogi ad declarandum, quod sub edicto eorumdem non comprehenduntur Clerici. Die 23. Februarij 1638. in Alasina: *lib. 3. decr. Paul. fol. 53. à tergo.*

Bandimenta laicalia super venditione vini non comprehendunt Ecclesiasticos. Die 30. Iunij 1632. in Lycien si: *lib. 2. decr. Paul. fol. 130.*

Clerus secularis, & regularis non potest ligari bandimentis Magistratus Ciuitatis. Die 14. Decembris 1655. in Foroliuien si: *lib. 5. decr. Paul. fol. 81. à tergo.*

Vinum, quod laici emunt à Clericis, non comprehenditur sub impositione Communitatis. Die 7. Augusti 1640. in Monopolitana: *lib. 3. decr. Paul. fol. 126.*

Ordines facti à Iudicibus laicis non comprehendunt Clericos. Die 10. Septembris 1629. in Papien si: *lib. 2. decr. Paul. fol. 6.*

Vigore statuti laicalis non potest exigi gabella ab Ecclesiasticis. Die 25. Septembris 1627. in Tudertina: *lib. 1. decr. Paul. fol. 68.*

Ecclesiastici non comprehenduntur in statuto Communitatis super gabella olei. Die 20. Aprilis 1649. in Assien si: *lib. 4. decr. Paul. fol. 75.*

Pragmatica Neapolitana non potest comprehendere Ecclesiasticos. Die 20. Februarij 1652. in Neapolitana: *lib. 4. decr. Paul. fol. 175.*

Nonnullæ declarationes nullitatis edictorum, quæ contrariantur libertati, & immunitati Ecclesiasticæ.

Edictum Senatus, die 11. Ianuarij 1633. in Mediolanen si: *lib. 2. decr. Paul. fol. 147.*

Edictum Ducis Ferrariæ, die 27. Aprilis 1633. in Mediolanen si: *lib. 2. decr. Paul. fol. 155.*

Edictum Regium, die 5. Iulij 1633. in Neocastren si: *lib. 3. decr. Paul. fol. 163.*

Edictum Proregis Neapolitani, die 26. Iulij 1633. in Cotronen si: *lib. 2. decr. Paul. fol. 164. à tergo.*

Edictum Eminentissimi Legati, die 9. Nouembris 1633. in Ferrarien si: *lib. 2. decr. Paul. fol. 175.*

Edictum inhabilitationis Ciuium Lucensium ad habitum Religionis Heirosolymitanæ, die 20. Decembris 1634. in Lucana: *lib. 2. decr. Paul. fol. 213. à tergo.*

Cum inscriptione simili edictis Episcoporum fieri non debet ab inferioribus Prælatis, v. g. *Franciscus Dei gratiâ Præpositus, &c.* S. Congr. Episcop. in Placentina, 16. Septembris 1622.

### *Eiectio.*

Literæ pro eiectione delinquentium à loco immuni dari possunt tantummodò à sacra Congregatione Immunitatis Ecclesiasticæ. Die 11. Iunij 1627. in Hydruntina: *lib. 1. decr. Paul. fol. 50. à tergo.*

Banniti, & alij facinorosi homines, qui licèt extra casus exceptos non debeant Curiæ seculari consignari, non tamen possunt in Ecclesiis, tam secularium, quàm Regularium vltra triduum permanere, sed per Ecclesiæ ministros, si id commodè fieri potest, etiam inuocato brachio seculari, debent expelli. S. Congr. Immunit. 1627.

Debitoris fraudulenti res, & bona in creditorum præiudicium ad Ecclesias transportantes multo tempore non debent ibi tolerari. Immò res, & bona prædicta statim per Iudicem Ecclesiasticum seculari consignanda sunt, vt illas, & illa adiudicet cui de iure. S. Congr. Episc. 22. Febr. 1600. & 22. Decembris 1611.

Similiter debent expelli, qui committunt in Ecclesia scandala, & indignitates. S. Congr. Episc. in Lucen si, 15. Maij 1610.

In eiectione Regularium obseruandum est decretum S. Congregationis Concilij, editum de apostatis, & fugitiuis, & eiectis, quod habetur in Bullario *constit. 26. Vrbani VIII.* §. 11. authoritate eiusdem Summi Pontificis emanatum.

### *Ecclesia.*

In Ecclesia examinari non possunt rei, etiamsi iuramentum extra Ecclesiam, & locum immunem antea præstetur. S. Congr. Immunitatis, 7. Decembris 1632.

Ecclesiæ capanna, ab ea tamen distans, sed intra triginta passus, quæ solummodò inseruit pro seruitio Ecclesiæ, gaudet Immunitate Ecclesiastica. S. Congr. Immunitatis 1632.

Ecclesiæ molendina non comprehenduntur sub prohibitione facta à laicis, ne asportetur frumentum ad molendinum. S. Congregatio Immunit. 7. Decemb. 1632.

Ecclesiæ, quæ fidelium eleemosynis ædificantur, non sunt immediatè sub protectione Regia, vnde fabricæ Administratores tenentur reddere rationem Ordinario. S. Congr. Episc. 21. Nouembris 1614.

Nam protectio Regia super Ecclesiis non habet locum, nisi quando authoritate Apostolica reseruata fuit in limine fundationis. Eadem S. Congr. 13. Martij 1615.

### *Emphyteusis.* Vide *Bona.*

### *Emptio.*

Episcopus præfertur omnibus in emptione, demptis tamen piscibus ad proprium vsum eorum, quorum nomine principaliter fit piscatio, dominorúmque nauis, & retium. S. Congregat. Episcopor. in Nicoteren si, 1. Aprilis 1596.

In emptione, & vendirione rerum Ecclesiæ, ac in Licentiis alienandi ad effectum reinuestiendi, semper apponere solent clausulam, quod id fiat vnico contextu. S. Congregatio Concilij, & S. Congregatio Episcoporum.

Pro emptione ad ampliandam, vel assecurandam clausuram Monialium cogitur quis vendere bona contigua, vel etiam ædificare. S. Congr. Episcoporum, 21. Iulij 1586. & 21. Nouembris 1600.

### *Episcopus.*

Episcopus potest tenere familiam armatam. Die 13. Ianu. 1628. in Agrigentina: *lib. 1. decr. Paul. fol. 77.* Minerbinensis, die 1. Septemb. 1637. *lib. 3. decr. Paul fol. 50.*

Clerici

Clerici Saluatici de familia armata Episcopi possunt deferre arma. Die 22. Iulij 1630. in Tropiensi : *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 51. *à tergo.*

Episcopo permittenda est ordinatio quatuor Clericorum pro familia armata. Die 19. Nouembr. 1630. in Sorana : *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 66.

Bona Episcopi non possunt grauari hospitatione Militum. Die 12. Ianuar. 1649. in Regiensi : *lib.* 4. *decr. Paul. fol.* 70.

Episcopus gaudet immunitate à gabella piscium. Die 16. Ianuarij 1652. in Pisauriensi : *lib.* 4. *decr. Paul. fol.* 172. *à tergo.*

Non tenetur ad gabellam [illegible]cinæ, etiam pro frumento in eleemosynas conuertendo. Die 20. Septembris 1650. in Monopolitana : *ibid. fol.* 51. *à tergo.*

Gaudet franchisia fructuum propriorum bonorum. Die 20. Februarij 1629. in Agrigentina : *lib.* 1. *decret. Paul. fol.* 124.

Episcopus eximitur à gabellis pro bonis patrimonialibus, eorumque fructibus. Die 3. Octobris 1634. in Pisaurien si : *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 203.

Episcopus non tenetur contribuere pro reparatione aggerum. Die 7. Nouemb. 1651. in Fulginatensi : *lib.* 4. *decr. Paul. fol.* 126. *à tergo.*

Episcopus potest retinere cymbam piscatoriam. Die 6. Maij 1653. in Pisaurien si : *lib.* 5. *decr. Paul. fol.* 14.

Episcopus quomodo possit declarare reum inquisitum de delicto in Bulla Gregoriana excepto. Die 20. Iunij 1651. in Theatina, *lib.* 4. *decr. Paul. fol.* 151.

Episcopus non potest allegari suspectus. Die 20. Martij 1630. in Hostunensi : *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 33.

Episcopi potestas circa cognitionem causarum. Die 16. Decembris 1626. in Signina : *lib.* 1. *decret. Paul. fol.* 30.

Episcopus potest procedere contra laïcos inquisitos, etiam aliis pœnis censurarum. Die 23. Iulij 1632. in Oppidensi : *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 132.

Potest procedere contra Regulares ex delegatione particulari super iectione. Die 25. Aprilis 1634. in Hostunensi : *ibidem fol.* 189. *à tergo.*

Episcopus potest cognoscere causas pupillorum, ac viduarum. Die 26. Februarij 1636. in Montis Falisci : *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 244. Æsina, die 31. Maij 1639. *lib.* 3. *decr. Paul. fol.* 92. Maceratensis, die 18. Nouembris 1653. *lib.* 5. *decr. Paul. fol.* 25. *à tergo.*

In controuersia super bonis Ecclesiasticis cognitio causarum spectat ad Episcopum. Die 2. Maij 1629. in Verulana : *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 136.

Etiam super bonis emphyteuticis Ecclesiasticorum. Die 26. Iunij 1629. in Liparensi : *ibid. fol.* 143.

Episcopus potest cumulatiuè cognoscere causas laïcales, in quibus continentur iuramenta, & censuræ. Die 7. Decembris 1638. in Terracinensi : *lib.* 3. *decr. Paul. fol.* 182.

Episcopus debet exhibere licentias operam dandi diebus festiuis in scriptis. Die 2. Maij 1629. in Castrensi : *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 134.

Episcopus potest extrahi facere corpora exhumanda extra Ecclesiam ad effectum recognoscendi corporis delicti. Die 8. Augusti 1645. in Maceratensi : *lib.* 3. *decr. Paul. fol.* 259. quod vetitum est superioribus Regularium, *ibidem.*

In delicto laïci contra Clericum causa spectat ad Episcopum. Die 16. Ianuarij 1615. in Romana, *in regesto.*

Episcopus potest exequi facere in sua Diœcesi mandatum A. C. & per suos Ministros executiones facere. Die 7. Decembris 1638. in Regiensi : *lib.* 3. *decret. Paul. fol.* 82.

Episcopus in causa mixti fori potest facere exequutiones personales absque requisitione Iudicis secularis. Die 5. Iunij 1667. in Mediolanensi : *in regesto.*

Episcopus potest transmittere carceratos ad carceres publicos, & illos ibidem retinere. Die 7. Nouembris 1651. in Maceratensi : *lib.* 4. *decr. Paul. fol.* 163.

Committitur facultas Ordinario extrahendi frumenta debitorum à locis immunibus, ad effectum soluendi creditoribus. Die 3. Decembris 1652. in Vrbeuetana : *lib.* 3. *decr. Paul. fol.* 6.

Episcopus Terracinensis potest retinere in Terra Piperni duodecim Officiales, qui gaudent priuilegio fori. Die 17. Iunij 1631. in Terracinensi : *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 81. *à tergo.*

Episcopus contra violatores immunitatis Ecclesiasticæ debet procedere per viam censurarum, non capturæ. Die 14. Septembris 1626. in Verulana. *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 16.

In controuersia inter Episcopos deputatur alter. Die 11. Iunij 1627. in Hydruntina, *ibid. fol.* 51.

Episcopus debet procedere in contumacia contra committentes furtum in Ecclesia. Die 7. Iunij 1633. in Squillacensi : *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 160. *à tergo.*

Episcopus circa prætensos Monetarios Sacerdotes, qui fuerunt carcerati vnà cum aliis sæcularibus in Curia laïcali, quomodò procedere debeat. In Mantuana, in Clypeo Immunitatis Ecclesiasticæ, *num.* 21.

Episcopus debet obseruare Bullam Gregorianam cum omnibus eius requisitis. S. Congr. immunit. in Mes[illegible]sanensi, 21. Martij 1628.

Prælatis inferioribus delegari non debet facultas absoluendi excommunicatos ex causa violatæ immunitatis. S. Congreg. immunit. in Melitensi, 22. Augusti 1632.

In defectum Episcopi committitur cognitio immunitatis Episcopo vicinioti. S. Congr. immunit. in Anglonensi, 17. Ianuarij 1640. & in Rheginensi, 19. Nouembris 1641.

Episcopus gaudet exemptione à gabellis pro rebus transportatis. S. Congr. immunit. 6. Maij 1636. in Marsicana.

Episcopus non tenetur ad onera laïcalia de bonis patrimonialibus. S. Congr. immunit. in Vrbanien si, 20. Nouembr. 1657.

Episcopus potest transmittere suam Curiam per totam suam Diœcesim. S. Congr. Immunit. in Foroliuien si, 20. Aug. 1665. Etiam in locis suæ Diœcesis existentibus in dominio Principis sæcularis potest erigere Tribunal. S. Congr. Immunitatis, in Sauonensi, 26. Ianuarij 1644.

Episcopus, & Capitulum nequeunt statuere de non contribuendo ad expensas litis pro defensione Ecclesiasticæ immunitatis. S. Congr. Immunit. in Potentina, 17. Decembris 1658.

Episcopus cognoscat, an confugientes ad Ecclesiam gaudere debeant Immunitate. S. Congr. Immunit. in Nolana, 6. Octobris 1638.

Episcopus cognoscere potest causas legatorum piorum, etiamsi actor, & reus sint laïci. S. Congr. Immunit. in Pientina, 7. Septembris 1638.

Episcopus validè deuenit ad interdictum contra apponentes baldachinum in Ecclesia. S. Congr. Immunit. in Brundusina, 27. Iunij 1634.

Episcopus procedat ad Censuras contra apponentes sedem in Ecclesia, nisi prius præcedat declaratio S. Congregationis Rituum. S. Congr. Immunit. in Asculana, 18. Iunij 1652.

Episcopus non potest Clericos in minoribus cogere ad suscipiendos Ordines sacros sub pœna priuationis exemptionis. S. Congr. Immunit. in Hieracensi, 12. Augusti 1642.

Episcopus

Episcopus non potest cogere, neque ex se permittere, vt Ecclesiastici contribuant pro iactura mobilium, facta occasione contagij. S. Congr. Immunit. in Catiatensi, 7. Augusti 1657.

Episcopus non potest declarare priuatos Clericos priuilegio fori sine trinis monitionibus, seruatis seruandis. S. Congr. Immunit. in Melphitana, 7. Sept. 1666.

Episcopus non potest communicare processum Curiæ seculari, & recipere iudicia à Curia seculari absque incursu irregularitatis, nisi habita sit facultas à Sanctissimo. S. Congr. Immunit. in Fulginatensi, 5. Ianuarij 1631.

Episcopus non debet dare listam Ecclesiasticorum Numeratori Regio. S. Congr. Immunit. in Grauinensi, 11. Martij 1642.

Episcopus non potest permittere, quod Clericus incedens in habitu, & tonsura gerat vices Gubernatoris absentis. S. Congr. Immunit. in Ciuitatis Plebis, 15. Ianuarij 1650.

Episcopus non potest permittere obseruantiam ritus Curiæ Vicariæ, initam super prætensione Clericatus, exequi. S. Congreg. Immunitat. in Consentina, 6. Maij 1636. & in Catharensi, 15. Ianuarij 1647.

Episcopus non potest permittere quod domus Canonicales locentur laïcis. S. Congr. Immunit. in Lauretana, 16. Aprilis 1652.

Episcopus non potest absoluere excommunicatos ex causa violatæ Immunitatis. S. Congr. Immunit. in Cotronensi, 17. Iunij 1631.

Nec etiam cum reincidentia. S. Congr. Immunit. in Grauinensi, 30. Decembris. 1650.

Episcopus non potest subdelegare facultatem sibi delegatam sine expressa facultate concessa à Papa ad subdelegandum. S. Congr. Immunitat. in Barensi, 7. Augusti 1657.

Episcopus, qui excommunicatos ob violatam immunitatem Ecclesiasticam absoluit ex se, incidit in censuras, à quibus non absoluitur, nisi cum facultate Sanctissimi. S. Congregat. Immunitatis in Aprutina, 30. Maij 1632. & 6. Iunij 1662.

Episcopus tenetur certiorare malè absolutos ex defectu iurisdictionis. S. Congr. Immunit. in Aprutina, 30. Maij 1632.

Episcopus non potèst extrahere bona asportata in loco immuni. S. Congregat. Immun. in Neritonensi, 17. Ianuarij 1628.

Episcopus non potest in casibus non exceptis in Constitutione Gregoriana Iudici seculari consignare reos ad Ecclesiam confugientes absque incursu censurarum, & irregularitatis. S. Congr. Immunit. in Vallisoletana, 19. Maij 1627. & in Andriensi, 6. Febr. 1635.

Episcopus non potest facere magnum numerum Clericorum, sed obseruare debet Decretum S. Concilij Trid. *cap.* 21. & 23. *sess.* 23. S. Congr. Immunit. in Meliuitana, 2. Iulij 1630.

Episcopus non potest dare licentiam, vt bona Ecclesiastica, vel Ecclesiæ suæ, incorporentur per Iudices laïcos sine speciali licentia Papæ. S. Congr. Immunit. 10. Iunij 1636.

Episcopus non potest dare licentiam Iudici laïco exhumandi cadauera à locis immunibus, ad effectum ea recognoscendi. S. Congregat. Immunit. in Nullius, 2. Maij 1629. & in Ripana, 8. August. 1645.

Episcopus non potest dare licentiam examinandi testes Iudici laïco in loco immuni, & faciendi recognitionem in eo. S. Congr. Immunit. in Anagnina, 21. Ianuarij 1659.

Episcopus non potest permittere quod in fabricatione processus in causa immunitatis Ecclesiasticæ assistat Iudex laïcus Principis secularis, nisi cum dispensatione Pontificis. S. Congr. Immunit. in Taurinensi, 20. Iunij 1628.

Episcopus non potest stare processui Iudicis secularis in articulo Immunitatis. S. Congr. Immunit. in Algarensi, 10. Iunij 1636.

Episcopus non potest deputare ministros laïcos ad faciendum extractionem à loco immuni. S. Congr. Immunit. in Falcinensi, 15. Martij 1661.

Episcopus non potest procedere ad tuitionem suorum bonorum mensæ Episcopalis ad formam aliorum, nisi habita facultate à Sanctissimo. S. Congr. Immunit. in Mediolanatensi, 18. Febr. 1659.

Episcopus non potest præfigere confugienti ad locum immunem terminum ad discedendum, vel quia abutitur confugio, vel ob aliam iustam causam, nisi habeat literas erectionis à S. Congregatione. S. Congr. Immunit. in Caietana, 1. Decembris 1637.

Episcopus non potest procedere ad pœnas pecuniarias contra violatores Immunitatis. S. Congr. Immunit. in Assisiensi, 22. Ianuar. 1627. & in Carnensi, 17. Iunij 1631. & in Terracinensi, 17. Iunij eiusdem anni.

Episcopi promoti, vel translati ad aliquam Ecclesiam Regni Neapolitani, nullo modo subscribere debent capitulationem gratiarum generalium ad instantiam cuiuslibet Vniuersitatis, vel Cleri Ciuitatum, & Diœcesum suarum, nisi consideratione maturâ præhabitâ, & licentiâ obtentâ à S. Congregatione. S. Congr. Episcop. in Materana, 2. Martij 1594.

Episcopus non debet dare licentiam Curiæ seculari carcerandi Clericos incedentes de nocte. S. Congr. Episc. in Castellanensi, 13. Iulij 1602. nisi de speciali mandato, propter negantium, etiam Regularium multitudinem. S. Congr. Episc. in Rauennatensi, 12. Septembr. 1594. Maximè si inuenti fuerint in habitu seculari. Eadem S. Congr. 13. Septembris eiusdem anni.

Neque priuare Clericos priuilegio Clericali, ex eo, quod deferant arma prohibita. S. Congr. Episc. in Licien si, 18. Iunij 1602.

Nec alienam iurisdictionem turbare ponendo manum inter laïcos in causis controuersis, sine circumspectione. S. Congr. Episc. 11. Decembris 1602. Neque in hospitationibus militum à Ministris Regiis destinatorum in domos laïcas, neque in aliis rebus secularibus. S. Congr. Episc. in Caputaquensi, 12. Martij 1602.

Neque cogere aliquem ad comparendum personaliter in causis, in quibus quis comparere potest per Procuratorem. S. Congregat. in Camplensi, 20. Nouembris 1602.

Neque concedere licentiam suis Clericis habitum nigrum in violaceum mutandi. S. Congr. Episc. in Cremonensi, 2. Ianuar. 1601.

Neque concedere exemptionem à decimis in præiudicium Curati. S. Congr. Episc. in Reatina, 1. Octobris 1601.

Episcopus potest cogere Magistratum secularem ad visitandam Ecclesiam iuxta solitum. S. Congr. Episcop. 10. Decembr. 1602.

Et aquam Episcopo ministrare solenniter celebranti. S. Congr. Episc. in Anconitana, 6. Aprilis 1596.

Non potest exercere tutelam, nisi legitimam. S. Congr. Episc. in Albinganensi, 8. Decembris 1645. Vel miserabilium personarum. Eadem S. Congr. in Consentina, 21. Nouembris 1602.

Et casu, quo gesserit, cogi debet ad rationem reddendam absque vllo respectu. S. Congr. Episcop. in Melphitana, 10. Februar. 1604.

Episcopus non potest tanquam Ordinarius concedere

licentiam Iudici laïco, vt examinet aliquem reum, vel teſtem in Eccleſia, præſertim formaliter, & cum iuramento, neque vigore literarum Sacræ Congregationis ſuper electione; ſed talis licentia peti debet à Sede Apoſtolica. S. Congr. Immunitat. 2. Martij 1629.

Poteſt tamen, ſi vult, concedere licentiam exhumandi cadauer, ac faciendi recognitionem, & examinandi extra Eccleſiam, etiam in loco immuni. Ibidem.

Epiſcopus in cauſa ſuæ Eccleſiæ eſt Iudex competens antequam recuſetur. Rot. apud Coccin. *deciſ.* 29.

Si Epiſcopus ſine iuſta cauſa renuat, vel differat approbare Confeſſarium Monialium Regularibus ſubiectarum, vel dare ſolitam ingreſſus licentiam medico ordinario, vel aliis neceſſitatibus prouidere, quoad Confeſſarij approbationem datur facultas Ordinario viciuo, quoad reliqua Conſeruatori Monialium, vel fratrum. S. Congreg. Epiſc. 13. Auguſt. 1632. & 16. Maij 1634.

Epiſcopus poteſt tenere quot ſatellites voluerit. S. Congreg. Epiſcop. in Ciuitatis Caſtelli, 14. Aprilis 1615.

Et fiſcalem, modò ſit mitior ſeculari. S. Congr. Epiſc. in Ariminenſi, 6. Auguſti 1601.

In loco tamen paruo nullum officialem potentatum tenere debet, niſi vnum ſolum Vicarium foraneum. S. Congr. Epiſc. in Anagnina, 18. Decembr. 1654.

Poteſt tenere Auditorem etiam laïcum, modò non ſit Vicarius, vel Iudex. S. Congr. Epiſc. in Squillacenſi, 8. Iunij 1599. & in Meſſinenſi, 15. Septembris 1618.

Epiſcopi palatium Sede vacante deſeruire non debet pro habitatione, vel tribunali laïcorum Iudicum. S. Congr. Epiſc. in Melphitana, 6. Nouembris 1654.

Epiſcopus tenetur Principi ſeculari præſtare iuramentum fidelitatis ratione feudorum ſecularium, non bonorum Eccleſiæ, vel feudorum Eccleſiaſticorum, vel alia. S. Congr. Epiſcop. in Sauonenſi, 18. Martij 1602.

Epiſcopus poteſt procedere contra laïcum, qui ſubornare attentauit teſtes in cauſa pendente coram Iudice Eccleſiaſtico. S. Congreg. Immunit. in Regienſi, 18. Martij 1631.

Epiſcopus, qui eſt in quaſi poſſeſſione per edicta pœnalia Confratres laïcos, ac per pœnarum exactionem, & alia canonica, & opportuna remedia cogere eoſdem ad conueniendum ſolitis proceſſionibus, eſt manutenendus. S. Congreg. Concilij in Papienſi, 21. Ianuarij 1623.

Epiſcopus non poteſt ante ordinationem exigere ab ordinando promiſſionem de inſeruiendo certæ Eccleſiæ, etiam poſt habitum beneficium ſimplex reſidentiam non requirens. S. Congr. Concilij, in Lauretana, 15. Aprilis 1628.

Epiſcopus tenetur adſcribere ad ſeruitium Eccleſiæ Clericum in minoribus conſtitutum, vel primâ Tonſurâ initiatum, petentem adſcribi. S. Congr. Concilij in Valentina, 29. Iunij 1628.

Epiſcopus poteſt compellere Regulares Mendicantes, & Monachos, etiam ſub cenſuris, vt accedant ad publicas, & generales proceſſiones. S. Congr. Rit. in Chilenſi, in Indiis, 15. Maij 1610.

Epiſcopus non poteſt cogere Clericos ad ſuſcipiendos ſacros ordines. Die 22. Auguſti 1622. in Caſertana: *lib. 1. decr. Paul. fol. 102. à tergo.*

Non debet conferre minores ordines cum promiſſione ſuſcipiendi ſacros. Die 12. Auguſti 1642. in Hieracenſi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 181.*

Non debet ordinare Clericos coniugatos, obſtante diſpoſitione ſacrorum Canonum. Die 26. Martij 1629. in Aprutina: *lib. 1. decr. Paul. fol. 129. à tergo.*

Non debet committere abſolutionem ob violationem immunitatis Eccleſiaſticæ cum reincidentia. Die 3. Decembris 1652. in Caſſanenſi: *lib. 3. lit. Paul. fol. 5. à tergo.*

Non poteſt priuare Clericos priuilegio Clericali, niſi ad præſcriptum ſacrorum Canonum. Die 6. Maij 1653. in Catacenſi: *lib. 5. decr. Paul. fol. 13.*

Non poteſt imponere contributiones Collegiatæ. Die 16. Iulij 1658. in Baſilicienſi: *lib. decr. Roccij, fol. 102.*

Epiſcopus accedens ad limina Apoſtolorum non poteſt excedere terminum eidem permiſſum ſub pœna excommunicationis. Die 20. Iunij 1653. *lib. 5. decr. Paul.*

Non debet permittere recognitionem perſonalem Regularis offenſi in Monaſterio exiſtentis, fieri per Curiam laïcalem, ſed ab Epiſcopali. Die 13. Nouembris 1629. in Burgi S. Sepulchri: *lib. 2. decr. Paul. fol. 12. à tergo.*

Non poteſt concedere facultatem Iudici laïco extrahendi cadauera pro recognitione corporis delicti. Die 2. Maij 1629. in Nullius: *lib. 2. decr. Paul. fol. 135.*

Executiones non poſſunt fieri in Palatio Epiſcopi. Die 17. Septembris 1658. in Ceruienſi: *lib. decr. Roccij, fol. 19. à tergo.*

Epiſcopus tenetur prouidere ordinato in ſacris ſine titulo. S. Congreg. Epiſc. 1. Octobris 1602.

Epiſcopus tenetur reſidere, licet habeat coadiutorem. S. Congr. Epiſc. 24. Martij 1597. Alias ei ſequeſtrantur fructus. Eadem S. Congr. 25. Iunij 1603. Nec delegantur cauſæ. Eadem S. Cong. 20. Aug. 1601. Etiam tempore contagij. Vel tenetur alteri relinquere fructus. Eadem S. Congr. 23. Iulij 1602.

*Eremitæ.*

Eremitæ regulariter ſunt ſubiecti Ordinario. S. Congr. Epiſcop. in Fundana, 17. Ianuarij 1594.

Dummodo non viuant in communi, contra Bullam Pij V. S. Congreg. Epiſc. in Spoletana, 29. Nouembris 1581.

Nec geſtent habitum ſimilem Capuccinis, vel alteri Religioni clauſtrali. S. Congreg. Epiſc. in Aſſiſienſi, 7. Ianuarij 1635. & in Hydruntina, 8. Ianuarij 1627.

Et poſſunt reaſſumere habitum ſecularem, licèt ſint Sacerdotes. S. Congreg. Epiſc. in Anglonenſi, 9. Iunij 1602.

Nomine Monachorum in canone *ſi quis ſuadente*, veniunt Eremitæ, vel illi, qui aſſumpto habitu religioſo, adhibentur ad ſeruitia approbatæ Religionis, licèt profeſſionem non faciant; vt ij, qui adhibentur ad quærendam pro monialibus eleemoſynam. Eadem S. Congr. Epiſc.

Eremitæ, tam fœminæ, quàm viri eremiticam vitam ducentes, non tolerentur ab Ordinariis, exceptis Camaldulenſibus, & S. Auguſtini. S. Congr. Epiſc. 22. Ianu. 1582.

*Equites Hieroſolymitani.*

Equites Hieroſolymitani gaudent exemptione iuxta eorumdem priuilegia. Die 28. Martij 1626. in Nouarienſi: *lib. decr. Paul. fol. 3.*

Gaudent exemptione pro bonis patrimonialibus. Die 19. Ianuarij 1638. in Tudertina: *lib. 3. decret. Paul. fol. 53.*

Gaudent exemptione à collectis, & gabellis, exceptis iis, in quibus comprehenduntur à Sede Apoſtolica. Die 13. Iulij 1637. in Anconitana: *lib. 3. decr. Paul. fol. 36.*

Nouitij huius Religionis gaudent priuilegio fori. Die 12. Ianuarij 1649. in Meliuitana: *lib. 4. decr. Paul. fol. 69.*

*fol. 69. à tergo.*

Si Commendatarius infrà terminum non præsentet Episcopo personam idoneam instituendam, Episcopus prouidebit. S. Congr. Episc. 11. Ianuar. 1578.

In Parochiis Religionis Equitum Hierosolymitanorum, in quibus populus habet ius eligendi, siue nominandi Parochum, examen, & approbatio spectat ad Episcopum, sola institutio ad Priorem. S. Congr. Episc. 1. Sept. 1620.

Vide verbo *Hierosolymitani.*

*Equites S. Stephani.*

Equites S. Stephani gaudent exemptione à collectis, & aliis oneribus. Die 27. Nouembris 1626. in Mantuana: *lib. 1. decr. Paul. fol. 26. à tergo.* Mantuana, die 19. Aprilis 1627. *ibid. fol. 45.*

Gaudent exemptione à quibuscumque impositionibus. Die 24. Iulij 1646. in Vrbeuetana: *lib. 3. decr. Paul. fol. 288.*

Equitum S. Stephani Papæ Ordinem instituit Cosmus Medices, Magnus Dux Etruriæ sub regula S. Benedicti, cuius Magnus Magister constituitur. Eius Milites sunt exempti ab Ordinariorum iurisdictione, & à solutione decimarum, & aliorum onerum. Pius IV. constitutione 60. *His quæ:* Kal. Februarij 1562.

*Equites Militiæ Christi.*

Gaudent exemptionibus in eorum priuilegiis expressis, & à Sede Apostolica confirmatis. Die 10. Februarij 1632. in Reatina: *lib. 2. decr. Paul. fol. 115.*

Gaudent priuilegio fori. Die 28. Februarij 1640. in Assisiensi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 110.*

Eximuntur à repræsaliis. Die 11. Februarij 1648. in Anagnina: *lib. 4. decr. Paul. fol. 40. à tergo.*

In eorum erectione non requiritur *Exequatur Regium*, sed sufficit authoritas Apostolica. Die 11. Iunij 1627. in Salernitana: *lib. 1. decr. Paul. 52.*

Equites Militiæ Christianæ sub titulo Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ, & Regula S. Francisci, ac protectione S. Michaëlis Archangeli, & Basilij instituit Vrbanus VIII. cuius Magnus Magister, & Militiæ Caput vnus est: nouitiatum in loco Militiæ faciunt, votaque, & professionem fidei ac iuramentum fidelitatis emittunt; contra infideles, & fidei hostes militant: nobiles viri, & ingenuè nati, etiam coniugati recipiuntur, &c. Vrbanus VIII. constitutione 11. *Imperscrutabilis*, prid. id. Februarij 1623.

*Equites S. Mauritij.*

Gaudent exemptione pro bonis patrimonialibus. Die 13. Augusti 1629. in Assisiensi: *lib. 2. decret. Paul. fol. 1.*

Gaudent exemptione quoad bona Commendæ. Die 13. Augusti 1647. *lib. 4. decr. Paul. fol. 23.* in Camerinensi.

Gaudent exemptione ab oneribus. Die 7. Maij 1651. in Tudertina, *ibid. fol. 139. à tergo.*

Gaudent priuilegio fori. Die 10. Septembris 1629. in Neapolitana: *lib. 2. decr. Paul. fol. 6.*

*Milites S. Iacobi de Spatha.*

Militum S. Iacobi de Spatha Ordinem approbauit Alexander III. constitutione 5. *Benedictus*, 3. Non. Iulij 1175.

Subsunt gubernio Regiæ Coronæ Hispaniarum. Hadrianus IV. constitutione 1. 4. Non. Maij 1522.

*Equites S. Iacobi de Alcantara.*

Connumerantur inter personas Ecclesiasticas. Die 5. Martij 1652. in Reatina: *lib. 4. decr. Paul. fol. 178.*

Equites S. Iacobi de Alcantara perfruuntur omnibus gratiis, & priuilegiis concessis, & concedendis Ordini Cisterciensium, & S. Benedicti. Leo X. constitutione 44. 10. Kal. Iulij 1521.

Eorum regimen Coronæ Regiæ Hispaniarum Committit Hadrianus VI. constitutione *Dum intra*, 4. Non. Maij 1522.

De bonis suis testari & disponere possunt. Greg. XIII. constitutione 30. *Romani*, 6. Octobris 1575.

*Equites Portugalliæ.*

Gaudent priuilegio fori, & exemptione Ecclesiastica. Die 12. Nouembris 1647. in Tudertina: *lib. 4. decr. Paul. fol. 34. à tergo.*

Equites S. Benedicti de Auis in Regno Portugalliæ perfruuntur omnibus priuilegiis concessis, & concedendis Militibus S. Iacobi de Spatha, & de Calatraua, & de Alcantara. Vide *Milites.*

*Exactio.*

Exactio onerum ad quæ tenentur Ecclesiastici, facienda est à superiore Ecclesiastico, non à laïcis. Die 10. Septembris 1647. in Cesenatensi: *lib. 4. decr. Paul. fol. 26. à tergo.* Asculana, die 30. Maij 1628. *lib. 1. decr. Paul. fol. 94.*

Non incurrit censuram canonis Bullæ Cœnæ Domini exigens vectigal non impositum, aut suprà quàm impositum est, si id faciat non vt pro vectigali recipiat, sed vt furtiuum sibi reseruet; quamvis contrarium probabile sit, quod tunc etiam exigens incurrat excommunicationem.

*Exactor.*

Exactor secularis quomodo potest exigere collectas pro bonis datis Ecclesiæ absque incursu excommunicationis. Die 15. Nouembris 1644. in Vercellensi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 238.*

Exactores laïci non possunt absolui nisi facta restitutione exactorum à Clericis. Die 18. Iulij 1629. in Salutiarum: *lib. 1. decr. Paul. fol. 146.*

Exactor decimarum, durante officio, gaudet priuilegio fori. Die 9. Octobris 1635. in Vrbeuetana: *lib. 2. decr. Paul. fol. 237.*

*Executio.*

Pro debitis ciuilibus non potest fieri in Palatio Episcopi, nec in domibus Clericorum. Die 12. Nouembris 1647. in Conuersanensi: *lib. 4. decr. Paul. fol. 30.*

Aliquando datur facultas creditoribus Episcopi exequendi in eius Palatio, si petatur. Die 20. Iunij 1651. in Anagnina, *ibid. fol. 148. à tergo.*

Literæ Apostolicæ debent exequutioni demandari, non obstante recursu ad Monarchiam. S. Congr. Episc. in Catanensi, 18. Aprilis 1609.

Vel Rotæ inhibitionibus. S. Congreg. Episc. 21. Iulij 1645.

Sicut etiam literæ S. Congregationis. Eadem S. Congr. in Sarzanensi, 12. Decembris 1600. & in Sulmonensi, 27. Nouembris 1601.

Etiamquatenus Regium Exequatur niteretur Apostolico prouiligio, non debet extendi ad literas S. Congregationis, quæ debent exequutioni demandari absque alio Exequatur Regio, vel Monarchiæ. S. Congr. Episc. in Barensi, 15. Ianuarij 1596. & in Syracusana, 15. Nouembris 1606. & in Neapolitana, 2. Ianuarij 1616. & in Grauinensi, 9. Ianuarij eiusdem anni: & in Messanensi, 5. Februarij, & 14. Maij 1627.

Ordinarius non debet exequi dictas prouisiones Apostolicas, nisi sibi præsententur literæ originales, licet Partes illi præsentarent Exequatur Regium. S. Congr. Episc. in Panormitana, 7. Decembr. 1604.

Iudices, & ministri laici non possunt prohibere executoribus Curiæ quominus exequantur mandata, monitoria, & similia Curiæ Ecclesiasticæ; dictique exequutores exequi debent, etiam nullâ ab eisdem Iudicibus, & Ministris petitâ licentiâ, seu assensu. S. Congreg. Immunit. in Vercellensi, 30. Iunij 1632. Quod decretum S. Congr. Episc. in Mediolanensi, 10. Iulij 1654. præcepit inuiolabiliter obseruari.

Executio aduersus administratores Hospitalium, & Leprosariorum condemnatos iuxta decretum Concilij *sess. 22. de reform. cap. 8.* siue soli Ordinario reddita fuerit ratio, siue vnà cum aliis deputatis, ad ipsum Ordinarium spectat. S. Congr. Concilij, teste Armendar. *in addit. ad recop. leg. Nauar. lib. 4. tit. 29. d. 1. §. de hospital. n. 4.*

*Excommunicatio, & Excommunicatus.*

Percutiens alterum intra Ecclesiam, incurrit excommunicationem minorem. Die 26. Iunij 1628. in Nullius: *lib. 1. decr. Paul. fol. 97. à tergo.*

Contra excommunicatos notorios, qui non curant absolui, procedendum est per aggrauatorias. Die 20. Ianuarij 1637. in Beneuentana: *lib. 3. decr. Paul. fol. 22.* Nullius Canusiæ, die 20. Martij 1630. *lib. 2. decret. Paul. fol. 33. à tergo.*

Sacerdos excommunicatus confugiens ad Ecclesiam gaudet immunitate Ecclesiastica. Die 13. Decembris 1629. in Aquilana: *lib. 2. decr. Paul. fol. 16.*

Officialis excommunicatus denunciatus non potest exercere officium suæ Iurisdictionis. Die 2. Maij 1629. in Neapolitana: *lib. 1. decr. Paul. fol. 135.*

Defunctus excommunicatus, qui absolutionem sacramentalem suscepit ante obitum, quomodo absoluendus. Die 29. Decembris 1666. in Sanctæ Seuerinæ: *lib. decr. Altouiti, fol. 38. à tergo.*

Quando excommunicatus vitandus non abstinet à conuersatione, procedituradaggrauationem censurarum. S. Congr. Episc. in Mediolanensi, 14. Iulij 1620. Excommunicando etiam maiori excommunicatione illos, qui contra iuris terminos cum illo communicant; & reseruando, si opus fuerit, absolutionem dictorum participantium. S. Congr. Episc. in Oppidensi, 8. Maij 1621.

Excommunicatus si in mortis articulo dixit in confessione, *Madonna santissima ajutami*, vel similia, Ecclesiasticæ sepulturæ tradi debet. S. Congr. Episcop. in Nolana, 19. Iulij 1619.

Excommunicare potest Episcopus Fratrem Capellanum Religionis Hierosolymitanæ, qui administrauit redditus Parochialis secularis, citatum ab Episcopo in visitatione ad reddendam rationem, & non comparentem. S. Congr. Concilij, 7. Septembris 1630.

Quoad finem reuelationis, excommunicationes quæ concedi solent in Abbatiis nullius Diœcesis, à nemine, neque à vicinis Episcopis, præterquam à Sede Apostolica, decerni possunt. S. Congr. Concilij, 1. Februar. 1572.

*Extractio Victualium.*

Ecclesiastici possunt extrahere frumenta recollecta in propriis bonis. Die 25. Septembris 1627. in Cotronensi: *lib. 1. decr. Paul. fol. 65. à tergo.*

Clerici non tenentur ad gabellam pro extractione olei recollecti in propriis bonis. Die 24. Iulij 1634. in Licensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 166. à tergo.*

Ecclesiastici non possunt extrahere extra statum absque licentia. Die 14. Ianuarij 1630. in Fanensi: *lib. 2. decret. Paul. fol. 23. à tergo.*

Ecclesiastici circa extractionem vini in Prouincia Marchiæ debent seruare solitum. Die 22. Septembr. 1654. in Auximana: *lib. 5. decr. Paul. fol. 52.*

Edictum super bladis extrahendis à Iudicibus laicis non comprehendit Ecclesiasticos. Die 10. Septembr. 1629. in Papiensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 6.* Parmensis, die 4. Iulij 1626. *lib. 1. decr. Paul. fol. 20.*

Gubernator Marchiæ non potest prohibere extractionem victualium Ecclesiasticis. Die 10. Decembris 1647. in Auximana: *lib. 4. decr. Paul. fol. 35.*

Reliqua vide verbo *Frumentum*, *num. 2.*

Extrahens reum de loco sacro, aut ei in loco sacro existenti aliquid nocumenti inferens in personam, aut bona, quæ secum intulit, incurrit in excommunicationem Bullæ Gregorij XIV. quæ incipit, *Cum alias*, quæ est 7. §. 9.

*Extractio à loco immuni.*

Episcopus ex constitutione Gregoriana potest extrahere delinquentes etiam ab Ecclesiis Religionis Hierosolymitanæ. Die 6. Maij 1653. in Messanensi: *lib. 5. decr. Paul. fol. 13. à tergo.*

Episcopus potest extrahere in casibus non expressis in Bulla Gregoriana ad effectum correctionis tantùm. Die 27. Martij 1640. in Interamnensi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 114.* Aretina, dit 31. Augusti 1649. *lib. 4. decr. Paul. fol. 86.* Neapolitana, die 28. Februarij 1640. *lib. 3. decr. Paul. fol. 12.* Catanensis, die 1. Septembris 1643. *ibid. fol. 207. à tergo.*

Extracti à loco immuni dum articulus discutitur, debent retineri sub custodia Curiæ Ecclesiasticæ. Die 30. Septembris 1616. in Neapolitana, *in regesto.*

Confugiati non debent retineri ligati in Ecclesia. Die 8. Februarij 1639. in Cauensi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 85. à tergo.*

Episcopus non potest expellere confugiatum ab Ecclesia, ne incidat in manus Curiæ laicalis. Die 19. Martij 1647. in Cefaludensi: *lib. 4. decr. Paul. fol. 7.*

Ad effectum extrahendi delinquentes non requiruntur probationes concludentes, sed pro arbitrio, & conscientia Episcopi. Die 15. Iunij 1638. in Meliuitana: *lib. 3. decr. Paul. fol. 64.*

Extractio à loco immuni non est permittenda, nisi solis Episcopis, non autem inferioribus; & ante illam requiritur processus. Die 23. Martij 1638. Nullius Orbetelli, *ibid. fol. 57. à tergo.*

Ad extrahendum delinquentem à solo immuni, & Curiæ seculari consignandum, non sufficit sententia contumacialis, quia non probat delictum, sed plenior probatio requiritur. Die 27. Iulij 1618. in Cermonensi, *in regesto.*

Extrahentes indebitè, & apponentes custodias loco immuni, sunt excommunicati. Die 1. Octobris 1641. in Aprutina: *lib. 3. decr. Paul. fol. 156. à tergo.* Neapolitana, die 2. Iunij 1632. *lib. 2. decr. Paul. fol. 127. à tergo.* Andrien sis, die 6. Februarij 1635. *lib. 2. decr. Paul. fol. 215. à tergo.* Bitteten sis, die 22. Maij 1635. *ibid.*

*ibid. fol.* 224. Theatina, die 20. Iunij 1651. *lib.* 4. *decr. Paul. fol.* 151.

Nullus potest extrahere delinquentes absque facultate Apostolica (exceptis casibus in Bulla Gregoriana.) Die 30. Ianuarij 1628. in Cusentina: *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 78. Romana, die 12. Decembris 1628. *ibid. fol.* 106. *à tergo.* Caietana, die 1. Decembris 1637. *lib.* 3. *decr. Paul. fol.* 49. *à tergo.* Neapolitana, die 14. Octobris 1630. *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 62.

Extractio non permittitur ad effectum examinandi delinquentem. Die 13. Iulij 1638. in Mutinensi: *lib. decr. Paul. fol.* 66.

In casibus non exceptis in Bulla Gregoriana non licet Iudici Ecclesiastico extrahere reum, & tradere Curiæ seculari absque incursu censurarum. Die 19. Maij 1627. in Vallisoletana: *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 49.

Extractio non debet fieri per laïcos, sed cum assistentia Iudicis Ecclesiastici. Die 11. Augusti 1631. in Catacensi: *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 85. *à tergo.*

Extractus à Curia laïcali debet restitui eidem Ecclesiæ, etiam superuenientibus probationibus super aliis delictis. Die 8. Decembr. 1632. in Ianuensi: *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 145. *à tergo.*

Deinde est extrahendus seruatis seruandis, iuxta formam Bullæ Gregorianæ. Die 13. Nouembris 1663. in Mediolanensi: *lib. decr. Roccij, fol.* 518. *à tergo.*

Aliquando restitutio extracti fit alteri Ecclesiæ cum dispensatione Pontificis. Die 29. Nouembris 1634. *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 210.

Legatus non habet facultatem extrahendi. Die 8. Aprilis 1630. in Bononiensi: *lib.* 2. *decret. Paul. fol.* 101. *à tergo.*

Legatus non potest extrahere: *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 126. in Ferrariensi.

Extrahentes inimicum per vim, illumque extra locum sacrum satellitibus consignantes, incurrunt in excommunicationem, & qui suscipiunt, vel damnant, si sciunt extractum fuisse de loco sacro. S. Congreg. Episc. in Neapolitana, 2. Iunij 1620.

Rei, & condemnati de crimine capitali, post aliquod tempus debent expelli, cautè tamen, ne cadant in fortias Curiæ. S. Congr. Episc. in Tropiensi, 9. Ianuarij 1601. & in Rossanensi, 20. Iulij 1592.

Extracti in Ecclesiasticis carceribus constitui debent, donec ab Episcopo cognitum fuerit, an aliquod ex criminibus exceptis commiserint. S. Congr. Episc. in Neapolitana, 30. Septembris 1616. Vide verbo *Immunitas.*

Si delinquens iniuriosè extrahatur ab Ecclesia, restituendus est eidem Ecclesiæ. S. Congr. Episc. Etiam ab eo, qui non extraxit, si detinet. S. Congr. Episc. in Boiensi, 10. Februarij 1604. Non Episcopo, vel alteri Ecclesiæ, nisi de licentia S. Congregationis. S. Congr. Episc. in Asculana, 14. Maij 1613.

Nec sufficit, quod Iudex secularis declaret se tenere extractum nomine Episcopi. S. Congr. Episc. in Tortonensi, 15. Iulij 1617.

Nec si restitutio fiat cum fideiussione, vel pacto reconsignandi. S. Congr. Episc. in Licensi, 16. Septembris 1622.

Si tamen reus non fuit extractus seruatis seruandis, sed postea constiterit eum commisisse aliquod ex delictis exceptis, restituitur quidem, sed statim Curiæ sæculari reconsignatur. S. Congr. Episc. in Montis Pelusij, 3. Februarij 1604.

Idem de eo, qui fuit extractus ante licentiam obtentam. S. Congr. Episc. in Regiensi, 23. Aprilis 1602.

Extrahens reum è loco immuni, incurrit in excommunicationem Gregorij XIV. constitutione 7. latæ sententiæ, quæ de stylo Curiæ est reseruata Summo Pontifici. S. Congreg. Immunitatis 1631.

*Exemptio, & Exemptus.*

Clerici Cameræ, & Protonotarij participantes exempti sunt à quolibet alio foro. S. Congr. Episc. in Melitensi, 17. Augusti 1627.

Subcollector, & Commissarij spoliorum gaudent exemptione, tam durante, quàm finito officio; sed officio finito in criminalibus tantùm, ex constitutione Vrbani VIII. 2. Iulij 1636.

Laïcus Commissarius festorum nullo extra Diœcesim gaudet priuilegio. S. Congr. Episc. in S. Seuerini, 15. Nouembr. 1604.

Non prodest familiaritas acquisita post commissum delictum. S. Congr. Episc. in Melitensi, 31. Ianuarij 1620.

Nec ei, qui actu non seruit. Eadem S. Congr. 18. Maij 1646.

Exempti renunciare possunt priuilegiis. S. Congr. Episc. in Asculana, 20. Augusti 1602.

Exemptio à subsidio triennali nemini suffragatur. Paul. III. const. 39.

Exemptio Ecclesiæ debet probari non per immemorabilem, sed per scripturas, & instrumenta legitima, ad hoc vt Episcopus teneatur visitare per seipsum: interea verò poterit visitare per alium. S. Congr. Concilij, teste Aldano *in comp. can. resol. lib.* 3. *tit.* 1. *num.* 25.

*Exilium.*

Rei mitti possunt in exilium, licet torturam sustinuerint. S. Congr. Episc. 1. Iunij 1604.

Fractor exilij incidit in pœnam triremium. S. Congreg. Episc. in Sutrina, 10. Februarij 1604.

Pœna contrauentionis reseruatur S. Congregationi, si exilium fuit impositum ab ipsa. S. Congreg. Episc. in Bertinorensi, 7. Nouembris 1601.

---

F

*Factor.*

FActori Montis Pietatis de iure non competit priuilegium fori, nisi in concernentibus officium. Die 17. Ianuarij 1640. in Reatina: *lib.* 3. *decret. Paul. fol.* 109.

*Falsarij.*

Ex Bulla in Cœna Domini, *cap.* 6. excommunicantur falsarij literarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis. Item falsarij supplicationum gratiam, vel iustitiam continentium per Romanum Pontificem eo capite signatarum.

*Falliti, seu Decoctores.*

Decoctorum bona sunt extrahenda à loco immuni, & consignanda Iudici causæ. Die 29. Decembris 1625. *in regesto scripturarum veterum, fol.* 74. Ianuensis, die 3. Iunij 1625. *ibid. fol.* 59. Dertonensis, die 26. Iulij 1626. *in regesto liter. Paul. fol.* 26.

Ordinarius loci non potest extrahere bona decoctorum absque facultate Sedis Apostolicæ. Die 17. Ianuarij 1628. in Neritonensi: *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 80.

Decoctoribus refugiatis solet præfigi terminus, quo elapso, seruatis seruandis, possunt extrahi. Die 11.

Martij 1625. in Neapolitana, *in regesto scripturarum veterum, fol.* 51.

Non possunt tamen extrahi absque facultate Apostolica. Die 21. Ianuarij 1626. in Panormitana, *ibid. fol.* 90.

Decoctores Regiæ Cameræ possunt extrahi, & mancipari carceribus Ecclesiasticis, donec integraliter persoluant. Die 18. Iunij 1626. in Neapolitana, *in regesto liter. Paul. fol.* 19. Neapolitana, die 9. Octobris 1629. *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 9. *à tergo.*

Pœna contra curatos recipientes in Ecclesiis bona decoctorum. Die 15. Iulij 1636. in Nucerina Vmbriæ: *lib.* 3. *decr. Paul. fol.* 10.

*Falsantes literas Ordinariorum.*

Promoti ad minores Ordines ab alieno Episcopo cum falsis dimissoriis, sequutâ priùs desuper Iudicis Ecclesiastici declaratione, fori priuilegio non gaudent. Vrbanus VIII. constitutione 33. *Secutis*, §. 4.

*Familia, & Familiares.*

Familiaris Episcopi gaudet priuilegio fori, & potest deferre arma. Die ... Iulij 1647. in Montis Politiani: *lib.* 4. *decr. Paul. fol.* 17.

Familiaris Episcopi titularis gaudet priuilegio fori. Die 17. Ianuarij 1628. in Regiensi: *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 27.

Familiaris Aduocati pauperum non gaudet. Die 6. Maij 1657. in Interamnensi: *lib.* 5. *decr. Paul. fol.* 106. *à tergo.*

Familiares Cardinalium, & Episcoporum, etiam pro delictis extra officium commissis, gaudent priuilegio fori. S. Congr. Episcopor. 2. Martij 1611.

Quod ampliatur etiam ad familiam laïcam Episcopi titularis. S. Congr. Immunitatis 7. Ianuar. 1628. his verbis: *Sacra, &c. censuit, familiam etiam Episcopi titularis gaudere debere priuilegio fori; ita tamen, vt conueniri debeant, & sint puniendi ab Ordinario loci, vbi degunt, non ab Episcopo, seu Archiepiscopo titulari.*

Baroncelli, Magistri Actorum, Notarij, Fiscales, cæteriquè Ministri Curiæ Episcopalis necessarij pro regimine Tribunalis, tam in Ciuitate, quàm in Diœcesi, gaudent priuilegio fori. S. Congr. Episc. in Ostunensi, 6. Augusti 1602. & in Sorana, 25. Aprilis eiusdem anni, & in Messanensi, 16. Septembris 1622. & in Algarensi, 16. Martij 1624. & S. Congr. Immunitatis in Bellicastrensi, 4. Decembris 1629.

Dummodò non sint ab Episcopo excogitati de nouo, putà Commissarius festorum, Architectus Ecclesiæ, sarcinator paramentorum, & similes. S. Congr. Episc. in Catacensi, 3. Iulij 1609.

Item sutores, calcearij, & similes artistæ Vniuersitatibus, Collegiis, Monasteriis, Hospitalibus, & aliis locis piis, aut Ecclesiasticis inseruientes, non gaudent priuilegio fori, si suis sumptibus extra dicta loca morentur. S. Congr. Concilij in Tarraconensi, 13. Ianuar. 1618.

Fiscalis, quem Episcopus tenet in aliqua Ciuitate, vel Castro, in quo spiritualem, ac temporalem iurisdictionem exercet, tanquam ipsius Episcopi familiaris, gaudet priuilegio fori, nec ad personalia Ciuitatis munia tenetur. S. Congr. Episcop. 11. Decembris 1615.

Nec pro debitis, vel delictis, etiam extra officium commissis, capi, carcerari, vel iudicari potest per laïcam Potestatem. S. Congr. Episc. in Grossetana, 30. Septembris 1616.

Ad euitandas tamen dissensionum cum seculari Curia occasiones, expediret Episcopum non vti officialibus laïcis, præsertim vxoratis. Quia licet de iure regulariter vxor sequatur forum viri, vt declarauit S. Congr. Immunit. 17. Ianuarij 1628. in Neritonensi, in executione tamen non deerunt difficultates. S. Congr. Episc. in Oppidensi, 25. Iunij 1620.

Et etiam archiui custodiæ debet Episcopus præfigere personam Ecclesiasticam. S. Congr. Episc. in Catarensi, 26. Augusti 1642.

Priuilegia concessa per sacros Canones ministris, officialibus, vel familiaribus Episcoporum, ita sunt clara, vt in dubium reuocari non valeant, & in materia immunitatis procedendum est per viam censurarum, non capturæ. S. Congr. Episc. 18. Maij 1603. & S. Congr. Immunitatis, 14. Decembris 1626.

Familiares laïci Episcopi sunt immunes à laïca iurisdictione. S. Congr. Episcoporum, 7. Iunij 1595.

Familiam suam armatam licet Episcopo augere, dum tamen circa numerum, & qualitatem eorum, quos sibi duxerit assumendos, prudenter, & moderatè se gerat. S. Congreg. Concilij, in Agrigentina, 4. Decembris 1627.

Familiares Cardinalium actu seruientes sunt ab Ordinariorum iurisdictione exempti. Leo X. constitutione 10. sub 4. non. Maij 1512.

Et coram Auditore Cameræ conueniuntur. Iulius II. constitutione 28. 5. Kal. Aprilis 1612.

Familiarem suum triennalem, aliàs habilem, potest Episcopus ordinare, conferendo ei statim reipsa beneficium, quacunque fraude cessante. S. Congr. Concilij, teste Armend. *in addit. ad recop. leg. Nauarræ, lib.* 1. *tit.* 18. *l.* 7. *de Episc. num.* 45. *&* 51.

*Famulus.*

Famuli Collegij gaudent priuilegio fori. Die 23. Septembris 1653. in Perusina: *lib.* 5. *decr. Paul. fol.* 23.

Famulus Vicarij Generalis gaudet priuilegio fori. Die 13. Iulij 1637. in Ferentina.

Famuli Clericorum sunt exempti ab impositione, vt dicitur, *della Testa.* Die 24. Ianuarij 1645. in Rossanensi: *lib.* 3. *decr. Paul. fol.* 244.

Cardinalium famulis stipendia non conuenta petere prohibuit ab hæredibus Pius V. constitutione 5. *Sanctissimus.* Aliorum verò Romanæ Curiæ Prælatorum pro biennio tantùm, & infra annum à die eorum obitus. Paulus III. constitutione 43. *Cum sicut.*

*Farina.*

Tumuli 25. assignati pro singulis Clericis in Regno, sunt farinæ, non frumenti. Die 9. Octobris 1628. in Licensi: *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 107. *à tergo.*

Informatio circa exemptionem datij farinæ pro Clericis in Regno. Die 20. Februarij 1629. in Oritana, *ibid. fol.* 125. *à tergo.* Materanensis, die 22. Augusti 1651. *lib.* 4. *decr. Paul. fol.* 158. *à tergo.*

*Fenestræ.*

Fenestræ particularium respondentes in aliquam Ecclesiam, claudi debent, maximè si prospectum habeant super altaria. S. Congr. Episc. 5. Iulij 1583. & 29. Octobris 1565. & 4. Iunij 1602. & 6. Nouembris 1648.

Vel respicientes in clausuram monialium. Eadem S. Congr. 15. Ianuarij 1602. Cum cautela tamen, si domus erant monasterij, vel si via est intermedia. Dubium est enim, an de iure cogi possint. Eadem S. Congr. 23. Aprilis 1602.

*Festi*

*Festi dies.*

Concessio licentiarum laborandi diebus festiuis spectat ad Episcopum. Die 1. Maij 1635. in Rubensi : *lib. 2. decr. Paul. fol. 223. à tergo.*

Debet eam exhibere in scriptis. Die 2. Maij 1629. in Castrensi ; *lib. 1. decr. Paul. fol. 134.*

Licentiæ vendendi diebus festiuis sunt dandæ à solo Episcopo, non autem à Gubernatoribus. Die 11 Martij 1642. in Alatrina : *lib. 3. decr. Paul. fol. 168. à tergo.*

Birruarij Gubernatoris abstinere debent à pignorationibus pro obseruatione dierum festorum. Die 9. Nouembris 1634. in Senogallensi, *lib. 2. decr. Paul. fol. 207.*

Diebus festiuis non permittitur vendi frumentum, nec fieri, vt dicitur, *la Dogana.* Die 6. Februarij 1635. in Auellina, *ibid. fol. 215. à tergo.*

Diebus festiuis non possunt publicari bandimenta laïcalia. Die 20. Septembris 1639. in Theatina : *lib. 3. decret. Paul. fol. 102.*

Non pertinet ad Principem, vel Iudicem laïcum facere edicta circa festorum obseruationem. S. Congr. Episc. in Vmbriaticensi, 2. Martij 1621.

Quod si fecerint, Episcopus debet edictum promulgare, cuius proœmium sit, esse proprium officium Episcopi edicta, & præcepta facere circa festorum obseruationem, & dare licentiam laborandi in ipsis, vt sic absque rumoribus Iudex secularis quietè recognoscat errorem suum. S. Congr. Episc. in Monopolitana, 13. Augusti 1578.

Multò minùs Princeps laïcus potest instituere, vel indicere dies festos, vt per suas literas in forma Breuis declarauit Innocentius X. Die 6. Octobris 1653.

In puniendo pro transgressione festorum eos, qui contraueniunt sine licentia Episcopi, datur locus præuentioni inter Iudicem Ecclesiasticum, & sæcularem. Pius V. constitutione *Cùm primum Apostolatus*, §. 7. & S. Congr. Episc. in Theatina, 29. Maij 1582. & in Neapolitana, 22. Iunij 1621.

Quare Episcopus, vel Vicarius dare debent huiusmodi licentias in scriptis. S. Congr. Episc. in Ciuitatis Castellanæ, 25. Augusti 1615.

Licentiæ laborandi diebus festiuis non sunt exhibendæ Iudicibus laïcis, nec toleranda huiusmodi præsumptio, atque prætensio. S. Congr. Immunitatis, in Castrensi, 2. Martij 1629.

Pœna pro transgressione festorum imponenda debet esse moderata ; & si fuerit exorbitans, reduci debet ad arbitrium Ordinarij ; & reliquum, si fuerit exactum, restitui. S. Congr. Episcopor. 1. Aprilis 1596. & in Recinatensi, 16. Ianuarij 1601. & in Bellicastrensi, 1. Septembris 1603. & in Cornetana, 12. Decembr. 1642.

Nec debet excedere quinque, vel sex iulios in loca pia distribuendos, deductâ tertiâ pro executoribus, licèt quis deprehensus fuerit in flagranti post publicatum edictum. S. Congr. Episc. in Terracinensi, 14. Decembr. 1594.

Nec pro pœna debent bona confiscari. S. Congr. in Termolensi, 29. Aprilis 1603. & in Crotonensi, 1. Iunij 1604.

Nam citata constitutio Pij V. de admissione animalium, nisi rigidior, non fuit quoad hanc partem vsu recepta. Vnde S. Congreg. Episc. merces simul cum animalibus pro transgressione festorum confiscatas, seu ablatas restitui mandauit, vt in Camerinensi, 11. Augusti 1617.

Datâ tamen idoneâ cautione de soluendo quod ordinatum fuerit ab eadem S. Congregatione, vt in Bouinensi, 11. Aprilis 1645. & 14. Decembris 1646. & 11. Ianuarij 1647.

Non obstante, quod animalia fuissent vendita, & eorum pretium distributum, quia ea iussit redimi, ac domino restitui, retentâ aliquâ modicâ pœnâ locis piis applicandâ. S. Congreg. Episcop. 15. Iulij 1606.

Festa & Vigiliæ non annunciantur à Regularibus, nisi exerceant curam animarum, vel nisi Parochus consentiat. S. Congr. Episc. 15. Decembr. 1603.

Si Episcopus vult instituere, vel manutenere officium Commissarij Festorum, debet pro illo vti persona Ecclesiastica. Eadem S. Congr. 30. Aprilis 1616.

*Feudum.*

Si Episcopus feudum, seu iurisdictionem secularem haberet, pro ea Vicarium laïcum deputare posset, nisi reus sit Ecclesiasticus. Non expedit tamen deputare in huiusmodi feudis Ecclesiasticis Iudices perpetuos, maximè laïcos : & quandoque debet Episcopus aliquas causas per se, vel per suum Vicarium cognoscere, vel aliis Clericis, vel laïcis delegare. Nam aliàs Ecclesia exponeretur periculo amittendi iurisdictionem illam per vsurpationem laïcorum. S. Congreg. Episc. in Mantuana, 16. Maij 1581.

Et si Episcopus fuerit solitus deputare Clericos pro administratione Baroniæ suæ Ecclesiæ, debet manuteneri in hac quasi possessione, non obstante contraria pragmatica seculari. S. Congr. Episc. in S. Marci, 23. Aprilis 1607.

In causa feudi Clericus subiicitur dominio directo ipsius feudi, cui etiam iuramentum fidelitatis præstat, & hoc siue agatur iudicio petitorio, siue possessorio eiusdem feudi. S. Congregatio Episc. in Sabaudiensi, 19. Martij 1602. & in S. Angeli, 15. Augusti 1620.

Si tamen deliquerit, non potest ab ipso corporaliter puniri ; sed si delictum mereatur priuationem, poterit feudo priuari, nisi feudum sit Ecclesiæ.

*Fidei professio.*

Ex Bulla Pij IV. 88. *In sacrosancta*, statutum est, vt promouendi ad gradus Doctoratus, Cathedras, vel regimina Vniuersitatum, faciant professionem fidei cum iuramento fidelitatis, & obedientiæ Summo Pontifici, in manibus Ordinarij, seu eius Vicarij secundùm formam ibi præscriptam, aliàs promotio est nullius momenti, tam in iudicio, quàm extra.

*Filius.*

Filius legitimus Clerici ante Clericatum susceptus, gaudet priuilegio fori, durante vita patris. Die 14. Martij 1631. in Callensi : *lib. 2. decr. Paul. fol. 99.*

Filij Clericorum coniugatorum post mortem patris non gaudent priuilegio fori. Die 18. Nouembris 1653. in Bisignianensi : *lib. 5. decr. Paul. fol. 30. à tergo.*

Filij Presbyterorum Græcorum mortuo patre, non gaudent priuilegio fori, seclusa consuetudine. Die 4. Septembris 1657. in Rossanensi : *lib. decr. Roccij, fol. 32.*

Filij Clericorum Græcorum viuentes cum matribus viduis, attentâ consuetudine, gaudent priuilegio fori. Die 16. Decembris 1642. in Bisignianensi : *lib. 3. decr. Paul. fol. 191. à tergo.*

An filius Diaconi saluatici gaudeat priuilegio fori ? Seruandum est Decretum de Clericis saluaticis. Die 28. Martij 1653. in Vmbriaticensi : *lib. 5. decr. Paul. fol. 12.*

Franchisia

Franchisia debetur etiam filiis legitimis Clericorum. Die 23. Iulij 1647. in Ortonensi : *lib. 4. decr. Paul. fol. 20. à tergo.*

Filius Cancellarij Mensæ Episcopalis non gaudet priuilegio fori. Die 1. Februarij 1661. in Interamnensi : *lib. decr. Paul. fol. 313.*

Filij colonorum Mensæ Episcopalis gaudent priuilegio fori. Die 6. Martij 1635. in Vrbeuetana : *lib. decr. Paul. fol. 220.*

Filij colonorum Ecclesiasticorum non gaudent priuilegio fori. Die 4. Iunij 1630. in S. Agathæ Gothorum: *libr. 2. decr. Paul. fol. 45.*

Filius Notarij Vicarij foranei non gaudet priuilegio fori. Die 10. Ianuarij 1659. in Firmana : *lib. 3. decr. Paul. fol. 83. à tergo.*

Filius Clerici legitimus ante Clericatum susceptus, durante vita patris, gaudet priuilegio fori. S. Congr. Episc. in Callien si, 18. Martij 1631.

Dissimulari debet, quod Presbyteri domi teneant suos filios naturales. Nam Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 15.* in qua diu tractatum fuit de hac materia, id non accepit cum tanto rigore. S. Congr. Episc. in Pampilonensi, 4. Septembris 1582.

Etsi longè præstaret eos alibi tenere. Eadem S. Congr. 9. Ianuarij 1602. Præsertim dum ex huiusmodi cohabitatione oriuntur scandala, & inconuenientia. Eadem S. Congr. 7. Februarij 1653.

Filius postquam fuit ordinatus, potest donationis sibi factæ in suum titulum liberè, & expeditè possessionem capere. S. Congr. Episcopor. in Alensi, sub die 19. Augusti 1598.

*Fiscalis.*

Fiscalis tanquam Episcopi familiaris gaudet priuilegio fori. Die 11. Decembris 1615. in Vasionensi, *in regesto.* Episcopus de iure, vel saltem de consuetudine habet fiscum. Vide suprà *Damna data, fol. 25.*

Fiscalem deputare spectat ad solum Episcopum, non autem ad Vicarium, præsertim foraneum. S. Congr. Episc. in Spoletana, 5. Iulij 1619.

Qui tamen non debet esse coniugatus. S. Congreg. Episc. in Oppidensi, 25. Iunij 1620.

Fiscali potest assignari pars aliqua pœnarum criminalium; at Episcopus, & Notarij nullo modo ex illis participare debent. S. Congr. Episc. in Ciuitatis Castelli, 4. Septembris 1595. Vide *Familiaris.*

Si colludat cum parte, vel pro ea patrocinetur, debet remoueri. S. Congr. Episc. 3. Septembris 1655.

Et si habet incerta, non potest prætendere salarium. S. Congr. Episc. 15. Ianuarij 1602.

*Forus Ecclesiasticus.*

Forus qui præuenit in captura, potest procedere, præterquàm in censuris. Die 9. Octobris 1640. in Senogallien si : *lib. 3. decr. Paul. fol. 133.*

Clericus beneficiatus ante adeptam possessionem gaudet priuilegio fori. Die 6. Iulij 1587. in Romana, *in regesto.*

Promotus ad Ordines cum collatione vnius beneficij gaudet priuilegio fori. Die 18. Martij 1618. in Romana, *in regesto.*

Clericus priuatus beneficio non priuatur fori priuilegio, nisi post latam sententiam. In Romana, *in regesto literarum Paul. fol. 326. à tergo.*

Clerici in sacris constituti, beneficiarij, pensionarij, & Protonotarij, gaudent priuilegio fori. Die 9. Nouembris 1630. in Leodinensi, *in regesto.*

Clericus non inseruiens alcui Ecclesiæ, sed incedens in habitu, & tonsura, qui interest Processionibus, & aliquando in Choro, gaudet priuilegio fori. Die 8. Martij 1628. in Romana, *in regesto.*

Clerici recusantes frequentare scholas non possunt priuari fori priuilegio. Die 12. Augusti 1631. in Maceratensi, *in regesto.*

Clerici reassumentes habitum clericalem gaudent priuilegio fori quoad personam, non quoad bona, si fraus subsit. Die 16. Septembris 1630. in Cusentina : *lib. 2. decr. Paul. fol. 58.*

Etiamsi post delictum, & processum Clericatum assumpserint. Die 16. Decembris 1642. in Ianecensi : *lib. 3. decr. Paul. fol. 192.* Rossanensis, die 18. Martij 1631. *lib. 2. decr. Paul. fol. 100.* Papiensis, die 23. Maij 1626. Ciuitatis Castellanæ, die 18. Februarij 1631. *lib. 2. decr. Paul. fol. 96.*

Clerici non habentes qualitates expressas in sacro Concilio Tridentino non gaudent priuilegio fori. Die 26. Iunij 1629. in Assisiensi : *lib. 1. decr. Paul. fol. 141.*

In minoribus constituti gaudere debent exemptionibus Clericis competentibus. Die 11. Augusti 1638. in Montis Regalis : *lib. 3. decr. Paul. fol. 69.*

Abutens licentia fori Ecclesiastici, si sit laïcus, puniri potest à Iudice Ecclesiastico, non autem priuatiuè ad Iudicem laïcum. Die 15. Ianuarij 1650. in Ciuitatis Plebis : *lib. 4. decr. Paul. fol. 79.*

Fori priuilegio non gaudet ille, cui reseruata fuit pensio vt Clerico, si non incedat in habitu, & tonsura. S. Congr. Concilij, 19. Iunij 1586.

Fori priuilegio gaudet subdiaconus, qui characterem, & habitum clericalem assumpsit post delictum, processum, & fideiussionem de se repræsentando coram Iudice laïco, & à iurisdictione Iudicis laïci est liberatus quoad personam. Quod si fraus subsit, quam Iudex Ecclesiasticus inspicere debet, potest Iudex laïcus processui finem imponere, contra illum quoad bona procedendo. S. Congr. Concilij in Papiensi, 23. Maij 1626. & S. Congr. Immunit. in Ciuitatis Castellanæ, 18. Febr. 1631.

Fori priuilegio gaudent Clerici in sacris constituti, beneficiati, pensionarij, protonotarij, & alia similia officia habentes, & illi, qui per modicum tempus habitum dimiserunt, etiamsi tempore capturæ fuerint reperti in habitu seculari; & illi Clerici in minoribus constituti, non habentes qualitates Concilij *cap. 6. sess. 23. de reform.* quando Iudex Ecclesiasticus præuenit. S. Congr. Concilij in Leodiensi, 9. Nouembris 1630.

Fori priuilegio gaudet promotus ad Ordines cum collatione vnius beneficij redditus duorum scutorum annuorum, qui incedens in habitu laïcali cum armis, dum caperetur à birruariis, vnum ex illis occidit, & ad carceres laïcales adductus fuit. S. Congr. Concilij in Ianuensi, 18. Martij 1628.

Fori priuilegio gaudet Clericus in minoribus constitutus, Ecclesiæ deseruiens, non tamen ex mandato Episcopi, sed habitum, & tonsuram deferens. S. Congr. Concilij in Valentina, 29. Iulij 1628.

Fori priuilegio gaudet Clericus incedens in habitu, & tonsura, descriptus in catalogo Clericorum, qui in Synodo diœcesana obedientiam præstitit Ordinario, & per paucas vices in choro, & in processionibus interfuit, attentis circumstantiis, quamvis alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi non inseruiat, vel beneficium Ecclesiasticum non habeat. S. Congr. Concilij, in Nullius, 28. Martij 1628.

Fori priuilegio gaudet Clericus, qui ante carcerationem reassumpserat habitum. S. Congr. Immunit. in Rossanensi, 18. Martij 1631.

Fori priuilegio gaudet de præsenti laïcus pro tempore, quo

quo fuit Clericus. S.Congr. Immunit.in Nullius, 9. Septembr. 1631.

Fori priuilegio gaudet Subdiaconus, qui in vim dispensationis Apostolicæ cum vidua matrimonium contraxit, & pensiones Ecclesiasticas obtinet. S. Congr. Concilij, 24. Martij, & 17. Septembris 1618.

Fori priuilegio non gaudent in ciuilibus Clerici coniugati, tam constitutione Bonifacij VIII. quàm decreto Concilij Trid. nisi vbi de crimine etiam ciuiliter ageretur. S.Congr. Concilij, 13. Februarij 1610. & S.Congr.Episc.10. Febr. 1618. sed eos gaudere in ciuilibus, præsertim in Regno Neapolitano, in quo adest consuetudo, censuit S.Congr. Immunit. 17.Februarij 1630.

Fori priuilegio non gaudent illi,qui in accendendis lampadibus, & aperiendis portis Ecclesiæ deseruiunt. S. Congr. Episcop. 18. Ianuarij 1603.

Fori priuilegio gaudent protonotarij honorarij, etiamsi Ecclesiæ non inseruiant. S.Congr. Concilij, 9. Iulij 1626. Nec seruitio alicuius Ecclesiæ adscripti sint, dummodò in habitu clericali incedant. Eadem S. Congr. in Toletana, 27. Martij 1632.

Fori priuilegio priuari non potest Clericus in minoribus ordinibus constitutus,recusans frequentare scholas, & Ecclesiam; si tamen esset probabilis spes profectus. S. Congr. Concilij in Materana, 2. Augusti 1631.

Religiosus, qui commisit diuersos graues excessus, de quibus nunquam voluit emendari, nec pœnitentiam pro ipsis impositam peragere, fori priuilegio non gaudet. S. Congr. Episc. 22.Ianuarij 1596.

In omni tamen casu necessarium est, vt monitus non resipuerit, & sequuta sit declaratio per Iudicem Ecclesiasticum competentem facta de incorrigibilitate. S. Congr. Episc. in Papiensi, 8. Decembris 1597.

Clerici publicè, & personaliter macellum, vel cauponam tenentes, carnesque cædentes, & vendentes, si nominatim, & tertiò moniti non desistant, vel si desistant, & posteà reuertantur ad idem, perdunt ipso facto priuilegium clericale. Quod etiam intelligendum est de qualibet arte mechanica, maximè si Clerici sunt tantùm in minoribus constituti. S. Congr. Episc. in Bisignianensi, 6. Octobris 1628.

Clericus assassinus fori priuilegio non gaudet. Non habet tamen Iudex laicus iurisdictionem vllam in talem Clericum ante sententiam declaratoriam, quæ non à seculari, sed ab Ecclesiastico Iudice fieri debet. Clemens VIII. *const.*37. §.3. & S.Congr. Episc.18. Decembr. 1595. & 14. Februarij 1601.

Clericus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus, fori priuilegio non gaudet, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat: quod tamen ante 14. annum inceptum non potest obtinere, nisi in fundatione sit cautum, quod illud ante 14. annum obtineri possit; quia tunc non censetur per Concilium tali fundationi derogatum. S. Congreg. Episc. 16. Maij 1596.

Requiritur tamen mentio expressa de hoc. Eadem S. Congr. in Tridentina, 18. Septembris 1655.

Vt Clerici non habentes huiusmodi requisita amittant priuilegium fori, nulla requiritur monitio,sed sufficit declaratio, præuia citatione ad dicendum causam, quare, &c. S. Congr. Concilij in Licien si, 7. Septembris 1624.

Si Clericus non seruiat, priuilegio fori non gaudet, licet haberet pensionem. S.Congr. Concilij, teste Garzia *p.1. c.5. num.*70.

Clericus pensionarius gaudet priuilegio fori, licet ex dispensatione Apostolica non incedat in habitu. S. Congr. Concilij 26. Iunij 1630.

Etsi Religionem militarem ingrediatur, ac profiteatur, non priuatur ipso facto pensione, neque priuilegio fori, licet incedat ense accinctus, habituque militari indutus. S. Congr. Concilij, 20. Augusti 1633.

Clerici trahi possunt ad forum laicalem tutorio nomine, quando sunt tutores pupillorum laicorum. S. Congr. Episc. 23. Aprilis 1607.

Si constat, licentiam ab Episcopo, quamvis oretenus, fuisse concessam Clerico, vt studeret in aliqua publica Schola, vel Vniuersitate, vtique gauderet priuilegio, non tamen sufficeret promissio, vel licentia tacita. S. Congr. Concilij, 15. Martij 1621.

Sufficit etiam licentia tacita. Eadem S. Cong. 5. Martij 1618.

Habens beneficium, licet exiguum, gaudet fori priuilegio, quamvis solum titulum habeat,quia scilicet nondum possessionem accepit. S.Congr.Episc.in Licien si, 20. Aprilis 1621.

Nisi huiusmodi beneficia exigua sint procurata in fraudem. S. Congr. Concilij 13. Ianuarij 1623.

Sufficit ad hoc, ne quis priuilegium propter non delationem habitus amittat, si eo vestium vtatur genere, vt visus à Populo Clericus iudicetur. Iudicium autem, an aliquis sit Clericus, vel an habitus sit clericalis, ab Ecclesiastico Iudice ferendum erit. S. Congr. Episcop. 8. Aprilis 1603. & 15. Aprilis eiusdem anni.

Oblati an, & quando fori priuilegio gaudeant? Vide verbum *Oblati.*

### *Franchisia.*

Taxa tumulorum pro franchisia assignata in Regno Sacerdotibus, Clericis, & in sacris, & in minoribus. Die 27. Aprilis 1632. in Cusentina: *lib. 2. decr. Paul. fol.* 123.

Clericis datur franchisia 12. tumulorum,donec probent consuetudinem. Die 22. Maij 1663. in Neritonensi: *lib. decr. Roccij, fol.* 481.

Personæ Ecclesiasticæ non possunt donare medietatem franchisiæ sibi competentem. Die 12. Decembr. 1645. in Salernitana: *lib. 3. decr. Paul. fol. 267. à tergo.*

Clerici pauperes possunt vendere franchisiam eisdem assignatam. Die 6. Maij 1631. in Oritana: *lib.2.decr. Paul. fol.*77. *à tergo.*

Clerici habere debent suam integram franchisiam. Die 21. Martij 1646. in Sulmonensi: *lib.3. decr. Paul. fol.*276. *à tergo.*

Etiam respectu colentium bona Ecclesiæ. Die 25. Iunij 1644. in Rouinensi: *lib.2. decr. Paul.fol.*229.

Ecclesiastici gaudent franchisia, etiam pro coniunctis, & familiaribus. Die 27. Aprilis 1632. in Cauensi: *lib.2.decr. Paul. fol.* 123. Teramensis, die 22. Augusti 1662. *lib. decr. Roccij, fol.*417.

Sacerdos quamvis absens, debet gaudere solita franchisia sibi competente. Die 26. Ianuarij 1644. in Vulturanensi: *lib.3. decr. Paul. fol.*20. *à tergo.*

Clerici, quamvis absentes, debent gaudere franchisia sibi competente.Die 25.Maij 1634.in Basileensi: *lib.3. decr.Paul. fol.*61. Boianensis, die 30. Iunij 1643. *ibid. fol.*203. Salernitana, die 2. Iulij 1630.*lib.2.decr.Paul. fol.* 49.

Vide verbo *Immunitas.*

### *Frumentum.*

Ecclesiastici non debent impediri asportare frumentum, si non adsit indigentia Ciuitatis. Die 22. Ianuarij 1629.in Assisiensi: *lib.1.decr. Paul.fol.*121.

Gubernator Marchiæ non potest eos impedire. Die 10.

Decembris 1647. in Auximana: *lib.* 4. *decr. Paul. fol.* 35.

Impedientes extractionem frumenti Ecclesiasticorum excommunicantur. Die 22. Ianuarij 1629. *lib.*1.*decr. Paul. fol.*122. in Eugubina.

Ecclesiastici non possunt cogi, vt eorum frumenta contribuant pro abundantia annonæ. Die 18. Maij 1649. in Ciuitatis Castelli: *lib.*4. *decr. Paul. fol.*78.

Perquisitio frumentorum in locis immunibus non potest fieri à laïcis. Die 15. Decembris 1648. in Florentina, *ibid. fol.*66.

Assignationes frumenti sunt dandæ Ordinario loci, sed cognitio super fraudibus potest fieri à Gubernatore, si habeat facultatem. Die 10. Decembris 1629. in Assisiensi: *lib.*2. *decr. Paul. fol.*4.

In casu etiam penuriæ, *le rassegne delle biade*, sunt faciendæ Curiæ Ecclesiasticæ. Die 14. Ianuarij 1630. in Ciuitatis Castelli, *ibid. fol.*23.

Ecclesiastici non tenentur consignare frumentum Principi laïco. Die 18. Augusti 1637. in Casalensi: *lib.*3. *decr. Paul. fol.*39. *à tergo.*

Nec denunciare frumenta Iudici laïco. Die 19. Iunij 1592. in Ferrariensi, *in regesto.*

Monasterium Carthusiæ Ferrariensis eximitur à gabella pro frumento vendito. Die 28. Nouembris 1634. in Ferrariensi: *lib.*2. *decr. Paul. fol.*209.

Vltra vsum vnius anni pro familia propria emi prohibuit Pius V. *const.*19. Excommunicatio tamen hodie non incurritur, quia sublata fuit ab Vrbano VIII.

*Furnus.*

Episcopus potest aperire furnum ad effectum *di fare spianare il suo grano.* Die 14. Decembr.1649. in Vrbinatensi: *lib.* 4. *decr. Paul. fol.* 96. Nucerina, die 25. Ianuarij 1650. *ibid. fol.* 98. Forosempronienſis, die 23. Augusti 1633. *lib.*2. *decr. Paul. fol.*168.

Ecclesiastici non possunt cogi ire ad certum furnum. Die 13. Iulij 1637. in Fanensi: *lib.* 3. *decret. Paul. fol.* 37.

Furnus Ecclesiasticorum gaudet exemptione. Die 20. Martij 1630. in Nuscana: *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 33. *à tergo.*

Clerus potest habere furnum proprium, eoque vti, seu locare personæ sibi benè visæ. Die 9. Martij 1632. in Eugubina, *fol.*116. *à tergo.*

Nuncius Neapolitanus prouideat circa furnos Regularium, vt illis vtantur pro suo vsu tantùm. S. Congr. Immunit. 4. Decembris 1628.

*Furiosus.*

Nouitia furiosa debet remitti domum. S. Congr. Episcop. 7. Aug. 1607.

Professa verò secus. Eadem S. Congr. 25. Iunij 1601. & 15. Nouembris 1588.

*Fur.*

Furans in Ecclesia gaudet immunitate Ecclesiastica, sed puniri potest. Die 18. Martij 1631. in Squillacensi: *lib.*2. *decr. Paul. fol.* 100.

Furans pyxidem, in qua actualiter asseruatur Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, non gaudet immunitate Ecclesiastica. Die 2. Iunij 1632. in Squillacensi, *ibid. fol.*128.

Furans vota argentea in Ecclesia, damnatur ad triremes. Die 21. Nouembris 1635. in Placentina: *lib.* 2. *decr. Paul. fol.*238. *à tergo.*

Committens furtum in Ecclesia gaudet immunitate, non tamen respectu Iudicis Ecclesiastici. S. Congr. Episc. 18. Martij 1603.

---

## G

*Gabella.*

CLerici in minoribus gaudere debent exemptione à gabellis. Die 10. Nouembris 1638. in Montis Alti: *lib.*3. *decr. Paul. fol.* 78. *à tergo.* Florentina, die 13. Iunij 1640. *ibid. fol.* 119. *à tergo.* Camerinensis die 17. Ianuarij 1628. *lib.*1.*decr. Paul. fol.*80.

Ecclesiasticæ personæ non tenentur ad gabellas absque licentia Sedis Apostolicæ. *In regesto.* in Matheranensi.

Ecclesiastici non possunt grauari à prætensa gabella Communitatis. Die 16. Iulij 1627. in Vrbinatensi: *lib.*1. *decr. Paul. fol.*57.

Clerus secularis, & regularis eximitur à gabellis à laïcis impositis. Die 1. Decembris 1627. in Parmensi: *lib.*3. *decr. Paul. fol.*51. Vicentina, die 25. Maij 1638. *ibid. fol.* 63. Mutinensis, die 21. Martij 1625. *ibid. fol.* 24. Senogallienſis, die 2. Maij 1629. *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 136. Recanatensis, die 22. Iunij 1655. *lib.*5. *decr. Paul. fol.*68. *à tergo.* Ciuitatis Castelli die 5. Martij 1652. *lib.*4. *decr. Paul. fol.*177. *à tergo.*

Etiam à gabella, vt dicitur *de contratti.* Die 9. Aprilis 1647. in Reatina, *ibid. fol.*11. *à tergo.*

Clerici non tenentur ad gabellam impositam super pascua animalium. Die 31. Ianuarij 1628. in Laquedonensi: *lib.*1. *decr. Paul. fol.*82.

Clerici gaudent exemptione fructuum in bonis etiam eisdem donatis, *ibid. fol.* . .

Clerici non tenentur ad solutionem gabellæ carnis. Die 30. Maij 1628. in Asculana: *lib.*1. *decr. Paul. fol.*94.

Clerici, etiamsi non inseruiant Ecclesiæ, eximuntur ab oneribus personalibus. Die 6. Martij 1635. in Aprutina: *lib.*2. *decr. Paul. fol.*218.

Ecclesiastici non tenentur ad onera ad fauorem Principis. Die 18. Augusti 1637. in Casalensi: *lib.* 3. *decr. Paul. fol.*39. *à tergo.*

Nec tenentur ad solutionem oneris nuncupati *il Tasso.* Die 9. Iunij 1636. in Casalensi: *ibid. fol.*33.

Clerus secularis eximitur à gabellis laïcalibus. Die 31. Maij 1659. in Placentina. *lib.*3. *decr. Paul. fol.*93.

Clerus non potest sponte soluere gabellas à laïcis impositas. Die 15. Iunij 1638. in Vicentina: *lib.* 3. *decr. Paul. fol.* 65. Andrian. die 27. Septembris 1632. *lib.*2. *decr. Paul. fol.*138.

Bona data Clericis in Regno Siciliæ quomodò sint exempta à gabellis, & quando teneantur soluere. Die 24. Ianuarij 1623. in Sicilia, *in regesto scripturarum veterum, fol.*16.

Gabella non soluitur in transportatione Cadaueris ab vno ad alium locum. Die 10. Iunij 1653. in Firmana: *lib.*5. *decr. Paul. fol.*16.

Emphyteuta Ecclesiasticorum gaudet exemptione ab oneribus Communitatis. Die 27. Maij 1654. in Imolensi: *lib.*5. *decr. Paul. fol.* 141. *à tergo.*

Clericus, quamvis absens, gaudet exemptione à gabellis. Die 2. Iulij 1650. in Salernitana: *lib.*2. *decr. Paul. fol.* 49.

Clerus non tenetur soluere gabellam impositam super tumulis frumenti. Die 11. Septembris 1634. in Lucerina, *ibid. fol.*201.

Seruientes Ecclesiis non tenentur ad gabellam panis non ingabellati. Die 30. Decembris 1636. in Bouinensi: *lib.*3. *decr. Paul. fol.*14.

Gabella non est soluenda pro eleemosyna frumenti, vini, olei, &c. Die 26. Februarij 1658. *lib. decr. Roccij, fol. 67. à tergo.* Valentina, die 12. Nouembris 1658. *ibid. fol. 134. à tergo.*

Clerus gaudere debet exemptione à gabella vini. Etiam ementes ab eis. Die 14. Ianuarij 1653. in Conuersanensi: *lib. 5. decr. Paul. fol. 5. à tergo.* Rauennatensis, die 20. Augusti 1635. *lib. 5. decr. Paul. fol. 253.* Panormitana, die 7. Iunij 1633. *ibid. fol. 160.* Oritana, die 24. Iulij 1628. *lib. 1. decr. Paul. fol. 101.* Ianuensis, die 9. Aprilis 1647. *lib. 4. decret. Paul. fol. 10. à tergo.*

Ementes vinum ab Ecclesiasticis non tenentur ad gabellam impositam. Die 14. Maij 1663. in Iuuenacensi: *lib. decr. Roccij, fol. 480.*

Collegium Romanum eximitur à gabella vini, vt dicitur à minuto. Die 19. Nouembris 1658. in Auersana: *lib. decr. Roccij, fol. 128. à tergo.*

Emptores fructuum ab Ecclesiasticis non tenentur ad gabellam extractionis. Die 24. Martij 1654. in Ferrarensi: *lib. 5. decr. Paul. fol. 36.*

Ecclesiastici, attenta quasi possessione immemorabili, eximuntur à gabella macinæ. Die 12. Februarij 1646. in Cusentina: *lib. 4. decr. Paul. fol. 4.*

Episcopus non potest præcipere gabellariis, ne dent Clericis franchisias sine sua licentia. S. Congr. Episcop. in Tranensi, 23. Iulij 1603.

Quoad Clericos, qui vendunt furnariis, vel aliis schedulas suæ franchisiæ, nihil debet innouari. S. Congr. Episc. in Melitensi, 25. Iunij 1619.

Familiares, qui seruiunt actualiter Ecclesiasticis, exempti sunt à gabellis. S. Congr. Episc. in Licien si, 12. Martij 1602.

Clerici non tenentur ad gabellas, neque ratione pascui animalium. S. Congr. Episc. in Caputaquensi, 14. Augusti 1612.

Neque pro pane, & vino determinato, licet emerent à laïcis. S. Congr. Episc. in Brundusina, 10. August. 1604. & in Oritana, 30. Iulij 1612.

Neque pro vino collecto in propriis vineis, licet illud vendant laïcis. S. Congr. Episc. in Tranensi, 13. Ianuarij 1610. & in Sipontina, 11. Septembris 1612. vel ad minutum. Eadem S. Congr. in Tranensi, 22. Ianuarij 1613. & in Lauellensi, 24. Septembris 1617.

Neque pro paleis, & serico collectis in propriis bonis, & alteri venditis. S. Congr. Episc. in Rhegiensi, 3. Augusti 1621.

Moniales non comprehenduntur in gabellis prædialibus, neque in statu Ecclesiastico. S. Congr. Episc. in Auximana, 19. Maij 1617.

Neque impositis pro vino, & lignis, quæ introducuntur in Ciuitatem pro vsu Monasterij. S. Congr. Episc. in Anconitana, 15. Ianuarij 1619.

Absolutio ab excommunicatione ob impositionem gabellæ incursa non conceditur, nisi facta restitutione eisdem Ecclesiasticis, vel si id minùs fieri possit, alicui loco pio, arbitrio Ordinarij. S. Congr. Episc. in Tropiensi, 24. Aprilis 1582.

Modò restituta non applicet Cathedrali, vel suo Palatio. Eadem S. Congr. 16. Martij 1603.

Quando bona peruenientia ad Clericum, vel ad Ecclesiam habent annexam aliquam gabellam certam, perpetuam, & inuariabilem, tenentur illam soluere. S. Congreg. Immunit. 21. Aprilis 1640.

Et similiter pro solutionibus debitis, & maturatis tempore, quo iam bona deuenerant in Clericos. S. Congr. Immunit. in Marsicana, 10. Aprilis 1628.

Licebit Capitulo exigere gabellam, siue datium ab immemorabili consuetum, & sibi donatum, vel alio modo legitimè acquisitum super fructibus prædiorum, etiam Ecclesiasticorum; quia hoc est onus reale, certum, & inuariabile, vt supponitur. S. Congr. Concilij in Castellanetensi, 29. Nouembris 1653.

Non potest Ecclesiasticus in acquirendo se obligare per pactum ad soluenda huiusmodi onera, nisi sint hypothecæ, vel ita rei annexa, vt cum ipsa pertranseant. S. Congr. Episc. in Vgentina, 6. Octobris 1617. & in Vritana, 17. Nouembris 1620.

Res Ecclesiasticorum, quæ venduntur laïcis, translato earum in laïcos dominio, non retinent amplius exemptionem à gabellis, neque ab oneribus incertis, & variabilibus. S. Congr. Episc. in Vmbriaticensi, 11. Septembris 1598.

Res, quæ propter non solutum vectigal, incidunt in commissum, ipso iure efficiuntur Fisci, vel eius, cui vectigal soluendum erat.

In canone 5. Bullæ Cœnæ Domini est excommunicatio latæ sententiæ contra omnes, qui in terris suis pedagia, seu gabellas nouas imponunt, vel augent, præterquàm in casibus à iure, vel ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis; vel augeri, seu imponi prohibita exigunt.

*Generalis.*

Generalis Regularium nedum appellationes recipere, sed & causas in prima instantia auocare potest, quia Concilium non loquitur de Regularibus. S. Congr. Episc. 2. Octobris 1654.

Generalis non debet condemnare Fratres de facto, causaque priùs non cognitâ. S. Congr. Episc. 26. Nouembris 1602.

Neque est certum, an habeat facultatem mittendi ad triremes, *ibidem.*

*Graduatus.*

Decretum, quod qui non est graduatus in aliqua Vniuersitate, non possit habere officia, vel beneficia in aliquo Regno, est contra libertatem Ecclesiasticam. S. Congr. Episc. in Castellanetensi, 25. Iunij 1603.

*Græci.*

Congregatio S. Officij aliquando prohibuit, ne in aliqua Diœcesi Græci, vel alij Clerici Albanenses ad Ordines promouerentur, nisi priùs de ipsius mandato circa dogmata nostræ fidei examinati. S. Congr. Episc. in Rossanensi, 29. Aprilis 1616.

Ordinarij abstinere debent à promotione Græcorum bigamorum, vel qui exercuerunt chirurgiam. S. Congregat. Episcop. in Brundusina, 23. Augusti 1652.

Ritum Latinum retinere debent ritu Latino nubentes Græcis. S. Congr. Episc. 20. Februarij 1590.

Græci subiiciuntur Ordinariis circa ea, quæ ad Dei cultum, & Sacramentorum administrationem attinent. Pius IV. constitutione 73.

Festos dies Latinorum tenentur obseruare Græci inter Latinos existentes. Clemens VIII. constitutione 34. *Sanctissimus.*

*Grassatores.*

Non possunt dici, neque publici latrones, neque viarum grassatores, qui semel, aut bis aliquem spoliauerunt, vel sæpius, sed occultè, in viis priuatis, vel etiam in locis sacris, dummodò non publicè furari consueuerint. S. Congr. Episc. in Cathacensi, 10. Martij 1610. & in Laudensi, 28. Aprilis 1623.

*Gratia.*

Gratia, super qua fuerunt literæ expeditæ, non euanescit morte Pontificis, sed suum effectum sortiri debet iuxta earum tenorem, modò ratione, vel alia suspicione careant, & non sint in forma commissoria; quia tunc re infecta remanente, morte mandantis mandatum exspirat. S. Congr. Episc. 26. Septembris 1589.

*Gubernator.*

Episcopus cum facultate Apostolica potest procedere contra Gubernatorem exemptum. Die prima Decembris 1666. in Materanensi: *lib. decr. Altouiti, fol.* 33.
Monopolitana. Die 15. Ianuarij 1667. *ibidem. fol.* 40.
Gubernator, vti persona Ecclesiastica potest conuenire Regulares examinandi causâ. Die 19. Augusti 1655. in Ciuitatis Castelli: *lib.* 5. *decr. Paul. fol.* 19.
Gubernator recusans accedere ad Cathedralem contra solitum, cogi potest. Die prima Septembris 1607. in Fanensi, *in regesto.*
Gubernator Campaniæ meliùs certioret de qualitate carceratorum, propter quos eius Ministri fuerunt excommunicati. Die 16. Iulij 1626. in Terracinensi: *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 8. *à tergo.*
Scribitur Episcopo Terracinensi per verbum *miramur*, quia non recte processit contra Ministros Gubernatoris. Die 14. Septembris 1626. in Terracinensi: *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 16.
Gubernator Campaniæ declaratur excommunicatus. Die 14. Septembris 1626. in Verulana, *ibid. fol.* 16.
Committitur Episcopo Narnienſi, vt absoluat Gubernatorem, & Magistratum excommunicatos. Die 14. Augusti 1627. in Narnienſi: *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 59.
Proceditur contra Gubernatorem Corsicæ, & alios violatores immunitatis Ecclesiasticæ. Die 24. Iulij 1628. in Marianensi: *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 100. *à tergo.*
Proceditur contra Gubernatorem Tropiensem ad aggrauatoriam, & reaggrauatoriam. Die 22. Iulij 1630. in Tropiensi: *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 52.
Gubernatori non debetur locus in Choro, osculatio Euangelij, vel similia. S. Congr. Episc. in Tranensi, 30. Maij 1586. & in Rubiensi, 19. Augusti eiusdem anni; & in Hydruntina, 16. Decembris 1596.
Neque Ministris Audientiæ Regiæ. S. Congr. Episc. in Consentina, 5. Februarij 1596.
Gubernator Episcopus indistinctè incensatur, & recipit pacem ante Vicarium, & etiam non Episcopus, si sit Prouinciæ; si verò sit ciuitatis particularis, non Episcopus, præsente Episcopo ante Vicarium; eo verò absente post Vicarium. S. Congreg. Episc. 30. Iunij 1592.

---

H

*Homicidium, & homicida.*

INquisitus pro homicidio non gaudet immunitate Ecclesiastica. Die 19. Decembris 1662. in Narnienſi: *lib. decr. Roccij. fol.* 448.
Si constet de qualitate proditionis, non sequutâ morte, damnatur ad triremes. Die 23. Februarij 1638. in Bononiensi: *lib.* 3. *decr. Paul. fol.* 53.
Ad probationem homicidij proditorij requiritur amicitia præcedens. Die 18. Augusti 1637. in Beneuentana: *lib.* 3. *decr. Paul. fol.* 39. Mandans facere homicidium non comprehenditur in Bulla Gregoriana. Thom. Delbene *tom.* 2. vide in Indice.
Committens homicidium in Ecclesia, non gaudet immunitate Ecclesiastica. Die 18. Octobris 1635. in Iorana: *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 240. *à tergo.*
Occidens in porticu Ecclesiæ gaudet immunitate Ecclesiastica. Die 20. Nouembris 1657. in Asculana: *lib. decr. Roccij, fol.* 41. *à tergo.*
Matricida gaudet immunitate Ecclesiastica. Die 15. Nouembris 1661. in Arianensi: *decr. Roccij fol.* 367.
Occidens in Ecclesia prouocatus in rixa, gaudet immunitate Ecclesiastica. Die 24. Martij 1637. in Algarensi: *lib.* 3. *decr. Paul. fol.* 27. *à tergo.*
Homicidium committens veneno non gaudet immunitate Ecclesiastica. S. Congreg. Concilij, 3. Decembris 1632.
Homicidium commissum à laïco, qui postea effectus est Clericus, non punitur quoad personam, nisi à iudice Ecclesiastico. S. Congr. immunit. 7. Decembris 1632.
Committentes homicidium, vel mutilationem in Ecclesiis, siue Cæmeteriis, non gaudent immunitate. Gregor. XIV.
Non priuatur immunitate, qui occidit, vel mutilat aliquem in Ecclesia non appensatè, & ex proposito, sed in pura rixa orta per accidens, vel calore iracundiæ, & maximè prouocatus. S. Congr. immunitatis sub anno 1639.
Neque attentans mutilare, vel occidere, non secuto effectu. Eadem S. Congr. 22. Ianuarij 1627.
Nec qui occidit, vel mutilat supra tectum, vel in Campanili, vel in scalis, aut in porticu, & similibus. Quæ licèt in fauorabilibus comprehendantur sub Ecclesiæ nomine, in odiosis tamen non comprehenduntur. S. Congreg. immunit. apud Pignatel. *tom. consult. canon.*
Sacra tamen Episcoporum Congregatio in vna Rhegiensi 12. Octobris 1602. & in Melphitensi, 20. Decembris 1616. declarauit, homicidium commissum in gradibus, dici commissum in Ecclesia, & non gaudere.
Eadem in vna Parmensi, 9. Septembris 1593. declarauit Bullam Gregorij XIV. non derogare dispositioni capitis finalis *de immunit. Eccles.* quod non gaudeant immunitate ij, qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, vel earum cæmeteriis committere non verentur; quæ nisi per Ecclesiam, ad quam confugiunt, crederent se defendi, nequaquam fuerint commissuri. Nihil enim aliud facit bulla, nisi reducere ad casus in ipsa contentos omnia priuilegia, de quibus ibi mentionem facit.
Homicidæ non audiendi, nisi se constituant in carceribus, nec remittuntur ad locum, vbi habitant hæredes occisi, nisi habitâ pace. Pius V. *const.* 52.
Homicidæ damnati, siue diffamati, tametsi remissi fuerint, habere tamen non possunt officia, vel Dignitates, nec testimonium ferre. Pius II. constitutione *Ad restituendas.*
Permitti non debet, quod homicida voluntarius vadat in Chorum, multò minùs, quod participet de distributionibus, nisi priùs dispensetur à Sede Apostolica. S. Congr. Episc. in Tarentina, 14. Iunij 1580.

*Hortatoria.*

Episcopi soli Pontifici Romano obtemperare debent. Die 12. Martij 1627. in Vmbriaticensi, *in regesto lit. Paul. fol.* 102.
Episcopus vocatus à Regiis Neapolim, non debet accedere. Die 25. Maij 1638. in Lancianensi: *lib.* 3. *decr. Paul. fol.* 62.

Episcopus

Episcopus non debet parére literis ad audiendum verbum regium. Die 27. Augusti 1641. in Caputaquensi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 54.* Licensis, die 27. Martij 1627. *lib. 1. decr. Paul. fol. 40.* Nuscana, die 15. Februarij 1633. *lib. 2. decr. Paul. fol. 151.* Cusentina, die 17. Ianuarij 1634. *ibid. fol. 181.*

Episcopus punitur pro paritione facta ad audiendum verbum Reipublicæ. Ianuensis, die 12. Nouembris 1647. in Marianensi: *lib. 4. decr. Paul. fol. 32.*

Non videntur incidere in canonem 16. Bullæ Cœnæ, qui decernunt, vel decerni procurant literas hortatorias ad Episcopos, & alios Iudices Ecclesiasticos; quia istæ non sunt prohibitiones, & mandata, sed quædam fraterna correctio, quam etiam subditus superiori facere tenetur. Nec Ordinarij tenentur illis obedire. S. Congreg. Episcop. in Lucerina, 8. Aprilis 1603.

*Hospitalarius.*

Hospitalarius perpetuò addictus seruitio gaudet priuilegio fori, & exemptione pro bonis. Die 20. Martij 1630. in Beneuentana: *lib. 2. decr. Paul. fol. 32.*

Custos hospitalis, durante seruitio, gaudet priuilegio fori. Die 28. Augusti 1663. in Sulmonensi: *lib. decr. Roccij, fol. 503. à tergo.*

Quæstuandi licentia concedi debet ministris hospitalariis, præsertim si de hoc à Summis Pontificibus priuilegium habent pro diœcesibus conuicinis. S. Congreg. Episc. 26. Aprilis 1641.

Sicut Hospitalarij S. Antonij priuilegium habent quæstuandi per totum Domanium Genuensium. Eadem S. Congreg. 19. Augusti 1603.

*Hospitale.*

Hospitale priuatum potest Ordinarius visitare, corrigere, & reformare in iis tantùm, quæ ad obseruandum voluntatem fundatorum pertinent, & exigendi rationem ab Administratoribus ipsius, vnà tamen cum illis deputatis, quibus ex consuetudine ratio reddenda est. S. Congr. Concilij apud Armendar.

Hospitalis in fundatione si sit dictum, quod Ordinarius non possit se intromittere in eius visitatione, non potest illud visitare. S. Congreg. Concilij apud eundem.

Hospitalia omnia, & pia loca, quocumque nomine nuncupentur, etiamsi sint priuata laicorum, potest Episcopus visitare, corrigere, & reformare in casibus à iure concessis, scilicet ob negligentiam, vel ob lapidationem bonorum, vtque testatoris voluntas seruetur. S. Congr. Concilij apud eundem.

Hospitale aliquod visitare volenti si opponatur exceptio, quod sub immediata Regum protectione existat, non ad secularem Iudicem, sed ipsum Episcopum talis exceptionis cognitio, & definitio pertinet. S. Congr. Concilij, teste eodem Armandar.

Hospitalium sub immediata Regum protectione existentium nomine non comprehenduntur, nisi ea, quæ expressè reperiuntur sub immediata Regum protectione. S. Congr. Concilij apud eundem.

Hospitalia etiam vnita, in quibus Ecclesiæ sunt, vbi assiduè diuina officia celebrantur, & bona eorum non sunt distincta, debent ab Ordinariis visitari. S. Congreg. Concilij apud eundem.

Hospitalia, & cætera loca pia visitat Episcopus vigore Concilij, *sess. 22. cap. 8. de reform.* sed non inde prohibetur, quin & Iudices seculares eadem visitare possint, si hoc eis aliàs legitimè competat. S. Congreg. Concilij apud eundem. In dubio tamen poterit Ordinarius ab administratoribus hospitalium, aliorumque piorum locorum rationem administrationis exigere, donec coram ipso doctum fuerit de institutione, in qua secus expressè cautum sit. S. Congr. Concilij apud eundem.

Hospitalis computa, stante consuetudine, Episcopus vnà cum Magistro prædicti hospitalis recognoscere tenetur. S. Congr. Concilij in Agathensi, 19. Nouembris 1616.

Hospitalia administrata à fratribus B. Ioannis Dei non sunt exempta à iurisdictione Ordinarij, nisi solùm quoad regularem obseruantiam. S. Congr. Concilij in Abellinensi, 12. Ianu. 1630.

Hospitalis bona fundati authoritate Episcopi sunt Ecclesiastica, ideoque non possunt alienari absque beneplacito Sedis Apostolicæ. S. Congr. Episc. in Ciuitatis Castellanæ, 2. August. 1641. & 30. Augusti 1642.

Hospitalia, & quæcumque loca pia Episcopus visitare potest, nisi sub Regum immediata protectione sint, & essent in quasi possessione huius exemptionis ante Concilium Trid. S. Congr. in Neapolitana, 11. Augusti 1618. Nam quoad hospitalia, & alia loca pia, quæ verè sunt sub Regum immediata protectione, Concilium nihil detraxit, vel derogauit de iurisdictione Ordinariorum, sed tantùm non tribuit nouam iurisdictionem. S. Congr. Concilij in Neapol. 10. Decembris 1602.

Hospitalia non dicuntur esse sub Regum immediata protectione ex eo, quod sita sint in eorum Regnis, seu Domaniis; & cognitio huius exceptionis ad ipsum Episcopum pertinet. S. Congr. Concilij.

Nec exempta sunt à iurisdictione Ordinarij ex eo, quod à Rege suscepta fuerint in sua protectione, etiamsi fuerint à Regiis ministris aliquando visitata. S. Congregat. Concilij in Messanensi, 16. Augusti 1622.

Hospitale vti Ecclesiasticum, gaudet immunitate Ecclesiastica. Die 8. Aprilis 1631. in Ciuitatis Castellanæ: *lib. decr. Paul. fol. 101.*

Hospitalis apothecæ locatæ vsui prophano non gaudent immunitate Ecclesiastica. Die 13. Iulij 1637. in Verulana: *lib. 3. decr. Paul. fol. 38. à tergo.*

Hospitale locuples, cui debitis supportatis oneribus, redditus supersunt, compelli potest pro aliquo tempore ad dandum aliquid annuatim patrono pauperi. S. Congr. Episcop 19. Maij 1649.

Et aliquid suppeditare pro filio eiusdem studente. Eadem S. Congr. 9. Martij 1604.

*Hospitatio Militum.*

Clerici gaudent exemptione ab hospitatione militum, etiam in bonis patrimonialibus, & pro virili: Die 4. Decembris 1629. in Dertonensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 18.* Papiensis, die 10. Septembris 1629. *ibid. fol. 6.* Capuana die 20. Aprilis 1649. *lib. 4. decr. Paul. fol. 75. à tergo.*

Sub nomine hæredum non comprehenduntur Clerici. Die 27. Februarij 1630. in Dertonensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 29.*

Ecclesiastici non possunt eiici à propriis domibus occasione habitationis militum Regiorum. Die 16. Aprilis 1630. in Aquilana: *lib. 2. decr. Paul fol. 35.* Nullius Altamuræ, die 27. Aprilis 1638. *lib. 3. decr. Paul. fol. 60.*

Dantur literæ Episcopi status Mediolanensis pro tuenda libertate Ecclesiastica ab hospitatione militum. Die 30. Iunij 1632. in Mediolanensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 130.* Dertonensis, die 27. Martij 1635. *ibidem fol. 221.*

Episcopo Bononiensi, qui viriliter tueatur Clerum ab hospitatione militum. Die 23. Augusti 1633. in Bouiensi: *lib. 2. decr. Paul. fol.* 167. Placentina, die 29. Maij 1634 *ibid fol.* 191.

Domus Regularium, & Monasteriorum Monialium sunt exemptæ ab hospitatione militum. Die 23. Augusti 1633. in Cotronensi: *lib. 2. decr. Paul. fol.* 167.

Clerici saluatici eximuntur ab hospitatione militum, si non adsit consuetudo in contrarium. Die 10. Maij 1633. *ibid. fol.* 156. in Alexandrina & Sulmonensi, die 13. Iunij 1640. *lib. 3. decr. Paul. fol.* 121.

Ecclesiastici in Regno quando teneantur dare milites à Prorege petitos. Die 30. Martij 1632. in Neapolitana: *lib. 2. decr. Paul fol.* 119. *a tergo.*

Bona Episcopi non possunt grauari hospitatione militum. Die 12. Ianuarij 1649. in Regiensi: *lib. 4. decr. Paul. fol.* 70.

Domus Ecclesiasticorum, quamquam laïcis locatæ, sunt exemptæ ab hospitatione militum. Die 9. Iunij 1617. in Nouariensi, *in regesto.*

Magistratus secularis non potest dare hospitium militibus in domibus Ecclesiarum, etiam locatis laïcis, & indirectè tendit in præiudicium Ecclesiæ. S. Congr. Episc. 9. Iunij 1617.

Simplex hospitium habere non potest Ecclesiam, sed tantùm Oratorium priuatum, cuius ingressus in viam publicam immediatè non respondeat, nec sit in plano, nec habeat campanam, nec ibi ministrari possint Sacramenta, nec continuam permansionem Religiosorum, nisi infirmorum, & seruientium, nec sepulturam, nisi specialiter concedatur. S. Congr. Episc. 26. Aprilis 1652.

*Habitatio.*

Non est permittendum, quod milites habitent propè Moniales. S. Congregat. Episc. in Asculana, 21. Martij 1614.

Quæ tamen seruare debent indemnem dominum domus: 18. Iunij eiusdem anni.

*Habitus.*

Non est tolerabilis recursus ad laïcos pro recipiendo habitu monastico. S. Congr. Episc. in Montis Politiani, 31. Augusti 1618.

Habitum, & tonsuram non deferentes Clerici, quas pœnas incurrant. Sixtus V. constitutione 92. *Cùm Sacrosanctam*, 5. id. Ianu. 1589.

Habitum dimittens Clericalem potest illum iterum reassumere, non obstante irregularitate superueniente, & Ordinarij prohibitione. S. Congr. Concilij in Mazarien si, 17. Iunij 1630.

Probatio quod habitus clericalis sit assumptus in fraudem, fieri debet coram Iudice Ecclesiastico. S. Cong. Episc. in Ianuensi, 20. Iulij 1621.

Qui dimiserat habitum, quem postea reassumpsit in fraudem, probata fraude coram Iudice Ecclesiastico, debet consignari in totum Iudici laïco. Eadem S. Congreg. in Ianuensi, 3. Iulij 1607.

Clerici, qui habitu dimisso ad nuptias conuolarunt, possunt postea, vxore, vel exercitio incompatibili relicto, habitum reassumere, & priuilegiis frui, ac ad vlteriora promoueri. S. Congr. Episc. in Barensi, 3. Iunij 1597. & in Hieracensi, 24. Martij 1645.

Clericus non amittit priuilegium, si per modicum tempus habitum clericalem dimittat, licèt reperiatur in habitu laïcali. S. Congr. Concilij in Leodiensi, 19. Nouembris 1630. & S. Congr. Episc. 8. Decembris 1597.

Nec qui defert habitum absque tonsura, licèt deferat longam cæsariem. S. Congr. Episc. 23. Augusti 1652.

Contrarium verò declarauit S. Congr. Concilij de non deferente tonsuram, in Ianuensi, 19. Decembris 1620.

Sufficit ad hoc, ne quis priuilegium propter non delationem habitus amittat, si eo vestium vtatur genere, vt visus à populo, Clericus iudicetur. S. Congr. Episc. in Acheruntina, 8. Aprilis 1603.

Non debet Episcopus sine causis multùm vrgentibus Ecclesiasticis præcipere, vt mutent habitum, vel Rectoribus, vt diuerso modo induantur ab aliis. S. Congreg. Episc. 5. Februarij 1607.

Deuotionis causâ habitus regularis permitti debet mulieribus secularibus. S. Congregat. Episcoporum, 13. Iulij 1646.

Dummodò sit lanæ simplicis, & non phrygiatus. Eadem S. Congr. 13. Aprilis 1583.

*Hæresis, Hæreticus.*

Hæretici, vel de hæresi vehementer suspecti non gaudent immunitate Ecclesiæ. Ioan. XXII. *const.* 1. & Gregor. XIV.

Hæresis cognitio totaliter spectat ad forum Ecclesiasticum. Gregor. XIV. constitutione 7. *Cùm aliàs*, 5. Nonas Iunij 1591.

Crimen hæresis est merè Ecclesiasticum, eiusque cognitio ad solos Iudices Ecclesiasticos pertinet, nec secularis Iudex sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reseruatæ, de eo se quomodolibet intromittere potest, nisi in quantum delinquens illi traditus fuerit, debitis pœnis afficiendus. Sed nec tunc Iudex secularis pœnam remittere, vel mitigare, vel qualitercumque commutare potest. Iulius III. constitutione *Licèt*, sub anno 1551.

Vbi verò sunt Inquisitores, de consuetudine spectare solet ad eos priuatiuè, cum assistentia tamen Episcopi, vel eius Vicarij; licèt de iure spectet ad eos cumulatiuè quoad Ordinarios Ecclesiasticos.

Hodie per constitutionem Pauli V. Superiores Regularium prohibentur cognoscere de causis hæreticalibus suorum subditorum. Quod olim per constitutionem Pij IV. poterant, si ministros S. Officij præuenissent. Sed sub prætextu huiusmodi præuentionis delictum hæresis remanebat impunitum.

In locis Italiæ, & Insularum adiacentium nullus hæreticus quovis prætextu domicilium contrahere, habitare, aut morari potest. Gregor. XV. sub annò 1622.

Hæresibus quamciriissimè occurrendum, ne diutiùs serpant. Clemens VII. constitutione 27. *Cùm sicut*, 15. Ianuarij 1530.

Inhabiles sunt perpetuò Regulares ad omnia officia, & gradus suæ Religionis, quibus pro delictis ad S. Officium pertinentibus pœnitentiæ genus aliquod impositum fuerit, vt latiùs in decreto sanctæ memor. Vrbani VIII. in S. Congregatione generalis Inquisitionis, anno 1626. feria 5. Octobris.

*Hebræus.*

Non potest prohiberi Regularibus, ne prædicent, vel ne confessiones audiant sub prætextu, quod originem duxerint ab Hebræis. S. Congr. Episc. in Elborensi, 16. Nouemb. 1621. Vel à neophytis. Eadem S. Cong. *ibidem*, 24. Nouembris 1617.

Nec puella propterea impediri à susceptione habitus. Eadem S. Congr. super Episc. in Vlyssiponensi, 28. Februarij 1614.

Dummodò in Monasterio non adsit statutum, vel constitutio

ſtitutio particularis id prohibens. S. Congr. Epiſc. in Conimbricenſi, 21. Ianuarij 1622.

Non permittitur Hebræis acceſſus ad moniales, & accedentibus ſine licentia infligitur exilium à Ciuitate, & diœceſi. S. Congreg. Epiſc. in Rauennatenſi, 28. Nouembris 1594.

Hebræorum ſit vna tantùm ſynagoga, neque vicina noſtris Eccleſiis. Paulus IV. ſub anno 1555. Pius V. 1567.

Promulgetur aliquando conſtitutio Gregorij XIII. 1581. contra blaſphemias eorum. Quod ſi deliquerint in prædictis, ſortiuntur forum Eccleſiaſticum, *ibid.*

Gaudent priuilegiis, libertatibus, ac immunitatibus ciuium loci, in quo baptizantur. Paulus III. ſub anno 1542.

Confugientes ad Eccleſiam gaudent illius immunitate. S. Congr. Immunitatis, ſub menſe Februarij 1631.

Hebræus coiens cum Chriſtiana, vel è contrà, ordinariè punitur, putà exilio. S. Congr. Epiſc. in Senogallienſi, 22. Septembris 1620.

Hebræus confugiens ad Eccleſiam pro ciuili, gaudet immunitate Eccleſiaſtica. Die 26. Septembris 1652. in Sarzanenſi: *lib. 4. decr. Paul. fol. 160. à tergo.*

Synagogam vnam tantum in qualibet Ciuitate ſtatus Eccleſiaſtici habere poſſunt Iudæi, & tamen tenentur quotannis ſoluere ducatos decem pro qualibet Synagoga, etiam demolita, ſeu demolienda, domui, ſeu hoſpitali catechumenorum de Vrbe. Paulus IV. conſtitutione 9. *Dudum*, 23. Martij 1556.

### *Hæredes, Hæreditas.*

Hæredes venientes ab inteſtato, qui ſunt in poſſeſſione bonorum, priuari non poſſunt per viam executiuam, ſed procedi debet cum libello, iuris ordine ſeruato. S. Congr. Epiſc. in Monopolitana, 18. Octobris 1593.

Clericus etiamſi ſit hæres laïci, & lis concepta, ſeu conteſtata fuerit in vita teſtatoris, conueniri non poteſt coram Iudice laïco. S. Congr. Immunit. 4. Decembris 1619.

Prælatus abſque beneplacito Apoſtolico, ſed ſeruatis aliàs ſeruandis, præiudicare poteſt Eccleſiæ ſuæ in acquirendis, putà renunciare ſubſtitutionibus, ſiue hæreditatibus in fauorem Eccleſiæ factis in caſu mortis, vel defectionis lineæ, vel non implementi onerum primi inſtituti. S. Congr. Epiſc. in Callienſi, 27. Iulij 1605.

Intelligitur tamen, dummodo renunciatio fiat in fauorem venientium ab inteſtato; nam in fauorem aliorum hæreditas nondum adita cedi poſſet; adita verò cedi non poteſt ſine aſſenſu Pontificis, aliàs ceſſio nulla eſt, & cedens incurrit pœnas. Rota apud Caputaquenſem *deciſ. 359.*

Hæredes non poſſunt cogi ad ſoluendas collectas pro bonis à defuncto Eccleſiæ relictis, *ibid.*

Ordinarius non poteſt præcipere Monialibus, vt aſſignent Profeſſæ vſumfructum ſuæ hæreditatis. S. Congreg. Epiſc. 13. Iunij 1614.

Nepos ex filio ſpurio, vel nepos ſpurius ex filio naturali, & legitimo poteſt ab auo non clerico hæres inſtitui, niſi pater Clericus ſit. Pius V.

### *Hieroſolymitani.*

Equites Hieroſolymitani remittuntur Magno Magiſtro id petenti, non obſtante quod S. Congregatio mandauerit Ordinario, vt eos puniat. S. Congr. Epiſc. in Nicoterienſi, 19. Auguſti 1603.

Etiam cùm delinquunt extra clauſtra. Eadem S. Congr. 12. Martij 1602. Eo tamen caſu puniri poſſunt ab Ordinario in terminis Concilij Trid. S. Congr. Epiſc. 13. Nouembr. 1600. & in Tranenſi, 17. Iulij 1603.

Solet etiam id committi Nunciis Apoſtolicis. Eadem S. Congr. 1. Septembris 1602.

Ordinario quoque aliquando committitur, vt procedat contra eos, maximè ſi non communicant in Paſchate. Eadem S. Congr. 10. Dec. 1610. & 26. Febr. 1616.

Ordinarius iterum affigere debet cedulones contra Hieroſolymitanum à ſe pro diuerſis exceſſibus excommunicatum, ſicut & Epiſcopus loci, vbi habitat excommunicatus, non obſtante declaratione nullitatis cenſuræ, facta ab ipſis militibus, cùm ſint Iudices incompetentes. S. Congreg. Epiſc. in Cluſina, 6. Februarij 1615.

Poteſt Ordinarius procedere contra eoſdem, ſi accedant ad Monaſteria Monialium contra formam decreti. S. Congr. Epiſc. in Neapolitana, 12. Iulij 1599. & 18. Febr. 1605. & in Parmenſi, 29. Auguſti 1614.

Clerici, Presbyteri, vel alij Miniſtri delinquentes, qui actu ſeruiunt Eccleſiis Hieroſolymitanis, puniuntur ab Ordinario iuxta conſtitutionem 67. Gregor. XIII. *Circumſpecta*, & Concilium Trid. *ſeſſ. 24. cap. 11.* modò non viuant intra clauſtra, ſubiecti obedientiæ dictorum Militum copulatiuè. Eadem S. Congr. in Ianuenſi, 14. Auguſti 1582.

Tunc tamen poterit eos carcerare, & ſuperioribus conſignare, iuxta terminos Concilij puniendos. S. Congr. Epiſc. in Conſentina, 18. Febr. 1598.

Ordinarius compellere poteſt Hieroſolymitanos ad executionem decretorum Viſitationis Apoſtolicæ, etiam in Bulla Pij V. non comprehenſorum; aliàs enim ea viſitatio quoad ipſos rarò haberet effectum. S. Congr. Epiſc. 36. Iulij 1580.

Non poteſt Epiſcopus prohibere, ne celebretur in Eccleſiis Religionis Hieroſolymitanæ à Sacerdotibus, tam Fratribus, quàm Capellanis dicti Ordinis, abſque ſua licentia. S. Congr. Epiſc. 29. Aprilis 1606.

Clerici, qui ſub prætextu Religionis Hieroſolymitanæ incedunt armati, & ſine habitu, puniri debent ab Epiſcopo, modò non oſtendant receptionem. S. Congr. Epiſc. 18. Octobris 1602.

Vide *Equites Hieroſolymitani.*

Curati Religionis Hieroſolymitanæ tenentur interuenire conſecrationi Oleorum, ſicut tenentur alij. S. Congreg. Epiſc. 20. Maij 1586.

Similiter ad proceſſiones, & alia. Eadem S. Congr. 28. Aprilis 1599.

Et ad exponendas quadraginta horas per turnum. Eadem S. Congr. 17. Septembris 1619.

---

## I

### *Immunitas.*

AD priuationem priuilegij immunitatis requiritur concludens probatio. Die 7. Nouembris 1651. in Laudenſi: *lib. 4. decr. Paul. fol. 136.*

Confugiens ad Crucem exiſtentem in via, gaudet immunitate. Die 7. Decembr. 1638. in Meliuitana: *lib. 3. decr. Paul. fol. 81.*

Viridarium Eccleſiæ gaudet immunitate Eccleſiaſtica. Die 8. Iunij 1658. in Barenſi: *lib. decr. Roccij, fol. 92. a tergo.*

Eccleſia diruta gaudet immunitate. Die 16. Decembris 1659. *lib. decr. Roccij, fol. 233.*

Immunitate Eccleſiaſtica gaudent, qui cum armis prohibitis in Eccleſiam ſe recipiunt. S. Congr. Epiſc. 30. Septembris 1616.

Immunitate Ecclesiastica gaudere debent Clerici, qui post delicta patrata ad Ecclesias confugiunt extra casus in Bulla Gregorij XIV. comprehensos, cùm in hoc casu Abbatis opinio communiter sit reprobata. S.Congr.Episc.in Tropiensi, 24.Ianuarij 1617.

Immunitate Ecclesiastica gaudet pro debito ciuili ad Ecclesiam confugiens. S.Congr.Episc.in Cotronensi, 21.Iulij 1617.& in Beneuentana, 10.Maij 1619.& in Senogallensi, 22.Nouembris ciusdem anni.

Immunitate Ecclesiastica non gaudent hæretici suspecti, & Iudæi, qui post conuersionem apostatarunt, & publici latrones, viarumque grassatores, depopulatores agrorum, homicidiaque in Ecclesiis, & cæmeteriis perpetrantes,& qui proditorie aliquem occidunt, assassini, & læsæ Majestatis in personam Principis rei. Gregorius XIV. constitutione 7. *Cùm aliàs*, 9. Kal. Ianu. 1591.

Immunitate Ecclesiastica non gaudent Capellæ priuatorum palatiorum. S.Congr.Episc.in Marsicensi, 17. Nouembris 1617.& S Congr. Immunit. in Perusina, 9.Decembris 1631.

Immunitate à collectis,tam ordinariis, quàm extraordinariis gaudent coloni, aut affictuarij, vel partiarij bonorum Ecclesiasticorum pro portione colonica. S.Congr.Episc.in Oppidensi, 18. Septembris 1618.

Immunitate ab omnibus exactionibus, & tributis secularibus gaudet Clerici patrimonium,ad cuius titulum fuit ordinatus. S.Congr.Episc. in Catharensi, 3.Augusti 1592.

Immunitate à gabellis,& aliis oneribus laïcalibus priuare non potest Ordinarius Clericos inseruientes Ecclesiis, sed iidem Clerici, nisi vt suprà inseruiant, ac habitum & tonsuram clericalem deferant, aut beneficium Ecclesiasticum obtineant, priuilegio fori non gaudent. S Congr.Episc. 14. Ianuarij 1631.

Immunitate Ecclesiastica non gaudet mater occidens filium infantem. S. Congregat. Concilij, 3. Decembris 1632.

Immunitate Ecclesiastica non gaudet, qui committit homicidium veneno. S. Congr. Concilij, 3. Decembris 1632.

Immunitate non gaudet mulier, quæ malis medicamentis procurat abortum. S. Congr. Concilij,eodem die, & anno.

Immunitate Ecclesiastica gaudet furans in Ecclesia. S.Congr.immunitatis in Squillacensi, 18.Martij 1631.

Cognitio ,an extractus gaudeat immunitate, tam secularis, quàm regularis, de iure communi spectat ad Episcopum, etiam præcisâ Bullâ Gregorij XIV. quæ loquitur de laïcis. S.Congr. Episc. in Melitensi, 25. Octobris 1602.& in Rossanensi,10.Martij 1610.

Non ad Nuncium, nisi specialiter commissa. S. Congr. Episc.in Florentina, 16. Iulij 1627.

Cognitio delictorum commissorum à confugiatis spectat ad Ordinarium, cui concessa fuit extrahendi licentia. S.Congr.Episc.26.Iunij 1607.

Episcopus permittere non debet, vt de curribus, seu iumentis onustis Ecclesiasticorum auferantur, vtputà lignorum frusta, seu fasciculi. S.Congr.Episc. in Mutinensi, 15. Nouembris 1616.

Magistratus secularis non potest prohibere, ne Clerici reponant frumentum in ædibus laïcorum, & è conuerso. Episcopus tamen prouidere debet,ne committatur fraus. S.Congreg.Episc. in Nouarien si, 16.Septembris 1596.

Permitti non debet, quod Clerici se constituant in carceribus laïcalibus, etiam pro copia processus habenda. S. Congreg.Episc. in Hydruntina, 19. Nouembris 1609.

Nec ideò Iudex laïcus potest contra eos in contumacia procedere. S.Congr. Episc. in Neapolitana, 9.Octobris 1623.

Sed sufficit habere certam notitiam extraiudicialem, quod carceratus sit persona Ecclesiastica, ad hoc, vt eum remittere teneatur. S.Congr.Episc.in Aquilana, 16. Febr.1589.

Et debet credere Ordinario.Eadem S.Congr. in Cremonensi, 13. Februarij 1596.

Immunitate Ecclesiæ gaudent inferentes in illa sfrigia. S.Congr.Episc. 16. Nouembris 1618.

Qui elapsus è manibus satellitum confugit ad Ecclesiam, vel apprehendit parietem, aut seras ianuæ,gaudet immunitate. S.Congr. Episc. 31. Martij 1604. & 18.Iulij 1614.& 20.Decembris 1616.

Gaudet etiam comprehensus, qui per locum sacrum ducitur.S.Congr.Episc.in Sipontina,12.Martij 1613.& in Theanensi,13.Iulij: & in Hieracensi,eodem die,& anno.

Immunitate Ecclesiæ gaudent omnes fideles cuiuscumque conditionis,& ordinis, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, etiamsi decoctores, etiamsi blasphemi, dummodò blasphemia non sit hæreticalis. S. Congr. Episc. 21 Iulij 1617.

Excipiuntur casus in constitutione Gregorij XIV. expressi.

Immunitate gaudet attentans mutilare,vel occidere, non sequuto effectu. S.Congr.Episc.22.Ianuarij 1627.

Immunitate gaudent Clerici confugientes ad Ecclesiam, respectu vtriusque Iudicis. S.Congr.Episc.in Fauentina, 20. Augusti 1601. & in Tropiensi, 24. Ianuarij 1617.

Ad licentiam extrahendi concedendam non requiritur certitudo delicti, sed sufficit dubium; nec est necesse, quod talis opinio, vel dubium resultet ex notitia iudiciali, sed sufficit extraiudicialis, etiam quæ resultet ex processu Iudicis laïci. S.Congr. Episc. in Neapolitana, 23. Aprilis 1602.& in Messinensi, 4.Maij 1604. & in alia Neapolitana, 1.Iulij 1622.

Ad consignandum verò Curiæ seculari non sufficit sententia contumacialis, sed plenior probatio requiritur. S Congr.Episc.in Cremonensi, 24.Februarij 1612.& 27.Iulij 1618. in Lucensi.

Non potest consignari propter solum processum factum à Iudice laïco. S.Congr.Episc.in Neapolitana,25.Iunij 1600.& in Vestana, 15.Octobris 1613.

Decretum Clementis VIII. ad Archiepiscopum Panormitanum fuit locale. S.Congr.Episc. in Neapolitana, 1. Iulij 1622.

In materia immunitatis procedendum est per viam censurarum, non capturæ. S.Congr.immunit. in Verulana, 14 Decembris 1626.

Immunitatem localem Ecclesiasticam violantes, offendendo eos, qui ad Ecclesiam confugiunt,incurrunt in excommunicationem Bullæ Gregor.XIV. *Cùm aliàs*. Quæ excommunicatio procedit etiam in attentantes extrahere, etiam effectu non subsequuto, vt patet ex dictæ Bullæ verbis.

Immunitatem Ecclesiasticam violantes imponendo munera personalia, sordida, seruilia Ecclesiasticis,incidunt in canonem 18.Bullæ Cœnæ Domini.

Immunitatem Ecclesiasticam violantes imponendo Ecclesiasticis munera personalia honesta, vel indifferentia secularia, incidunt in canonem 15. Bullæ Cœnæ Domini.

Immunitatem Ecclesiasticam violantes imponendo Ecclesiasticis onera patrimonialia, personalia,vel mixta, & Ecclesiastici illis consentientes, incidunt in canonem 18. Bullæ Cœnæ.

*Infidelis.*

*Infidelis.*

Seruus, seu sclauus infidelis, gaudet immunitate Ecclesiastica. Die 18. Februarij 1631. in Catacensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 95. à tergo.*

Infidelis gaudet immunitate Ecclesiæ. S. Congr. immunitatis, sub mense Februarij 1631.

Non debet permitti, quod infideles ingrediantur in Ecclesiam, dum celebratur Missa: neque Sacerdotes celebrent coram eis. S. Congr. Episc. in Mediolanensi, 23. Iulij 1603.

*Iniuria.*

Iniuria afficientes per violentam manus iniectionem Clericos, vel Religiosos, incidunt in canonem *Si quis suadente*, 17. q. 4.

Iniuria afficiens Papam, vel Cardinalem in personam, incidunt in Bullam Cœnæ, *cap. 11.*

Iniuria afficientes personam Episcopi, & præcipuorum Ecclesiæ Prælatorum, incidunt in dictum canonem 11. Bullæ Cœnæ.

*Iubilæum.*

Vide verbo *Absolutio, num. 9. & sequentibus.*

*Iudæus.*

Vide *Hebræus.*

*Iudex.*

Iudex Archiepiscopatus gaudet priuilegio fori, non tamen eximitur à gabellis. Die 14. Ianuarij 1630. in Panormitana: *lib. 2. decr. Paul. fol. 24.*

Iudex familiaris Episcopi gaudet priuilegio fori, & immunitate ab oneribus personalibus. Die 11. Decembris 1614. in Vasionensi, *in regesto.*

Iudex loci delicti cognoscere debet de causa, non originis, vel domicilij. S. Congr. Episc. in Barensi, 18. Septembris 1618.

Laici possunt in causis profanis conueniri à Clericis coram Iudice laico, non obstante prohibitione synodali. S. Congr. Episc. in Castellanetensi, 20. Augusti 1602. & Licien sis, 28. Febr. 1605.

Iudex Ecclesiasticus procedere debet vt pater, non informationes capere pro qualibet re leui, neque reuoluere processus antiquos. S. Congr. Episc. in Andriensi, 10. Decembris 1602.

Non debet dare suos processus Iudici laico. S. Congr. Episc. in Messinensi, 5. Decembr. 1600.

Nec ipse vti processu Iudicis laici, nisi pro indicio ad capiendam informationem. S. Congr. Episc. in Acheruntina, 4. Iunij 1602. & in Laudensi, 23. Aprilis 1655.

Iudices Ecclesiastici possunt etiam pœnam pecuniariam infligere, applicandam locis piis, iuxta Concilium Trid. *sess. 25. cap. 3. de reform.*

Iudices laici possunt pœnas imponere contra non obseruantes dies festos. Verùm si Episcopus alicui licentiam dederit, non possunt illum punire. S. Congr. Concilij in Placentina, 28. Augusti 1628.

Iudices laici non debent habitare, vel exercere iurisdictionem in locis immunibus, maximè criminalem. S. Congr. Episc. 5. Martij 1602.

Causa laici, qui facit insultum Curiæ laicali spectat ad Iudicem laicum priuatiuè. S. Congr. Episc. in Tudertina, 25. Iunij 1655.

Iudex secularis nec indicia à foro Ecclesiastico regulariter sumere potest. S. Congreg. Episc. 14. Septembris 1621.

Licèt aliquando id inueniatur concessum. S. Congreg. Episc. 10. Nouembris 1618. & 15. Augusti 1620.

Iudex Ecclesiasticus non debet dare processum, vel copiam, vel aliam scripturam Iudici seculari pro habendis indiciis eorum, qui simul deliquerunt cum Ecclesiastico, sed solùm illum ei extraiudicialiter ostendere. S. Congr. Episc. 16. Ianuarij 1601.

Concessit semel Summus Pontifex Magno Duci Hetruriæ copiam processus violationis clausuræ Monialium ad malum finem pro puniendis laicis de huiusmodi excessu indiciatis. S. Congr. Episc. in Florentina, 12. Nouembris 1620.

Iudex Ecclesiasticus non potest condemnare super processu facto à Iudice laico; quia testes examinati in foro laicali non probant contra personas Ecclesiasticas. S. Congr. Episc. 20. Augusti 1601. & 28. Nouembris 1614.

Et speciatim in materiis immunitatis, præsertim ad finem consignandi extractum Curiæ seculari. S. Cong. Episc. 10. Martij 1610.

Iudex laicus non debet iudicare in domibus Ecclesiasticorum, nec ipse, vel eius Ministri hospitium quærere, præsertim in Conuentibus Regularium. S. Congreg. Episc. in Materana, 5. Decemb. 1581.

Multò minùs in ipsis Ecclesiis, vel earum porticis exercere actus iudiciarios, tam ciuiles, quàm criminales, neque bellicorum tormentorum rotæ laxari, siue archibusia exonerari. S. Congr. Episc. in Senogallien si, 19. Augusti 1579.

Iudex laicus non potest in Ecclesia auferre reo arma prohibita sine licentia Episcopi. Quia Iudex secularis prohibetur exercere iurisdictionem aliquam in Ecclesia, *ex cap. 1. de immunit. Eccles.* S. Congr. Episc. in Sipontina, 12. Maij 1604. & in Salernitana, 30. Septembris 1616.

Iudex secularis non potest in Ecclesia, vel alio loco immuni testem, vel reum formaliter examinare, vel cadueris recognitionem facere, neque ad id licentiam concedere potest Episcopus, sed à Sanctissimo, vel à S. Congregatione immunitatis petenda est. S. Congr. Episc. in dicta Sipontina, 12. Maij 1604.

Iudex Ecclesiasticus antequam Iudices seculares personam Ecclesiasticam de assassinio condemnent, debet declarare ab ea fuisse commissum assassinium. Clemens VIII. constitutione 37. *Æquæ*, 18. Decembr. 1595.

Iudices Ecclesiastici possunt in prima, vel secunda, vel tertia monitione laicos concubinarios punire aliquâ pœnâ pecuniariâ piis locis, vel apparitoribus applicanda, stante præsertim consuetudine illius Ecclesiæ. S. Congr. Concilij apud Barbos. *in collect.*

Iudex laicus cognoscere præsumens causas Ecclesiasticas, licèt merè possessorias, incidit in excommunicationem canonis 15. Bullæ Cœnæ Domini. S. Congreg. Episc. in Cauensi, 19. Augusti 1603.

Iudex loci delicti cognoscere debet de causa, non originis, vel domicilij. S. Congr. Episc. 18. Sept. 1618.

Iudices intromittentes se in officio Auditoris Cameræ excommunicationem Papæ incurrunt. Pius IV. constitutione 33. *Ad eximia.*

*Ius Ecclesiasticum.*

Iura Ecclesiastica Episcopi tueri debent respectu quarumcunque personarum, & contra quascumque etiam Communitates Status Ecclesiastici, & extra. Die 30. Nouembris 1634. in Romana: *lib. 2. decr. Paul. fol. 210.*

Iura Ecclesiæ, & laudabiles consuetudines in honorem

Dei, & Ministrorum eius sunt tuenda, & conseruanda. S.Congr. Rit. in Narnien si, 16. Iulij 1605.

*Illegitimus.*

Filius illegitimus Clerici gaudet, viuente eius patre, fori priuilegio. Vide *Filius.*

Illegitima non potest esse Abbatissa, vel Priorissa, nisi habilitetur à Sanctissimo, vel à S. Congregatione. S. Congr. Episc. in Messinensi, 15. Aprilis 1625.

Ad alia verò officia habilitari potest ab Episcopo. Eadem S. Congr. 27. Maij 1602.

Non tenetur soluere dotem maiorem ex hoc solùm capite, quòd sit illegitima. Eadem S.Congr. 23. Aprilis 1616.

*Impunitas.*

Concedi potest solùm à Principe. S. Congr. Episc. in Albigarensi, 6. Octobris 1628.

Concedi solet complici, etiam mandanti, vel mandatario, modò non sit solus. S. Congr. Episc. 11. Ianuarij 1630.

Apponi solent huiusmodi conditiones. Non sit principalis, vel solus. Det indicia sufficientia, ex quibus veniri possit in cognitionem delinquentium. S. Congr. Episc. in Fauentina, 14. Iunij 1628. & in Beneuentana, 11. Augusti, & in Aliphana, 1. Decembris 1629. Dicat veritatem tam contra se, quàm contra omnem alium conspiratorem, actorem, consultorem, auxiliatorem, complicem, participem, seu quolibet alio modo culpabilem. Explicando debitas circumstantias locorum, temporum, causarum, conuentionum, & tractatuum, ita vt ex tali depositione procedi possit ad punitionem reorum, aliàs impunitatis concessio nullius sit roboris, vel momenti. S. Congr. Episc. 26. Februarij 1638.

*Incorrigibilis.*

Religiosus, qui commisit diuersos, & graues excessus, de quibus nunquam voluit emendari, nec pœnitentiam pro ipsis impositam peragere, est incorrigibilis. S. Congreg. Episc. 22. Ianuarij 1596.

Vt quis sit tanquam incorrigibilis priuatus priuilegio Clericali, requiritur, vt monitus non resipuerit, & sequuta sit declaratio per Iudicem Ecclesiasticum petentem facta de incorrigibilitate. S. Congr. Episc. in Papiensi, 8. Decembris 1597.

Antequam possit consignari Curiæ laïcali requiritur sententia Iudicis Ecclesiastici. Die 26. Augusti 1636. S. Congr. Immunitatis *lib. 3. decr. Paul.*

*Indulgentia.*

In Bulla antiquas Regularium indulgentias reuocante, & nouas concedente, non comprehenduntur concessæ eorum Ecclesiis, & eas visitantibus. S. Congr. Episc. in Panormitana, 8. Augusti 1614. & 17. Nouembris 1620.

Publicari non possunt indulgentiæ de nouo concessæ absque licentia Ordinarij loci, neque ab exemptis. Eadem Sacra Congregatio.

Indulgentiam plenariam concedentes Religiosi excommunicationis sententiam incurrunt ipso facto Papæ reseruatam, ex Clementina I. *de priuil.*

Non tamen incurrunt in excommunicationem latam in canone 17. Bullæ Cœnæ contra vsurpantes iurisdictionem spiritualem.

*Informatio.*

Quando capiuntur informationes contra Episcopum, Vicarius residere non debet in iis locis, vbi manet Commissarius. S. Congr. Episc. in Sorana, 8. Iulij 1586.

Dum vacat Ecclesia, committi solet Ordinario vicino. S. Congr. Episc. in Cariatensi, 27. Nouembris 1601.

Item quando proprius Ordinarius est suspectus. S. Congreg. Episc. in Fundana, 1. Octobris 1655.

Ad dandam informationem non est necessarium, quod Ordinarius, siue Gubernator videat processum authenticum, sed sufficit, quod acta viderit talia qualia, vel etiam aliunde fuerit informatus. S. Congr. Episc. in Anconitana, 2. Decembris 1625.

Qui instat mitti ad capiendas informationes, debet etiam expensas subministrare accessus, recessus, ac victus pro Commissario, & familia toto tempore, quo eum propterea morari oportuerit; alioquin datur facultas ipsi Commissario eas recipiendi propria authoritate. S. Congreg. Episc. in Cathacensi, 1. Martij 1640.

Informationes iudiciales non Iudici solùm, sed & Notario dari possunt. S. Congr. Episc. in Ciuitatis Castelli, 3. Iulij 1601. & in Castellanetensi, 20. Augusti 1602.

Informationes extraiudiciales secretè capi solent ab Episcopis vicinis contra Episcopos de aliquo graui crimine accusatos. S. Congreg. Episc. 4. Nouembris 1603. Vel de inhabilitate. Et aliquando mandatum fuit Episcopo vicino, vt eò se personaliter transferret. S. Congreg. Episcop. in Narnien si, 4. Iunij 1655.

Similiter etiam secretò capiuntur informationes de conversationibus minùs honestis, vel delictis carnalibus monialium. S. Congr. Episc. in Ferrarien si, 10. Martij 1601.

*Interdictum.*

Ecclesiæ Regularium interdici non possunt ad instantiam alicuius personæ, etiamsi Cardinalatus honore, vel alia quavis fulgente dignitate sit insignita, nec per Auditorem S. Palatij, aut quoscunque alios Iudices (nisi tota Ciuitas, seu oppidum, vbi Monasteria Regularium consistunt, Apostolica, seu Ordinaria authoritate Ecclesiastico supponantur interdicto.) Et in huiusmodi monasteriis degentes Regulares ad huiusmodi interdicti obseruationem minimè tenentur, ex priuilegio Leonis X. Fratribus Minoribus Obseruantiæ concesso, vt habetur *in compendio Minor. tit. Interdictum*, §. 15. & Gregorij IX. & aliorum Summorum Pontificum Ordini S. Ioannis Hierosolymitani, vt habetur in eodem loco, §. 26. & 27.

*Itali.*

Itali ad primam tonsuram, vel minores ordines promoti cum falsis dimissoriis fori priuilegio non gaudent. Vrbanus VIII. constitutione 23. *Secretis*; secuta tamen Iudicis Ecclesiastici declaratione, §. 4.

Itali proficiscentes ad habitandum extra Italiam, id suis Ordinariis significare debent, nec extra Italiam habitare possunt in iis locis, vbi fidei Catholicæ liber cultus non permittitur, nisi illuc pergant de licentia Sedis Apostolicæ. Clemens VIII. constitutione 42. *Cum sicut.*

*Iubilæum.*

*Iubilæum.*

Excommunicatus absolutus vigore Iubilæi prætendere non potest amotionem cedulonum. S. Congr. Episc. in Biterrensi, 3. Iulij 1637.

Episcopus tempore Iubilæi prohibere non debet, ne quis confessiones audiat extra parochialem, & multò minùs, ne absoluatur, qui damnum dedit in bonis Ecclesiæ, nisi priùs damnum restituerit, & iniunctam pœnam soluerit. S. Congr. Episc. in Clusina, 21. Februarij 1620.

Regulares tempore Iubilæi confiteri possunt cuicumque Confessario approbato, tam seculari, quàm cuiusvis ordinis Regulari, & absolui, etiam à casibus suo superiori regulari reseruatis. S. Congr. Episc. 19. Aprilis 1583.

Distribuere eleemosynas collectas in Ecclesiis Regularium tempore, & occasione Iubilæi, pertinet ad Ordinarium. S. Congr. Episc. 16. Iunij 1628.

Monialibus tempore Iubilæi dari debet Confessarius extraordinarius. S. Congregatio Episcoporum, 21. Martij 1628.

*Iuramentum.*

Iurantes, aut iurare facientes contra Ecclesiæ libertatem, aut contra decreta Concilij Tridentini, sunt ipso facto excommunicati, & absolutio Papæ reseruatur. Gregor. XIII. *const.* 103.

Iurare non tenetur Episcopus in ingressu ad suum Episcopatum statuta, quæ sacris canonibus, & S. Concilij decretis, Apostolicisve constitutionibus sunt contraria, nisi à Sede Apostolica ex certa scientia confirmata existant. S. Congr. Concilij in Oriolensi, 27. Martij 1632.

Iuramenta exigentes, eaque præstantes de obseruandis in iquis statutis, vel consuetudinibus, scriptis, vel non scriptis, illicitis, impossibilibus, vel libertati Ecclesiasticæ contrariis, incurrunt Episcopi, seu Pontificali dignitate præditi suspensionem à diuinis; Vniuersitates autem Ecclesiasticæ, id est Capitula & Conuentns, eorumque Ecclesiæ & loca omnia localia incurrunt interdictum, scilicet personale, vel locale respectiuè, vt latiùs ex Bulla Gregorij XIII. 93. *Inter Apostolicas*, & in Bulla Cœnæ.

*Iurisdictio.*

Iurisdictionem Episcopi impedientes, vel officiales Curiæ Episcopalis in actu exercendi suum officium offendentes, quacumque exemptione non obstante, ab Episcopo coërceri, & puniri possunt. S. Congr. Concilij in Panormitana, apud Aldanum.

Iurisdictio, quæ vigore Concilij Trid. *sess.* 24. *cap.* 11. competit Ordinario in oblatos carentes qualitatibus expressis, *ibid. in verb. Exceptis*, eidem Ordinario tributa est cumulatiuè, non priuatiuè ad superiores Regulares, & in criminalibus tantùm, non autem in ciuilibus. S. Congr. Concilij apud eumdem.

Iurisdictio in iis, in quibus Episcopo tribuitur à iure communi, & Concilio Tridentino, ac constitutionibus Apostolicis in Regulares, potest illos Episcopus, etiam sub censuris Ecclesiasticis compellere. S. Congr. Concilij in Nebbiensi, 7. Febr. 1633.

Iurisdictionem laïci exercentes contra libertatem Ecclesiasticam, decretis, seu præceptis specialibus quibuscunque; item partes ea procurantes, incurrunt in canonem 15. Bullæ Cœnæ.

Iurisdictionem Ecclesiasticam Ordinariorum turbantes, seu impedientes quicunque, incidunt in canonem 16. Bullæ Cœnæ.

Iurisdictionem Ecclesiasticorum Ordinariorum laïca potestate impedientes incidunt in canonem 16. Bullæ Cœnæ.

*Ius congrui.*

Clerici, qui non gaudent priuilegio fori, comprehenduntur legibus, & statutis Principum, & Magistratuum secularium, etiam quoad ius congrui, tam actiuè, quàm passiuè. S. Congr. Concilij, 2. Decembr. 1623.

*Iuspatronatus.*

Sacra Congr. &c. censuit fundatori Conuentus concedendum esse iuspatronatus honorificum, & quod in collectis exprimantur nomina defunctorum, non autem viuorum. S. Congregatio Episcoporum, 14. Ianuarij 1606. & 3. Aprilis 1620.

---

## L

*Laboratores Ecclesiasticorum.*

LAboratores huiusmodi, & alij damna dantes non debent molestari à Iudice laïco. Die 19. Aprilis 1627. in Anconitana: *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 44.

Laboratores Ecclesiasticorum non tenentur dare notam frumenti Gubernatori. Die 18. Nouembris 1653. in Auximana: *lib.* 5. *decr. Paul. fol.* 24.

*Laïcus.*

Laïci tentantes subornare testes in causa pendente coram Iudice Ecclesiastico, possunt per Episcopum puniri. S. Congr Immunit. in Rhegiensi, 18. Martij 1631.

Laïci dum diuina celebrantur, non debent inter Canonicos, & alios Ecclesiæ præbendatos in Choro stare, vel sedere. S. Congr. Rit. in Compostellana, 4. Februarij 1600.

Laïci possunt cogi ad declarandum eorum edictum generale, quod scilicet ea lege neque Ecclesia, neque Clerici ligantur. S. Congr. Immun. 7. Decembr. 1632.

Et S. Episcoporum Congregatio 23. Martij 1612. præcepit Episcopo Lucerino, vt per suum publicum edictum declararet nullum quoddam bannum à Præside illius Prouinciæ promulgatum, ne quis auderet ponere sibi sedes in Ecclesia inter pulpitum, & Audientiam Regiam, quatenus ipse Præses illud reuocare nollet.

Laïcus non potest esse Vicarius Episcopi; si tamen Episcopus feudum, seu iurisdictionem secularem haberet, pro ea Vicarium laïcum deputare potest, nisi reus sit Ecclesiasticus. S. Congr. Episc. 16. Maij 1581. & 3. Iulij 1582.

Laïcus potest esse procurator in causis spiritualibus, excepto quod Cancellarius, seu Magister Actorum non potest facere officium procuratoris in eodem Tribunali. S. Congr. Episc. in Ciuitatis Ducalis, 2. Octobris 1586.

Laïcus socius Clerici sortitur forum Clerici. S. Congr. Episc. 18. Decembr. 1583.

Causæ laïcorum culpabilium in fuga Monialis spectant ad Iudicem Ecclesiasticum, maximè quando præuenit in captura monialis, cùm hæc causa non sit diuisibilis; nec permitti debet, vt assistat examini persona laïca. S. Congr. Episc. in Ragusina, 6. Aprilis 1619

A laïcis non potest concedi licentia pro quæstu elee

molynarum. S. Congreg. Episcop. 8. Nouembris 1619.

Laïcorum loca in Ecclesia distincta, & separata esse debent à locis Canonicorum, & ministrorum in diuinis inseruientium. S. Congreg. Rit. 8. Ianuarij 1605.

Laïci non debent occupare stalla, seu loca Dignitatum Canonicorum, & Præbendarum in Choro, vel Presbyterio, etiamsi sint illustres, & de Magistratu. S. Rit. Congreg. 21. Februarij 1604. & 24. Octobris 1609.

Laïci simul cum Episcopo maximè in processionibus incedere non debent. S. Rit. Congr. 3. Iunij 1617.

Laïcos ad Synodum vocare non potest Episcopus, quamvis illorum consilio vti velit. S. Congr. Concilij, 27. Martij 1632.

*Latrones.*

Latrones publici non gaudent immunitate Ecclesiæ. Gregor. XIV. in sua constitutione.

Non possunt dici publici latrones, qui semel, aut bis aliquem spoliarunt, vel sæpius, sed occultè in viis priuatis, vel etiam in locis sacris, dummodò non publicè furari consueuerint. S. Congr. Episc. 10. Martij 1610.

*Laudum.*

Lauda, & sententiæ immemorabili consuetudine confirmatæ seruandæ sunt. S. Rituum Congregatio 10. Aprilis 1604.

*Legatum.*

Oues relictæ in testamento cum onere Missarum non gaudent priuilegio fori, sed debent alienari. Die 16. Aprilis 1652. in Montis Palutij: *lib. 4. decr. Paul. fol. 180. à tergo.*

Grauati ab executoribus legatorum piorum, tam Ecclesiasticis, quàm laicis, recurrere debent ad Iudicem Ecclesiasticum. S. Congr. Episc. in Monopolitana, 20. Martij 1589.

Legatum Ecclesiæ relictum Rector repudiare validè potest. S. Congr. Episc. 27. Iulij 1605.

Legata pia relicta infrà annum non impleta exequuntur Commissarij Fabricæ S. Petri de Vrbe. Pius V. *const. 97.* Cumulatiuè tamen, non priuatiuè quoad locorum Ordinarios, qui ex decreto Concilij Trid. *sess. 22. cap. 8.* exequi possunt contra non soluentes legata pia, non obstante quod sint familiares. S. Congreg. Concilij, 5. Iunij 1581.

Episcopus non potest applicare, vel taxare legata pia pro Seminario. S. Congreg. Concilij, 27. Februarij 1594.

Maximè si habeant annexum onus celebrationis Missarum. S. Congreg. Concilij in Larinensi, 17. Nouembris 1629. Ex quibus neque fit contributio pro decimis Papalibus. S. Congr. Concilij in Cassinensi, 1612.

Legato facto puellæ ad effectum nubendi, si ipsa monialis effecta fuerit, dicti legati solutioni locus erit. S. Congr. Concilij, 26. Augusti 1616.

Legata, quæ generalibus studiis fiunt, piis legatis æquiparantur, de quibus quartam non deberi sacri Canones manifestè disponunt. S. Congreg. Episc. 13. Maij 1616.

Pro Missis celebrandis legata non sunt beneficia. Si tamen non habeant Ecclesiam determinatam, Ordinarius curabit, vt determinetur, vbi sit qui noret quando satisfiet obligationi. S. Congr. Episcop. 20. Ianuarij 1594.

*Legatus Apostolicus.*

Datur facultas Legato Bononiensi absoluendi excommunicatos. Die 11. Augusti 1626. in Mutinensi: *lib. 1. decr. Paul. fol. 11. à tergo.*

Legato Bononiensi, vt reformet edictum contra confugientes ad loca immunia. Die 10. Aprilis 1628. in Bononiensi, *ibid. fol. 87. à tergo.*

Legatus Bononiensis non habet facultatem extrahendi delinquentes à loco immuni. In Bononiensi. Vide verbo *Extractio, num. 17.*

Legatus Ferrariensis, si non habet facultatem specialem, non potest extrahere delinquentes à loco immuni. Vide verbo *Extractio, num. 18.* Bononiensis, 19. Augusti 1630. *lib. 2. decr. Paul. fol. 57.*

Legato, vt reformet edictum per eum publicatum, cùm contrarietur immunitati Ecclesiasticæ. Vide verbo *Edictum, num 18.* In Ferrariensi.

Edictum Legati Ferrariensis reficiendi vias ante domos ligat Ecclesiasticos, si tamen habuerit à Sanctissimo specialem facultatem. Die 2. Iulij 1647. in Ferrariensi: *lib. 4. decr. Paul. fol. 15.*

Legati etiam de latere non possunt ampliùs hodie cognoscere in prima instantia de causis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, ex Concilio Trid. *sess. 25. cap. 20.* vbi eis prohibetur, & multò magis Nunciis, & Gubernatoribus contra Clericos, aliásve personas Ecclesiasticas, nisi Episcopo requisito, eoque negligente, procedere; alias eorum processus, ordinationesve nullius momenti sint, atque ad damni satisfactionem partibus allati teneantur. Et Innocentius X. prohibuit Cardinali Sabellio Legato Bononiæ, ne se intromitteret in materiis spiritualibus, quas Concilium Tridentinum Ordinario remittit, vt est clausura Monialium, approbatio Confessariorum, &c. S. Congr. Episc. in Bononiensi, 30. Septembris 1650.

Legati, & Gubernatores status Ecclesiastici pœnas, & mulctas ex delictis prouenientes ad manus Thesaurarij remittere tenentur, nec possunt eis condonare. Sixtus V. *const. 93.*

Legatos Sedis Apostolicæ impediens, vel offendens incurrit pœnas statutas *in extr. vn. de consuet.* & in Bulla Cœnæ, *cap. 11.*

*Liber.*

Liber Parochorum non potest recognosci à Iudice Laïco pro fide extracti alicuius defuncti. Die 15. Ianuarij 1658. in Mediolanensi: *lib. decr. Roccij, fol. 56. à tergo.*

Libri cuiuscumque generis, tam in Vrbe, quàm extra, imprimi non possunt, nisi præuio diligenti examine. Leo X. constitutione 12. *Inter*, 4. nonas Maij 1515.

Libros hæreticorum legentes, vel tenentes excommunicantur, mortaliter peccant, & Episcoporum arbitrio puniuntur, qui legunt libros comprehensos in Indice librorum prohibitorum. Pius IV. constitutione 77. *Dominici*, 24. Martij 1564.

Libros prohibitos habendi, legendíve licentiæ omnes reuocatæ sunt, & sola Congregatio S. Officij illas concedit. Gregorius XV. constitutione 40. *Apostolatus*, 30. Decembr. 1622.

Libri imprimi non possunt eorum hominum, qui sanctitatis, siue martyrij famâ, vel opinione, vt præfertur, celebres è vita migrauerint, gesta, miracula, vel

vel reuelationes, seu quæcumque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, & approbatione Ordinarij, qui in iis recognoscendis Thologos, alios que pios, ac doctos viros in consilium adhibeat, ac deinde negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, eiusque responsum expectet. Vrbanus VIII. in decreto *Sanctissimus*, §. 2. die 13. Martij 1625. *tom.* 4. *Bullarij*.

Libros de quavis materia tractantes, & vbicumque compositos nemo in Statu Sedi Apostolicæ mediatè, vel immediatè subiecto audeat aliò deferre, vel mittere imprimendos sine expressa in scriptis approbatione Eminentissimi, & Reuerendissimi Cardinalis S. D. N. Vicarij, & Magistri S. Palatij, si in Vrbe; si verò extra Vrbem existat, sine Ordinarij, & Inquisitoris loci illius, siue ab eis deputatorum facultate, & licentia Operi præfigenda. Libros autem, quos contra huius decreti tenorem imprimi contigerit, præter aliàs pœnas arbitrio suæ Sanctitatis infligendas, absque alia declaratione ex nunc prohibet, & pro expressè prohibitis habere vult, & mandat. S. Congregat. S. R. & Vniuersalis Inquisitionis, sub die 18. Septembris 1625. *in d. Bullario, eod. tom.* 4.

Libri rationum Monasteriorum teneri debent per Moniales extra tempus reddendi rationes, quo teneri poterunt per Episcopum, vel Vicarium. S. Congr. Episc. 22. Ianuarij 1601.

*Literæ electionis.*

Literæ pro electione dari debent solùm à congregatione immunitatis Ecclesiasticæ. Vide verbo *Electio*, in Hydruntina.

Non licet aperire literas SS. Congregationum, licèt nihilhominus sint exequendæ. S. Congr. Episc. 17. Septembris 1601. & 4. Martij 1603. & 27. Aprilis 1604.

Si tamen præsententur intra duos menses à die datæ, aliàs non. S. Congregat. Episcopor. 12. Aprilis 1588.

Literæ S. Congregationis, in quibus scribitur Ordinario, vt aliquid tolcret, non debent ostendi, multò minùs earum copia dari. S. Congreg. Episc. 15. Decembris 1623.

Literæ S. Congregationis præsentari debent Ordinariis cum debito respectu; alioquin priuari debent impetrantes earum commodo. S. Congr. Episc. 19. Iulij 1588. & 29. Ianuarij 1601. & 2. Octobris 1654.

Literarum Apostolicarum executionem impedientes plures pœnas incurrunt, de quibus Leo X. constitutione 30. *In supremo*, Kalendis Martij 1518. Gregorius XIII. constitutione 81. *Consueuerunt*, prid. non. Aprilis 1583. Paulus V. constitutione 63. *Pastoralis*, 6. id. April. 1610. Vrbanus VIII. constitutione 62. §. 11. *Pastoralis*, Kal. April. 1627.

Literæ Apostolicæ emanatæ motu proprio, non indigent iustificatione.

Literæ Gregorij XIII. seruandæ sunt circa præcedentiam in processionibus inter Confraternitates laïcorum. S. Rituum Congregatio 10. Maij 1608. Ac etiam inter Regulares, vt scilicet illi præcedant, qui prius habuerunt locum. Eadem S. Congregatio, 14. Iunij 1608.

*Libertas Ecclesiastica.*

Est contra libertatem Ecclesiasticam statutum, in quo Ecclesia, siue personæ Ecclesiasticæ prohibentur, aut impediuntur vti rebus, aut facultatibus à iure communi sibi concessis. Tale est edictum, siue statutum Principis, vel Iudicis laïci, prohibens, ne vllus laïcus eligat in arbitrum personam Ecclesiasticam. S. Congr. Episc. in Acheruntina, 23. Martij 1614.

Item edictum, siue statutum Magistratus, siue Principis laïci scirè volentis numerum Clericorum, ad quos ordines sunt promoti, cuius sint ætatis, si filios, aut nepotes habeant, si artem aliquam exerceant, &c. suspectum est, esse posse præiudiciale libertati Ecclesiasticæ. S. Congr. Episc. in Neapolitana, 3. Augusti 1621.

Item est contra libertatem Ecclesiasticam edictum, siue statutum Principis laïci circa capiendum, seu comparandum salem, quem Ecclesiastici, eo edicto non obstante, accipere possunt, vbi magis ipsis commodum fuerit. S. Congr. Episc. in Tarentina, 21. Octobris 1607.

Item statutum puniens contrahentes matrimonium cum hominibus alterius Ciuitatis infringit Ecclesiasticam libertatem, & non est validum. Vnde Gregorius XIII. declarauit nullum statutum loci Tarani, Sabinensis diœcesis, quòd mulier habens hæreditatem nubere non posset extra locum.

Item edictum Episcopi, quod Ecclesiastici teneantur mundare vias in seruitium laïcorum. S. Congr. Episc. in vna Ciuitatis Ducalis, 13. Aprilis 1613.

Item statutum, vel prohibitio, ne quis ampliùs molat intra muros, quando Ecclesiastici habent ibi molas. S. Congreg. Episc. 5. Februarij 1616. & 1. Augusti 1620.

Multò magis, si prohibeant ipsis Ecclesiasticis habere molas domi, præsertim pro suo vsu. S. Congr. Episc. in Hydruntina, 22. Ianuarij 1612.

Statutum Capituli, ne ad seruitium illius Ecclesiæ admittatur aliquis cum dispensatione Apostolica, quam aggremiati impetrare non possint, & si impetrent, intelligantur ad eius Ecclesiæ aggremiationem in perpetuum inhabilitati. Item quod ordinati ab Episcopo sine licentia, seu consensu Capituli, non participent de massa. S. Congr. Episc. in Andrien si, 10. Aprilis 1620. & 4. Maij 1621.

Formam laïcorum statuto præscriptam nequaquam oportet seruare in renunciationibus, quæ à mulieribus professionem emissuris, habitu regulari suscepto, intra probationis annum factæ fuerint, nec huiusmodi statuti omissio tales renunciationes inualidat, aut nullas, & irritas reddit, vtpote ab iis personis, scilicet nouitiis factas, quæ secundùm præsentem statum tanquam Ecclesiasticæ censentur, ac proinde legibus laïcalibus solennitatem inducentibus subiacere non debent. S. Congregatio Concilij, sub anno 1606.

*Licentia.*

Licentia pro laborando in diebus festiuis per Episcopum, aut eius ministros ad hoc deputatos in scriptis concedi debet. Iudex verò secularis contra illos, qui in dictis diebus absque dicta licentia reperti fuerint laborare, procedere poterit iuxta constitutionem Pij V. S. Congr. Episc. 21. Augusti 1615.

Licentia Episcopi requiritur, vt Regulares in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicare valeant; contradicente autem Episcopo, nulli etiam in suorum

Ordinum

Ordinum Ecclesiis prædicare præsumant, Gregor. XV. constitutione 18. *Inscrutabili*. Non. Febr. 1622.

Pro licentiis audiendi confessiones, & illarum renouatione nihil potest exigi, etiam stante consuetudine, vt pro singulis licentiis aliquid soluatur. S. Congr. Concilij in Turritana, 12. Martij 1633.

Licentia standi extra claustra Monialibus non conceditur. Pius IV. constitutione 53. *In sublimi*, §. 6. Non. Maij 1561.

Licentias exeundi è Monasteriis concedentes Monialibus excommunicationem incurrunt. Pius V. constitutione 8. *Circa*, 4. Kal. Iun. 1566.

Licentiis secularibus mulieribus concessis ingrediendi Monasteria Monialium vti non potest, nisi de earum expresso consensu capitulariter, & per secreta suffragia habito. Vrbanus VIII. constitutione 29. *Sacrosanctum*, 27. Octobris 1624.

Licentia ingrediendi Monasteria Monialium in casu necessitatis Medicis, Chirurgis, & Operariis concedi solita, singulis quibusque trimestribus renouari debet. S. Congr. Episc. in Camerinensi, 28. Martij 1588.

Licentia faciendi parlamenta, item quæstuandi, detur gratis, quando danda est. S. Congr. Episc. 2. Aprilis 1601. & in Neapolitana, 23. Decembris 1603.

Licentia oretenus data excusat à pœna, licèt requireretur in scriptis, præciso contemptu, vel abusu. S. Congr. Episc. in Aquilana, 19. Augusti 1603.

Licentia S. Congregationis recipiendi ad educationem, vel habitum, semper intelligitur de consensu Monialium. S. Congreg. Episc. in Fauentina, 13. Decembris 1602.

Licentia Episcopi requiritur, vt Regulares in Ecclesiis quæ suorum Ordinum non sunt, prædicare valeant; contradicente autem Episcopo, nulli etiam in suorum Ordinum Ecclesiis prædicare præsumant. Greg. XV. constitutione 18. *Inscrutabili*, Non. Februarij 1622.

### *Liparis Insula.*

Quoad temporalia vnita fuit cum Regno Siciliæ vltra Pharum, non verò quoad spiritualia. Vnde Liparitanæ Ecclesiæ collatio fuit semper liberæ dispositionis sanctæ Sedis, nec illuc introduci debet S. Officium, sicut in Regno Siciliæ, sed sicut in Regno Neapolitano, nec eò extenditur Bulla Cruciatæ, præsertim quoad absolutionem casuum reseruatorum, licèt Episcopus Liparitanus sit suffraganeus Archiepiscopi Messanensis, vt declarauit, & decreuit Vrbanus VIII. & Innocentius X. S. Congr. Episc. 4. Februarij 1611. & 20. Octobris 1618. & 7. Nouembris 1653. & 6. Augusti 1655.

### *Lis.*

Canonici, vel Clerici non debent inuiti compelli ad contribuendum expensis alicuius litis, sed tantùm post rem iudicatam pro rata vtilitatis, quæ reipsa obueniet ipsorum Ecclesiæ. S. Congr. Episc. 26. Nouembris 1591.

### *Locatio.*

Vicarius non debet conducere redditus mensæ. Tum quia eum huiusmodi negotia dedecent. Tum etiam quia plerumque Iudex simul esset, & pars. S. Congr. Episc. 13. Septembris 1593.

Et propter primam rationem neque Canonici. S. Cong. Episc. 10. Maij 1580.

Cancellaria Episcopalis non debet vendi, neque locari, nec Episcopus participare de illius vtilitate. Eadem S. Congr. 23. Decembris 1603.

---

## M

### *Macellum.*

Macellum separatum permittitur Ecclesiasticis. Die 9 Nouembris 1631. in Sulmonensi, *lib. 2. decr. Paul. fol. 9.* Barensis, die 10. Septembris 1642. *lib. 3. dec. Paul. fol. 182. à tergo.* Ortonensis, die 29. Maij 1646 *ibidem fol. 282.*

Episcopo etiam permittitur pro manutentione macelli Ecclesiasticorum. Die 18. Martij 1631. in Isernienſi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 99.*

Macellatio carnis porcinæ in statu magni Ducis prohibetur Ecclesiasticis, nisi pro vsu propriarum domorum. Die 20. Ianuarij 1637. in Florentina: *lib. 3. decr. Paul. fol. 22.*

Quod Ecclesiastici constituant macellum carnis pro vsu proprio. Die 12. Februarij 1647. in Mutinensi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 5. à tergo.*

Regulares debent dare notam animalium Legato, quæ per eosdem introducunt ad effectum macellandi pro seruitio Religionum. Die 10. Maij 1639. in Bononiensi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 89. à tergo.*

### *Magister.*

Magister cæremoniarum non debet compelli Canonicus, sed prouidendus alius simplex Sacerdos. S. Cong. Episcop. 23. Iulij 1602. & 17. Nouembris eiusdem anni.

### *Magister Actorum.*

Magister Actorum gaudet priuilegio fori. Die 17. Martij 1659. in Oppidensi: *lib. 6. decr. Roccij, fol. 171.*

Taxa certa & moderata seruetur in Cancellaria Episcopali in tabula quadam omnibus eam videre volentibus conspicua, quæ taxam Curiæ Metropolitanæ non superet. S. Congr. Episc. 2. Iunij 1598.

Et multò minùs taxam fori secularis. Eadem S. Congr. 16. Octobris 1603.

### *Mater.*

Mater suffocans, seu occidens filium, de rigore gaudet immunitate Ecclesiastica. Die 12. Nouembris 1647. in Pisaurensi: *lib. 4. decr. Paul. fol. 33. à tergo.* Adest aliud decretum S. Congregationis Concilij, quod non gaudet. Die 3 Decembris 1632. *in regesto.*

Mater, quæ occidit filium infantem, vel quæ malis medicamentis animati fœtus procurauit abortum, priuilegio immunitatis Ecclesiæ non gaudet. S. Congr. apud Dian. *in fin. 5. p.*

### *Mandatum.*

Curia Episcopalis est manutenenda in quasi possessione exigendi vnum obolum pro quolibet scuto in qualibet relaxatione mandati exequtiui vsque in infinitum. S. Congr. Episc. 3. Iunij 1628.

### *Mandatarius.*

Mandatarius, siue Cursor Curiæ Episcopalis gaudet priuilegio fori ad tenorem suæ patentis. S. Congr. immunitatis in Perusina, 24. Ianuarij 1668.

*Magister*

*Magister Scholæ.*

Magister Scholæ potest excommunicari, si nolit emittere professionem fidei. Nec in hoc se Metropolitanus ingerere debet. S. Congr. Episcop. 22. Decembris 1618.

Non tamen spectat ad Episcopum diffinire ætatem Ludimagistri. S. Congr. Episc. 2. Martij 1628.

Magistri ludi literarij examinari possunt ab Episcopo in iis duntaxat, quæ spectant ad fidem, doctrinam christianam, & bonos mores, ac tenentur facere professionem fidei, iuxta Bullam Pij IV. S. Congr. Concilij, teste Aldano *in comp. can. resol. lib. 5. tit. 4. num.* 10.

*Magistratus.*

Magistratus debet iuxta solitum tibicines mittere ad processiones Sanctissimi Sacramenti, nec licet prohibere solitum tributum ceræ Ecclesiæ, Canonicis, seu Fabricæ debitum à Consulibus Artium, & Massariis Villarum. S. Congr. Rit. in Narnien si, 18. Iulij 1605.

Magistratus Ciuitatis cogi potest solitum obsequium Episcopo accedenti ad Ecclesiam præstare, & iuxta solitum accedere ad Ecclesiam Cathedralem in diebus solennibus, & tempore Aduentus, & Quadragesimæ. S. Congr. Rit. 16. Iulij 1605. & 1. Septembris 1607. & 29. Nouembris 1618.

Magistratus secularis non debet sese ingerere in reuidendis computis, vel alio Monasterij regimine. S. Congr. Episc. in Lycien si, 9. Ianuarij 1601.

Neque tenere claues clausuræ. S. Congr. Episc. in Firmana, 22. Ianuarij 1601.

Magistratus continuare debet in danda Regularibus, siue Monialibus quotannis solita eleemosyna. S. Congr. Episc. 36. Augusti 1619.

Magistratus, & Officiales totius Orbis Christiani, qui Cardinalibus Inquisitoribus non obediunt in iis, quæ S. Officium Inquisitionis concernunt, sunt excommunicati. Pius V. constitutione 1. *Sanctissimus.*

Magistratus secularis subditos suos, vel quoscumque alios directè, vel indirectè cogentes, vt minùs liberè matrimonium contrahant, sunt excommunicati. Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 9.

Magistratus secularis excommunicatur, denegans Episcopo auxilium pro iudicanda, seu restituenda clausura Monialium. Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 5. *de Regul.*

*Matrimoniales causæ.*

Iudex secularis non potest se in causis matrimonialibus intromittere. Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 12.

Etiam mulierum Hebræarum à viris fugientium. S. Congreg. Episc. in Cremonen si, 11. Octobris 1580.

Neque Archidiaconi, & alij Iudices Ecclesiastici inferiores, qui iurisdictionem quasi Episcopalem non habent, nisi hoc eis ex priuilegio obtento post Concilium, vel consuetudine, aut præscriptione immemorabili competat. Nam S. Congregatio Concilij censuit, priuilegia quæcumque, etiam cum quadragenaria præscriptione concessa, cognoscendi causas criminales, & matrimoniales, inferioribus Episcopo, quomodolibet exemptis, per Concilium *sess.* 24. *c.* 20. fuisse sublata; sed immemorabilem consuetudinem de his causis cognoscendi, quam inferiores Episcopo habuerint, ipsius Concilij decreto nequaquam fuisse sublatam.

Nomine inferiorum Episcopo non comprehenduntur superiores Regularium. Nam Abbas est maior Archidiacono, quia habet primam dignitatem sicut Episcopus. Vnde cognoscit de causis criminalibus suorum subditorum Regularium. S. Congr. Concilij, in Burgen si, 21. Martij 1596.

Hæc cognitio debet expediri ciuiliter, sine partium carceratione. S. Congr. Episc. 17. Septembris 1601.

Matrimoniales causæ, non criminales, pertinent ad Vicarium capitularem in mandato generali, secus in speciali. S. Congr. Concilij, 30. Maij 1602.

Matrimonialium & criminalium causarum cognitio, ac approbatio confessariorum ad curam animarum, spectat ad Episcopum, donec per alium prætendentem probetur immemorialis, & quod sit nullius. S. Congr. Concilij, 26. Iunij, & 20. Augusti 1627.

*Medicus, & Medicina.*

Clerici non possunt grauari pro salario Medici. Die 14. Febr. 1628. in Nullius Sancti Laurentij: *lib. 1. decr. Paul. fol. 84. à tergo.* Die 2. Augusti 1619. *in regesto.*

Ecclesiastici per seipsos debent dare aliquam contributionem Medico cum facultate Episcopi, quando soluitur ex contributione, quæ fit à singulis. Die 14. Augusti 1634. in Albanen si: *lib. 2. decret. Paul. fol.* 197. Amalfitana, die 9. Nouembris 1631. *ibid. fol.* 105. *à tergo.* Spoletana, die 23. Augusti 1633. *ibid. fol.* 178. *à tergo.*

Viuentes cum Ecclesiasticis eorum expensis non teneantur ad contributionem salarij Medici. Die 12. Decembris 1645. in Ciuitatis Castellanæ: *lib. 3. decr. Paul. fol.* 266.

Clerici seluagij non eximuntur à salario Medici. Die 14. Octob. 1630. in Neritonen si: *lib. 2. decr. Paul. fol.* 62. *à tergo.*

Ecclesiastici non tenentur ad contribuendum taxæ pro Medico Vniuersitatis. S. Congr. immunitatis, in Castellanetensi, 18. Nouembris 1664. & 28. Februarij 1668.

Hebræi, vel infideles Medici non possunt à Christianis aduocari, alioquin & ipsi Medici puniuntur, & Christiani Sacramentis, & Ecclesiastica sepulturâ priuantur. Gregor. XIII. *const.* 68.

Neque in hoc Episcopus dispensare potest, nec vt ab eis pharmaca, siue medicinæ accipiantur. S. Cong. Episc. in Sarzanen si, 29. Nouembris 1576. & in Pisana 17. Augusti 1629.

Medicus Monialium non debet esse minor quinquaginta annorum, vbi Medicorum penuria non adest. S. Cong. Episc. in Ferrarien si, 7. Martij 1617. & in Ianuen si, 14. Iunij 1625.

Medici, & barbitonsores ordinarij debent habere licentiam generalem ingrediendi clausuram, etiam de nocte, in casibus vrgentis necessitatis: in aliis non ordinariis requiritur specialis. S. Congr. Episc. in Ferrarien si, 2. Iulij 1599. & 13. Iulij 1605. & 26. Iunij 1607.

Debent tamen associari, eisque assisti cum infirma tractantibus. S. Congreg. Episc. in Parmen si, 26. Martij 1601.

Extraordinarius permitti non debet, nisi in graui infirmitate. S. Congr. Episc. in Bononien si, 8. Iulij 1588. & in Cathacen si, 15. Februarij 1595.

Et quando Ordinarius non inuenit remedium. S. Cong. Episc. 13. Martij 1621.

Vel est impeditus. S. Congregat. Episcop. 15. Martij 1646.

Medicus

Medicus postquam ad Ordines sacros est promotus, non potest absque Pontificia dispensatione medicinam exercere, idque prohiberi debet sub grauibus pœnis. S.Congr.Episc.22.Nouembris 1616.

*Metropolitanus.*

Non debet publicare monitoria in forma *Significauit*, in diœcesi suffraganei. S. Congregat. 15. Septembris 1603.

Neque inhibere suffraganeo in materia obseruationis festorum. S.Congr.Episc.11.Ianu.1622.

Neque in materia immunitatis Ecclesiasticæ, sed debet remittere ad Sedem eos, qui recurrunt. S. Congr. Episc.23. Septembris 1624.

Episcopus suffraganeus nullo modo inhibere potest Vicario Metropolis, ne se ingerat in aliqua causa. S. Congr. Episc.15.Decembris 1623.

*Meretrix.*

Meretrix publica eiicienda ab Ecclesia. Die 4. Septembris 1666. in Perusina: *lib. decr. Altouiti fol.*12.

Meretrices possunt ire semper ad diuina officia, & in diebus festis tenentur Missam audire. S.Congr. Episc. in Perusina, 23. Iulij 1602.

Debent omnes expelli, quæ habitant prope Monasteria, nec ex eis aliqua relinqui. S. Congr. Episc. 6. Martij 1618.

*Mercatura.*

Clericis non solùm censetur vetitum exercere mercaturam, sed etiam tenere affictus à laïcis, maximè gabellarum.S.Congr.in Terracinensi,12.Ianuarij 1647.

Est tamen permissa Clericis conductio bonorum patrimonialium, & beneficiorum, eorumque cultura pro sua,& suorum sustentatione; non verò conductio aliorum bonorum, nisi ex vrgenti, & præcisa necessitate. S.Congr. Concilij, 23. Maij 1627.

Sacra Congregatio Concilij 7. Octobris 1604. præcepit significari Regularium Superioribus, vt inuigilent, ne Regulares in Indiis, tam Orientalibus, quàm Occidentalibus mercaturam exerceant, neque in locis Regi Infideli subiectis, néve inde reuertentes aurum, argentum, gemmas, aliásve merces secum deferant.

Quod postea pro Indiis Orientalibus,22.Februarij 1633. Vrbanus VIII. sanctione firmauit, quæ est 16. in appendice, & incipit, *Ex debito*, §. 8. Et pro omnibus locis renouauit Clemens IX. Vide verbo *Negotiator*.

*Mezadri.*

Mezadri Ecclesiasticorum non tenentur ad solutionem impositionis Principis pro portione colonica, quæ sibi contingit ex fructibus bonorum Ecclesiasticorum; sed tantùm possunt compelli pro rata propriorum bonorum.Die 20. Iunij 1656. in Mutinensi, *lib.5. Decr. Paul. fol.*98. *à tergo.*

*Miles.*

Miles vulnerans sacerdotem in loco sacro non gaudet priuilegio militari, imò est excommunicatus. Die 6. Maij 1653.in Cesenatensi: *lib.5.decr.Paul.fol.*13.

Milites in Monasteriis, & locis piis se recipere non possunt. Pius V. Constitutione 148. Cùm sicut, sub anno 1572.

Milites hospitari facere non potest Magistratus secularis in domibus Ecclesiasticarum personarum, quamvis laïcis locatis, cùm per indirectum in bonorum Ecclesiasticorum præiudicium redundet.S.Congr.Episc. 9.Iunij 1617.

Milites S. Benedicti de Auis in Regno Portugalliæ perfruuntur omnibus priuilegiis concessis, & concedendis Militibus S.Iacobi de Spatha, de Calatraua, & de Alcantara. Gregor. XIII. constitutione 32. *Ex Apostolicæ*, de anno 1575.

Milites S.Iacobi de Alcantara perfruuntur omnibus gratiis, & priuilegiis concessis, & concedendis Ordini Cistercienſi S. Benedicti. Leo X. constitutione 44. *In Apostolica*, 10. Kal. Iulij 1581.

Milites S.Mariæ de Calatraua fruuntur omnibus priuilegiis Ordinis Cistercienſis. Iulius II. constitutione 16. *Romani*, Kal. Aprilis 1508.

Milites S. Ioannis Hierosolymitani sunt exempti à Iurisdictione Ordinariorum.Pius IV. constitutione *Circumspecta*, Kal. Iul. 1560.

Ad eorum Magnum Magistrum pertinet causarum cognitio, qui habet iurisdictionem meri, & mixti imperij in personas, & bona Militiæ. Pius IV.*ibid.*

Bona eorum vbique decedentium, etiam ex illicita negotiatione acquisita, vti spolia, non ad Cameram Apostolicam, sed ad Hospitale spectant. Pius IV. constitutione 29. *Romani.*, 24. Martij 1561.

Eorum Parochiales Ecclesiæ quoad animarum curam,& administrationem Sacramentorum ab Episcopis visitari possunt.Gregor. XIII. const.67.*Circumspecta*,25. Nouembris 1580.

Assassinij criminis reos non possunt Iudices laïci illos declarare, sed eius cognitio spectat ad superiores Militiæ, iuncto Episcopo loci. Clemens VIII.*const.*57.

A visitatione Episcoporum exemptæ sunt eorum Ecclesiæ ex priuilegio Summorum Pontificum, præterquam si fuerint curatæ. S. Congr. Concilij, teste Armend.

Priuilegia concessa Militibus Status Ecclesiastici seruari debent in foro Ecclesiastico, sicut in laïcali,dum causæ non sunt merè Ecclesiasticæ. S. Congr. Episc. 15. Nouembris 1658. scilicet priuatiuè quoad Iudicem laïcum. Eadem S. Congr.3. Octobris 1659.

*Miserabiles.*

Personæ miserabiles possunt conuenire exemptos coram Ordinario. S. Concil. Trid. *sess.* 7. *c.*14.

*Missa.*

Missam celebrantes ad ordinem Presbyteratus non promoti, ab Inquisitoribus hæreticæ prauitatis puniuntur. Gregor.XIII. constitutione 21. *Officij*, sub 6. Augusti 1574. Et Curiæ seculari, præuia degradatione traduntur. Clemens VIII. constitutione 81. *Etsi aliàs*, 1. Decembris 1601. quam constitutionem ad omnes etiam minores vigintiquinque annis, dummodò vigesimum ætatis annum compleuerint, ampliauit Vrbanus VIII. constitutione 79. *Apostolatus*, 23. Martij 1628.

Permitti debet carcerato, etiam pro delicto celebrare per alium, & participare de massa. S. Congr. Episc. 11. Iulij 1594.

Sicut etiam absenti, etiam per Regulares. S. Congr. Episc.21. Iulij 1597.

Nec Regulares indigent licentia Ordinarij, sed Rectorum Ecclesiæ tantùm, renouanda de anno in annum. S.Congr. Episc.10. Ianuarij 1617.

Communitates possunt facere celebrari in Parochiali,vel aliis Ecclesiis, aut Capellis quot missas volunt, sine tamen

tamen præiudicio iurium Parochialium, etiam quoad oblationes. S. Congr. Episc. 29. Nouembris 1581. & 11. Aprilis 1625.

Non potest Episcopus cantare Missam in Ecclesiis Regularium ipsis inuitis, vbi non est solitum. S. Congr. Episc. in Ferrarien si, 6. Iulij 1593.

Sacerdos inquisitus, sed absolutus, celebrare potest, si non adsit scandalum. S. Congreg. Episc. 8. Ianuarij 1649.

Et cui fuit assignatus Conuentus pro carcere, non prohibetur ire ad Ecclesiam ad celebrandum. S. Congr. Episc. 11. Augusti 1651.

Non tamen carceratus pro delicto graui. S. Congr. Episc. 2. Maij 1601.

Regulares in aliqua Ecclesia celebrare soliti compelli debent ad continuandum. S. Congr. Episc. 10. Maij 1580.

*Mixti fori causæ.*

Causæ mixti fori, in quibus Iudex Ecclesiasticus per citationem præuenit, pertinent ad Ecclesiasticum. Nam in causis mixti fori Iudex, qui præuenit realiter, cognoscere debet de causa. In contumacia verò vterque Iudex procedere potest. S. Congr. Immunitatis, in Cæsenatensi 1626.

*Mola, & Molendinum.*

Molendina, & alia ædificia sub directo dominio Ecclesiæ sunt exempta. Die 15. Ianuarij 1647. in Montis Regalis: *lib.* 4. *decret. Paul. fol.* 2. *à tergo.*

Laïci non possunt impedire ire ad Molendinum Ecclesiasticum. Die 7. Martij 1651. in Bittettina: *lib.* 4. *decr. Paul. fol.* 138.

Molendina Ecclesiasticorum, & Ecclesiarum non comprehenduntur sub prohibitione Communitatis, ne ad illa confluant ciues ad molendum. Die 17. Augusti 1655. in Auximana: *lib.* 5. *decret. Paul. fol.* 72. Firmana, die 2. Iulij 1630. *lib.* 2. *decret. Paul. folio* 48. Æsina, die 8. Aprilis 1631. *ibidem folio* 1.

Ecclesiastici, & molentes in eorundem molendinis non comprehenduntur sub prohibitione soluendi gabellam della Pesa. Die 19. Ianuarij 1638. in Maceratensi: *lib.* 3. *decr. Paul. fol.* 52. *à tergo.* Vintimiliensis, die 18. Maij 1649. *libr.* 4. *decret. Paul. fol.* 80.

Ecclesiastici possunt retinere in propriis domibus pro eorum vsu molendina nuncupa Centimoli. Die 20. Septembris 1650. in Lycien si: *lib.* 4. *decr. Paul. fol.* 120.

Ecclesiastici non possunt cogi ire ad certum molendinum. Die 15. Februar. 1633. in Vgentina: *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 151. *à tergo.* Barensis, die 22. Septembris 1634. *ibidem fol.* 2.

Molendinum Collegij Societatis Iesu gaudet exemptione. Die 27. Septembris 1632. in Maceratensi: *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 139.

Mensuræ vulgò nuncupatæ *lescodelle*, ablatæ à molendinis Ecclesiasticorum, sunt restituendæ. Die 12. Ianuarij 1649. in Veliterna: *lib.* 4. *decr. Paul. fol.* 70. *à tergo.*

Impedientes macinare oliuas in molendinis Ecclesiasticorum excommunicantur. Die 11. Augusti 1631. in Cefaludensi: *lib.* 2. *decret. Paul. fol.* 187. *à tergo.*

Quod communitas Montis Georgij faciat declarationem, se non intellexisse in suo edicto comprehendere molendinum Ecclesiasticorum. Die 19. Nouembris 1630. in Firmana: *lib.* 2. *decret. Paul. fol.* 65.

Non licet appaltatoribus sæcularibus requisitionem facere in molendinis Regularium, & Ecclesiasticorum. Die 23. Iulij 1647. in Auximana: *lib.* 4. *decr. Paul. fol.* 18. Viterbiensis, die 13. Augusti 1647. *ibidem fol.* 25. *à tergo.*

Permitti non debet intra clausuram, nisi cederet ad firmiorem illius custodiam. S. Congreg. Episc. 7. Iulij 1579. & 8. Augusti 1581.

*Monetarij.*

Monetarij gaudent immunitate Ecclesiastica, sed contra Ecclesiasticos in huiusmodi delicto procedendum est iuxta formam constitutionis Vrbani VIII. de anno 1627. Die 16. Ianuarij 1635. in Oppidensi: *lib.* 2. *decret. Paul. fol.* 214. *à tergo.*

Cognitio causæ Clerici monetarij spectat ad Episcopum, iuxta constitutionem Vrbani VIII. die 18. Februarij 1631. in Eugubina, *ibid. fol.* 96.

Monetas aureas, & argenteas tondentibus pœnam vltimi supplicij imponit Pius V. constitutione 3. *Cùm nihil magis*, 8. Kal. Nouembris 1570. Approbat, confirmat, & innouat Vrbanus VIII. & ad omnes, & singulas personas Ecclesiasticas, etiam quomodolibet exemptas, cuiusvis ordinis, Societatis, Instituti, necnon Militiarum quarumcunque, & hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani Regulares in omnibus, & singulis Prouinciis, Regnis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis, & locis in Italia duntaxat existentibus, qui aureas, vel argenteas monetas tondere, fabricare, colare, vel aliàs adulterare, seu etiam quomodolibet adulteratas scienter erogare, aut exponere præsumpserint, extendit, & ampliat, ac vult, vt culpabiles in præmissis reperti præuia degradatione Curiæ seculari puniendi tradantur. Vrbanus VIII. constitutione 75. *In suprema*, idib. Nouembris 1627.

Monetarij gaudent immunitate Ecclesiæ. S. Congr. Immunitatis, in Pisana, 8. Aprilis 1668.

Ad Ordinarios locorum, vbi non est Legatus, vel Prolegatus, spectat cognitio causæ monetariorum Ecclesiasticorum, etiam Regularium. Vrbanus VIII. *ibidem.*

Et ad viciniorem Ordinarium, si locus delinquentis est exemptus, *ibidem.*

Detinentes, transferentes instrumenta, opem, materiam præstantes, triremium decennali pœna puniuntur, *ibid.*

Impedientes, ne procedatur, puniantur eo ipso beneficiis, officiis, cum inhabilitatione, amissione vocis actiuæ, & passiuæ, & excommunicantur, *ibidem.*

Tenentur omnes consignare acta, & scripturas, requisiti à prædictis, *ibidem.*

*Monasterium.*

Administratio bonorum Monasterij cùm deputatione factorum, & colonorum, fieri debet à Syndicis, cum approbatione Episcopi. Fructus verò, redditusque collecti, & exacti consignari monialibus. Episcopo verò rationem reddant tam Syndici, quàm Moniales. S. Congr. Episc. in Ciuitatis Castelli, 11. August. 1651.

Puniri debent in casibus particularibus, qui licentiis abutuntur, in iis fraudem committentes. S. Congr. Episc. 20. Nouembris 1601. Etiam pœnis corporis afflictiuis. Eadem S. Congreg. in Anconitana, 8. Nouembris 1588.

Monasteria omnia,& loca pia ab hospitandi milites onere exemit Pius V. const. 118. *Cùm sicut*, sub anno 1572.

*Mons.*

Mons pietatis non gaudet immunitate Ecclesiastica. Die 26. Septembris 1662. in Maceratensi: *lib. decr. Roccy, fol.* 428.

*Musicus.*

Musicus Ecclesiæ Cathedralis gaudet priuilegio fori. Die 28. Nouembris 1653. in Vrbeuetana: *lib. 5. decr. Paul. fol.* 26.

Si quis laicus cantauerit prope Monasteria, Episcopus instabit apud Principem, vel Iudicem secularem, vt eum seuerè puniat; si Ecclesiasticus, ipse puniet. S. Congreg. Episc. in Licien si, 9. Septembr. 1639.

*Mulier.*

Congregationem mulierum, quæ moniales esse nolunt, Principes seculares authorizare non possunt. S. Congreg. Episc. 4. Maij 1604.

---

## N

*Negotiator.*

COntra Clericos negotiatores apponi non debet pœna excommunicationis. S. Congr. Episc. 21. Nouembris 1605.

Non censetur negotium illicitum mittere ad vendendum frumentum, vinum, oleum, & similia collecta in proprio patrimonio, vel beneficio. S. Congr. Episc. in Melphitana, 15. Decembr. 1603.

Ecclesiastici non possunt molestari pro negotiis illicitis, qui emunt frondes mororum, seu cerasorum pro serico. S. Congr. Episc. 12. Maij 1617.

Clerici tenere possunt affectus rerum Ecclesiasticarum, dummodò opera mannalia per laicos exerceant. S. Congr. Episc. 16. Nouembris 1618.

Licet in necessitate presbytero tutori negotiari pupillorum nomine, dummodò id non sordide faciat, nec cum sui officij detrimento, nec cum ordinis dedecore, lucrumque quod ex iusta negotiatione prouenit, non in tutoris, sed in pupilli cedat vtilitatem. S. Congr. Concilij, 17. Aprilis 1627.

Negotiationis illicitæ prætextu non debent molestari Clerici, qui sua bona patrimonalia, ac beneficiorum, quæ obtinent, excoli faciunt, animaliaque ad hunc effectum necessaria emunt, venduntque. S. Congr. Episc. 15. Nouembris 1616.

Ecclesiastici in morte non possunt disponere de acquisitis per negotiationem, sed ea omnia Cameræ Apostolicæ applicata sunt ipso iure, & veniunt in causam spolij, ex Bulla Pij IV. & Pij V.

*Notarius.*

Notarius Curiæ Episcopalis gaudet priuilegio fori, & immunitate ab oneribus personalibus. Die 11. Decembris 1614 in Vasionensi, *in regesto.*

Notarius Vicarij foranei, qui actu inseruit, gaudet priuilegio fori. Die 26. Augusti 1636. in Auximana: *lib. 1. decr. Paul. fol.* 11.

Notarius Curiæ Episcopalis gaudet priuilegio fori, quia est de familia Episcopi. S. Congr. Episc. in Ortonensi, 6. Augusti 1602. & in Squillacensi, 13. Octobris 1605.

Notarius exul ab Vrbe ob defectus in officio commissos, non debet admitti in Tribunalibus Ordinariorum. S. Congreg. Episc. 6. Septembris 1652.

Non potest esse Clericus. S. Congr. Episc. 30. Aprilis 1627. in Aquilana.

Neque Regularis. Eadem S. Congreg. 21. Septembris 1646.

Notario criminali Ciuitatis, si sit vir probus, & sub quouis prætextu taxam non excedat, vti potest Episcopus. S. Congregat. Episcop. 14. Aprilis 1615.

Notarij S. Inquisitionis creari possunt etiam Clerici Seculares, & Regulares in causis ad eam spectantibus, per Inquisitores hæreticæ prauitatis. Alexander IV. const. 22. *Ne commissæ*, idib. Octobris 1260.

*Nuntius.*

Nuntius Apostolicus absque facultate non potest extrahere delinquentes à loco immuni, secus incidit in excommunicationem. Die 5. Februarij 1667. in Taurinensi: *lib. decret. Altoniti, folio* 42. *à tergo.*

In materia negotiorum illicitorum spectat ad Nuncios cumulatiuè quoad ordinarios locorum causarum cognitio. S. Congregat. Episcop. 2. Maij 1600.

Debent curare, quod fratres in foro laïcali carcerati suis Superioribus consignentur. S. Congr. Episc. in Neapolitana, 27. Iulij 1604.

Nuncius Neapolitanus habet iurisdictionem primò per consuetudinem introductam, posteà confirmatam per Breue Pauli V. cognoscendi differentias ciuiles, quæ mouentur à secularibus contra Regulares in toto Regno. S. Congregat. Episc. 23. Ianuarij 1616.

Nuncius Apostolicus non debet exercere diuina in Ecclesia Archiepiscopi absque eius licentia. S. Congreg. Rit. in Taurinensi, 9. Martij 1593.

Nuncius Apostolicus si promoueat ad Ordines sacros suæ Prouinciæ Clericos absque facultate Sedis Apostolicæ, ipse, & ordinati incurrunt in pœnas impositas à S. Concilio Trid. *cap.* 8. *sess.* 23. S. Congr. Concil. in Taurinensi, 16. April. 1633.

*Nundinæ.*

Nundinarum, mercatuum, & feriarum sub prætextu præceptum de Dominicis, & festis diebus sanctificandis, & obseruandis nullatenus est violandum. Cæterùm his diebus licet agasonibus, ac aliis iumentorum vectoribus, seu mercium conductoribus, baiulis, & aliis huiusmodi seruientibus, ac ministris sarcinas, & onera nundinarum exonerare, & deponere, inceptumque iter, Missâ priùs auditâ, transeundo prosequi, & continuare; non autem debent sarcinas componere, & iumenta onerare ad iter denuò incipiendum, neque mercatoribus, aut aliis etiam viatoribus iis diebus etiam clausis apothecis merces vendere, emere, aut asportare licet, nisi tantùm ad victum necessaria, aut alia minuscula, & modici valoris, & momenti; opera iam conflata, atque laborata, pro transeuntium hospitum, aduenarum,

rum,& cæterorum vrgenti,& præsentanea necessitate, & opportunitate ; in quo partes erant Episcopi propositis edictis prouidere , vt ipsi dies festi debita obseruatione colantur ; simulque populorum eò confluentium necessitatibus , quantùm sine dicta offensione fieri potest , consulatur. Quoad iudicia autem ,quæ Dominicis, & festis diebus silere debent, id obseruari poterit , quod iure communi permittitur in quibusdam vrgentibus casibus , qui moram, & dilationem non patiuntur , in quibus, & aliis iurisdictionem Consulum nundinis præpositorum concernentibus constitutiones, & Summorum Pontificum , si quæ habent , priuilegia , & allegatum Breue sel. record. Pij V. seruandum est. S. Congregatio Rituum in Recanatensi , die 9. Decembris 1600.

Nundinæ , quæ quotannis fiunt aliqua die determinata, vel in solennitate alicuius Sancti ante eius Ecclesiam, extra tamen atrium , de consuetudine transferri non solent , sed permittuntur , dummodo negotiatio cesset quousque celebrata fuerit Missa solennis maturè dicenda , vt populo longius relinquatur tempus negotiandi. S. Congreg. Episc. 15. Maij 1590. & 7. Maij 1591.& 20. Septembris 1658. Et dummodò nundinæ non sint solennes , vel formales, sed tantummodò de rebus leuioribus : & has ipsas Episcopus per conniuentiam solùm tacitè tolerare , non etiam per edictum expressè approbare debet, vt in vna Placentina , & aliis sæpius declarauit S. Congregatio Concilij.

---

## O

### *Oblati.*

OBlati , qui se ipsos , & omnia eorum bona irreuocabiliter Religioni obtulerunt, gaudent priuilegio fori , & exemptione. Die 10. Aprilis 1628. in Nicoterensi : *lib.3. decr. Paul. fol.* 223.

Serui Ecclesiæ non gaudent priuilegio Clericorum. Die 28. Ianuarij 1603. in Romana , *in regesto.*

Oblati alicuius Religionis priuilegio , ac exemptione ita demùm debent potiri , si in forma iuris valida perpetuò , irreuocabiliter , plenè , & cum effectu seipsos , & bona sua omnia, præsentia, & futura, nullâ prorsùs , quamvis minimâ eorum portione , neque in proprietatem , neque in vsumfructum sibi reseruatâ , Religioni obtulerint , & habitum aliqualiter mutauerint. Quod si omnia prædicta simul non concurrant , neque fori priuilegio , neque immunitate à secularibus exactionibus frui possunt , vt in sequentibus casibus.

Primò cùm quis obtulit personam cum reseruatione bonorum.

Secundò cùm obtulit personam nullâ bonorum factâ mentione , quippe quæ non includuntur in simplici oblatione personæ.

Tertiò cùm obtulit personam , & aliquam tantùm partem bonorum, quamvis maiorem.

Quartò cùm obtulit bona omnia præsentia , & personam, reseruato vsufructu.

Quintò cùm obtulit personam , & bona omnia præsentia tantùm.

Sextò cùm obtulit personam , & bona omnia præsentia , & futura , sed posteà à superiore Religionis aliquam eorum partem , quamvis minimam , in emphyteusim recepit.

Septimò cùm obtulit bona vel omnia, vel partem eorum absque persona ; quo casu persona offerens fori priuilegio non gaudet , sed bona in Religionem cum effectu translata sunt immunia à vectigalibus , dummodò offerens vsumfructum eorum sibi non retineat. Eo namque casu bona immunia non sunt , etiam quoad proprietatem. His tamen omnibus casibus , quibus oblati à priuilegio , & exemptione à iure communi excluduntur , seruanda est cuiusque Religionis consuetudo, cuius vigore ipsi tale ius priuilegij , vel exemptionis acquisiuissent. S. Congregatio Concilij.

Oblati , qui omnia supradicta adimpleuerint , fori priuilegio , & supradicta exemptione gaudent , siue ante , siue post , de licentia Superioris Religionis matrimonium contraxerint. S. Congreg. Concilij, teste Aldano *in comp. can. resol. lib.*1. *tit.*10. *num.* 14.

Oblati etiam quoad delicta ante oblationem commissa fori priuilegio gaudent , & à iurisdictione Iudicis laici liberati sunt , punirique debent à Iudice Ecclesiastico , si modò absque fraude , id est non animo effugiendi secularis Iudicis punitionem , se , & sua obtulerint. Quod si fraus subsit , potest à Iudice laïco puniri pœnâ confiscationis bonorum , & alia pecuniaria , sed non corporali ; illique remanent subiecti quoad causam , & bona , sed non quoad personam. Debet tamen Iudex Ecclesiasticus , si delicti qualitas id exposcat , tradere tales in fraudem oblatos Iudici seculari corporaliter puniendos. S. Congr. teste Aldano, *d. tit.*10. *num.*15.

Iurisdictio tributa Ordinario vigore Concilij Trid. *sess.*24. *de reform. cap.* 11. in oblatos , qui solennem professionem non fecerunt, vel qui intra religiosarum domorum septa non residentes , eisdem Religionibus actu non seruiunt, intelligitur in causis criminalibus , non autem in ciuilibus ; & cumulatiuè , non autem priuatiuè quoad eorum Superiores. Ita declarauit S.Congr. Concilij, vt refert Synodus Caputaquensis *sess.*3. *cap.*7.*num.*1.

Oblati gaudent priuilegio fori, & exemptionis à vectigalibus, dummodò concurrant requisita in suprascripta declaratione S. Congregationis Concilij contenta. S.Congr. Immunitatis, 10. Aprilis 1628.

### *Oratorium.*

Oratoria, vbi Missæ celebrantur, sunt immunia. Die 15. Iulij 1638. in Sarzanensi : *lib.* 3. *decr. Paul. fol.* 67. *à tergo.* Vide verbo *Capella.*

Oratoria in particularium dumtaxat domibus existentia comprehenduntur decreto Concilij Trid. *sess.*22. *in decr. de obser. & vit.* S. Congr. Episc. 1. Septembris 1615. & 5. Iulij 1616.

Oratorium priuatum non gaudet immunitate Ecclesiastica. S. Congr. Immun. 9. Decembris 1631.

In dubio censetur oratorium publicum auctoritate Episcopi constitutum , si publicè campanam habeat , aut si publicè , & in quibusvis anni solennitatibus in eo celebretur. S. Congreg. Episc. in Ianuensi , 7. Iunij 1605.

Nam in Altari priuati Oratorij solet ex priuilegio Apostolico concedi celebratio Missæ, exceptis solenniorib us festis, nempe Natali Domini, Epiphania,Paschate , Pentecoste , Annunciatione , & Assumptione B. Virginis , festo SS. Apostolorum Petri , & Pauli , & omnium Sanctorum. S. Congr. Episc. 17. Nouembris 1607.

Oratoria publicorum Carcerum non gaudent immunitate. S. Congr. Episc. 16. Febr. 1604.

*Oeconomus.*

Patroni, etiam Reges, non possunt ponere œconomos in Canonicatibus vacantibus. S. Congreg. Episc. in Panormitana, 24. Octobris 1589.

Oeconomus Regius, qui ponitur in Episcopatibus vacantibus iurispatronatus Regij, non se ingerat in iurisdictione, sed fructuum tantummodò curam gerat. S. Congr. Episc. in Cassanensi, 9. Septembris 1587. & in Materana, 16. Iulij 1601. & 22. Iunij 1602.

Non potest deputare Actuarium. S. Congreg. Episc. in Acheruntina, 27. Octobris 1593.

Nec impedire, ne executioni demandentur monitoria Auditoris Cameræ. S. Congr. Episc. in Mediolanensi, 3. Iunij 1597.

Sed exequi debet mandata Sedis Apostolicæ, etiam contra laicos, & prouisiones beneficiorum ad fauorem exterorum, iuxta solitum, absque verbo facto, vel licentia obtenta à Magistratu fori secularis. Eadem S. S. Congr. 7. Iulij eiusdem anni.

Alioquin mandatur Ordinario, vt mittat prouisum in possessionem, non obstante sequestro œconomi, de facto apposito. S. Congr. Episc. in Tortonensi, 12. Augusti 1617.

In Cathedralibus, quæ non sunt Regij iurispatronatus, non ponitur œconomus Regius. S. Congr. Episcop. in Vgentina, 16. Augusti 1594.

Curati non possunt abesse occasione œconomatus Regij. S. Congreg. Episcop. in Neapolitana, 20. Iulij 1592.

Nuncius se non ingerat in constituendis œconomis pro cura animarum in Parochialibus vacantibus, sed Episcopus pœnis, & censuris coërcere potest eos, qui sine sua licentia in ea sese ingerunt. S. Congreg. Episcopor. in Cathacensi, sub die 16. Martij 1594.

*Officiales.*

Officiales Curiæ Episcopalis in actu exercendi suum officium offendentes, vel aliàs Episcopi iurisdictionem impedientes, etiamsi Milites Hierosolymitani sint, vel aliter exempti, ab Episcopo coërceri, & puniri possunt. S. Congreg. Concilij in Panormitana.

Officialium Confraternitatum canonicè institutarum electio ad Confratres, eorundem verò Officialium confirmatio ad loci Episcopum, vel eius Vicarium generalem pertinet, societatibus tamen sub protectione Regia semper exceptis. S. Congr. Episc. in Bouinensi, 11. Augusti 1627.

Officiales Episcopalis Curiæ gaudent priuilegio fori. Vide *Familiares.*

Officiales, & administrantes bona temporalia monasteriorum, licèt possint amoueri ad nutum superiorum ex Concilio Trid. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 2. sub eo tamen non comprehenduntur officiales, qui bona temporalia non administrant, sed hoc relinquitur dispositioni iuris communis, & statutorum Religionis. S. Congr. Concilij, teste Armendariz.

*Ordo.*

Tenetur Episcopus ordinatos in sacris ad vlteriora promouere, si nullum obstet canonicum impedimentum. S. Congreg. Episc. in Aquilana, 26. Febr. 1602. & 9. Aprilis 1650.

Et ordinatos in minoribus ad Subdiaconatum. S. Congreg. Episc. in Regiensi, 25. Octobris 1602.

Immò nemini negari possunt Ordines absque legitima causa. S. Congr. Episc. 3. Maij 1647.

Collator Ordinum nihil recipere potest præter faculas. S. Congr. Episc. 2. Ianuarij 1601.

Neque sub prætextu reparationis Ecclesiæ. S. Congreg. Episcop. 3. Decemb. 1603. & 3. Februarij 1604.

Neque pro dimissoriis, vel testimonialibus Ordinum. S. Congr. Episc. 4. Iunij 1602. & Concil. Trid. *sess.* 21. *cap.* 1.

Licebit tamen Notario accipere vnum carolenum pro quolibet teste; & Vicario quinque Carolenos pro decreto interponendo super sufficientia patrimonij. S. Congr. Episc. 19. Decembris 1614.

Sacræ Congregationi Cardinalium propositæ petitiones.

Prima: Episcopus N. à prouisis de beneficiis à Sede Apostolica in forma *dignum*, extorquet pro collatione in vim mandati Apostolici facienda Iulios duos pro quolibet scuto valoris dicti beneficij.

Secunda: Pro collatione beneficiorum, quam ipse iure ordinario facit, extorquet pro qualibet prouisione aliquando scuta sex, & aliquando septem; & hoc idem vult extorquere à prouisis ab inferioribus, ad quos collatio spectat. Si verò collationes fiant ab Abbatibus, vel aliis inferioribus à sua iurisdictione exemptis, ipse Dominus Episcopus vult, quod collationes ab ipso, vel eius Vicario approbentur, ac ratæ, & gratæ sint, & tandem persoluant, alioquin non vult, quod possint gaudere dictis beneficiis.

Tertia: Pro literis dimissoriis, seu testimonialibus, aut commendatitiis, Dominus Episcopus exigit vndecim grossos, & vnum nummum contra formam Concilij Tridentini, *cap.* 1. *sess.* 21. *de reformat.*

Quarta: Facit soluere Clericos nolentes ordinari ad aliquem ordinem sacrum pro literis publicatoriis duos grossos, & quatuor denarios, & id repetit in quolibet ordine suscipiendo.

Quinta: Pro licentiis exercendi curam animarum, & confessiones audiendi sine coadiutoriis, exiguntur tredecim grossi pro quolibet, quæ quolibet anno sine alio examine renouari debent, & iterum persolui contra formam capitis 15. *sess.* 23. vbi expressè cauetur, quod gratis concedantur.

Sexta: Pro dispensationibus matrimonialibus, quæ in vim literarum Apostolicarum conceduntur, exigit vnum Marcum argenti, quod est valoris trium ducatorum, & vltrà, contra formam ipsarum literarum Apostolicarum, in quibus sua Sanctitas mandat, quod nihil percipiant à spontè offerentibus.

Septima: Pro examine in concursu faciendo, pro obtinendo Parochiales quocumque mense vacantes, facit solui ab examinatis, & approbatis cuilibet examinatori iulios quatuor, contra formam capitis 18. *sess.* 24.

Octaua, quia de consuetudine dictæ Ecclesiæ Episcopi in ipsorum ingressu solent exigere à personis Ecclesiasticis quoddam donatiuum, dictus Episcopus N. ampliando hanc consuetudinem, vult exigere, & exigit etiam dictum donatiuum ab illis, qui posteà beneficium obtinuerunt, & successiuis temporibus obtinent; nec permittit, ipsos capere possessionem beneficiorum, nec Bullas, nec literas prouisionis expedire vult, nisi priùs soluant dictum donatiuum.

Nona: In dies infligit quotidie pœnas, & censuras Ecclesiasticas in causis ciuilibus, & parui momenti, etiam pro debito duorum Iuliorum, non seruatâ formâ Concilij Tridentini, *cap.* 3. *sess.* 25. sed contra illius formam, quo fit vt censuræ huiusmodi paruipendantur.

Decima:

Decima: Confert ordines generales vtplurimùm in quadam Capella sui palatij, & si quando illos in Cathedrali confert, id est in Capella remota, & obscura, nullâ præcedente intimatione, nec vocatis aliquibus Canonicis, facit contra formam capitis 18. quod incipit, *Ordines, sess. 23. de reformat.*

*Sacræ Congregationis Cardinalium ad præpositas petitiones responsa.*

Ad primum, & secundum S. Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum respondet pro collatione, aut institutione Ecclesiarum, & præsertim curatarum, Cancellarium posse in singulis accipere mercedem suo labori conuenientem; quod tamen scriptura, sigillo, & cæteris omnibus computatis, vnum aureum non excedat, & dummodò ipsi Cancellario salarium nullum pro suo officio exercendo constitutum sit, & ex pecunia, quam accipiet, nihil prorsus emolumenti collatores, aut institutores vllo modo directè, vel indirectè percipiant.

Ad tertium, nihil exigendum pro dimissoriis, commendatitiis, aut testimonialibus literis, iuxta citatam sessionem 21. Concilij eiusdem.

Ad quartum, de literis publicatoriis id prohiberi *eodem cap. 1. sess. 21. vers. Nec alia quacumque de causa.*

Ad quintum, gratis oportere concedi huiusmodi licentias, iuxta caput 15. *sess. 23.*

Ad sextum, pro dispensationibus matrimonialibus non licere Episcopo, vel eius Vicario quicquam accipere, nec ratione taxæ, etiam ex immemorabili consuetudine, nec ratione sigilli, vel alicuius alterius rei. Quapropter decretum illud, quod solet poni in literis dispensationum matrimonialium, vt nihil muneris, vel præmij spontè accipi possit pro illarum executione, ita intelligendum est, vt neque Ordinarius ipse, nec Vicarius eius quicquam pro mercede laboris, quem ea in re susciperent, capere possent: Notarius verò pro examine testium quartam partem aurei, seu ducati licitè recipere posse.

Ad septimum, non debere examinatores occasione examinis ad Parochiales Ecclesias quicquam accipere, alioquin puniendos arbitrio Ordinarij.

Ad octauum de donatiuo in ingressu, respondet istam consuetudinem esse sublatam per Concilium, *cap. 14. sess. 24.*

Ad nonum, non debere censuras infligi, nisi seruatâ formâ capitis 3. *sess. 25.*

Ad decimum, sacrorum Ordinum collationes in Cathedrali Ecclesia, vocatis, & præsentibus ad id Ecclesiæ Canonicis, publicè celebrari debere, iuxta caput 8. *sess. 23.* Hæc leguntur apud ipsum P. Delbene *in tract.* quem de iuramento inscripsit, *cap. 3. dub. 31. per totam*, vbi etiam ad hanc rem alia scitu dignissima.

Non debet admitti, neque à collectore, vel Nuncio appellatio illorum, qui à suo Episcopo reiecti sunt tanquam inhabiles, multò minùs eis dimissoriæ dari. S. Congr. Episc. 16. Nouembris 1621.

Non denegantur ordines ex eo, quod quis fuit Iudex, si nullam incurrit irregularitatem. S. Congr. Episc. in Squillacensi, 15. Nouembris 1606.

In defectum alterius probationis Ordines susceptí probantur per iuramentum. S. Congr. Episc. in Reatina, 15. Decembris 1597. & in Camerensi, 5. Aprilis 1604. & in Andrianensi, 4. Maij; & in Perusina, 17. Maij eiusdem anni.

Maximè quando quis amisit testimoniales ordinum, quos ipse diu exercuit. S. Congr. Episc. in Placentina, 8. Maij 1581.

Et si testimoniales essent Ordinum Sacerdotio inferiorum, poterunt examinari qui fortè viderunt eum ordinari, vel ipsas testimoniales, ac obtinere copias examinis attestationum. S. Congr. Episc. in Auximana, 28. Augusti 1589.

Et dum Regulares, siue etiam subditi Congregationum approbatarum presbyterorum secularium, asserunt testimoniales superiorum suorum de Ordinibus susceptis, Ordinarius eos ad ostendendum originalia compellere non debet. S. Congr. Episc. in Ianuensi, 16. Aprilis 1597.

Pro patrimonio de quo est dubium, an sit validum, vel sufficiens, potest recipi fideiussor, non verò pro eo, quod est certum, non esse validum, vel sufficiens. S. Congr. Episc. in Eugubina, 22. Maij 1590.

Vrbanus VIII. constitutione *33. Secutis*, confirmans constitutionem Clementis IV. addidit, vt tam vltramontani, quàm alij quicunque ex quouis loco extra Italiam oriundi non possint Ordines, neque primam Tonsuram recipere in Italia, nisi cum dimissoriis sui Episcopi recognitis, & approbatis à Nuncio Apostolico illius Regionis, & recognitis & approbatis Romæ à Vicario vrbis.

*Ordinarius.*

Ordinarij locorum inquirunt in exemptis delinquentes, si illos superiores eorum punire negligunt. Leo X. constitutione 10. *Regimini*, 4. non. Maij 1515.

Ordinarij Ecclesiastici priuatiuè quoad seculares Iudices causas criminales Clericorum merè Ecclesiasticas cognoscunt. Pius IV. constitutione 52. Et si cuncta, 10. Aprilis 1562.

Ordinariorum iurisdictioni Græci subiiciuntur circa ea, quæ ad Dei cultum, & Sacramentorum pertinent administrationem. Pius IV. Const. 74. *Romanus*, 16. Februarij 1564.

Ordinarij iurisdictioni subest nouum Religiosorum Monasterium, in quo inter alia saltem duodecim ali non possunt Religiosi. Vrbanus VIII. *const. 43. §. 14.* Vide *Episcopus.*

Habet iurisdictionem in exemptos quoad causas ciuiles viduarum, & miserabilium personarum, etiam in Regulares extra claustra degentes, & etiam in claustrales, si certum Iudicem sibi ab Apostolica Sede deputatum in partibus non habeant. Concil. Trid. *sess. 7. de reform. cap. 14.*

*Onera Cameralia.*

Ecclesiastici non tenentur ad onera Cameralia, suppositâ illorum quasi possessione. Die 5. Februarij 1630. in Nucerina: *lib. 2. decr. Paul. fol. 26.*

Seruandum est decretum Clementis VIII. in fauorem Ecclesiasticorum, non soluendi subsidium triennale, & alia onera Cameralia. Die 22. Decembris 1621. in Balneoregiensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 108.*

---

P

*Palafrenarius.*

PAlafrenarius Episcopi gaudet priuilegio fori, etiam pro delictis extra Diœcesim commissis. Die 15. Februarij 1656. in Recanatensi: *lib. 5. decr. Paul. fol. 88. à tergo.*

*Palatium.*

Palatium Episcopi, quamvis locatum, gaudet immunitate Ecclesiastica. Die 16. Decembris 1666. in Aquinatensi: *lib. decr. Altouiti, fol. 30.*

*Patentati.*

Patentati ab Episcopo simpliciter non gaudent priuilegio fori. Die 20. Ianuarij 1654. in Forosempronensi: *lib. 5. decr. Paul. fol. 30. à tergo.*

Patentati à S. officio eximuntur à represaliis. Die 27. Septembris 1646. in Perusina, *in regesto.*

*Patrimonium.*

Ordinati ad titulum patrimonij gaudent exemptione pro sufficienti titulo. Die 19. Iulij 1624. in Potentina, *in regesto scripturarum veterum, fol. 30.*

Patrimonium sacerdotum gaudet exemptione à gabellis. Die 24. Martij 1627. in Camerinensi: *lib. 1. decr. Paul. fol. 42.*

Bona patrimonij Clericorum sunt etiam exempta ab oneribus Cameralibus, *ibidem.* Camerinensis, die 7. Octobris 1631. in Romana: *lib. 2. decr. Paul. fol. 93.*

Bona, ad quorum titulum Clericus est ordinatus, gaudent exemptionibus, etiam post adeptum beneficium, nisi fuerit subrogatum in locum patrimonij. Die 11. Ianuarij 1633. in Firmana, *ibidem fol. 147.*

Bona patrimonij Clericalis non possunt confiscari. Die 13. Iunij 1640. in Mutinensi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 20.*

Patrimonium Clerici est exemptum ad instar bonorum Ecclesiasticorum. S. Congr. Episc. in Tricaricensi, 14. Nouembris 1603.

Patrimonium donatum per parentes ea conditione, vt filius vsumfructum habeat interim dum beneficium aliquod, aut bona alia ad eius congruam sustentationem sufficientia acquirat, est sufficiens, & ad illius titulum potest ordinari. S. Congr. Episc. in Eugubina, 22. Maij 1590.

Patrimonium Clerici, ad cuius titulum fuit ad sacros Ordines promotus, non potest capi in executionem, ob illata vulnera alicui, ad reficiendas curationis expensas à Iudice condemnatus, etiamsi nihil aliud præterea possideat, quia eius alienatio interdicta est decreto Concilij, *cap. 2. sess. 21. de refor.* S. Congr. Concilij sub die 5. Februarij 1604.

Patrimonium assignatum Clericis à consanguineis cum clausula, donec fuerit de beneficio prouisus, &c. non comprehendit officium Organistæ, & Magistri Capellæ. S. Congr. Concilij, 26. Iunij 1621.

Patrimonij examen pertinet ad Episcopum priuatiuè quoad alios. S. Congr. Concilij in Placentina, 16. Martij 1630.

Patrimonium an tale sit, quod sufficiat, relinquitur arbitrio Ordinarij, propter diuersitatem locorum, cùm in vno loco sufficiat, quod in alio non erit sufficiens. S. Congr. Concilij, teste Armendariz *in addit. ad recopil. leg. Navar. lib. 2. tit. 8. l. 1. de patrim. n. 8.*

*Pascua animalium.*

Ecclesiastici quoad pascua animalium non sunt subiecti statutis Communitatis. Die 13. Iulij 1637. in Firmana: *lib. 3. decr. Paul. fol. 37.*

Pascua reducenda sunt pro Ecclesiasticis in pristinum statum libertatis. Die 26. Iunij 1628. in Ferentina: *lib. 1. decr. Paul. fol. 97.*

*Parochialia iura.*

Parochialia iura vsurpantes incurrunt in excommunicationem Papæ reseruatam, latam in Bulla Cœnæ Domini, & in Concilio Tridentino.

*Pauper.*

Pauperes miserabiles conuenire possunt debitores suos coram Episcopo. Die 18. Nouembris 1653. in Maceratensi: *lib. 5. decr. Paul. fol. 25. à tergo.*

Pauperum cadauera gratis sepeliri debent. S. Congr. Episcop. in Cassanensi, 5. Maij 1617.

Pauperibus, qui pro festis diebus ruri commorantur, permitti debet, vt diebus festis suos contractus facere possint. S. Congregatio Episcoporum & Regularium, in vna Gallipolitana, sub die 26. Iunij 1590. Excipe Festa solennizata, & contractus, in quibus decretum Iudicis requiritur. Eadem S. Congr. 23. Aug. 1658.

Pauperrimæ virginis debitor compellitur ad soluendum. Die 6. Nouembris 1634. in Sabinensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 207. à tergo.*

Relictum pauperibus dicitur relictum ad pias causas, quia bona pauperum æquiparantur bonis Ecclesiasticorum, adeo quod si relinquatur aliquid diuiti putato pauperi, existimabitur relictum ad pias causas quoad relinquentem, etsi quoad eum, cui relinquitur, habeatur pro non scripto, *l. eam quam 15. C. de fideic.*

*Parochus.*

Parochi domus gaudet immunitate, etiamsi non adhæreat Ecclesiæ. S. Congr. Immunit. 10. Decembris 1658.

Parochus est manutenendus in possessione exigendi decimas ratione prædiorum acquisitorum per Regulares, donec doceat de sufficienti priuilegio. S. Congr. Concilij, 13. Aprilis 1630.

Parochi defunctorum in Regularibus Ecclesiis humandorum corpora vsque ad easdem Ecclesias associare, ac etiam in illis permanere possunt, absque tamen eo quod in officio decantando vllatenus se intromittant, nisi contraria adsit consuetudo. S. Congr. Episc. 6. Iulij 1615.

*Patronus.*

Patronus debet manuteneri in quasi possessione tenendi in Ecclesia sua insignia. S. Congr. Episc. in Sarzanensi, 17. Septembris 1601. & 4. Septembris 1602.

Patronus non potest tenere claues suæ Capellæ. S. Congr. Episc. in Ianuensi, 18. Martij 1578.

Patroni possunt, si ad eos spectat præsentatio alicuius beneficij per concubinum detenti, vel alij laici parochiani pro suo interesse, qui ab eo percipiunt sacramenta, eum accusare, quinimò potest Ordinarius procedere contra ipsos, provt de iure, non spectatâ formâ Concilij *sess. 25. c. 14. de ref.* S. Congr. Concil. teste Garz. *de benef. p. 11. c. 10. n. 186.*

*Pax.*

Pacem cum alio facere nemo compellitur, cùm sufficiat in foro conscientiæ iniuriam remittere. S. Congr. Episc. in Caëtana, 15. Nouembris 1588.

Pax, & thus Domino loci dandum est iuxta formam

libri Cæremonialis. S. Congr. Rit. 4. Martij 1606.

Pax non debet dari Domino loci, & aliis laïcis, nisi post datam pacem omnibus de Choro; & tunc detur non à beneficiato, sed ab aliquo ministro cotta induto, non cum osculo, sed cum instrumento. S. Congr. Rituum in Calaguritana, 5. Iulij 1614. & in Pacensi, 21. Martij 1609.

Pax mulieribus non datur. S. Congr. Rituum in Lucerina, 3. Iunij 1617. & aliquando remittitur arbitrio Episcopi. Eadem S. Congr. in Pacensi, 28. Ianuarij 1612.

Pacis osculum nulli, nec etiam Præsidenti, vel Consiliariis Regis dandum est ante Episcopum. S. Congr. Rituum in Granatensi, 9. Maij 1606.

Pacis osculum viris Ecclesiasticis in Clero sedentibus, non cum instrumento, sed cum osculo oris dandum est. S. Congr. Rituum in Messanensi, sub die 8. Iulij 1602.

*Pœna.*

Gubernator Cannariæ ob violationem Immunitatis Ecclesiasticæ priuatur officio, & declaratur inhabilis ad triennium. Die 22. Ianuarij 1627. in Assisiensi: *lib. 1. decr. Paul. fol. 33. à tergo.*

Duo Vicarij, & nonnulli Patres Theatini puniuntur ob non partitionem. Die 22. Ianuarij 1627. in Lycensi, *ibidem, fol. 34.*

Auditor Beneuenti acriter reprehenditur, & punitur pœna salutari. Die 7. Maij 1630. in Beneuentana: *lib. 2. decr. Paul. fol. 39.*

Vicarius Volaterranæ punitur, eo quod neglexerit defensionem immunitatis Ecclesiasticæ. Die 7. Maij 1630. in Florentina, *ibidem fol. 41. à tergo.*

Pœna pecuniaria non est imponenda ab Episcopis. Die 17. Iunij 1631. in Cauensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 80.* in Terracinensi, die 17. Iunij 1631. *ibidem, fol. 81. à tergo.*

Condemnati ad soluendum aliquam pœnam pecuniariam, audiri non debent, nisi facto de ea publico deposito. S. Congr. Episc. in Messanensi, 18. Octobris 1603.

Vnde debet fieri depositarius mulctarum. S. Congr. Episc. in Ostunensi, 3. Septembris 1577. & in Spoletana, 15. Octobris 1580. & in Andriensi, 6. Augusti 1602. & 17. Februarij 1645.

Qui cautionem præstet de bene administrando, expendat cum mandato subscripto ab Ordinario, & reddat rationem in fine anni coram Ordinario, & duobus Capitularibus. S. Congr. Episc. 6. Septembris 1652. & 17. Februarij 1645.

Quorum Canonicorum alter eligatur ab Episcopo, alter à Capitulo. S. Congr. Episc. 20. Nouembris 1654.

Nec vllo modo pecunia multarum teneatur ab Ordinario. S. Congr. Episcop. 10. Septembris 1596.

Ordinarius abstinere debet à pœnis pecuniariis contra Regulares. S. Congr. 29. Septembris 1645.

Pœna violantium clausuram contra mulieres ingredientes monasteria Monialium, etiam cum licentia, nisi interuenerit earum consensus capitulariter, & per secreta suffragia. Vrbanus VIII. constitutione 29. §. *Sacrosanctum*, 27. Octobris 1624.

*Pensionarius.*

Pensionarius censetur beneficiatus, & gaudet priuilegio fori. Die 20. Februarij 1652. in Perusina: *lib. 4. decr. Paul. fol. 175. à tergo.*

Si Rector teneatur non potest instaurare Ecclesiam ex fructibus, cogendus est supplere pensionarius, non obstante aliqua sua prætensione in contrarium. S. Congregatio Episcoporum, 16. Iulij, & 7. Septembris 1580.

*Pensio.*

Pensionem obtinens habetur pro Clerico beneficiato ad effectum priuilegij. S. Congr. Concilij, sub die 18. Decembris 1595.

Proposito dubio ex speciali rescripto S. D. N. in Congregatione S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præfecta, an & quomodo procedendum sit ad pœnam interdicti, vel suspensionis contra Episcopos, Archiepiscopos, & Patriarchas morosos in solutione pensionum authoritate Apostolica reseruatarum, attento capite *Quia periculosum, de sent. excom. in 6.*

Eminentissimi Patres, re sæpius perpensâ, ac sedulò examinatâ, in hanc deuenerunt sententiam, vt firmis remanentibus clausulis in literis Apostolicis reseruationis pensionum huiusmodi apponi solitis, & citra præiudicium mandatorum relaxatorum ab Auditore Cameræ, & eorum legitimæ executionis, ac iurisdictionis eiusdem Auditoris Cameræ, postquam legitimè constiterit, etiam extraiudicialiter, quod executio realis fieri, vel consummari non possit dolo Episcopi debitoris, vel ob occultationem fructuum, vel ob subtractionem pignorum, vel etiam ob impedimentum laïcalis potestatis, antequam deueniatur ad pœnam censuratum, moneatur seriò idem Episcopus nomine huius S. Congregationis, vt infra terminum ab eadem præfigendum, vel cum effectu soluat, vel si quid habet iudicialiter opponendum, deducat coram Auditore Cameræ, vel coram Signatura Iustitiæ, reportando rescriptum suspensiuum. Aliàs nouerit, se vti inobedientem, & contumacem ab hac sancta Sede habendum fore. Termino elapso, si solutio non sequatur, destinetur Vicarius Apostolicus, & Oeconomus Mensæ Episcopali, qui non amoueatur donec fuerit integrè satisfactum, & sufficienter prouisum, etiam pro terminis futuris.

Quod si visitatio personalis sacrorum liminum imminet, non concedatur facultas visitandi per procuratorem, vt occasione ipsius accessus ad Vrbem compelli possit ad solutionem.

Demùm, durante adhuc contumacia, subiiciatur pœnæ suspensionis, & Ecclesiastici interdicti, de licentia tamen expressa Sanctissimi D. N. Die 17. Augusti 1646.

Quo verò ad priuilegium fori Sanctissimus auditâ relatione Congregationis, die 18. Decembris 1576. declarauit, pensionarium censeri beneficiatum ad effetum gaudendi priuilegio fori Ecclesiastici, de quo Concilium loquitur. Primò, quia Cancellaria habet pensionarium pro beneficiato, vnde vult exprimi in Bullis pensiones, sicut beneficia. Secundò, quia Pius V. Bullâ suâ coëgit pensionarium ad dicendum Officium saltem Beatæ Mariæ Virginis. Vnde postea S. Congregatione consultâ, an Clericus primæ tonsuræ, qui in habitu incedit, habetque tanquam Clericus pensionem, sed non beneficium, nec Ecclesiæ iussu Episcopi deseruit, gaudeat priuilegio fori, censuit gaudere adinstar obtinentium beneficium, referente D. Fagnano *in cap. ad audientiam, de rescript. n. 131. & seq.*

Clericus pensionem habens gaudet, licèt ex dispensatione Apostolica non incedat in habitu. S. Congr. Concilij 26. Iunij 1630.

Et si Religionem Militarem ingrediatur, ac profiteatur, non priuatur ipso facto neque pensione, neque priuilegio fori, licèt incedat ense accinctus, habitu que militari

militari indutus. S. Congr. Concilij 20. Augusti 1633.

*Permutatio.*

Si Episcopus permutet prædia suæ Ecclesiæ sub beneplacito Sedis Apostolicæ, nec posteà illud expediat sub prætextu, quod cupit videre, an sit vtilis permutatio, debet petere confirmationem, & quatenus peruenerit ad traditionem, etiam absolutionem. S. Cong. Episc. in Caiacensi, 20. Ianuarij 1612.

Episcopi non possunt inuicem permutare aliqua loca suæ Diœcesis sine beneplacito Sedis Apostolicæ. S. Congr. Episc. 13. Nouembris 1612.

*Pistor.*

Pistor qui, vt dicitur, spiana frumentum Episcopi, si deliquerit, est puniendus ab eodem Episcopo. Die 16. Ianuarij 1635. in Vrbeuetana : *lib. 2. decr. Paul. folio 215.*

*Pileolus* : vide *Beretinum.*

Qui assistit in choro Missæ conuentuali non potest portare pileolum per totum Canonem, in aliis diuinis officiis permitti non est prohibitum. S. Congr. Episc. 5. Nouembris 1603.

*Porta.*

Episcopus non potest facere portam in Vrbis mœnibus, si sit populo præiudicio, vel scandalo. S. Congr. Episc. in Motulensi, 1. Septembris 1605.

Porta, quâ ab Ecclesia itur in domum priuatam, debet muro obstrui. S. Congr. Episc. 15. Iunij 1646.

Porta Cathedralis versus ædes canonicales aperta esse debet pro seruitio Canonicorum, & commodo populi. S. Congregat. Episcopor. 8. Nouembris 1588.

Porta, quæ à clausura respondet in Ecclesiam exteriorem, claudi debet. S. Congr. Episc. 25. Aug. 1575. & 1. Decembris 1519.

*Præuentio.*

In tribunalibus communibus datur locus præuentioni, quando causa est merè laicalis, & laicus est reus. S. Congr. Episc. 12. Aprilis 1647.

Præuentio datur in causis mixti fori.
Vide *Mixtæ causæ.*

*Presbyter.*

Pro debito ciuili non carceratur, nisi in casibus à iure permissis; nec censuris, nisi in subsidium, cogitur. Quod si aderit Cameralis obligatio, ad Auditorem Cameræ recurrendum erit. S. Congr. Episc. 22. Augusti 1591.

Presbyteri officium procuratoris exercere nequeunt. Martinus V. constitutione 3. *In Apostolicæ.* Kal. Septembris 1418.

Presbyter delinquens in sua diœcesi, si in alio loco reperiatur, ad suum Ordinarium remitti debet. S. Congr. Concilij, teste Selelles *in select. cap. 2. n. 21.*

*Prima Tonsura.*

Prima Tonsura potest conferri illi, qui habet omnia requisita *in cap. 4. sess. 23.* licèt ob aliquod impedimentum non possit ascendere ad alios ordines, non obstante *cap. 11. eiusdem sess.* quia hoc loquitur de quatuor minoribus, illud verò de prima Tonsura tantùm. S. Congr. Concilij, teste eodem Selelles *cap. 2. num. 19.*

Primam tonsuram potest Episcopus conferre ei, qui legere, & scribere, hoc est characterem formare sciat. S. Congr. Episc. 13. Octobris 1593.

Vrbanus VIII. Bulla 33. §. 4. ita statuit. *Italis verò, si quos in posterum clericali charactere insigniri, vel ad minores Ordines promoueri ab alieno Episcopo cum falsis dimissoriis contigerit, etiamsi qualitatibus per Concilij Tridentini decretum, cap. 16. sess. 23. requisitis præditi sint; nihilominus, sequutâ tamen priùs desuper Iudicis Ecclesiastici declaratione, fori priuilegio minimè gaudere, sed seculari iurisdictioni, vt antea, plenè in omnibus subiacere, & subiectos esse respectiuè volumus.*

*Priuilegium.*

Priuilegium canonis *Si quis suadente*, in nihilo immutauit Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 6. de reform.* Vnde quiuis Clericus, etiam non habens beneficium Ecclesiasticum, nec Habitum, & Tonsuram deferens, eo gaudet priuilegio. S. Congr. Concilij, teste Gonzal. *ad reg. 8. Cancel. glos 5. §. 5. n. 7.*

Priuilegia liberandi homicidas Confraternitatibus concessa reuocauit Pius IV. constitutione 29. incipiente : *Cum ad solitam*, 19. Kal. Ianuarij 1564.

Priuilegia omnia Regularium, quod non teneantur seruare interdicta in aliquibus diebus tantùm, ac etiam in festis suorum Ordinum, si ante Concilium concessa fuerint, vtique reuocata censentur. S. Congregat. Concilij, teste Garc. *de benef. p. 5. cap. 8. num. 87.*

*Priuatio priuilegij.*

Ad priuationem priuilegij tria requiruntur, nempe concludens, & plena probatio quoad trinas grassationes. Die 7. Nouembris 1651. in Laudensi : *lib. 4. decr. Paul. fol. 163.*

*Protonotarius.*

Protonotarius si in habitu, & tonsura incedat, gaudet priuilegio fori. Die 22. Martij 1632. in Toletana, *in regesto.*

Protonotarius Apostolicus gaudet priuilegio fori. Die 17. Decembris 1636. in Florentina, *ibidem fol. 68.*

Protonotarij sunt Ordinario subiecti. S. Congr. Episc. 8. Iunij 1646.

Protonotarius Apostolicus ex priuilegio in ciuilibus est exemptus à iurisdictione Ordinarij quoad causas excedentes summam 25. ducatorum, ex Bulla 8. Leonis X. quia Concilium non derogauit priuilegiis Protonotariorum, nisi in causis criminalibus. S. Congr. Concilij in Papiensi, 14. Decembris 1630.

Protonotarius in habitu Clericali incedens, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus causis, fori priuilegio gaudet, quamvis non sit adscriptus seruitio alicuius Ecclesiæ. S. Cong. Concilij in Toletana, 17. Martij 1632.

Protonotarij honorarij gaudent priuilegio fori, & clericali, etiamsi Ecclesiæ non inseruiant. S. Congr. Concilij, 9. Iulij 1626.

Protonotarij etiam non participantes fori priuilegio gaudent, si in habitu clericali incedant, etiamsi Ecclesiæ

cleſiæ non inſeruiant. S. Congregat. Concilij, 9. Iulij 1626. ſecus ſi omninò incedant vt laïci, maximè ſi vxorem ducant. S. Congr. Epiſc. 15. Iunij 1629.

Cœlibes verò ex conſtitutione Leonis X. quæ incipit *Regimini*, §. 4. cui per Concilium non fuit quoad hoc derogatum, gaudent priuilegio, & immunitate Clericali, licèt non ſint in ſacris, nec beneficium habeant, nec alicuius Eccleſiæ ſeruitio ſint deputati, nec reipſa inſeruiant, non ſecus ac ſi eſſent Clerici beneficiati, vel in ſacris Ordinibus conſtituti. S. Congr. Concilij 11. Iulij 1626.

*Proceſſus.*

In fabricatione proceſſus contra Eccleſiaſticum non permittitur aſſiſtentia coniudicis ex parte Principis ſecularis, niſi cum diſpenſatione Summi Pontificis, quæ non poteſt tranſire in exemplum. Die 20. Iunij 1638. in Taurinenſi, *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 96.

Proceſſus Curiæ Eccleſiaſticæ non ſunt conſignandi Iudici laïco. Die 18. Februarij 1631. in Terracinenſi: *lib.* 1. *decr. Paul. fol.* 97.

In concernentibus delicta confugientium nulla ratio habeatur proceſſus Curiæ laïcalis. Die 18. Martij 1631. in Salernitana, *ibidem folio* 100. *à tergo.*

Iudex laïcus nulliter conficit proceſſum contra Clericum, & incurrit in excommunicationem. Die 9. Nouembris 1630. Gallopolitana: *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 142. Vrbitanenſis, die 27. Auguſti 1641. *lib.* 3. *decr. Paul. fol.* 156.

Proceſſus factus à Poteſtate Terræ Filaniani contra Clericum annullatur, & conuenitur, die 27. Aprilis 1638. in Nepeſina: *lib.* 3. *decret. Paul. folio* 60.

Sanctiſſimus concedit facultatem Epiſcopo Fulginatenſi communicandi proceſſus vtriuſque Curiæ abſque incurſu irregularitatis. Die 5. Ianuarij 1631. in Fulginatenſi: *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 94.

Aliquando præſtatur fides proceſſui laïcorum ante confugium fabricatum, ſed non ſufficit. Die 18. Decembris 1629. in Caſtrimaris: *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 20.

Curia Eccleſiaſtica facit repetitionem teſtium in Curia laïcali examinatorum ſuper captura facta in loco Immuni. Die 14. Octobris 1630. in Neapolitana: *lib.* 2. *decr. Paul. fol.* 61. *à tergo.*

Proceſſus inquiſitorum hæreticæ prauitatis abſque alia reuiſione Magiſtratus ſecularis exequi debent. Innocentius VIII. *conſt.* 20.

Quando committitur compilatio, vel expeditio proceſſus, intelligitur non ſolùm de informatiuo, ſed etiam de defenſiuo. S. Congr. Epiſc. in Aſſiſienſi, 22. Decembris 1617.

Epiſcopus abſque irregularitatis metu poteſt officialibus laïcis oſtendere proceſſum criminalem ſuæ Curiæ, non tamen ipſum proceſſum, vel eius copiam tradere pro indiciis contra complices. S. Congregat. Epiſc. in Andrienſi, 2. Maij 1594. & in Laudenſi, 16. Ianuarij 1601. Multò minùs Regulares. Eadem Sacr. Congr. 28. Auguſti 1612. Niſi ex gratia ſpeciali Sanctiſſimi. Eadem. S. Congr. 12. Nouembris 1620.

Dum ordinatur tranſmiſſio proceſſus ad inſtantiam partis, intelligitur, ſolutâ Actuario competenti mercede. Sacr. Congregat. Epiſc. 4. Octobris 1580. Et quando pars inſtans non poteſt ſoluere mercedem copiæ totius proceſſus, ordinatur tranſmiſſio ſolius ſummarij. Eadem Sacr. Congregat. 7. Decembris 1618. Vel proceſſus originalis. Eadem Sacr. Congregat. 9. Aprilis 1627. Vel datur commoditas deſcribendi. Eadem S. Congregat. 7. Maij 1625. Vel dari iubetur in forma pauperum, vel etiam gratis, ſi ſit egeſtas nimia. Eadem S. Congregat. 7. Aprilis 1623.

Quando petitur copia proceſſus ad videndum ad quod Tribunal cauſæ cognitio ſpectat, non ſoluit tunc reus mercedem, ſed in fine, cui ex Tribunalibus fuit adiudicata cauſa. Eadem S. Congregat. 17. Martij 1627.

Proceſſus appellatione *in cap.* 6. *ſeſſ.* 25. *de reform.* intelligitur prima citatio. S. Congr. Concilij, teſte Armendariz *de Viſitat. n.* 61.

Proceſſus in cauſa viſitationis perſonarum Cathedralis Eccleſiæ coram Notario per Epiſcopum aſſumendo eſt fabricandus. S. Congregat. Concilij, teſte eodem Armendariz. *eod. verb. num.* 61.

*Promotor.*

Promotor Fiſcalis Curiæ Epiſcopalis gaudet priuilegio fori, & poteſt deferre arma. Die 3. Auguſti 1666. in Hipporegienſi: *lib. decr. Altouiti, fol.* 6.

*Prædicantes dogmata, vel miracula falſa.*

Ex Bulla Leonis X. 21. quæ incipit: *Superna Maieſtatis*, & ex Concilio Later. *ſeſſ.* 11. lata eſt excommunicatio, & priuatio officij concionandi, ipſo facto incurrenda contra Concionatores verbi Dei, ſi aduerſus præcepta in illa ſtatuta venire auſi fuerint.

*Proditor, & Proditorium homicidium.*

Committentes homicidium proditorium non gaudent immunitate Eccleſiæ. Gregorius XIV.

Dicitur autem proditor, qui aliquem, cui ſe tanquam ſocium, & amicum adiunxerat in via, nullâ rixæ cauſâ interueniente occidit, ſeu qui doloſè ſub amicitiæ colore ſeducit aliquem, vt occidat. S. Congr. Epiſc. in Rhegienſi, 12. Octobris 1602. & in Boianenſi, 6. Aprilis 1622.

Et generaliter homicidium commiſſum ſine præcedentibus inimicitiis dicitur proditorium, & non gaudet immunitate. Eadem S. Congr. *locis citatis*, & in Conſentina, 8. Aprilis 1603.

Dicuntur autem præceſſiſſe inimicitiæ, quando conſtat inter homicidam, & occiſum aliquot antè diebus fuiſſe ſecutam rixam. Eadem S. Congr. 16. Aprilis 1611.

Etiamſi non occidat ferro, ſed veneno, vel quolibet alio modo, dicitur proditor. S. Congr. Concilij 7. Decembris 1632.

Non eſt proditor qui occidit inimicum, etiam per inſidias, & à tergo. S. Congr. Epiſc. in Boianenſi, 6. Aprilis 1612. & ita declaraſſe Clementem VIII. teſtis eſt Giurba *conſ.* 100. *n.* 9.

Proditor Principis, vel patriæ incurrit pœnas læſæ Maieſtatis. Quod eſt intelligendum, vt procedat, ſi ſit proditio contra Principem ſupremum, ſeu

Rempublicam habentem Imperium ſupremum ; alias enim eſſet crimen proditionis, vel ſeditionis, non autem crimen læſæ Maieſtatis.

*Proſpectus.*

Perſonæ particulares non poſſunt habere proſpectus in Eccleſiam. S. Congregat. Epiſcopor. 15. Iunij 1635.

Nullo modo debet eſſe in Monaſteria Monialium. Eadem S. Congr. 28. Februarij 1605.

Neque à feneſtris Campanilis alicuius Eccleſiæ vicinæ. Eadem S. Congr. 16. Aprilis 1605.

Ideoque pleno muro debent obſtrui. Eadem S. Congreg. 31. Iulij 1612.

Et quæ huiuſmodi eſſent in Monaſterio monialium, per quæ videre poſſent, & videri. Eadem S. Congreg. 28. Nouembris 1636.

Nec quis permitti debet ædificium attollere, ſi per id proſpectum in Monaſterium ſit habiturus. Eadem S. Congregat. 15. Maij 1612. & 18. Februarij 1617.

Et ad idem parietes attollere iubetur, ac feneſtras claudere. Eadem S. Congr. 11. Aprilis 1645.

Et demoliendæ ſunt manſiones fabricatæ in viculo intermedio, & claudendum ambulacrum, quod à tecto monaſterij imminet prædominans. Eadem S. Congreg. 11. Iulij 1653.

Non obſtante qualibet appellatione, vel recurſu. Ea- S. Congr. 8. Auguſti 1653.

Prohiberi debet monialibus ſub grauibus pœnis, vſus ocularium longiorum. S. Congreg. Epiſcop. 1. Octobris 1627.

*Protector.*

Non poteſt dare vocem excluſis à Conſtitutionibus. S. Congr. Epiſc. 6. Octobris 1645.

Vel abſoluere, relaxare, aut diſpenſare in pœnis incurſis à Religioſis, eo quod alienauerunt, vel Romam venerunt ſine licentia. Clemens VIII. & decreta S. Congr. Concilij.

---

## Q

### *Quæſtor, & quæſtuatio.*

Licentia quæſtuandi concedi non poteſt à Principibus, vel Magiſtratibus ſecularibus, ſed obtinenda eſt à Papa, vel ab Epiſcopo. S. Congregat. Concilij, 9. Ianuarij 1582. & 22. Februarij 1620.

Pro licentia quæſtuandi danda locis piis iuxta ſolitum exigi ſolùm poſſunt baiochi quinque ad mercedem Notarij. S. Congregat. Epiſcop. 14. Aprilis 1615.

Regulares tamen Mendicantes tali licentia non egent, ſed in locis vbi non habent Conuentum, tenentur oſtendere licentias ſuorum Superiorum. S. Congregat. Epiſcop. 15. Februarij 1577. & 17. Nouembris 1620. & 5. Octobris 1646. & 21. Maij 1649.

Non debet Ordinarius permittere quæſtuariis, vt imprimant eorum licentias. Eadem S. Congr. 4. Septembris 1602.

Nec eos facilè admittere, licèt deferant licentias impreſſas. Eadem S. Congr. 27. Nouembris 1601. & 9. Ianuarij 1602.

Quæſtuarij carcerari debent, & ad Iudicis originem tranſmitti, vt ibi puniantur, vbi fuerunt eis iniuncta præcepta, & vbi frequentius eſt id genus maleficij. Eadem S. Congr. 7. Iunij 1605.

Vbi tribus, vel quatuor funium ictibus publicè infligis, mittantur in exilium à Ciuitate, & Diœceſi per quinquennium, ſub pœna triremium ad decennium in caſu fractionis exilij, vel nouæ quæſtuationis. Eadem S. Congreg. 18. Decembris 1600. & 5. Februarij 1602.

Maximè ſi publicauerint falſas Indulgentias. Eadem S. Congr. 5. Martij 1602.

Eleemoſynæ repertæ penes quæſtuarios, ſi dari non poſſint eidem loco, cuius contemplatione fuerunt factæ, diſtribuendæ ſunt Monaſteriis monialium, quæ magis egent. S. Congregatio Epiſcoporum ſub 20. Auguſti 1596. & 3. Iunij 1597. & 13. Iulij 1605.

---

## R

### *Raptor.*

Raptor virginis gaudet immunitate Eccleſiaſtica. Die 9. Octobris 1628. in Theatina : *lib. 1. decr. Paul. fol.* 108.

*Recognitio corporis delicti.*

Epiſcopus non poteſt dare licentiam Gubernatori faciendi recognitionem corporis delicti in loco immuni. Die 21. Ianuarij 1659. in Anagnina : *lib. decr. Roccij, fol.* 146.

Aliquando cum facultate ſanctiſſimi Epiſcopus poteſt communicare recognitionem corporis delicti Curiæ laïcali. Die 16. Iulij 1658. in Fulginatenſi : *lib. decr. Roccij, fol.* 103. *à tergo.*

Non permittitur extractio bonorum à loco immuni ad cognoſcendum corpus delicti. Die 7. Octobris 1634. in Vrbeuetana : *lib. 1. decr. Paul. fol.* 94.

*Reconciliatio.*

Reconciliatio Eccleſiæ pollutæ, quæ priùs conſecrata non erat, aliquando conceditur Vicario Epiſcopi, ſeu alteri perſonæ in dignitate conſtitutæ. Pro Eccleſiis verò, quæ antea fuerant conſecratæ, minimè concedendam cenſuit S. Rituum Congregatio 9. Maij 1609.

Reconciliatio Eccleſiæ conſecratæ, & cæmeterij non committenda alteri, quàm Epiſcopo. S. Rituum Congr. 9. Februarij 1608.

*Recurſus.*

Moleſtare, ſeu vexare recurrentes ad S. Congregationem, eſt directè contra §. 12. Bullæ Cœnæ. S. Congreg. Epiſc. 9. Septembris 1594.

Multò magis ſi quis contra eos, licet Curatos, proceſſum

ceſſum formet. Eadem S. Congregat. 15. Decembris 1606.

Vel exequutionem aliquam faciat. Eadem S. Congreg. 22. Nouembris 1604.

Etiam pro pœnis contumacialibus. Eadem S. Congreg. 10. Iulij 1590.

Præceptum factum ab Epiſcopo, ne pecuniæ communes expendi poſſint occaſione recurſus ad Romanam Curiam, eſt nullum, quia ipſum recurſum impedit indirectè. Eadem S. Congregat. 15. Nouembris 1604.

Non ſunt faciendæ nouæ Conſtitutiones, neque augendæ pœnæ contra recurrentes ad tribunalia ſecularia, cùm ſufficiant iam editæ, præſertim in Bulla Cœnæ. S. Congregat. Concilij, 7. Auguſti 1624. Quod ſanctiſſimus probauit.

*Regulares.*

Superior Regularis non poteſt dare licentiam exhumandi cadauera ad effectum recognitionis corporis delicti. Die 8. Auguſti 1645. in Maceratenſi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 259.*

Quatuor Ordines Mendicantium ſunt exempti à quocunque, onere etiam Camerali. Die 7. Nouembris 1651. in Fulginatenſi: *lib. decret. Paul. fol. 162.*

Regulares ſunt exempti ab oneribus communitatis. Die 26. Auguſti 1636. in Mutinenſi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 12. à tergo.*

Camaldulenſes ſunt immunes à collectis communitatis. Die 13. Iulij 1637. in Britinorienſi, *ibidem fol. 36.*

Carmelitæ ſunt exempti à ſolutione gabellæ carnis pro vſu proprio. Die 15. Septembris 1657. in Ferrarienſi: *libr. 3. decret. Paul. folio 42. à tergo.*

Auguſtiniani, probata conſuetudine, eximuntur à gabellis. Die 19. Martij 1637. in Firmana: *lib. 3. decr. Paul. fol. 27.*

Fratres Minimi non poſſunt conueniri ab Ordinario pro reddenda ratione bonorum. Die 24. Ianuarij 1653. in Biſignianenſi: *lib. 5. decret. Paul. fol. 5. à tergo.*

Regulares non comprehenduntur ſub ordinationibus generalibus, niſi de ipſis fiat expreſſa mentio. S. Congregat. Epiſcopor. 30. Decembris 1617.

Regulares prædicantes in ſuis Eccleſiis examinari non poſſunt ab Epiſcopo. Eadem S. Congreg. 15. Iulij 1603.

Regulares delinquentes in adminiſtrandis Sacramentis perſonis ſecularibus, vel prædicantes contra præſcriptum Concilij Tridentini, nempe extra Eccleſias ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo, poſſunt ab Epiſcopo, tam per cenſuras Eccleſiaſticas, quàm per alias quaſcunque opportunas pœnas puniri, & eos declarare, ac exequi; non tamen ab inferioribus Prælatis iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus, nec ab Epiſcopo, ſi id in loco nullius Diœceſis fecerint. Gregorius XV. *conſt.* 18. & ibi declarationes S. Congregationis Concilij.

Similiter ſi confeſſiones audiunt ſine Epiſcopi licentia, *ibid.* & S. Congregat. Epiſcopor. 27. Auguſti 1627.

Pœnæ tamen pecuniariæ contra Regulares ſunt inſolitæ. Eadem Sacra Congregat. 29. Septembris 1645.

Regularis extra clauſtra degens poteſt viſitari, corrigi, & puniri ab Ordinario, vbi deliquerit, non obſtante priuilegio. Concilium Trident. *ſeſſ. 6. capit. 3.* licèt degat extra clauſtra de licentia Apoſtolica. S. Congregat. Concilij, 20. Nouembris 1626.

Poſſunt Epiſcopi prohibere, ne Regulares permittant Sacerdotes exteros in eorum Eccleſiis celebrare, niſi ab eiſdem Epiſcopis, viſis literis commendatitiis, ſeu teſtimonialibus admiſſi fuerint. S. Congr. Concilij, 12. Nouembris 1594.

Ipſis autem Regularibus prohibere non poteſt, ne celebrent in Eccleſiis ſecularium. Pius V. *conſtit. 41.* Et licèt ſupradicta conſtitutio fuerit per Gregorium XIII. redacta ad terminos iuris, non tamen cenſentur reuocata ſupradicta. S. Congregat. Epiſcopor. 17. Maij 1580. vel quia eis competant de iure communi, ſeu vigore ſuorum priuilegiorum, etiam præciſa ſupradicta conſtitutione; ſeu quia aſſerantur eis de nouo conceſſa per Vrbanum VIII. Eadem S. Congregat. 25. Iunij 1633.

Quando tamen ex hoc ſcandala, & inconuenientia oriuntur, S. Congregatio prohibere ſolet, ne Regulares ſuſcipiant onera celebrandi in Eccleſiis ſecularium, & è conuerſo, niſi in caſu neceſſitatis. Eadem S. Congr. 11. Septembris 1598.

Regulares compelli non poſſunt ad confeſſiones audiendas extra ſuas Eccleſias. S. Congr. Epiſc. 12. Ianuarij 1604.

Regulares approbati ab Ordinario ad audiendas confeſſiones ſecularium, cum primùm alicuius infirmi confeſſionem exceperint, id Parocho ſignificare debent, & hoc eis ab Epiſcopo præcipi poteſt ſub pœna ſuſpenſionis à facultate audiendi confeſſiones, vt Romæ fit. S. Congreg. Epiſcop. 23. Iunij 1616. & 1. Iulij 1606.

*Repræſaliæ.*

Repræſaliæ non poſſunt fieri contra bona Clericorum. Die 29. Maij 1646. in Firmana: *lib. 3. decret. Paul. fol. 281.*

Etiam pro debito Communitatis. Die 28. Iulij 1648. in Spoletana: *lib. 4. decr. Paul. fol. 56.*

Patentati S. Officij eximuntur à repræſaliis. In Peruſina. Vide verbo *Patentati.*

*Reus.*

Reus non cogatur expenſas erogare Commiſſario contra ſe, parte inſtante deſtinato; ſed hoc fiat actoris expenſis, quæ in fine à reo reficiendæ ſunt, ſi in culpa repertus fuerit. S. Congr. Epiſc. 25. Februarij 1583.

Reus repertus innocens cogi non debet ad ſoluendam aliquam pecuniam. Eadem S. Congreg. 3. Februarij 1604.

Durante iudicio, non debet à celebratione, vel ingreſſu Eccleſiæ ſuſpendi, niſi indigeret abſolutione, vel diſpenſatione alicuius cenſuræ, vel irregularitatis. Eadem S. Congr. 23. Iulij 1602.

*Rota Romana.*

Non potest concedere inhibitiones contra resolutiones captas in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium. Eadem S. Congregat. 18. Februarij 1605.

Abstinere debet à cognitione, vel prosecutione causarum introductarum in eadem S. Congregatione. Eadem S. Congr. 5. Decembris 1607.

Multò magis Rota Maceratensis. Eadem S. Congr. 23. Februarij 1613.

---

## S

*Sacramentum.*

EPiscopus excludere non potest à participatione Sacramentorum, tanquam publicos peccatores, etiam eos, qui mactauerunt vitulas, aut alias bestias contra formam pragmaticæ, quia hæc lex vel non obligat ad peccatum mortale, vel saltem non tali modo, vt contra transgressores deueniri possit ad huiusmodi declarationem, siue pœnam. S. Congr. Episc. 3. Iulij 1590.

Nec eos, qui eidem Episcopo non soluunt delicta. Eadem S. Congr. 5. Februarij 1591.

Nec colonos suæ curæ subiectos, propter prætensiones contra Dominos. Neque conuentos propter vsurpationem bonorum Ecclesiasticorum, nisi vsurpatio sit notoria, & euidens. S. Congregat. Episcopor. 12. Martij 1612. & 22. Nouembris 1616.

Nec procedentes per viam iustitiæ coram suo Iudice competente, donec iuridicè cognoscatur, quod proximum offenderit, & quod absque actuali emendatione perseuerare velit in notorio peccato mortali. Eadem S. Congr. 11. Septembris 1598.

Nec examinatos contra reum, qui in tortura sustinuit negatiuam sub prætextu casus reseruati falsi testimonij. Eadem S. Congregat. 7. Augusti 1607.

Multò minùs sub prætextu, quod Clericis transeuntibus caput non aperuerit. Eadem S. Congreg. 23. Aprilis 1613.

*Satellites.*

Satellites, & cæteri Ministri Curiæ Episcopalis gaudent priuilegio fori. Die 2. Martij 1611. in Liparensi, *in regesto.*

Satellites tot, quot sibi libuerit, retinere potest Episcopus. S. Congr. Episc. 14. Aprilis 1615.

*Schola.*

Episcopus liberè permittere debet, vt Magistri idonei ab Vniuersitatibus approbati ludum aperiant, nec impedire Clericos non Seminaristas, ne Scholas frequentent sibi benè visas. S. Congregatio Episcoporum, & Regularium in Brundusina, 12. Maij 1618.

Prohiberi non debet presbyteris sacerdotibus, etiam Curatis. Eadem S. Congregatio in Ventimilliensi, 12. Ianuarij 1599. & in Reatina, 6. Augusti 1601. & alibi.

Regularibus verò sic, intra Monasteria. Eadem S. Congregatio in Cassanensi, 28. Martij 1588.

*Statutum.*

Statuta contra officium S. Inquisitionis hæreticæ prauitatis edita sunt abroganda. Alexand. IV. constitutione 10. *In placida*, 15. Kalend. Ianuarij 1256.

Laïci cogi possunt ad declarandum, quod generale statutum, vel edictum ab ipsis publicatum non ligat Ecclesias, vel Clericos. S. Congr. Immunitatis, 7. Decembris 1631.

Vide *Edictum*, & *Lex*, & *Immunitas*, & *Libertas.*

*Sclauus.*

Sclaui Clericorum gaudent priuilegio fori. Die 1. Septembris 1643. in Nicoterensi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 208. à tergo.*

Sclauus euasus liber è Triremibus gaudet immunitate Ecclesiastica. Die 10. Maij 1639. in Aquilana: *lib. 3. decr. Paul. fol. 89.*

Sclauus euasus, ob malam eius qualitatem aliquando remittitur exempli gratiâ ad triremes. Die 14. Augusti 1634. in Neapolitana: *lib. 2. decret. Paul. fol. 198.*

*Sedes.*

Sedes Gubernatoris Ciuitatis quando audit concionem simul cum Episcopo, debet esse apud Episcopum, quæ non sit maior, nec pulchrior sede ipsius Episcopi, & neutra sit coloris rubri. S. Congr. Rituum in Perusina, 3. Octobris 1615.

Sedes laïcorum, veluti Præfecti, seu Locumtenentis, non sunt locandæ in presbyterio apud altare. S. Congreg. Rituum, 10. Iunij 1602.

Permitti debet infirmo, vt se deferri faciat in Ecclesiam, ibique in Sede erecta sine aliqua præeminentia diuinis assistat. S. Congreg. Episc. 4. Martij 1603.

Sedes esse non debent in Ecclesia extra tempus concionum. Eadem S. Congr. 7. Aprilis 1583.

Maximè si sunt occasio scandali. Eadem S. Congregat. 24. Septembris 1585.

*Sententia.*

Sententia contumacialis non sufficit ad extrahendum delinquentem è loco immuni, & Curiæ seculari consignandum. S. Congr. Episc. 27. Iulij 1618.

*Sepultura.*

Sepultura in loco sacro deneganda est excommunicatis. Die 21. Augusti 1631. in Catacensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 85. à tergo.*

Si

Si in articulo mortis fuerunt absoluti, seruanda est dispositio capitis finalis *de sepultur.* in Mediolanensi: *lib. 2. decret. Paul. fol. 150. à tergo.*

Sepultura Ecclesiastica hæreticis denegatur. Nicolaus III. *const. 2. §. 18. Nouerit, 5.* non. Martij 1279.

Et mortuis in duello. Clemens VIII. *const. 11. §. 7. Illius vices, 16.* Kal. Septembris 1592.

Et congredientibus ad agitandum, & certandum cum tauris, & aliis feris in spectaculis. Pius V. constitutione 48. *De salute.* Kal. Nouemb. 1567.

Sepulturæ Ecclesiasticæ tradi debet excommunicatus, qui in mortis articulo confessionem petiit, vel beatissimam Virginem inuocauit. S. Congr. Episc. in Nolana, 19. Iulij 1619.

*Sequestrum.*

Sequestra obtenta à Iudice laïco contra bona Ecclesiasticorum sunt inualida. Die 20. Martij 1630. in Mediolanensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 33.*

Iudex secularis concedens sequestrum contra bona Ecclesiasticorum incidit in excommunicationem. Die 25. Nouembris 1636. in Vercellensi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 18. à tergo.*

Sequestra secularium contra Ecclesiasticos sunt reuocanda, vti inualida. Die 16. Iulij 1617. in Alexandrina: *lib. 1. decret. Paul. fol. 55.* Laudensis, die 20. Ianuarij 1637. *lib. 3. decr. Paul. fol. 23. à tergo.*

Res sequestratas, quæ seruando seruari non possunt, debent vendi, deponique pecunia, durante sequestro. S. Congr. Episc. 18. Martij 1603.

Sequestrantes iurisdictiones, vel fructus, aut prouentus ad Ecclesiasticos pertinentes, incidunt in canonem 17. Bullæ Cœnæ Domini. Quod procedit contra sequestrantes, etiamsi sibi nihil inde vsurpent.

*Seruitor.*

Inseruientes Episcopo gaudent franchisia eisdem competente. Die 26. Augusti 1636. in Laquedonensi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 12.*

*Seruus.*

Serui Episcoporum sunt exempti ab oneribus personalibus. Die 10. Nouembris 1648. in Bouinensi: *lib. 4. decr. Paul. fol. 62.*

Seruus Equitis Hierosolymitani gaudet priuilegio fori. Die 10. Aprilis 1628. in Aquilana: *lib. 1. decr. Paul. fol. 87. à tergo.*

*Syndicus.*

Syndicus, seu procurator Fratrum Minorum de obseruantia gaudet priuilegio fori. Die 8. Martij 1644. in Maceratensi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 221.* Fanensis, die 4. Augusti 1654. *lib. 5. decret. Paul. fol. 8. à tergo.*

Gaudet etiam priuilegio in causis, tam ciuilibus, quàm criminalibus, ac mixtis. Die 7. Septembris 1666. in Terracinensi: *libr. decret. Altouiti, fol. 16. à tergo.*

Syndicus Fratrum, & Monialium, vbi non adest conseruator deputatus, subiicitur iurisdictioni Episcopi Assisiensis, die 21. Aprilis 1643. in Assisiensi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 198. à tergo.* Forosempronien-sis, die 25. Ianuarij 1650. *lib. 4. decr. Paul. fol. 97. à tergo.*

Processus fabricatus à Curia laïcali contra huiusmodi Syndicum ratione officij publici est nullus. Die 4. Aprilis 1656. in Asculana: *lib. 5. decret. Paul. fol. 90.*

Syndici Minorum de Obseruantia, & eorum Monialium cum vxoribus, & filiis conueniri non possunt in aliqua causa, tam ciuili, quàm criminali, nisi coram Conseruatore eius Conuentus, cui ipsi inseruiunt, per constitutionem 19. Clementis VIII. quæ incipit, *Dum consideramus.* S. Congreg. Episc. 30. Augusti 1630. & 9. Nouembris 1639. Modò tamen sit vnus tantùm pro quolibet Conuentu, seu Monasterio, alioquin si sint plures Syndici eiusdem Conuentus, seu Monasterij, nullus eorum gaudet. Eadem S. Congreg. 4. Maij 1657. Et neque vnicus, si in loco Conuentus, cui seruit, continuè non moretur. Eadem S. Congregat. 1. Februarij 1657.

*Scripturæ.*

Scripturæ causarum sunt soluendæ à prætenso reo, aut à Monasterio, si est Regularis. Die 19. Aprilis 1627. *lib. 1. decr. Paul. fol. 45. à tergo.* Castrimaris, die 26. Iunij 1628. *ibid. fol. 97.* Fulginatensis, die 2. Iunij 1632. *lib. 2. decr. Paul. fol. 127.*

*Societas.*

Societas Corporis Christi, vti Ecclesiastica, subiicitur iurisdictioni Episcopi. In Vrbitanensi, *lib. 2. decr. Paul. fol. 78. à tergo.*

*Sodomia.*

Reus nefandæ libidinis gaudet immunitate Ecclesiastica. Die 19. Maij 1627. in Vallisoletana: *lib. 1. decr. Paul. fol. 49.*

Aliquando non gaudet, & punitur prout iuris. Die 9. Nouembris 1626, *ibid. fol. 22. à tergo.* in Messanensi.

Sodomiæ ob crimen omnes & quicunque, Presbyteri & alij Clerici seculares & Regulares, cuiuscunque gradus, & dignitatis exercentes, omni priuilegio clericali, & beneficio Ecclesiastico priuantur. Pius V. constitutione 72. *Horrendum*, 3. Kal. Septembris 1568.

*Subcollector.*

Habens curam animarum non potest deputari in subcollectorem. Die 4. Iunij 1641. in Strongolensi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 146.*

Priuilegium subcollectorum non suffragatur illis, qui non residunt in diœcesi, cuius sunt deputati subcollectores. S. Cong. Episcop. in Pistorien si, 9. Februarij 1624. & 13. Maij 1647.

*Subdiaconus coniugatus.*

Gaudet priuilegio fori, si cum vidua authoritate Apostolica matrimonium contraxit, & pensiones Ecclesiasticas obtinet. Die 24. Martij, & 17. Septembris 1618. in Romana, *in regesto.*

*Subsidium triennale.*

Clericus non tenetur soluere subsidium triennale, constito de legitima consuetudine. Die 29. Maij 1646. in Spoletana: *lib. 3. decr. Paul. fol. 282. à tergo.*

Clericus eximitur à solutione subsidij triennalis pro bonis constitutis pro dote beneficij. Die 26. Iulij 1633. in Æsina, *ibidem fol. 165.*

Ecclesiastici expressè nominati in Bulla tenentur soluere subsidium triennale. Die 13. Augusti 1629. in Spoletana *lib. 2. decret. Paul. folio 2. à tergo.* Albanensis die 14. Augusti 1634. *ibidem folio 197.*

---

## T

## *Tertiarij, & Tertiariæ.*

TErtiarij habentes requisita gaudent exemptione ab oneribus personalibus. Die 19. Augusti 1630. in Spoletana: *lib. 2. decr. Paul. fol. 55.*

Tertiarius vxoratus non gaudet priuilegio fori, nec exemptione ab oneribus. Die 7. Septembris 1638. in Tricaricensi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 73.*

Tertiariæ gaudent exemptione à gabellis, quatenus concurrant requisita. Die 4. Augusti 1627. in Tudertina: *lib. 1. decr. Paul. fol. 60.*

Tertiariæ gaudent priuilegio fori, si concurrant requisita, iuxta declarationem Congregationis Concilij Tridentini, & Regularium. Die 16. Nouembris 1655. in Assisiensi: *lib. 5. decr. Paul. fol. 78. à tergo.*

Tertiariæ, quæ votum solenne emiserunt, clausuram seruare tenentur, & ad id per Ordinarios cogi possunt. Si verò sine clausura, & professione viuere voluerint in Religionibus, non sunt recipiendæ. Pius V. constitutione 8. *Circa*, 4. Kal. Iunij 1566.

Tertiariæ, quæ trium votorum substantialium professionem solennem non emittunt, neque in clausuram se reducere nolunt, omnimodæ Episcopi Curæ, & iurisdictioni subiectæ sunt, & esse debent. S. Congr. Episc. 20. Decembris 1616.

Tertiarij, si qualitatibus in Bulla fel. rec. Leonis X. præscriptis sint prædicti, videlicet si viri collegialiter, aut claustraliter viuant, mulieres verò virginalem, vel cœlibem, aut castam vidualem sub expresso voto, & Tertiariorum habitu vitam ducant, possunt & debent, etiam inuito, ac minimè requisito Parocho in Fratrum Ecclesiis sepeliri, secus verò si supradictis qualitatibus careant. S. Congr. Episc. 11. Decembris 1615.

Tertiarij, qui non sunt solenniter professi sub tribus votis substantialibus in Congregatione viuentes, sed extra Congregationem viuunt domi, non gaudent priuilegio, neque canonis, neque fori. Pius V. constitutione 63. *Ea est officij nostri*, sub anno 1568. Gregorius XIII. constitutione 35. *Ex benigna*, sub anno 1575. S. Congr. Episc. 4. Iulij 1594.

Excipiuntur fœminæ, quæ habent requisita decreti Sacr. Congregationis Concilij tenoris sequentis. S. Congr. &c. sæpius censuit minimè posse Sacerdotes Regulares mulierum Tertij Ordinis, quas de pœnitentia, vel bizochas vocant, confessiones sacramentales audire, nisi fuerint ab Ordinario approbati ad confessiones personarum secularium audiendas.

Quemadmodum nec possunt illis sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum administrare in die Paschatis Resurrectionis D. N. Iesu Christi.

Quo verò ad sepulturam, atque alia priuilegia, Fratres, Tertiarios, Mantellatos, Corrigiatos, aliosque similes, ita demùm Ordinis, cuius tertiæ Regulæ habitum assumpserunt, priuilegiis potiri, & ab Ordinarij iurisdictione exemptos esse, si viri collegialiter viuant, seu cum claustralibus habitent, & mulieres virginalem, seu cœlibem, aut castam vidualem expresso voto, & sub dicto habitu vitam traduxerint, quemadmodum cauetur constitutione Concilij Lateranensis sub Leone X. quæ habetur *sess. 22. in fine.*

Hoc autem voto mulierum alia duo, scilicet paupertatis, & obedientiæ, nequaquam includi. Quinimò huiusmodi mulieres si vitam virginalem, aut cœlibem simpliciter, expresséque vouerint, etiam in consanguineorum, & affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsim habitantes, supradictis priuilegiis Ordinis, cuius tertiæ Regulæ habitum deferunt, exemptionéque ab Ordinarij iurisdictione frui debere, vt idem Leo postea declarauit constitutione edita die 1. Martij 1518. An autem prædictæ qualitates in huiusmodi Tertiariis concurrant, Ordinarij loci esse iudicium.

Præterea si contingat, aliquas ex supradictis Tertiariis sine sepulturæ electione decedere, eas sic decedentes ita demùm in Ecclesiis Ordinis, cuius habitum assumpserunt, si in ipsis earum communis sepultura reperiatur, sin minus in Ecclesiis parochialibus sepeliendas esse decernit, &c.

*Testis.*

Laïcus non potest recusare examinari in causis Ecclesiasticis. Die 5. Iulij 1633. in Alexanensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 161.*

Testes falsum in causis fidei deponentes ab Inquisitoribus puniuntur. Leo X. constitutione 29. *Intelleximus*, 14. Decembris 1518.

Testes laïcos ad ferendum testimonium veritatis pro Curiæ Episcopalis informatione potest Episcopus sub pœna pecuniaria, & in subsidium excommunicationis citare. S. Congregat. Concilij 16. Martij 1630.

Testes in causa pendente coram Iudice Ecclesiastico laïcus attentans subornare potest per Episcopum puniri. Sacr. Congregat. Immunitatis, 18. Martij 1631.

Pro informatione Curiæ capti testes non sunt in carceribus ponendi, sed statim examinandi. Insuper habere debent

debent alimenta à Fisco, vel à parte. Paulus III. const. 44.

Testes in causis Religionis, seu Militiæ Sancti Ioannis Hierosolymitani possunt esse milites, vassalli, & famuli eiusdem Militiæ. Pius IV. constitutione 9. quæ incipit, *Circumspecta*: Kalend. Iulij 1560.

Testium dicta contra schismaticos, & hæreticos Inquisitores hæreticæ prauitatis publicare non tenentur. Pius IV. constitutione 40. *Cùm sicut*, 1. Nouembris 1561.

*Testamentum.*

Consuetudo, quæ viget in toto ferè Regno Neapolitano, per quam morientibus ab intestato potest fieri testamentum ad pias causas à Rectoribus curatis, vel Vicariis foraneis, iuxta deuotionem, qualitatem, & quantitatem patrimonij, ac personæ ipsius defuncti, quo relinquatur aliquid modicum iis Ecclesiis, vel locis piis, quibus defunctus deuictus, vel affectus erat, est laudabilis, & vbi viget, manuteneri debet, etiam cum censuris S. Congr. Episc. in Tricaricensi, 5. Septembris 1603. & in Salernitana, 21. Martij 1614. cum infrascriptis tamen conditionibus.

Quod totum hoc fiat ab Ordinario cum paterna discretione, nec exigat, nisi modicum quid, habita ratione qualitatis, & quantitatis bonorum, necnon hæredum, & successorum, an sint pauperes, an sui, an facultas collecta sit ex mercimoniis, vel bonis Ecclesiasticis, vel aliis modis considerabilibus. Eadem S. Congr. 9. Maij 1581.

Et quando esset consuetudo exigendi quartam bonorum defuncti, id fieri non debet ad rigorem, sed ad arbitrium boni viri, habita ratione, vt suprà. Eadem S. Congr. 5. Februarij 1591. Et si fieri poterit, fiat cum hæredum satisfactione. Eadem S. Congreg. 5. Febr. 1591. & 17. Decembris 1655.

*Transactio.*

Transactio, quæ fit inter Clerum, & seculares, est nulla, si non adest beneplacitum Apostolicum. Die 21. Martij 1628. in Vrbinatensi: *lib. 1. decret. Paul. fol.* 87. Vrbinatensis, die 29. Maij 1629. *ibidem fol.* 140. Item Vrbinatensis, die 5. Februarij 1630. *lib. 2. decr. Paul. fol.* 27.

Transactio Franchisiæ inter Senatum Burgensem, & Clerum, est nulla, sed datur modus approbandi. Die 13. Martij 1629. in Burgensi, *lib. 1. decret. Paul. fol.* 127. *à tergo.*

---

## V

*Vicarius.*

VIcarius Capitularis potest cognoscere super violatione immunitatis Ecclesiasticæ. Die 27. Nouembris 1626. in Tropiensi, *lib. 1. decr. Paul. folio* 27.

Et quatenus opus sit, danda est ei quælibet facultas necessaria. Die 27. Aprilis 1632. in Mediolanensi, *lib. 2. decr. Paul. fol.* 114.

Vicarius, præsente Episcopo, non debet dare licentiam absoluendi; ideò ipse consulit propriæ conscientiæ. Die 28. Martij 1626. in Vintimiliensi: *lib. 1. decr. Paul. fol.* 3.

Vicarius non potest subdelegare absolutionem reseruatam. Die 6. Decembris 1627. in Neapolitana: *lib. 2. decr. Paul. fol.* 74. *à tergo.*

Vicarius capitularis non habet facultatem, quam habet Episcopus in casibus Bullæ Gregorianæ. Die 8. Nouembris 1650. in Vercellensi: *lib. 3. decr. Paul. fol.* 125.

Vicarius Apostolicus nulliter suspendit censuras reseruatas, & incidit in excommunicationem. Die 21. Decembris 1652. in Lancianensi: *lib. 3. decr. Paul. fol.* 10.

Vicarius non potest absoluere cum reincidentia, ideò est absoluendus. Die 13. Decembris 1633. in Sancti Marci: *lib. 3. decr. Paul. folio* 180. *à tergo.* Biturtina, die 20. Nouembris 1657. *libr. decr. Roccij, fol.* 42.

Vicarius non debet attendere ad hortatorias à Regibus emanatas. Die 20. Nouembris 1631. *lib. 2. decr. Paul. fol.* 105.

Vicarius ob paritionem hortatoriæ Regiæ suspenditur a diuinis. In Catacensi: *lib. 2. decr. Paul. fol.* 164. Nullius Abbatiæ Casciæ Nouæ, die 14. Ianuarij 1634. *ibidem fol.* 180.

Vicarius non debet admittere custodias laïcorum pro confugio in loco immuni. Die 15. Septembris 1637. in Hydruntina: *lib. 3. decret. Paul. folio* 43.

Vicarius Foraneus non habet facultatem extrahendi. Die 29. Maij 1629. in Spoletana: *lib. 1. decr. Paul. fol.* 240.

Vicarius remouetur, qui pecuniam accipit pro eo, quod non debet, & qui non defendit libertatem, & iura Ecclesiastica, publicè tortus, bannitorum causâ damnatus, qui filios bastardos habet, qui negotia gerit illicita, qui Clero & populo non est acceptus. S. Congregatio Episcop. 6. Augusti 1601. & 22. Ianuarij 1602. & 20. Aprilis 1603. & 3. Februarij 1604.

*Vsurarius.*

Quando quæstio est iuris, cognitio causæ spectat ad Iudicem Ecclesiasticum; quando verò est facti, datur locus præuentioni. Die 16. Aprilis 1630. in Meliuitana: *lib. 2. decr. Paul. fol.* 37.

*Vsurpantes.*

Vsurpantes bona, vel prouentus Ecclesiarum, vel piorum locorum, vel occupantes, vel impedientes quominus percipiantur ab iis, ad quos pertinent, & Clerici consentientes, incidunt in canonem Bullæ Cœnæ, & pœnas Concilij Tridentini *sess. 22. cap.* 11.

*Vxor.*

Vxores Clericorum coniugatorum gaudent priuilegiis, quibus gaudent mariti viuentes. Die 22. Septembris

bris 1648. in Barenſi, *libr. 4. decret. Paul. fol. 59. à tergo.* Melitenſis, die 11. Ianuarij 1633. *lib. 2. decr. Paul. fol. 120. à tergo.*

Vxores Presbyterorum Græcorum poſt mortem eorumdem gaudent priuilegio fori, attentâ legitimâ conſuetudine. Die 4. Septembris 1657. in Roſſanenſi: *lib. decr. Rocci, fol. 32.*

Vxor, quæ aufugit in locum immunem, non poteſt ibi examinari contra virum ſuum. Die 17. Nouembris 1654. *lib. 5. decr. Paul. fol. 57. à tergo.*

Vxor occidens virum ſuum dormientem non gaudet immunitate Eccleſiaſtica. Die 27. Decembris 1625. in Cremonenſi, *in Regeſto ſcripturarum veterum, fol. 77. à tergo.*



INDEX

# INDEX RERVM, ET VERBORVM NOTABILIVM,

## Quæ in hac secunda Parte de Immunitate, & Iurisdictione Ecclesiastica continentur.

☞ *Nota*, LECTOR BENEVOLE, *quod in hoc Indice nihil prorsus de his, quæ in nouissimis Additionibus continentur, insertum est; tum quia vltra eis præmissum Syllabum materiarum, ipsamet etiam alphabetico ordine digesta sunt; tum quia nihil breuiùs aut compendiosiùs exprimi potuit; tum ne iterata exscriptio otiosâ te ac tædiosâ relectione detineret. Ne quid verò deesset de requisitis ad fastidium tuum leuandum, in hac vltima Lugdunensi editione notabilia in Bullis Pontificiis huic secundæ Parti adiunctis contenta suis locis sparsim in præsenti Indice reposita sunt, quæ in præcedenti editione desiderabantur. Cæterùm litera* p, *paginam*; n, *verò numeros marginales tibi indicat.*

A


*Abbas* in materia odiosa, & pœnali non venit nomine Monachorum. p.268.n.2.

Abbas venit nomine Monachorum quando materia, vtpote in casu nostro, non est totaliter odiosa. p.268. num.4.

*Abbatissa* cum præcepto clausuræ obstringatur, sicut cæteræ Moniales, non potest dare licentiam egrediendi è clausura. p.201.n.6

Abbatissa potest egredi ad recipiendum iuramentum fidelitatis à Domino temporali in aliquo casu omninò necessario. p.207.n.23

Abbatissæ, seu Priorissæ solum conceditur licentia egrediendi in casibus, in quibus conceditur cæteris Monialibus. p.210.n.2

Abbatissæ non potest egressus licentia concedi in casu, qui possit commodè, & facilè expediri, seu præstari per alios, & è contra. ibid.n.4

Abbatissa potest auctoritate iuris egredi è clausura, si superior sine iusta causa licentiam deneget, & euidenter constet de iniustitia ipsius. ibid.n.7

Abbatissa in dubio stare debet iudicio superioris. ibid. num.8.

Abbatissa licet sit verè sui Monasterij superior, non tamen potest dare licentiam ingrediendi Monasterium; quia etiam ipsa, sicut aliæ Moniales, tenetur præcepto clausuræ. p.234.n.1

Abbatissa, vel quicumque alius, neque ex commissione Prælati potest hanc licentiam concedere. ibid. num.3.

Abbatissa, vel Confessarius potest facultatem ingressus concedere ex superioris potestate sibi attributa in casibus frequenter occurrentibus, cum ad superiorem aditus sæpe non pateat. ibid.n.4

Abbatissa legitimè Prælata ad licentiam ingressus concedendam, si periculum sit expectare licentiam Prælati tam in scriptis, quàm oretenus, potest eam concedere, & hoc casu cessat necessitas illius non obtinendæ. p.239.n.15

Abbatissa certum non est, quod iure ordinario non possit huiusmodi licentiam concedere. ibid.n.16

Abbatissa ex præsumpta mente Prælati videtur posse concedere licentiam, quando necessitate vrgente non possit commodè Prælatus adiri. ibid.n.17

Abbatissæ omnes, Abbates, Conuentus, ac alij Monasteriorum cuiuscumque sexus superiores, & personæ quocumque nomine vocentur, eamdem excommunicationis Pontifici reseruatæ pœnam incurrunt, ac etiam pœnam priuationis Dignitatum, Beneficiorum, & officiorum suorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, si in Monasteria sua permittant quemquam ingredi prætextu licentiarum, & facultatum. p.253.n.15

Abbatissa secundum probabiliorem opinionem venit nomine Monialium in motu Gregorij XIII. p.268. num.3.

Abbatissa, vel alia Monialium superiorissa an incurrat, &c. videatur ibi in dubitatione. p.270.n.9

*Absolutio* interdum obtinetur per Breuia ab Vrbe, sed pro foro exteriori, vel etiam pro foro interiori, ad maiorem cautelam, vel ex ignorantia. p.168.n.10

*Accessorium* sequitur naturam sui principalis. p.14.n.16. & p.127.n.12.

Accessorium sequitur naturam sui principalis, & dispositio facta de superiore, comprehendit etiam officialem. p.94.n.6

*Accipiens* non potest in conscientia rem acceptam retinere, neque etiam fructus rei acceptæ. pag.131. num.10.

*Actio* & passio sunt idem; passio autem est in passo, & non in agente, & ideo ex Ecclesia occidens non occidit in Ecclesia manentem extra ipsam. p.49. num.7.

Actio est ius persequendi in iudicio quod sibi debetur. p.180.n.15

Nota si quis vnam ex Actionibus præstiterit in ordine ad alienationem, vel infeudationem bonorum Fisco addictorum propter delicta, quia bona non comprehenduntur in Bulla Pij V. & aliorum. pag. 184. num.12.

*Actus* tribuuntur mandanti, & non exequenti. pag.52. num.6.

*Acta* instructoria vnius iudicij non probant in alio, nisi fiant inter easdem personas, in iisdem causis, & ad eundem effectum. p.123.n.2

In dubio standum est pro valore Actus, quia in dubio nemo præsumitur malus; & non præsumitur delictum, nisi demonstretur. p.151.n.18

Actus si pendeat à mera facultate agentis, tametsi agens contra iuramentum agendo periurus sit, & licitè agat, valet tamen quod agit. p.179.n.2

Actus lege, vel contrahentium consensu scripturam exigens, est nullus si scriptura careat. pag. 238. num.5.

Actus sine forma celebratus non subsistit. ibid.n.6

*Administratores* omnes alienantes bona immobilia, vel mobilia pretiosa Ecclesiarum, vel Conuentuum contrahunt præter sacrilegium, excommunicationem ipso facto. p.170.n.6

*Admissionis* nomine in Monasteria virtute licentiarum venit cooperatio tantum, siue directa, siue indirecta ad ingressum; quatenus scilicet quis exercet actionem positiuam, vel negatiuè se habet ad ingressum, quem impedire tenetur ex officio. p.269.n.1

*Admittens* ingredientem Monasterium Monialium non virtute prædictarum facultatum, neque contrahit excommunicationem latam in Tridentino, & cur. p.257.n.14.

Admittens non incurrit excommunicationem ratione participationis cum excommunicato in crimine criminoso, quia talis excommunicatio non incurritur nisi præuia denunciatione excommunicati. ibid.n.15.

Admittentes ingredientem ob malum finem, etsi non ex prætextu licentiæ, non contrahunt excommunicationem Tridentini. p.265.n.4

*Adultera*, quæ per adulterium ipso iure dotem amittit, non tenetur eam viro tradere ante sententiam Iudicis. p.220.n.24

Videntur nonnullæ criminales ex identitate rationis gaudere non debere immunitate, vt raptus, *Adulterij*, sodomiæ, incendij, sacrilegij, & similium tendentium in præiudicium Reipublicæ. p.75.n.1

*Agentes*, & consentientes pari pœna puniuntur, si sic expressum sit. p.52.n.12

*Alienatio* declaratur esse nullius valoris. p.130.n.6

Alienationis prohibitio extenditur etiam ad bona loci pij, verbi gratia Confraternitatis, Collegij, Congregationis, Capellæ, vel Hospitalis, si auctoritate Episcopi sint erecta. p.131.n.14

Alienans, destruens, vel ¦ dimouens ex ignorantia iuris, vel facti excommunicationem, & pœnas dictæ extrauagantis non incurrit, secus forsitan si ignorantia coniuncta sit cum ingenti temeritate. ibid. num.21.

in Alienatione quantitatis parui momenti, putà 25. aureorum non requiritur iuris solennitas, nec Romani Pontificis consultatio, & consensus. ibid. num.23.

Alienationis nomine in materia hac Ecclesiæ, & priuilegiatis Personis fauorabili, comprehenditur etiam quæuis constitutio pignoris, & hypothecæ spcialis, non tamen generalis. p.132.n.30

Alienationis nomine in materia odiosa non comprehenditur hypotheca, vel pignus, nisi sit constitutum pro tanta quantitate, vt non sit spes facilis redemptionis. ibid.n.32

Alienationis prohibitio fauore Ecclesiæ comprehendit omnem actum, per quem in extraneum ius aliquod vtile transfertur, & per quem in rebus Ecclesiæ seruitus aliqua constituitur, licet probabiliter comprehendat tantùm hypothecam specialem. p.140. num.6.

Alienatio prædicta, non tamen de iure antiquo de consensu summi Pontificis obtento est inualida, si solum conditio hæc desit; quia nullo iure antiquo illa irritatur. p.141.n.3

Alienatio, etiam cum consensu Apostolico supplente facta impugnari poterit, nisi euidenter constet illam in vtilitatem Ecclesiæ celebratam fuisse. ibid. num.10.

Alienationis nomine ex iuris dispositione venit etiam locatio ad longum tempus, & in pignus, seu hypothecam, vel in feudum, & emphyteusim concessio. p.143.n.13

Alienationis nomine per extrauagantem Pauli II. venit etiam locatio ad longum tempus, & in pignus, seu hypothecam, vel in feudum, & emphyteusim concessio. ibid.n.14

Alienationis nomine in aliis prohibitionibus non venit repudiatio legati, vel hæreditatis. p.147.n.8

Alienatio legati, vel hæreditatis non censetur facta in fraudem creditorum. ibid.n.10

Alienatio si fiat ob Ecclesiæ vtilitatem, vtilitas ob quam alienatur res Ecclesiæ debet esse quammaxima haberi possit. p.151.n.12

Alienatio facta à Prælato decepto in eo, quod ipsum putauerit faciendum ex causa legitima, adhuc non existente legitima causa sustinetur. ibid.n.14

Alienatio an facta fuerit ex legitima causa, necne, in dubio semper præsumendum est pro parte affirmatiua, præsertim si Commissarius consensum præstiterit. ibid.n.17

Alienatio quando fit pro soluendis debitis Ecclesiæ, cogitur venditor probare pretium versum esse in talem effectum. ibid.n.20

Alienatio bonorum Ecclesiæ facienda etiam est pro extrema necessitate, vel valde graui illorum paupertate qui culpabiles sunt in eorum paupertate. ibid. num.25.

Alienatio rerum immobilium, vel mobilium pretiosarum, quæ seruando seruari possunt, est licita, si præter legitimam alienandi causam, adsint quinque sequentes conditiones. p.153.n.1

Alienatio facta à Prælato sine consensu Capituli est irrita, nisi Capitulum postea ratificauerit, & tunc vires sumet ab ipsa ratificatione, & non aliàs. ibid. num.12.

in omnibus casibus Alienationis rerum, quæ veniunt in citata Extrauaganti, præter casus à iure expressos, requiritur Pontificis consensus. p.154.n.30

Alienatio facta etiam cum tali consensu summi Pontificis, constito de subreptione gratiæ, potest impugnari. p.155.n.42

Alienatio sine consensu Summi Pontificis fieri potest, si res alienanda sit modici valoris. ibid. num.43.

# & Verborum Notabilium.


Alienatio fieri potest si in dispositione relicti, expressa fuerit licentia per disponentem posse nempe alienari sine solennitatibus, & in proprios vsus conuerti, non seruatis iuris solennitatibus. ibid num.1.

Alienatio rei Ecclesiasticæ facta sine iusta causa inualida est, tam in foro externo, quàm conscientiæ, contra nonnullos sentientes in dicto casu validam esse alienationem, sed Ecclesiæ competere restitutionem in integrum. p.165.n.1

per Alienationem vltra formam præscriptam factam, recipienti ius aliquod non acquiritur. pag. 187. num.4.

Alienatio bonorum Ecclesiasticorum prohibetur, eorumque vltra triennium locatio, in Bulla 5. Pauli II. p.289.& seq.

*Amentes* etiam perpetui comprehenduntur in dicta prohibitione, non quidem per se ipsos, qui peccare non possunt, sed respectu Monialium, quæ non possunt admittere puberes. p.231.n.7

*Amicus* reconciliatus æquipollet inimico, iuxta illud: Inimico tuo ne credas in æternum. p.55.n.6

Absurdum non est *animas* hominum quibuscumque vasibus, vel vestimentis præferri. p.150.n.6

*Apostata* à Religione ob rationes supradictas non excluditur ab immunitate Ecclesiæ, in opinione tamen illorum Doctorum asserentium quod Clerici, & Regulares delinquentes gaudeant Ecclesiæ immunitate. p.83.n.1

*Appellatio* esse non potest ab eodem ad eumdem. p.204. num.7.

Dictum de incisione *Arborum* dicendum etiam est de incisione vineæ vel alterius rei similis. pag. 140. num.9.

Arbores non cæduæ non censentur Beneficij fructus, sed Ecclesiæ bona. p.139.n.7

*Arma* in Ecclesia auferri quidem debent propter rixas vitandas, & propter bonum publicum, & reuerentiam debitam loco sacro; non autem per Iudicem secularem, sed Ecclesiasticum. p.47.n.7

*Ascendentes*, & extranei hæredes propriissimè sunt hæredes. p.162.n.2

Attentans *Assassinium* etiam non secuto effectu priuatur immunitate, quia is dicitur Assassinus etiam effectu non secuto; at non dicitur occisor proditorius nisi secuta morte. p.59.n.6

Assassinium quo minus pecuniæ interuenit, eo est grauius delictum, quia vita hominis magis vilipenditur. p.60.n.11

Promissio de danda aliqua in vxorem, de dando aliquod officium, & quid simile, licet non sit in potestate promittentis, attamen est quid pretio æstimabile & constituit assassinium. ibid.n.12

Promissio de re incerta, & generali, v. g. non defuturum esse in eius necessitatibus sufficit ad assassinium p.61.n.13.

Promissio ad hoc vt constituat assassinium debet esse acceptata; alioquin cum nullam pariat obligationem, non est pretio æstimabilis, & sic non æquiualet pecuniæ. ibid.n.14

In crimine assassinij ad excommunicationem, depositionem, vel aliam censuram ferendam requiritur etiam partis citatio. p.126.n.4

In crimine assassinij ad ferendam sententiam sufficiunt probabilia argumenta; quæ tamen in casu immunitatis non sufficiunt. ibid.n.5

*Assassinus* non gaudet immunitate Ecclesiæ. pag.60. num.1.

Assassinus præcisa Constitutione Gregoriana si non de rigore iuris, saltem de consuetudine priuatur immunitate. ibid.n.2

Assassinus per translationem ab Infidelibus ex Syria est, qui fas esse arbitrabantur quoscumque Regis sui inimicos ipso iubente interficere. ibid.n.3

Mandans aliquem occidi per Assassinos videtur priuari immunitate, etiam effectu non secuto, ex cap.1. de homicid. in 6. ibid.n.4

Pœnæ, & censuræ decretæ aduersus crimen Assassinorum hodie locum non habent. ibid.n.4

Assassinus est qui (siue Infidelis, siue fidelis sit) pecunia, vel alio æquiualenti conductus incautum aliquem occidit. ibid.n.5

Mandans in aliquorum sententia Assassinus propriè non est, & pœnæ Assassinij ad mandatarios non extenduntur. ibid.n.6

Assassinus est, & immunitate priuatur qui pecunia, vel alio æquiualenti conductus occidit infidelem. p.61. num.1.

Assassinus non est, nec priuatur immunitate, qui accepta, vel pacta mercede occidit mandantis, & sui ipsius inimicum. p.62.n.1

Assassinus non est, nec immunitate priuatur, qui pecunia, vel alio æquiualenti conducitur ad vulnerandum tantum, sed non ad occidendum. ibid. num.1. sect.4.

Assassinus non est qui conductus ad occidendum, (licet per accidens) non occidit, sed tantum vulnerat. ibid.n.2

Assassinus in sententia aliorum est qui conductus ad occidendum (licet per accidens) non occidit, sed tantum vulnerat, quia per seipsum non stetit quominus sequatur homicidium. p.63.n.4

Restringe quod commitat assassinium quoad affectum, non tamen quoad effectum. ibid.n.5

Assassinus est, & immunitate priuatur qui sub promissione pecuniæ, vel alterius æquiualentis mandat aliquem occidi. ibid.n.1.sect.5

Assassinus est, & immunitate priuatur qui receptat, defendit, vel occultat assassinum, dummodo is verè causa sit mortis illatæ per assassinium, & cognoscat se assassinio auxiliari, aliàs non. ibid.n.1.sect.6

Qui per proclamata Gubernatoris vrbis habetur pro assassino, licet aliàs de iure assassinus dici non possit, gaudet immunitate. p.64.n.4

Assassinus est, & immunitate priuatur testis, qui pecunia, vel alio æquiualenti corruptus, falsum deponit, vnde innocens morte damnatus fuit. ibid. n.1. sect.7.

*Assensus* superioris debet præcedere contractum, quia quando aliquid pertinet ad formam actus, debet præcedere ipsum actum. p.132.n.45

Sine assensu Apostolico licet alienari possit prædiolum, vel vineola; tamen non potest alienari pars prædij magni, & pretiosi quia sic successiuè posset alienari totum in fraudem legis. p.149.n.5

Lex Mosaïca de reorum *Asylo* post Christi mortem exspirauit. p.2.n.5

*Attentans*, tractans, vel permittens alienare, dummodo in effectu non alienet, licet tradat rei pacificam possessionem, non incurrit excommunicationem, & pœnas dictæ extrauagantis. p.132.n.40

Ad incurrendas pœnas Constitutionis Gregorianæ, & excommunicationem ipsi annexam sufficit attentare per illam clausulam, ibi oppositam (si quis præter, vel contra attentare præsumpserit) modo *attentatio* ad actum proximum externum reducta fuerit. p.107.n.1.

*Attestantes* de consuetudine legitimè introducta contra Ecclesiæ immunitatem, videant quid affirment. p.80.n.8.

*Auxilium* laïcorum rarò, etiam cum armis adhibendum est ad Ecclesiam defendendam. p.95.n.5

# Index Rerum,


B

*Baiuli* Monasterio necessaria intromittentes, si ea sint onerosa nimis, nec possint Moniales subleuare, iustam causam habent ingrediendi. pag. 245. num. 1.

*Bannitus*, & condemnatus ob delictum, licet ob delictum exceptum, non tamen si fuerit condemnatus plenis probationibus, gaudet immunitate. pag. 26. num. 1.

Bannitus non debet post condemnationem esse melioris conditionis, quam ante condemnationem. ibid. num. 2.

Bannitus multo magis gaudebit si quomodocumque condemnatus fuerit ob delictum non exceptum. ibid. num. 4.

Bannitus non potest extrahi ex alieno Territorio, & sic neque ex Ecclesia, cum ea sit de Territorio Episcopi. p. 83. n. 2.

Bannitus vel Exul si sint in Ecclesia suæ patriæ, non dicuntur exilium fregisse. ibid. n. 3

Bannitus, & exul mortuus non potest sepeliri ex doctrina Bartoli in Ecclesiis locorum, de quibus arcetur. p. 84. n. 7

Bannitus, vel exul, hoc ipso quod transgrediatur fines vetitos confugiendo ad Ecclesiam, committit crimen læsæ Maiestatis, sed non in personam Principis. ibid. n. 12

Bannitus, vel exul cum confidenter audeat permanere in loco sacro, delinquit in Ecclesia, non tamen occidendo, vel mutilando, & ideo gaudet immunitate. ibid. n. 13

Bannitus si vi statuti possit impunè occidi, non solum non debet extrahi ab Ecclesia, sed nec in illa occidi. ibid. n. 15.

Quomodo sint recipiendi, & detinendi banniti, qui non commiserint delicta excepta. p. 113. n. 16

Bannitus à iudice seculari, pro bannito etiam habetur ab Ecclesiastico. p. 124. n. 10

Banniti capitaliter maioribus pœnis afficiuntur, sicut & eorum receptatores & auxiliantes, communitatesque eos non persequentes, constitutionesque contra eos latæ innouantur in Bulla 65. Gregorij XIII. p. 300. & seqq.

*Beneficiarius* in quorumdam opinione poterit se obligatione personali obligare ad dandum commoditatem percipiendi fructus ad multos annos, vel sua vita durante cuicumque voluerit. p. 185. & seq. num. 9.

Beneficiarius poterit liberaliter cedere alteri fructus sui beneficij pro vita sua durante, si per huiusmodi cessionem non transferat ius aliquod ad bona Beneficij. p. 186. n. 10

Beneficiarius potest gratis cedere distributiones obligatione solum personali, sine obligatione reali, per quam transferat aliquod ius in rem. ibid. numero 11.

Beneficiarius, si sine iuris solennitatibus incidat arbores, non tamen cæduas, tenetur Ecclesiæ ad damni compensationem. p. 168. n. 6

Beneficiarius potest fructus sui beneficij ad longum tempus v. g. pro sua vita locare, & alienare. p. 189. num. 1.

*Beneficiatus* potest retinere beneficium, donec declaretur delictum, propter quod beneficio priuatus est, nisi fortè in lege dicatur, pœnam in foro conscientiæ statim soluendam esse. pag. 216. num. 12.

Publicatio resignationis Beneficij est facienda, licet notoria sit resignatio. p. 115. n. 6

Beneficium restitutionis in integrum, est remedium extraordinarium, quod non datur ei, cui competit remedium ordinarium. p. 166. n. 2

*Blanditiæ*, & præcipuè dolosa verba violentiæ æquiparantur. p. 89. n. 4

*Blasphemus* etiam Dei, & B. Virginis, ac superstitiosus, nisi de hæresi suspectus sit, gaudet immuniate. p. 80. n. 1.

Blasphemus etiam Dei, & B. Virginis in sententia multorum Doctorum non gaudet immunitate. ibid. num. 1.

Blasphemus, si blasphemia sit hæreticalis, non gaudet immunitate, non vt blasphemus, sed vt hæreticus est. ibid. n. 5

*Bona* multa præstantur inuitis, quando eorum consulitur vtilitati, non voluntati; quia ipsi inueniuntur sibi inimici. p. 33. n. 12

Bona Ecclesiastica alienationis immunitate gaudent, & propterea inalienabilia dicuntur. p. 130. n. 2

Non possunt Bona iurisdictionalia in feudum vel emphyteusim concedi, vel vltra triennium locari. p. 131. n. 13.

Nomine bonorum immobilium vel mobilium in hac materia alienationis veniunt vasa aurea, argentea, gemmæ, casulæ pretiosæ, tapetes: item quæ triennio non corrumpuntur, & simul fructificant, vt integer grex ouium, caprarum, &c. pag. 132. num. 50.

Nomine bonorum immobilium veniunt fundi, prædia, domus, & similia, quæ fixam radicem habent. p. 134. n. 1.

inter Bona immobilia numerari debent arbores, si prædio sint necessariæ, ita vt illis sublatis prædium notabiliter deterioretur. p. 139. n. 1

qui sua Bona tantum hypothecæ generali obligauit, non impeditur ea alienare, cum eadem sic alienata creditori non submittantur. p. 140. n. 9

Non possunt bona vnius Monasterij transferri in aliud. ibid. & seq. n. 12.

Possunt tamen, si sint bona non pretiosa, vel quæ seruando seruari non possunt. p. 141. n. 13

Census non debet imponi cum hypotheca, etiam super alia bona Ecclesiæ speciali.
Vide in verbo *Census*.

Bona Ecclesiæ subsunt arbitrio ipsius summi Pontificis. p. 155. n. 39.

Bona immobilia non possunt dici fructifera, nisi sint destinata ad fructificandum, & nisi soleant fructus afferre. p. 165. n. 9

In casu, quo Bona immobilia, quæ Missarum onus perpetuum annexum habent, authoritate Apostolica alienentur, eorum pretium sub pœna interdicti ipso facto incurrenda in alia bona stabilia fructifera, cum eiusdem oneris annexione conuerti debet. ibid. n. 16

Bona immobilia non dicuntur solita fructificare, nisi pluries fructum afferant. ibid. n. 14

Bona immobilia, & mobilia quoad PP. Theatinos sunt in diuersa ratione, siquidem immobilia repugnant instituto, non sic mobilia. pag. 171. num. 34.

Bona Ecclesiæ dicuntur patrimonium, & bona Dei, & Christi, non solum vt Dominus vniuersalis est, sicut est cæterorum; sed etiam vt particularis, quatenus ipsi particulariter offeruntur. pag. 176. num. 11.

Bona Ecclesiæ dicuntur res sacræ, & propterea sub nullius potestate existunt. ibid. n. 12

Bonorum Ecclesiæ dominium esse penes Congregationem fidelium senserunt multi Doctores. ibid. num. 13.

Iure antiquo Bona Ecclesiæ locari poterant per nouennium, etsi non vltra. p. 184. n. 4

Bonum commune præfertur priuato, etiam cum periculo vitæ. p.196.n.50
Bonum commune Religionis præponderare debet bono priuato cuiuscumque particularis Monialis. p.212.n.3.
Bona Hæretici, & aliorum à die commissi criminis obstringuntur reali obligatione, ita vt ad quemcumque transierint, à Fisco vindicari possint vnà cum fructibus extantibus. p.217.n.17
Is cuius Bona sunt confiscanda, si fraude, vel mendaciis id impediat, non tenetur ad restitutionem in foro conscientiæ. p.220.n.20
*Bulla* Gregorij XIV. in delictis exceptis in medium affertur iuxta quælibet delictorum nomina. pag.41. num.2.
In Bulla confirmationis Concilij adest clausula Decreti irritantis, quæ omnem consuetudinem præteritam, & futuram sustulit. p.77.n.2
In Bulla Cœnæ fertur censura reseruata contra violatores non quidem immunitatis, sed libertatis Ecclesiasticæ, & non cuiuscumque libertatis, sed specialis. p.111.n.7
Bulla Gregoriana de immunitate non extenditur ad casus similes, seu ad grauiores. p.206.n.4
Bulla Clementis Octaui de largitione munerum extenditur etiam ad casus ibi non exceptos, modò sint similes exceptis, seu grauiores. p.207.n.16
In locis vbi publicatur Bulla Cruciatæ possunt illam habentes à quolibet approbato Confessario semel in vita, & semel in morte absolui ab omnibus casibus, & censuris reseruatis. p.272.n.11

## C

*Caducitas* censetur remissa, si Prælatus vel Beneficiarius recipiat pensionem, & canonem pro tempore elapso. p.157.n.12
*Campanile* plus spiritualitatis habet, quam Palatium Episcopi, cum ibi adsint campanæ oleo sancto consecratæ, & ibidem exerceantur opera pia, quando in Dei honorem campanæ pulsantur. p.12.n.14
Campanile disiunctum ab Ecclesia si distet ab illa intra triginta passus gaudet immunitate ex determinatione S. Cong. Episcoporum, & immunitatis. ibid. num.18.
*Canones* sacri concedentes immunitatem loquuntur generaliter, & sine limitatione, sed comparatiue ad Iudices sæculares tantum. pag. 32. & sequenti, num.1.
Canon prohibens immoderatam castigationem serui vel discipuli, non autem moderatam, quæ in Ecclesia fieri potest. p.33.n.17
Adducuntur in medium plures sacri Canones prohibentes extractionem reorum ab Ecclesia & iubentes restitutionem. p.89.n.3
Canones permittentes permutationem rerum Ecclesiasticarum inter Ecclesias sunt correcti per alios Canones prohibentes. p.159.n.15
*Canonici* vt singuli seorsim sumpti, non faciunt Capitulum; nec talis consensus singulorum est consensus Capituli. p.153.n.9
*Capellæ*, valuæ, serra, tectum, sacristia, parietes, & turres etiam ipsius Ecclesiæ gaudent immunitatis priuilegio. p.11.n.2
Capella quæ non fuit auctoritate Episcopi erecta, non censetur Ecclesiasticum beneficium. pag. 231. num.17.
Capella cum sepulturis concedi potest ad vsum, non tamen potest vendi; ita vt qui emit, fiat Dominus rei, & possit cuicumque alteri vsum eius concedere, quia tunc esset vera alienatio. p.163.n.2
*Capellano*, vel Confessario Monialium non licet ingredi cl usuram in casu renouationis sacramenti existentis in choro interiori; cum id fieri possit absque ingressu, & exponi per fenestellam in Ecclesia exteriori. p.250.n.5
*Capitulares* præter Regulam antiquam possunt facere nouum statutum, ex quo obligentur & ipsi, & Regulam professuri, non item Religiosi prius professi, qui c pitulari statuto non interfuerunt. pag. 194. num.11.
Capitulum, vel is, ad quem Episcopalis iurisdictio tunc temporis pertinere noscitur, potest facere omnia, quæ posset Episcopus, si tunc viueret. pag. 120. num.5.
Capitulum quando consentire censeatur, cum maior pars trahere debeat minorem. p.153.n.7
Consensus Capituli debet esse à Canonicis in Capitulo congregatis, & non sufficit, si sit à singulis seorsim sumptis. ibid.n.8
Capitulum si ob bellum, vel aliam causam vrgentem absit, Prælatus debet loco Capituli substituere alios clericos, quibuscum tractet, & consulat de re Ecclesiæ alienanda, & quorum consensu obtento, rem Ecclesiæ alienet. ibid.n.11
Capitulum potest interim contrahentem ad contractus obseruationem compellere, quia fauore Ecclesiæ contractus interim claudicat. ibid.n.13
Consensus Capituli Ecclesiæ Cathedralis requiritur etiam quando Episcopus est principalis auctor alienationis bonorum alicuius Ecclesiæ secularis, non Cathedralis. p.154.n.23
Capitulum validè auget numerum Canonicorum licet iurauerit statutum de non augendo numero. p.180. num.8.
Capitulum sede vacante probabilius est quod possit in Monasteriis exemptis circa clausuram, quidquid poterat Episcopus. p.203.n.8
Capituli nomine veniunt Canonici cum Decano in vnum congregati. p.266.n.2
*Captiuans*, & componens personas si pluries id faciat, in itineribus, & stratis publicis etiam vrbium, non gaudet immunitate; secus si id faciat priuatim & secretò, siue immediatè, siue missis aliquibus nuntiis, vel literis comminatoriis. p.42.n.1.& 2
*Captura* reorum est actus iurisdictionis, qui in Ecclesia, vtpotè de alieno Territorio, à iudice laico exerceri non potest. p.117.n.7
*Captus*, & è manibus ministrorum Iustitiæ confugiens ad Ecclesiam, gaudet immunitate Ecclesiastica. p.27. num.1.
Captus & in carcere inclusus, si fracto carcere ad Ecclesiam confugiat, gaudet immunitate. ibid.sect.7.n.1
Captus, & in carcere inclusus subest Potestati, & iudicio Iudicum dum in eorum Iurisdictione existit, secus si extra illam exeat, sicut de facto exit, cum ad Ecclesiam se recipit. ibid.sect.6.n.4
*Capucini*, & Fratres Minores, licet non possint iuxta ipsorum regulas possidere bona stabilia fructifera, possunt tamen possidere Conuentus & hortos pro ipsorum vsu. p.165.n.15
*Carceratus* fugiens à carcere delictum non committit, quia vtitur iure suo; & dato, quod committat, non committit delictum exceptum. pag. 27. num.5.
Carceratus non gaudet immunitate, si in carcere existens confugiat ad sacerdotem ibi administrantem Eucharistiam. p.28.n.5
Carceratus ductus per Ecclesiam à birruariis non necessariò, sed voluntariè in sententia nonnullorum Doctorum gaudet immunitate. ibid.n.6
Carceratus in alieno Territorio, vel in Ecclesia, non potest etiam pro alia iusta causa ad instantiam cuiusvis in carcere detineri. p.105.n.31

*Cardinalis*, an casu, vel data opera in Reum ad supplicium ductum inciderit, standum est eius sine alio iuramento. p.19.n.5
Cardinalis quod potius extra Vrbem, quam in Vrbe habeat talem facultatem dicendum est, & præcipuè extra statum Ecclesiasticum. ibid.n.6
Cardinales Regibus æquiparari debent. ibid.n.7
Cardinales non debent esse deterioris conditionis ac erant olim apud Romanos Flamines Diales, & Virgines Vestales, ob quos sontes non plectebantur. ibid.n.8.
Cardinales in fauoribus, & gratiis Episcopis comparantur. p.20.n.12
Cardinalis ob offensam indicitur Ciuitati Sedis Episcopalis amissio, & comparantur Pontifici. ibid. num.13.
Cardinales æquiparantur Regibus, & faciunt vnum corpus, & consistorium cum summo Pontifice, & sunt speciali modo membra illius, & filij Ecclesiæ Catholicæ. p.69.n.39
Cardinalis subest pœnis statutis contra præsumentes alienare bona Ecclesiastica. p.175.n.1
Cardinalis non subest legibus pœnalibus nisi exprimatur; id tamen non procedit in iis quæ pertinent ad publicam Ecclesiæ vtilitatem, vel quæ agunt de iustitia seruanda, vel fraude vitanda. ibid. num.2.
Cardinalis subest Cancellariæ regulis, in quibus de fraude vitanda agitur. ibid.n.3
Cardinalis adstringitur iuramento, ne possit alienare bona Ecclesiastica, imò iurat non esse consensurum eorum alienationi. ibid.n.4
Cardinalis post Cardinalatum factus Episcopus tenetur vinculo iuramenti ad bona Episcopatus non alienanda, quamuis de non alienando iuramentum non emiserit. ibid.n.8
Cardinales, & Episcopi, vel alij habentes priuilegium ingrediendi Monasteria Monialium cum sociis, non possunt assumere pro sociis fratres Minores, si de ipso non fiat mentio in dicto priuilegio. p.233.n.6.
*Chartusiani* satis probabiliter in suis infirmitatibus, etiam cum periculo vitæ, ad abstinentiam ab esu carnium obstringuntur. p.212.n.4
Quando duo *Casus* æquiparantur in lege antiqua, lex noua loquens in vno locum habet in altero. p.37. num.10.
Casus valde dubius, & ideo ex consilio Auctoris, si accidat, est de eo summus Pontifex certiorandus per Episcopum, & ab eo consilia capienda. pag.72. num.8.
Casus si contingat ex sententia Dianæ capiendum est consilium à summo Pontifice. ibid.n.10
Casus expressi tres sunt tantum, scilicet venditio, permutatio, & donatio: hi tantum contractus sunt alienatio proprie dicta, per quam rei dominium transfertur. p.154.n.25.& 26
Casus exceptus tunc extenditur ad similes quando lex excipiens non vtitur dictione alia taxatiua. pag.206. num.2.
Casus exceptus extenditur ad similes in materia fauorabili, non item in materia odiosa. p.207.n.7
In noua dispositione Casus omissus intelligitur relictus iuri antiquo. p.172.n.42
Casus exceptus cum dictione taxatiua admittit extensionem ad casus similes, vel vrgentiores, non autem ad casus dissimiles, & minus vrgentes. pag.212. num.2.
Quotiescumque duplex est *Causa* mouens ad aliquam dispositionem faciendam, cessante vna, si altera perseueret, non cessat dispositio. p.48.n.5
Causæ Ecclesiasticæ cognitio, qualis est immunitatis, non potest nisi ad Iudicem Ecclesiasticum spectare. p.118.n.3.
Causa Immunitatis Ecclesiasticæ pertinet ad honorem, & reuerentiam rei. ibid.
Causa extinctionis debitorum Ecclesiæ, non est causa sufficiens alienandi res Ecclesiæ, nisi debitum sit vrgens, ita vt illud extingui, sit necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ. p.138.n.18
Causa, de qua in procemio extrauagantis *ambitiosæ*, non est causa finalis, sed impulsiua ad prohibitionem alienationis rerum Ecclesiæ faciendam. p.159. num.10.
Causæ legitimæ nomine ab Episcopo approbandæ ex Concilio Tridentino non intelligitur quæcumque ab Episcopo approbata: sed tantum expressa in cap. periculoso. p.205.n.3
Causæ expressæ in iuribus data capacitate, & commoditate Monasterij ad medendum, & cessante contagionis alio periculo, non sunt sufficientes. ibid. num.5.
Cessantibus causis expressis in motu Pij V. non potest Monialibus concedi licentia egrediendi è clausura. p.206.n.1.
Causæ prædictæ, quod sint extendibiles ad similes, & vrgentiores, est satis probabilis sententia Doctorum. p.207.n.10.
Causæ exhæredationis filiorum non possunt extendi ad alias similes, seu grauiores. ibid.n.14
Causa limitata limitatum producit effectum, & facultas non excedit limites suos. p.235.n.4
*Cellulæ*, Horti, & adhærentia Ecclesiæ gaudent immunitate. p.12.n.3
*Cellæ* Ianua aperta remanere debet, & ambæ Comitatrices ad eiusdem Cellæ ianuam morari, Confessario Monialis infirmæ confessionem audiente. pag. 243. num.11.
Censura lata contra facientes non extenditur ad mandantes. p.52.n.3
Censuras incurrit qui extrahit personam Ecclesiasticam, etiamsi hæc commiserit crimen exceptum; dummodò seruauerit requisita Concilij Tridentini. p.105. num.22.
Censura lata contra facientem non ligat consentientem, nisi exprimatur. p.132.n.43
Censuræ contrahuntur ante sententiam criminis, non aliæ pœnæ. p.172.n.50
Censura incurritur, &c. etiamsi agatur de alienatione bonorum deuolutorum ad Sedem Apostolicam. p.813. num.2.
Censuræ quando sunt ferendæ sententiæ non incurruntur, nisi per Iudicem sit lata sententia. p.219.n.4
Nomine censuræ veniant solum Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum. p.230.n.8
Modicum moraliter loquendo, seu paruitas materiæ à peccato & censuris excusat. p.251.n.2
Censura non contrahitur sine contumacia, & quodam virtuali contemptu. p.261.n.3
Censuræ, seu legis Ecclesiasticæ contemptor esse non videtur, qui eas prædicta ignorantia ignorat. ibid.
Censuræ sunt institutæ ad medendum, non ad periculum animis iniiciendum. ibid.n.4
Censura Ecclesiastica non fertur propter internam operantis dispositionem habitualem, vel actualem, sed propter externam Ecclesiastici præcepti contumacem transgressionem. p.262.n.9
Censura non incurritur ab eo, qui ex metu graui mortis, infamiæ, &c. transgreditur legem naturalem, si tali transgressioni sit annexa censura, licet peccet contra legem. p.263.n.22
Censura non incurritur à contrahente & consummante graui metu inducto matrimonium cum consanguinea, licet mortaliter peccet. ibid.n.23

Censura non incurritur ab eo, qui graui metu adactus remigat in Triremibus Turcarum contra Christianos; quamuis ex probabili mortaliter delinquat. ibid.n.24.
Censura vel irregularitas contrahitur ab eo qui facit actum intrinsecè malum, cui ratione alicuius circumstantiæ ea sit annexa; quamuis ob grauem metum exercens contra Ecclesiasticam etiam legem delinquat. ibid.n.29
Censura, scilicet excommunicatio, suspensio, & interdictum contrahuntur ante omnem iudicis sententiam à comprehensis in Motu Gregorij; non tamen aliæ pœnæ ibi statutæ. p.270.n.11
Censura vt locum habeat, debet habere suum auctorem, quod non contingit in habente conscientiam erroneam. p.281.n.9
*Census* breui duraturus computatur inter bona mobilia. p.138.n.29.
Census redimibilis etiam computatur inter bona mobilia. ibid.n.30
Census vitalitius dicitur vtilis ex vno capite, & ex alio damnosus Ecclesiæ, quia tendit ad priuationem intra certum tempus necessario futurum, & Ecclesia de præsenti exponitur periculo perdendi capitale. p.139.n.39.
Census impositio fieri potest à Capitulo pro sustinendis litis expensis. p.140.n.3
Census fundari non potest in Conuentu, & horto annexo, & in omnibus aliis supradictis rebus; cum etiam census comprehendatur in prohibitione. p.163.n.7.
Census, si fundaretur super Conuentu, vel horto annexo conuentui, emolumentum pro celebratione Missarum non correspondaret oneri. p.165.n.6
*Cessio* litis, vel causæ fieri non potest sine solennitate iuris, quia & talis cessio est quædam alienatio, cum & ipsa sit cessio iuris iam acquisiti. pag. 157. num.7.
Cessio legati, vel hæreditatis relictæ fieri non potest sine iuris solennitate; quia talis cessio est etiam alienatio, cum sit iuris acquisiti, & non acquirendi. ibid. n.8.
in Cessione iuris acquirendi non sunt seruandæ iuris solennitates; secus autem est in concessione iuris acquisiti. ibid.n.1
*Chorus* est pars Ecclesiæ, nec intra Monasterij septa continetur. p.282.n.6
*Christus* supra legem naturæ, ac fidei nullas leges cæremoniales, nisi circa ritus sacrificij, & sacramentorum præscripsit, reliqua verò Ecclesiæ disponenda reliquit. p.2.n.8
*Circumstantia* quod quis in Ecclesia existens occidat hominem extra ipsam, non aggrauat notabiliter homicidij peccatum. p.49.n.2
*Ciuis* impediens militem Principis iuste de mandato ipsius expilantem bona ciuitatis, non tenetur ad restitutionem. p.220.n.30
In lege veteri constitutæ erant *Ciuitates* refugij pro Iudæis, & fratribus eorum, non autem pro Gentilibus. p.25.n.12.
Ciuitates & loca S. R. Ecclesiæ alienari, vel infeudari prohibentur, deque eorum alienationibus, vel infeudationibus sub quouis prætextu, etiam euidentis vtilitatis tractari, in Bella 35. Pij V. pag. 293. & seqq.
*Claustrum*, Porticus, ambitus, dormitorium, & cætera loca, seu habitacula quolibet modo Ecclesiæ adhærentia gaudent immunitate. p.12.n.1
*Clausula* (sublata facultate ei, & eorum cuilibet, &c.) apposita in constitutione Gregoriana tollit omnem prorsus interpretationem, & extensionem. pag. 73. num.10.
Clausula (si tibi summariè, simpliciter, extraiudicialiter, & quantum pro tuæ conscientiæ informatione sufficere tibi videbitur) videtur importare non plenam probationem. p.124.n.2
Clausulæ istæ (summariè, simpliciter, & extraiudicialiter, seu de plano) non excludunt concludentem probationem, sed excludunt solum modum probandi. p.124.n.12
Clausulæ (summariè, & extraiudicialiter, & quantum pro tuæ conscientiæ informatione sufficere videbitur) tollunt solum iuris solennitates, & apices, non item veras, plenas, & concludentes probationes. ibid.n.18
Clausulæ recensitæ non efficiunt, quod ius gentium, vel naturæ seruandum non sit. ibid.n.19
Clausula recensita non est iuri contraria, quia ius prohibet alienari, quando bona sunt Ecclesiæ absolutè. p.155.n.5.
Clausulæ (absque vllo superioris decreto, vel ministerio, vel sententia, absque vlla declaratione, absque vlla sententia, ante vllam sententiam) quid importent. p.217.n.22
*Clausura* tantùm de iure positiuo Monialibus obseruari præcipitur, & cur. p.191.n.1
in materia Clausuræ ex præsumpta mente superioris concedentis per licentiam generalem censetur reuocata specialis, vel esse inclusa generalis, vel confusa. p.237.n.21.
Clausura cum sit de iure positiuo, non obligat cum tanto incommodo. p.247.n.13
*Clericus* non perdit sua priuilegia per interdictum. p.10.n.3.
Clericus excommunicatus non perdit priuilegium fori, vel canonis, nec excommunicatus immunitatem. p.23.n.2.
Clericus etiam comparatiuè ad Iudices seculares, gaudet immunitate, siue subsit eorum iurisdictioni, siue non. p.30.sect.11.n.1
Clericus non debet esse deterioris conditionis, quàm laicus. ibid.n.2
Clericus, si non seruet requisita Tridentini, priuatur priuilegio personali, non item locali. ibid.n.3
Clericus, qui non subest iurisdictioni Iudicum secularium, sed Ecclesiasticorum, non gaudet immunitate Ecclesiæ comparatiuè ad Iudices Ecclesiasticos. p.31. num.1.
Clericus cum extrahitur à Iudice Ecclesiastico, ex voluntate Ecclesiæ extrahi dicitur. ibid.n.3
Clerici delinquentis ab Ecclesia extractio, Ecclesiæ nec dedecus, nec irreuerentiam gignit. ibid.n.13
Clericus si ob delicta non posset extrahi ab Ecclesia à suo Prælato, rarò puniretur. ibid.n.15
Clericis conuenit sanctitas, & maior quàm laicis integritas. ibid.n.21
Clericus delinquens si confugiat ad Ecclesiam, duplici titulo eximitur à laicali iurisdictione, & ratione personæ, & ratione loci. p.33.n.2
Clerici, licet non gaudeant dicto Immunitatis priuilegio comparatiue ad Iudices Ecclesiasticos, non propterea sunt deterioris conditionis quàm laici, & si sunt, non sunt per se, sed per accidens. ibid.n.10
Ratio, cur Clerici non gaudeant immunitate est status diuersus à laicis, in quibus magis excusabilia sunt delicta, quam in Clericis. p.34.n.24
Clerici confugientes ad Ecclesiam, sequuntur opinionem oppositam, quæ est etiam satis probabilis. ibid. num.23.
Clericus dimisso habitu modo sit tantum in minoribus, gaudet immunitate. p.35.sect.14.n.1
Clericus sine requisitis præscriptis à Concilio Tridentino sess. 23. cap. 6. reputatur vt laicus, & sic non debet esse deterioris conditionis. ibid.n.2

Clericus gaudens priuilegio fori, si committat delictum, ob quod Iudici seculari tradendus est, extrahi potest ab Ecclesiastico Iudice, & Iudici seculari tradi. ibid.n.3
Crimina, ob quæ reus Clericus deponendus est, & Iudici seculari tradendus, excepta esse solent. ibid. num.4.
Clericus extrahi non debet ob crimen non exceptum, vel si extrahatur, Curiæ seculari non est tradendus. ibid.n.5.
Clerici filij reorum læsæ Maiestatis non sunt inhabiles ad beneficium, & multo minus priuantur beneficiis acquisitis. p.68.n.25.& 28
Clericus abutens fœmina, vel committens bestialitatem non incurrit pœnas Bullæ Pij V. latas contra Clericos sodomiam exercentes, cum talis actus non sit propriè sodomiticus. p.75.n.7
Clericus sodomiam patiens probabiliter non incurrit dictas pœnas latas à Pio V. quia non est propriè sodomita, sed mollis. ibid.n.8
Clericus exercens sodomiam ex constitutione Pij V. Curiæ seculari traditur. p.78.n.3
Clericus non potest in præiudicium status Clericalis renunciare priuilegium canonis etiam cum iuramento. p.90.n.8
Clericus potest in ciuilibus se subiicere Iudici seculari, qui tamen non potest exequi mandatum à se relaxatum contra ipsum, sed debet adiri superior Ecclesiasticus. ibid.n.9
Clericus in causa reconuentionis potest iudicari à Iudice seculari. ibid.n.10
Clerici, & Regulares non possunt expellere confugientes ad suos Conuentus, & Domos, etiam reiiciendo illos ad Ecclesiam, quia in Ecclesia naturæ necessaria ministrare non licet. p.128.n.5
Clericus subscribens alienationem bonorum Ecclesiæ, excommunicatur, nisi alienans, & recipiens rem Ecclesiæ, celeri restitutione sibi prospiciant. p.132. num.41.
Clericorum nomine in materia odiosa non veniunt Episcopi, nec Clerici in Dignitate constituti, vt Ecclesiæ Cathedralis Canonici: item, nec Regulares. p.227.n.2.
Clericis ministrantibus infirmis quale concessum fuerit à Gregorio XIV. priuilegium. p.229.n.4
Clerici non residentes de iure communi fructus Beneficiorum non percipiunt, exceptis infirmis, & existentibus in seruitio Papæ, & duobus Canonicis existentibus in seruitio Episcopi, cum hi residere censeantur, & per nouam constitutionem superuenientem non includantur supradicti casus à iure communi excepti. p.259.n.17
Clericorum nomine in materia pœnali non veniunt Religiosi, nec Episcopi, nec alij Clerici in dignitate constituti, nec Canonici Ecclesiæ Cathedralis; veniunt tamen si verba simpliciter ita generalia sint, vt ad quoslibet extendantur. p.274.& seq.n.1
Clerici etiam Monasteria frequentantes, si moniti non resipuerint vltra pœnas capitis Monasteria, puniri possunt pœna excommunicationis, ac tandem pœna depositionis. p.275.n.9
Nulla Clericis iure prohibita obligant eos virtute illius prohibitionis, seclusis circumstantiis extrinsecis sub culpa mortali, donec absit contumacia non obediendo monitioni superioris. p.277.n.2
*Coactio* seu vis semper à censura excusat, quia simpliciter aufert voluntarium; ideoque aufert omnem culpam, consequenter & omnem pœnam in culpa fundatam: at verò metus relinquit voluntarium simpliciter, ideoque culpam omnem non aufert. p.263. num.28.
*Cæmeterij* ambitus nunc tantum gaudet circuitu supradictorum passuum. p.13.n.11
Cæmeterium etiam gaudet eodem immunitatis priuilegio, quo gaudet Ecclesia. p.14.n.1
Distinctio nonnullorum, quod solum Cæmeterium benedictum gaudeat immunitate, refellitur. ibid. num.2.
Cæmeterium eo ipso, quod sepulturæ fidelium est destinatum, præsumitur benedictum, & auctoritate Episcopali sacratum. ibid.n.3
Priuilegio immunitatis non solum Cæmeterium, sed ostium, & porticus eius gaudent. ibid.n.4
Cæmeterium gaudet immunitate etiamsi non sit benedictum ab Episcopo, sed à simplici Sacerdote, quinimmo etiamsi à nemine sit benedictum; dummodo in ipso aliquis Christianus sepultus sit cum Ecclesiasticis officiis de licentia Episcopi. ibid.n.5
Cæmeterium etiam pollutum, & interdictum, gaudet immunitate. ibid.n.6
Dispositio facta in fauorem Ecclesiæ censetur etiam facta in fauorem Cæmeterij. ibid.n.7
Cæmeterium, cum sit Ecclesiæ accessorium, æquiparatur & pari passu ambulat quoad sacrilegium, interdictum, & pollutionem. ibid.n.8
*Cognitio* de quæstione facti non est propriè cognitio de crimine; attamen si Iudex secularis vult se immiscere, potest in hoc casu inhiberi à Iudice Ecclesiastico. p.66.n.16.
Cognitio an territorium Ecclesiæ sit violatum necne, spectat ad iudicem Ecclesiasticum. p.120.n.2
*Confraternitates*, Collegium, Congregatio, vel Hospitale sine authoritate Episcopi erecta, non censentur loca pia propriè, & quælibet horum bona possunt sine solennitate iuris alienari. p.131.n.16
*Commissarius* habet iure Ordinario solum Deum cognitorem, & iudicem. p.124.n.6
Commissarius electus ab Inquisitore non præfertur Episcopo, secus est si sit electus à Pontifice, licet sit subdelegatus. ibid.n.7
Commissarius siue electus sit à Pontifice, siue ab Inquisitore, est superior Ordinario, & eius citatio est præferenda citationi Episcopi. ibid.n.9
Commissarius, seu Delegatus prædictus incurrit dictam excommunicationem, seu suspensionem, etiamsi gratis, vel per metum, vel per præuiam pecuniam, & promissionem præstiterit consensum, decretum, vel auctoritatem. p.182.n.2
Quod alicuius conscientiæ committitur, non dicitur commissio iudicialis, sed conscientialis. pag. 124. num.3.
Commissio est exequenda secundum veritatem, & satis est si iure gentium sustineatur. ibid.n.4
ex dicta Commissione sufficit qualitercumque inquirere, ac probationem ipsi soli, cui est demandata, concludere. ibid.n.5
*Committens* tempore iubilei etiam sub spe absolutionis peccata reseruata etiam habentia annexam censuram, quandiu durat iubileum, absolui potest. pag.50. num.3.
Committens in Ecclesia leuia delicta gaudet immunitate. ibid.
*Communitates* etiam, & vniuersitates tractantes, & consulentes, vel alia ratione verba facientes, vel etiam insinuantes, vel oratores mittentes incurrunt in dictas censuras, non quidem vt omnes, sed vt particulares. p.184.n.11
in Concessione per precarium, vel ad beneplacitum Ecclesiæ rei immobilis, vel mobilis pretiosæ, seruandæ sunt iuris solennitates. p.165.n.1
per huiusmodi Concessionem iure transfertur ius in rem in alterum; & sic est vera alienatio. ibid. num.2.
Concilium Tridentinum reuocauit obseruantiam immunitatis

munitatis secundum canones, Concilia generalia, & Pontificum constitutiones. p.6.n.2
Concilium Tridentinum fuit confirmatum per Bullam Pij IV. in qua adest clausula Decreti irritantis, quæ tollere videtur omnem consuetudinem præteritam, & futuram, contra nonnullos. ibid.n.3
Concilium Tridentinum de facto sustulit omnes consuetudines Immunitati Ecclesiasticæ derogantes. p.77.n.1.
*Condemnatus* ex solis indiciis, & ex probationibus non concludentibus gaudet immunitate. p.26.n.3
Condemnatus ad mortem, si cum ad supplicium ducitur, è manibus ministrorum Iustitiæ confugiat ad Ecclesiam, gaudet immunitate. pag. 28. sect. 8. num.1.
Condemnatus ad triremes, siue ad tempus, siue ad semper, si à triremibus confugiat ad Ecclesiam, gaudet immunitate. ibid.sect.9.n.1
Condemnatus ad vapulandum, si ad Ecclesiam confugiat, gaudet immunitate. p.29.n.8
*Conditio* possidentis melior est quando sumus in dubio, & cetera sunt paria. p.127.n.4
Conditio expressa vt in perpetuum seruentur, seu nunquam alienentur, necessaria non est ad legalem inalienationem. p.134.n.10
Nec possunt alienari bona hæreditaria accepta de manu laici, & ex necessitate soluendi æris alieni alienanda. ibid.n.11.
Conditio apposita à disponente, quod bona relicta Ecclesiæ non possint alienari, debet exprimi in impetratione consensus summi Pontificis, aliàs rescriptum vitiaret; secus si impetrandus sit per modum approbationis causarum ad alienationem requisitarum. p.156.n.7. & 8.
*Confessarius* solicitans in confessione puerum ante Bullam Gregorij XV. non erat denunciandus, quia præcedentes aliorum Pontificum Bullæ erant contra solicitantem fœminas. p.75.n.6
Confessarius approbatus virtute Bullæ Cruciatæ non potest in his pœnis dispensare. p.230.n.7
Confessarius quilibet approbatus potest ab eadem excommunicatione supradicta toties quoties absoluere, licet publica, virtute tamen Cruciatæ semel in vita, & semel in morte. p.229.n.7
Confessarius quilibet priuilegiatus potest ab eadem excommunicatione supradicta toties quoties absoluere; quia Religiosi habent priuilegium absoluendi toties quoties ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, præterquam à contentis in Bulla Cœnæ. ibid.n.8.
Confessarius habens priuilegium absoluendi ab omnibus casibus reseruatis, & à censuris, & pœnis consurgentibus ex eis, potest absoluere toties quoties in foro conscientiæ à prædictis priuationibus & inhabilitatibus. p.130.n.10
Confessarius habet iustam causam ingrediendi quando locus, vbi infirma iacet, non est propè aliquam fenestellam, per quam confessio commodè excipi possit: item si Monialis surda sit, vel morbo oppressa non possit accedere. p.242.n.1
Confessarius, & Eucharistiam ministrans ingredi possunt non solum quando morbi periculum obligat ad hæc Sacramenta suscipienda, sed etiam in ipso morbi principio. ibid.n.6
Confessarius, & Ministrans Eucharistiam ingredi possunt quotiescumque ex Regulæ præscripto solent Moniales confiteri, & quotiescumque infirma dixerit se sacramentis indigere. p.243.n.8
Confessarius Monialium clausuram ingressus ad Sacramenta ministranda, rectâ viâ, & absque diuerticulo ire debet, nec aliò se conferre etiam prætextu administrandi Sacramenta, si non sit necessitas. ibid.n.12
Confessarius Monialis administrans ei Sacramentum Extremæ vnctionis non potest ibi manere post talem administrationem ad animam Deo commendandam; sed sententia opposita est probabilior. ibid.n.13.
Confessarius Monialium si sit Regularis ingrediens clausuram potest secum conducere socium, secus si confessarius est secularis, & non accedat ministraturus Eucharistiam, vel extremam vnctionem, quia in tali casu necessarius est ei etiam socius. ibid. num.15.
Confessarius, & socius ipsius non possunt alloqui Monialem sine licentia Sacræ Congregationis. ibid. num.21.
Confessarius inferior potest etiam absoluere à casibus in Bulla Cœnæ contentis, si peccatum, quod Pœnitens commisit, ignorantiam, obliuionem, vel inaduertentiam saltem non crassam, seu supinam reseruationis habet. p.262.n.14
Confessarius quilibet approbatus virtute Cruciatæ potest absoluere semel in vita, & semel in morte. p.273.n.14.
Confessariis pariter interdictum est sub pœna vocis activæ & passiuæ, ne in ædibus Monasterij vel ei contiguis pernoctent, vel alios pernoctare faciant, &c. p.276.n.22
*Confugæ* in Ecclesia cubare, aliaque corpori necessaria peragere opus non habent. p.12.n.4
*Confugiens* ad portas Ecclesiæ, etiamsi clausas illas inneniens, & easdem, vel illarum ansam, vel vectes manibus apprehendat, gaudet Ecclesiastica immunitate. p.11.n.6.
Confugiens supra tectum Ecclesiæ, necnon supra tectum Palatij Episcopalis, Monasterij, Hospitalis, vel cuiuscumque alterius loci pij, gaudet Ecclesiastica immunitate. p.11.n.9
Confugiens ad scalas Ecclesiæ, quia & hæ pertinent ad Ecclesiam, & cum Ecclesiæ adhæreant, religiosæ reputantur, gaudet Ecclesiastica immunitate. p.12. num.11.
Confugiens ad Campanile, quod sit Ecclesiæ coniunctum, in omnium Doctorum sententia, si disiunctum in sententia Nauarri, gaudet immunitate Ecclesiastica. ibid.n.12
Confugiens ad domum Parochi, Canonici, vel alterius Ecclesiasticæ personæ, etiam existentem intra spatium prædictum, non gaudet immunitate, præsertim si talis domus sit laico locata, vel ad emphyteusim concessa, contra nonnullos. p.14.n.12
Confugiens ad cœtum fidelium comitantem Sanctissimum delatum ad infirmos, seu processionaliter, licet non tangat hastam baldachini, gaudet immunitate, non de iure, sed de consuetudine. pag. 20. num.2.
Confugiens ad sacerdotem deferentem Eucharistiam, eumque tangens, vel intra domum infirmi, vbi est Eucharistia, vel comitantibus se immiscens, gaudet immunitate. p.21.n.7
Confuigens ad sacerdotem deferentem oleum sanctum ad infirmos, eumque tangens, non gaudet immunitate. ibid.n.11
Confugiens ad sanctorum Imagines, vel reliquias quæ per plateas processionaliter deferuntur, non gaudet immunitate. ibid.n.14
Confugientis nomine ad Ecclesiam venit quilibet homo, siue mas, siue fœmina, siue liber, siue seruus, siue nobilis, siue ignobilis. p.22.n.1
Confugiens ad statuas Principis gaudet priuilegio immunitatis. p.21.n.1
Confugiens ad Ecclesiam cum armis prohibitis, non priuatur immunitate. p.47.n.1
Confugiens ad Ecclesiam cum armis prohibitis, licet Ecclesiam

Ecclesiam offendat, & pœnam capitalem mereatur, gaudet immunitate. ibid.n.2
Confugiens ad Ecclesiam non est liber dimittendus, sed de crimine, quod iniquè gessit puniendus pœna pecuniaria; quod si egeat, aliquali pœna corporali, non multum tamen corporis afflictiua. p.96. num.7.
in omnibus casibus, in quibus Confugiens ad Ecclesiam extrahi potest, non est ei seruanda fides super impunitate delicti. ibid.n.12
Confugiens ad Ecclesiam neque à persona priuata extrahi potest, contra Gambacurtam. p.105.n.29
*Congregatio* Concilij declarauit, quod immunitate Ecclesiæ non gaudeat qui homicidium committit veneno. p.54.n.2
Sac. Cardinalium Congregatio fertur declarasse tres Epidemiæ, lepræ, & incendij causas, non extendi ad similes, nec vrgentiores. p.207.n.9
Congregationis super Baronibus Status Ecclesiastici institutio, cum iurisdictione eorum, Castra & Bona etiam fideicommissis subiecta distrahendi pro satisfactione suorum creditorum, extat in Bulla 41. Clementis VIII. p.308.& seqq.
*Coniecturæ* non sufficiunt vt vincant præsumptionem ortam ex possessione immunitatis, & iure fundato. p.121.n.5.
quod per Coniecturas cognoscitur, non verè, sed probabiliter tantum cognoscitur; neque illud est propriè, & absolutè verum, sed sub dubio verum. ibid. num.8.
non reuelans *Coniurationem* in personam Principis committit crimen læsæ Maiestatis in omittendo, secus in committendo; & quia Constitutio Gregoriana intelligit tantum de committentibus, gaudet immunitate. p.72.n.6
*Consensus* Apostolicus sufficit sine alia solennitate, si vellet Pontifex, quia cùm talis solennitas sit de iure canonico, Papa potest dispensare. p.141.n.7
Consensus Apostolicus, licèt suppleat solennitates positiuas; non tamen supplet alienandi causam, nisi Pontifex exprimat. ibid.n.8
Consensus Apostolicus, sicut & omnis alia iuris solennitas, præsumitur ex lapsu triginta vel quadraginta annorum in alienatione rei Ecclesiæ, vel loci pij, si contrarium aliunde non constet. ibid num.11.
Consensus Apostolicus in dubio non præsumitur, nisi demonstretur, secus est si de iure aliunde non requirebatur. p.142.n.12
Consensus Capitularium esse debet expressus; vocatur enim talis consensus collaudatio, quæ approbationem, & consensum expressum importat. pag. 153. num.5.
Consensus inferiorum præter Capitulares, non requiritur quod sit expressus; sed sufficit si sit tacitus ad differentiam consensus Capituli. p.154.n.18
*Consentiens* in alienationem bonorum Ecclesiasticorum, non incurrit excommunicationem, & pœnas dictæ extrauagantis; quia consentire in alienationem non est alienare. p.132.n.48
*Conseruari* posse non debet dici id, cuius *conseruatio* Ecclesiæ potius damnosa est. p.139.n.3
*Constitutio* Gregoriana de immunitate vbique locorum locum habet. p.3.n.1
Constitutio Gregoriana derogat omnes consuetudines, ius commune, & prouinciale, & Doctorum interpretationes, reducendo omnia ad vnicam formam. ibid.n.4.
Constitutio Gregoriana de immunitate non potest dici non esse vsu recepta etiam per consuetudinem in contrarium antiquatam. p.5.n.8
In Constitutione Gregoriana nulla expressa mentio fit de consuetudinibus particularibus. pag.7. n.8
Constitutio Gregoriana non solum derogat omnes consuetudines antè introductas, sed etiam ius commune, multo magis Prouinciale, & ampliationes à paritate rationis à Doctoribus factas. ibid.n.1
Constitutio Gregoriana derogat omnia priuilegia quæcumque illa fuerint prius concessa, contra Zerolam, & alios. ibid.n.2
Constitutio Gregoriana, quæ reducit antiquos Canones ad vnam formam, mentionem facit de laicis, & non de Clericis. p.31.n.16
Constitutio Gregoriana disponit ne laici, & seculares Magistratus aliquid possint contra Clericos, quo fit vt nullum de Clericis, aliisve fauore Ecclesiasticorum iudicium positiuè constitutum sit. p.34.n.20
Constitutio pœnalis quando continet fauorem Ecclesiarum, fit extensio ex identitate rationis. pag. 37. num.11.
Constitutio Gregoriana reuocat omnia priuilegia & indulta data principalibus extrahendi delinquentes ab Ecclesia, & nominatim fraudulentet decoctos. p.40.n.8.
Constitutio Gregoriana derogat ius commune, sicut & priuilegia, & omnem consuetudinem in contrarium. p.57.n.8.
in Constitutione Gregoriana nomen Principis strictè pro Principe supremo accipiendum est. p.71.n.2
Constitutio Gregoriana corrigit ius commune, & prouinciale, Doctorum interpretationes, & à paritate rationis ampliationes, consuetudines, & priuilegia in contrarium. p.74.n.12
Constitutio Gregoriana derogat iuri communi, & omnia reducit ad vnicam formam; & sic non obstat aliquid in contrarium. p.82.n.4
Constitutionis Gregorianæ verba videlicet (extrahunt, capiunt, incarcerant) vt inania, & superflua non sint, & suum operentur effectum, valent, ac si ab aliis extractum non restituant. p.105.n.35
Constitutio pœnalis non dicitur extendi, vbi extenditur ex mente eiusdem Constitutionis. p.109 n.12
ex Constitutione Gregoriana requiritur quod Prælatus priusquam reum puniendum iudici seculari tradat, cognoscat verè, quod is exceptum delictum commiserit. p.121 n.7
Constitutio Gregoriana, quod non detur appellatio, non habet locum quando est satis sufficiens, & rationabile fundamentum appellandi, & sic non tollit, siue reo, siue fisco appellationem, quando notoriè, vel satis fundatè de latæ sententiæ iniustitia constat. p.122.n.1
Constitutio Pauli II. in sententia Nauarri, quoad pœnam priuationis beneficij nullibi est recepta. p. 170. num.2.
Constitutio in Italia videtur recepta & quoad obligationem, & quoad excommunicationem, saltem in casu, quo res alienata non fuerit in euidentem Ecclesiæ vtilitatem. ibid.n.4
Constitutio non habet locum quoad priuationem beneficij, & officij ante iudicis sententiam, licet à Sacra Pœnitentiaria tales delinquentes rehabilitentur ad beneficia, & officia. ibid.n.5
Constitutio prohibens alienationem rerum Ecclesiæ vltra triennium, includit etiam mandatum ad eas locandas. p.189.n.1
Constitutio Ecclesiastica introducens clausuram Monialium, in aliquibus locis recepta non fuit; qua de causa strictè obseruari præcipitur. p.190.n.2
Constitutio Pij V. circa Franciscanos Conuentuales in Hispania degentes laudatur. p.194.n.17
Constitutio noua loquens in casu vero quando, & quomodo comprehendat casum fictum. pag.249. num.16.

Constitutio disponens idem quod ius commune, debet recipere omnes limitationes, & interpretationes iuris communis; ar secus est quando constitutio noua esset præter, vel contra ius commune. pag.259. num.18.

Constitutio pœnalis loquens de casu vero, non comprehendit casum fictum. p.259.n.11

Constitutiones à Romanis Pontificibus hactenus editæ contra exules, bannitos, aliosque facinorosos homines, eorumque receptatores, & fautores innouantur per Bullam 6. Sixti V. p.302.& seqq.

Constitutio Pij V. de non infeudandis Ciuitatibus, Terris & locis S. R. Ecclesiæ, confirmatur per Bullam 5. Vrbani VIII. p.317.& seq.

*Consuetudo* quæ est contra Ecclesiarum libertatem, non valet. p.5.n.5

Consuetudo extrahendi reos ab Ecclesia per Curiam secularem nulla temporis diuturnitate defendi potest. ibid.n.6.

Consuetudo contra immunitatem, & libertatem Ecclesiarum est irrationabilis, & sic non potest rationabiliter præscribi, & potius corruptela, quam consuetudo dicenda est. ibid.n.7

Consuetudo vt prævaleat aduersus canones, & leges Pontificias, opus est quod introducta sit non solum cum scientia, sed etiam cum expresso consensu summi Pontificis. ibid.n.11

Consuetudo etiam particularis non valet aduersus immunitatem Ecclesiasticam, & aduersus canones, & leges Pontificias. ibid.n.14

Consuetudo non potest introducere id quod lex non potest statuere. ibid.n.15

Consuetudo non potest habere plus auctoritatis quàm lex. ibid.n.16

Consuetudo æquiparatur statuto, & non inducitur super iis, quibus Populus expresè statuere non potest. ibid.n.17.

non minùs est reprobanda Consuetudo generalis contra immunitatem Ecclesiasticam, quàm particularis. ibid.n.20.

Consuetudines omnes ante Tridentinum & Gregorij XIV. constitutionem aduersus immunitatem Ecclesiarum sublatæ modò sunt per ipsum Concilium Tridentinum, & Bullam Greg. XIV. p.6.n.1

Consuetudo contra immunitatem Ecclesiasticam quando de ea oritur disceptatio, videndum est an post Tridentinum & Bullam Gregorianam sit introducta & præscripta, aliàs ad nihilum valebit. p.7.n.4

Consuetudo, cum sit quid facti, in dubio præsumi non debet, nisi legitimè probetur. ibid.n.5

Consuetudo, quæ iuri communi aduersatur, breui tempore potest introduci. p.17.n.6

Consuetudo propter quam Palatia Cardinalium gaudebant Immunitate, sublata est ex constitutionibus Gregorij XIII. & Sixti V. licet nonnulli teneant dictam sublationem factam fuisse tantum pro Vrbe, non autem pro aliis locis. p.19.n.2

Consuetudo legitimè præscripta post Bullam Gregorianam est attendenda in materia immunitatis, secus ante dictam Bullam. p.51.n.13

Consuetudo immunitatem Ecclesiasticam derogans est corruptela. p.77.n.6

Consuetudinem alleganti immunitati contrariam credendum non est, nisi probet. ibid.n.10

Consuetudo legitimè introducta, & præscripta, præcipuè videntibus, & tacentibus Prælatis, tenet contra immunitatem. p.78.n.6

Consuetudo obtinet in multis locis, vt fundi Ecclesiastici sine iuris solennitatibus in emphyteusim licitè, & validè tradantur. p.132.n.38

Ex actibus merè facultatiuis non inducitur Consuetudo. p.159.n.20

Consuetudo in actibus merè facultatiuis non participat intrinsecas legis conditiones, quarum vna est, quod sit necessaria pro Communitate. ibid.n.21

Consuetudo si non est necessaria, indebitè, ac prorsus irrationabiliter priuat subditos; & consequenter non potest habere vim legis. ibid.n.22

Consuetudo contraria clausuræ potest alicubi prævalere, & decretis eam introducentibus non receptis, eidem potest esse derogatum. p.191.n.7

Consuetudo, quod Monasteria habeant mulieres coquas honestas, & nullo modo suspectas, præciso populi scandalo. p.284.n.10

*Consulens* extractionem rei non incurrit censuras & pœnas Gregorianæ. p.106.n.6

*Contractus*, cum pendet à voluntate duorum, si non valet vt fit, neque valet vt fieri poterat. pag.187. num.6.

*Contrahens* cum Ecclesia sine debita solennitate, non potest pro arbitratu suo stare contractui, vel ab illo recedere; sed necessariò stare illi debet, donec ab Ecclesia non repellitur. p.167.n.3

Contrahentes præsumuntur habuisse iustam causam contrahendi. p.166.n.5

Contrahens sponsalia iurata cum vna, validè contrahit matrimonium cum altera. p.180.n.4

*Conuentus*, vel monasteria Regularium non sunt destinata ad fructificandum mediante locatione; sed inseruiunt ipsis pro habitatione, & ideò non dicuntur solita fructificare. p.165.n.13

Conuentus nomine veniunt Religiosi cum superiore in vnum coacti. p.266.n.1

Conuentus collegialiter coactus si delinquat, puniri debent omnes consentientes, aut non contradicentes, si consentire, vel contradicere teneantur. ibid. num.4.

Conuentus nomine secundum Rodriguez satis probabiliter non veniunt omnes vtriusque sexus Religiosi, sed solum maiores cum Prælato. ibid.n.5.

*Conuersa* vbi est consuetudo, quod pro quæstu exeant à Monasterio, dummodo habeantur licentiæ necessariæ, & sint ætatis saltem 40. annorum, & non sint plures quàm octo, tolerari potest. p.199.n.7

Conuersæ Moniali, & non professæ conceditur licentia egressus pro quæstu Monasterij, ex dispositione Pij V. & si professæ est concedenda, sit annorum 40. & in domibus contiguis extra Monasterium habitet. p.211.n.1.

Conuersæ professæ, si Monasterium habeant computatis laboribus sufficientis redditus pro sustentatione, sunt reducendæ intra clausuram. ibid.n.2

Conuersæ, quæ mittuntur ad petendas eleemosynas, non debent esse plures quam octo, & quas conditiones habere debeant. ibid.n.3

Conuersis professis non prohibetur exitus ad audienda sacra, & percipienda sacramenta. ibid.n.4

Conuersæ, quæ egrediuntur de domibus contiguis, quæ non sunt Regulares, sed extra Monasterium, etiam ad inhonesta perpetranda, non peccant contra clausuram. ibid.n.5

*Correctio* textuum est vitanda quammaximè, & solum admittenda quando clarè apparet correctionis fundamentum. p.159.n.16

*Creditores* Ecclesiæ quibus est satisfactum cum retractu bonorum immobilium, vel mobilium alienatorum obligati sunt probare creditum ipsorum versum fuisse in Ecclesiæ vtilitatem. p.166.n.6

Crimen vbi non est exceptum, non habemus fundamentum, vt excipiamus personam. p.24.n.5

Crimen extrahendi reos ab Ecclesia non est de exceptis; & ideo extrahens gaudet immunitate, contra graues Doctores. p.85.n.1

Crimina excepta ab Ecclesia non proteguntur, non tamen

tamen rei in ipsa possunt capi, ligari, & extrahi sine licentia Prælati Ecclesiastici. p.117.n.8
*Cudentes* falsam monetam, vel bonam tondentes, & omnes alij offendentes Principem in dignitatem, non autem in personam, gaudent immunitate. p.72. num.3.
Cudens falsam monetam, vel bonam tondens, non priuatur immunitate ob rationes supradictas. p.84. num.1.
Cudens falsam monetam, vel bonam tondens, committit iniustitiam aduersus Regem, vel Rempublicam; & sic committit furtum publicum: non tamen dicitur committere latrocinium publicum, quod requiritur ad perdendam immunitatem. ibid. num.2.
Cudens falsam monetam vel bonam tondens, committit crimen læsæ Maiestatis in Statum Principis, non tamen in personam eiusdem. ibid.n.3
*Culpa* antecedens non impedit obligationem charitatis, quæ est de subueniendo proximo in extrema, vel etiam valde graui necessitate. p.151.n.26
Curia secularis capiens reum lædit ius Ecclesiæ, ex iniusta autem læsione oritur restituendi obligatio. p.101.n.37.
Curiæ Romanæ Stylus, & Cardinalium declarationes, quandonam dari debeat absolutio. p.111.n.12
*Custodes* stipendio conducti si non accusant damnificantes, peccant contra officium, & sic contra iustitiam. p.220.n.29
*Custodiam* ponere extra locum sacrum, non est ipsum obsidere, neque reum ibidem vexare; sed profanum locum obseruare, & in illo custodiam constituere. p.91.n.4

## D

*Damnatus* ad triremes est verè reus (sicut & miles, qui per fugam militiam deserit) & propter sententiam latam, & pœnam inflictam contra eum, non desinit esse reus. p.29.n.11
Damnatus ad carcerem, vel ad exilium debet eò se conferre, & ibi manere. p.222.n.13
Damnatus ad abstinentiam, vel sui ipsius flagellationem moderatam, & non infamem, debet eam præstare. ibid.n.14
Damnatus ad venenum bibendum non tenetur obedire, quia qui venenum sciens bibit, non minus directè ac positiuè ad sui occisionem concurrit, quam si liquidum, ac feruens plumbum bibat. ibid.n.16
Damnatus ad mortem inedia patiendam, non tenetur cibum sibi clanculùm contra Iudicis voluntatem subministratum recusare, sed licitè potest illum acceptare. ibid.n.18
Damnatus ad mortem inedia patiendam potest cibum recusare, si illi clam offeratur; quia non concurrit actiuè ad mortem suam, sed eam fortiter sustinet amore iustitiæ. ibid.n.19
*Damnum* in scissione arborum non consideratur, si in prædio relictæ sint arbores sufficientes. p.139.n.5
*Debitor* fraudulentus ad Ecclesiam cum bonis confugiens, non debet ibi multo tempore tolerari, sed debet tandem expelli. p.40.n.16
Debitor ob ciuilia debita ad Ecclesiam confugiens per se, vel per procuratorem in iudicio comparere potest. p.36.n.2
Debitore recusante comparere in iudicio modo prædicto potest Iudex post solennium edictorum citationem, apprehensis bonis ipsius creditoribus satisfacere. ibid.n.3
Debitor suspectus de fuga, & publicus tributorum exactor obligatus ad publica ratiocinia gaudet immunitate. p.37.n.6
Debitor licèt ad Ecclesiam confugerit, potest citari, & si se non defendat, creditor obtinebit; non autem tradendus est in seruum creditori. p.38.sect.3.n.2
Debitor suspectus de fuga, est suspectus de graui delicto. p.38.n.2
*Decisio* Castilli, quod in Curia Panormitana Archiepiscopali fuerit excluſus ab immunitate quidam Religiosus, qui in dormitoriis sui Monasterij commiserat sodomiam, processit ex literis arbitrariis à Pontifice concessis, non de iure communi. p.79.n.10
*Declaratio* Cardinalium quod Clerici confugientes ad Ecclesiam gaudeant immunitate, non constat authenticè, & facit tantum opinionem satis probabilem: idem dic de pluribus aliis similibus Declarationibus. p.33.n.14
Declaratio Clementis VIII. qua resoluitur delinquentes sub spe immunitatis, ea gaudere non debere, non constat authenticè. p.51.n.11
Declaratio particularis non tollit legem vniuersalem. ibid.n.12.
Declarationes Sac. Congregationis Cardinalium asserentes Episcopos non posse absoluere in casibus Bullæ Cœnæ occultis, non constant authenticè, & ideo standum est consuetudini in contrarium. p.228.n.6
*Decoctus* fraudulenter in sententia plurimorum Doctorum non gaudet immunitate. p.39.n.1
Decoctus fraudulenter est publicus latro, & propterea plectitur pœna capitis. ibid.n.2
Decoctus fraudulenter nec ratione debiti, nec ratione delicti priuatur Ecclesiæ immunitate. p.40.n.4
Decoctus fraudulenter reuerà non est publicus latro, sed solum per quamdam æquiparantiam. ibid.n.5
Decoctus fraudulenter gaudet immunitate procul dubio si ad Ecclesiam secum non asportet bona, vt illa absconderet, sed tantum confugit, vt saluet personam. ibid.n.7
Rarò in fraudulenter Decocto possunt contingere quæ necessaria sunt in publico latrone, præsertim actuum frequentia. ibid.n.9
Decoctus non debet res, & bona in præiudicium creditorum ad Ecclesiam transferre; sed debet illa Iudici seculari consignare, vt adiudicet cui de iure competunt. ibid.n.16
Decoctorum bona possunt etiam auferri à Iudice seculari, de licentia tamen Iudicis Ecclesiastici. ibid.n.18
in *Decreto* Clementis VIII. aliquantulum postea moderato à Paulo V. prohibetur quibuscumque Confessariis ne absoluant in casibus in Bulla Cœnæ siue claris, siue dubiis, tam Iuris, quàm facti.
Vide verb. *Confessarius*.
Decreta de clausura Monialium seruanda de facto, nondum in omnibus Monasteriis locum habent, existentibus adhuc alicubi Monasteriis clausuram non seruantibus. p.191.n.12
Decreta ingressum in Monialium Monasteria prohibentia nondum vbique secundùm omnem prohibitionis modum recepta sunt. ibid.n.13
Decreti Concilij de clausura potiùs mens quàm verba sunt attendenda. p.199.n.4
Decreta Generalis Concilij ob eorum grauitatem, & præsertim Tridentini, non censentur derogata, nisi habita in bullis Pontificum speciali derogatione. p.228.n.2.
Decretum latum Romæ ex commissione Papæ ad alias Prouincias non extenditur. p.276.n.24
Decreta S. Congregationis Concilij authoritate edita super celebratione Missarum, in Bulla Vrbani VIII. p.324. & seqq.
Decretum Congregationis Concilij Sanctissimi D.N. Vrbani Papæ VIII. iussu editum, de rebus Regularium non alienandis, in Bulla Vrbani VIII. p.326. & seq.

# & Verborum Notabilium.


Decretum Saetæ Congregationis supremæ & Vniuersalis Inquisitionis in tota Republica Christiana à Sancta Sede contra hæreticam prauitatem specialiter deputatæ, in Bulla Innocentij X. p.327

*Deducens* aliquem per insidias, vt ab alio occidatur, gaudet immunitate, licet deductus ab alio sit occisus. p.58.n.1

Deducens aliquem vt occidatur, licet propriè proditoriè occidat, non tamen id physicè agit, sed tantum moraliter. ibid.n.2

*Delegatus* non incurrit censuras si consensum, decretum, vel auctoritatem præstiterit alienationi, quæ non sit in detrimentum Ecclesiæ; sed æqualis conditionis, etiamsi faciat contra concessionem Pontificis obtentam sub conditione euidentis vtilitatis. p.182.n.3.

Delegatus, si præstito consensu, vel interposito decreto alienatio non sequatur, nullam incurrit censuram, etiamsi ea secuta eam incurrisset. ibid.n.4

Delegati iurisdictio non cessat ob excommunicationem delegantis, si causa integra non sit, sed cœpta. p.204.n.15.

Delegati Iurisdictio ob mortem delegantis statim exspirat quoad negotia cœpta. ibid.n.10

*Delictum* in loco sacro commissum, ratione loci sacri, in quo est commissum, sortitur naturam mixti fori, & datur locus præuentioni. p.128.n.2

Ex frequenti deambulatione circa locum sactum mediatè, & immediatè post delictum, insidiæ, & speculatores ibi positi, & similia faciunt præsumere delictum patratum sub spe immunitatis. p.51.n.7

Diuersa sunt ex circumstantiis delictum effici leuius, vt pœna temperari debeat, & delictum ex vna in aliam speciem transire, vel vnam qualitatem amittere. p.48.n.8.

Delicti excusatio quoad pœnam, speciem delicti quoad immunitatem, vel quoad forum, vel quoad aliud non mutat. ibid.n.7

an qui aliquod Delictum graue, licet non exceptum committit in Ecclesia, gaudeat immunitate? sunt Auctores grauissimi pro vtraque sententia. p.45.n.7

Delictum læsæ Maiestatis ad hoc vt reorum filios infamia afficiat debet esse notorium per sententiam; cum sine ea non videatur satis probatum. p.68.n.19

Delictum commissum esse exceptum, est conditio necessariò requisita ad hoc vt delinquens immunitate priuetur. p.121.n.12

Delictum quando non excipitur, neque persona quoad illud excipi debet. p.65.n.5

Delictum commissum in Ecclesia si est Ecclesiasticum, vel à Clerico commissum, solum à Iudice Ecclesiastico potest puniri, quia in tali casu est extra iurisdictionem Iudicis secularis; si vero delictum est seculare, & à laicis commissum, datur locus præuentioni. p.53.n.3.&4

Delictum vnum sortitur vtrumque forum, & ratione personæ, & ratione loci commissi delicti. ibid.n.5

Delictum quousque pœna purgatum non est, idem quoad omnes effectus reputatur, & ex fuga non fit leuius, sed potius augetur. p.27.n.7

Delictum & defectus non præsumitur, nisi demonstretur. p.142.n.13

In atrocissimis delictis punitur affectus, & conatus etiam non secuto effectu; at non procedit quoad pœnam priuationis immunitatis. p.63.n.6

Delicta leuiora sæpe magis puniuntur quam grauiora, quia frequentiùs illa accidunt, vel ex aliqua alia causa, quæ mentem Legislatoris mouit. p.70.n.9

*Delinquens* vt incurrat pœnam iuris positiui ex delicto, non sufficit vt cognoscat, & aduertat actu opus esse peccaminosum, nec sufficit vt præterea cognoscat, & aduertat actu esse illud prohibitum à iure positiuo, nisi cognoscat sub tali pœna esse prohibitum. p.262.n.16

Delinquens in Ecclesia ratione loci commissi delicti est puniendus à iudice Ecclesiastico, vel consulto prius Romano Pontifice potest tradi Curiæ seculari, si delictum sit atrocissimum. p.45.n.10

non quilibet Delinquens contra Ecclesiam, nisi mutilando, vel occidendo in illa, immunitate priuatur. p.80.n.4.

Delinquens in crimine excepto non priuatur immunitate quoad crimina non excepta, siue ante, siue post commissa. p.86.n.1

Delinquens prope Ecclesiam censetur sub spe immunitatis delinquere, & ei incumbit onus probandi contrarium. p.51.n.6

Delinquens in loco sacro spectato eius delicto indignus est immunitate, secus spectata Ecclesiæ sanctitate. ibid.n.8

Delinquens si aufugiat, & citatus non compareat, pariter vterque Iudex potest procedere; sed tunc non datur præuentio, cum possessionem Delinquentis requirat. p.53.n.6

Delinquens in Ecclesia in dubio semper præsumitur delinquere sub spe immunitatis. p.49.n.12

Delinquens in Ecclesia defendi non debet ab ipsa, donec probauerit, se casu & fortuitò, & non ex proposito deliquisse. ibid.n.13

Delinquens in Ecclesia indignus est immunitate Ecclesiæ. p.44.n.2

Delinquens indignus est vt ab Ecclesia recipiatur spectato delicto, & persona; secus est spectata Ecclesiæ pietate. p.87.n.4

*Deponens* in Monasterio notabilem quantitatem pecuniarum, si sit benemeritus Monasterij, iustam causam habet ingrediendi, si ad illam deponendam non esset alius locus tutus, & sic exigeret charitas. p.245.n.3

*Depopulator* nocturnus Agrorum gaudet immunitate. p.42.n.1.

Depopulator agrorum pluribus per insidias exitium excogitat. p.43.n.2

Depopulator agrorum Rempublicam, eiusque quietem, & pacem grauiter perturbat. ibid.n.3

Depopulator agrorum de iure Cæsareo plectitur pœna vltimi supplicij, licet sæpe sola pœna triremis, vel fustigationis puniatur, parte satisfacta. ibid.n.4

Depopulator agrorum nocturnus est qui nocte agrorum segetes, vel vinearum fructus destruit, ibi se abscondendo, vel alia via eos deuastando. ibid.n.5

Diurnus depopulator agrorum inspecto cap. inter alia, de immunitate, non priuatur immunitatis priuilegio. p.43.n.1.

Diurnus depopulator attenta Constitutione Gregoriana indefinitè loquente non gaudet immunitate in sententia aliquorum Doctorum. ibid.n.2

*Deportatus*, vel exul, si à loco deportationis vel exilij ad Ecclesiam confugiat, gaudet immunitate. p.27.n.2

*Deputatus* ad officium dandi huiusmodi licentiam, licet sit delegatus, vtitur eadem facultate, secus si sit facultas commissa ad peculiares Confessarios, vt ad Ordinarios Monialium, & is non sit ex iis. p.235.n.3

*Deus*, & Ecclesia delicta abhorrent, sunt tamen delinquentium misericordia & refugium. p.3.n.16

Dictio taxatiua *tantum*, est apposita in constitutione Gregoriana ad excludendos omnes alios casus præter expressos. p.59.n.3

Dictio, *quoquo modo*, est generalis, omnia comprehendens. p.65.n.13

Dictio taxatiua *tantum*, de sui natura impedit extensionem ad non expressa. p.72.n.2

Dictio copulatiua *filiis & heredibus*, denotat rationem concedendi filiis emphyteusim non esse solum, quia filij sunt, sed etiam quia hæredes. p.163.n.8

Dictio illa *filiis*, *& heredibus*, non limitat significatum filij, sed potius auget significationem illius. ibid.n.10

Dictio illa *omnino*, indistinctè prolata, omnes annos videtur comprehendere. p.187.n.3
Dictio taxatiua ad mentem nonnullorum Doctorum non excludit probabiliter casus similes, in quibus eadem, vel vrgentior ratio militat. p.207.n.11
Dictione &, posita inter duo, quorum vnum ineſt alteri, ambo resoluuntur in vnum. p.275.n.7
*Differentia* quæ intercedit inter excommunicationem latam contra delegatum præstantem decretum in detrimentum Ecclesiæ, & procurantes dictum legatum, hæc est, quod illa non afficit nisi Ecclesiasticos, ista verò & Ecclesiasticos, & laïcos, qui modo supradicto procurauerint. p.183.n.5
*Digiti*, dentes, & huiusmodi multa non sunt membrum, sed potius partes membri.
Vide in verbo *Mutilatio*.
*Dignitatum* nomine, administrationum, & officiorum intelligitur etiam officium Visitatoris, Commissarij Generalis, & Vicarij Monachorum, vel Monialium; non autem officium Diffinitoris, vel Discreti in Religione Capucinorum. p.224.n.2
*Dispensatio* cessat cessante omnino causa dispensationis. p.266.n.3.
*Dispositio* Can. de Raptoribus 36. q.1. specialis est in raptu Virginis, propter atrocitatem talis delicti: sed non est vsu recepta. p.96.n.6
Dispositio ex primario fine attendenda est. pag. 109. num.22.
Quando in vno casu sit specialis dispositio, in aliis casibus in contrarium attendendum est ius commune. p.172.n.41.
Dispositio loquens de scientia non comprehendit ignorantiam affectatam ex proprietate sermonis, sed ex quadam extensione, & in materia pœnali non debet fieri extensio de casu ad casum, etiamsi ex larga significatione vocabuli posset ille casus comprehendi.
Vide in verbo *Ignorantia*.
*Dominus* recusans dare maiorem securitatem pro serui immunitate, compellitur ad eum vendendum, quia tunc non debet Domino tradi. p.34.n.5
*Domus* Monasteriis contiguæ non comprehenduntur intra clausuram, intra quas Conuersæ professæ eleemosynis colligendis destinatæ morari debent. p.198.n.8.
Domus, & Monasteria pro eodem vsurpantur in motu Pij V. qui incipit, *Circa Pastoralis*. ibid.n.6
Domus, horti, & prædia separata, seu seiuncta, quæ intra clausuram Monasterij non sunt, non veniunt nomine Monasterij. p.281.n.2
*Donans*, vel legans Ecclesiæ, licet conditionem apposuerit, vt res ab ipso relicta alienari non possit, adhuc non censetur alienari prohibita in casu necessitatis. p.145.n.20
Donans supra quingentos aureos voluntatem habet donandi quod est permissum, non sic locans vltra triennium. p.188.n.3
*Donatio* causa mortis sapit naturam vltimæ voluntatis, & sic æquiparatur successioni ex testamento. p.68. num.17.
Donatio, vel legatum sub modo habet esse suum substantiale absolutum, independenter quodammodo à modo, seu grauamine accessorio. p.145.n.6
Donatio Ecclesiæ facta sub modo, eo non seruato, neque reuocari potest, nisi id ipsum in donatione fuerit expressum; quia in dubio præsumitur facta propter Deum, & in remedium peccatorum. ibid. num.13.
Donatio sine insinuatione facta vltra quingentos aureos, licet sit vnica donatio, solum in excessu vitiatur, & firma remanet quoad quingentos aureos à iure sine insinuatione donari permissos. p.188.n.2
*Dubium* si insurgat in lege Canonica, interpretatio petenda est à lege ciuili. p.15.n.31
*Duellantes* sunt excommunicati, & priuantur sepultura Ecclesiastica, non tamen priuantur immunitate. p.57.n.2.

E

*Ecclesia* gaudens immunitate non fit spelunca latronum, quia ibi delinquentes non defendit. p.2. num.9.
Ecclesia gaudens immunitate non fouet delicta, sed concedit misericordiam delinquentibus. ibid.n.10
Ecclesia non debet dare occasionem delinquendi, neque ab ipsa datur talis occasio, quandoquidem immunitatem concedit ob iustam causam. ibid.n.14
Ecclesia non intendit fauere delinquentibus, sed misericordiam præstare miseris, & casu deliquentibus. p.8.n.2.
Ecclesiæ semper sunt à iurisdictione Principis secularis exemptæ, & Pontificis iuribus subiectæ. p.4.n.4
Ecclesiæ nomine venit quilibet locus auctoritate Episcopi erectus, etiamsi actu consecratus vel benedictus non sit, sed ad publicum sacrificij & Sacramentorum vsum deputatus. p.9.n.1
Ecclesia, in qua diuina Mysteria celebrantur, licet non consecrata, nullo iure priuilegia immunitatis amittit. ibid.n.2
Ecclesia eo ipso, quod auctoritate Episcopi construi cœpit, dicitur locus diuinis obsequiis dicatus, & gaudet priuilegio immunitatis, si successiuè, & continuò construatur. ibid.sect.2.n.1
Ecclesia si construi desistat non gaudet immunitate Ecclesiastica, quia tunc potius est locus desertus, quàm domus orationis. Sed hæc opinio non arridet. ibid.n.2.
Ecclesia polluta gaudet priuilegio immunitatis, quia ratione pollutionis non desistit eius sanctitas. p.10. num.1.
Ecclesia vt priuetur immunitate ob pollutionem non requiritur in iure expressum, & pollutio non priuat ipsam suo priuilegio. ibid.n.2
Ecclesia vt gaudeat immunitate in sententia nonnullorum Doctorum requiritur, vt ibi Sanctissima Eucharistia conseruetur. p.10.n.5
Ratio cur Ecclesiæ concedatur immunitas, non est quia ibi seruatur sanctissima Eucharistia, sed quia locus ad publicè sacra celebranda Episcopi auctoritate sit destinatus. ibid.n.7
Ecclesia vt immunitate gaudeat in sententia nonnullorum oportet, vt in ea diuina officia celebrari cœperint. ibid.n.8
Ecclesia eo ipso, quod constructa est Episcopi auctoritate, & ad sacra facienda determinata, fit quod sit locus sacer, Religiosus & diuinis obsequiis dicatus, licet ibi diuina non celebrentur. ibid.n.9
Ecclesia non consecrata, nec benedicta, & in qua non asseruatur sanctissima Eucharistia, sed solum auctoritate Episcopi destinata publicè ad diuina officia, si polluatur, indiget reconciliatione. ibid.n.11
Ecclesiæ appellatione non venit pars parietis exterior, quæ viam publicam spectat, & reus tangens dictum parietem, non dicitur esse in Ecclesia. pag. 14. num.14.
Ecclesia interdicta gaudet priuilegio immunitatis. p.10. sect.4.n.1.
Ecclesia non perdit esse sacrum per interdictum. ibid. num.3.
Ecclesia interdicta, quod solum gaudeat priuilegio immunitatis quoad peregrinos, non autem quoad homines de populo, qui causam dederunt interdicto, limitatur ab aliquibus. ibid.n.4

# & Verborum Notabilium.


Ecclesia, si per accidens in ipsa non possit celebrari, dummodo per se possit, gaudet immunitate. ibid.n.5
Ecclesia non solum quoad ambitum internum, sed etiam quoad totam fabricam gaudet immunitate. p.11.n.1.
Ecclesia non polluitur per sanguinis vel seminis effusionem factam in dictis locis. ibid.n.3
Ecclesiæ & domus appellatione, venit ostium. ibid.n.8
Ecclesia, sicut & quælibet alia domus, non solum ex solo, sed etiam ex tecto, eiusque superficie constat. ibid.n.10.
Ecclesia etiam diruta gaudet immunitate, quia saltem ratione soli, in quo posita erat, non desinit eius sanctitas. p.10.sect.5.n.1
Limita si non sit diruta de licentia Episcopi cum spe reædificationis. ibid.n.2
Ecclesia diruta de licentia superioris, perdit omnia priuilegia. ibid.n.3
Ecclesia gaudet priuilegio immunitatis etiam quoad confines. p.13.n.1
Ecclesia Cathedralis, seu maior gaudet per 40. passus per circuitum, minor autem per 30. ibid.n.2
Ecclesia ad exemplum Dei, non est acceptatrix personarum. p.22.n.2
Ecclesia non perdit priuilegium immunitatis. ibid.n.3
Ecclesia interdicta non caret priuilegio immunitatis. p.22.n.5.
Ecclesia defendendo indignum tantò maiorem pietatem ostendit; quia non tantùm attendit ad censuram incursam, quàm ad delinquentis fragilitatem, & loci sanctitatem. ibid.n.6
par non est vt ab Ecclesia defendatur is, qui eius gremio, tutelæ, ac fidei se committere prorsus non vult. p.25.n.20.
Ecclesia de his, qui foris sunt, non curat. ibid.n.22
Par est quod Ecclesia tueatur eos, qui ipsi inseruire volunt. ibid.n.26
Ecclesia non curat de his, qui foris sunt, si exerceat iurisdictionem, secus si concedat priuilegia, quæ etiam non subditis conferri possunt. p.26.n.30
Ecclesia reddit delinquentem securum à pœna non solum infligenda, sed etiam inflicta. p.29.n.4
Exempta Ecclesia, licet personæ omnes ad eam pertinentes exemptæ censeantur, non tamen id etiam ad Curatum, seu Parochum extenditur. p.33.n.8
Ecclesia est domus Clericorum, at in domo propria non decet quempiam capi, & vinculis alligari, secus à superiore domus. ibid.n.15
Ecclesia approbat Leges Ciuiles, quæ Ecclesiarum immunitati à se statutæ non præiudicant. p.36.n.4
Ecclesia solum delinquentibus immunitatem concedit explicitè, implicitè autem eam concedit etiam debitoribus. p.37.n.1
Ecclesia est de Territorio Episcopi, & extra Territorium ius dicenti, etiam à subditis non paretur. p.47. num.9.
Ecclesia non sit spelunca latronum, quia ibi delinquentes corrigi, & puniri possunt à Iudice Ecclesiæ. p.51.n.9.
Ecclesia non dat occasionem delinquendi, sed rei eam accipiunt ab ipsa; quandoquidem non est Ecclesiæ imputandus abusus illuc confugientium. ibid.n.10
Ecclesia nemini dat occasionem delinquendi concedendo immunitatem ex misericordia, sed delinquentes eam per se accipiunt. p.76.n.23
Qui delinquit aduersus Ecclesiam sponsam immunitate priuatur: ergo multò magis immunitate priuabitur qui delinquit aduersus Christum Iesum sponsum, & Caput Ecclesiæ. p.80.n.3
Qui violat Ecclesiam eius fores frangendo, vel comburendo, peccat non solùm in Ecclesia, sed etiam contra Ecclesiam; at non valet argumentum à maioritate rationis, vt suprà dictum est. p.81.n.7
Qui simpliciter violat Ecclesiam, est indignus vt ab illa defendatur, & sic eius immunitate gaudet, si attendatur eius delictum, secus si attendatur Ecclesiæ pietas. p.83.n.9.
Ecclesia cum diligat inimicos, ac se persequentibus benefaciat, occisores amplectitur. p.86.n.8
Ecclesia ius propriæ immunitatis illæsum curat, non rei vtilitatem, nisi quatenus sacris adhæret; quo semel discedente ius coniunctionis cessat, separataque de reo ratio habetur. p.89.n.6
Ecclesia non fauet reis vt reis, sed quatenus ad eam tanquam ad asylum confugiunt, ne ipsa violetur. ibid.n.9.
Ecclesia nunquam id sibi ad fauorem reputat, quod renuentibus canonibus fit, quia fauorum per iniuriam captatrix non est. ibid.n.10
Ecclesia respuit rescripta fauorabilia contra ius impetrata. ibid.n.11
Ecclesia dum causa examinatur habet pro se regulam, quod quilibet cuiuscumque conditionis ad ipsam confugiat, & sit in ipsa tutus. p.91.n.7
Ecclesia debet conseruari in sua possessione, cum ibi reus reperiatur, donec de veritate constiterit. ibid. num.8.
Ecclesia resistere potest ostia claudendo, & quælibet alia media extrema ad impediendam vim apponendo, sine armis tamen. p.97.n.4
Ecclesia est locus exemptus à Iurisdictione Iudicis secuiaris quoad actum extrahendi reum ab ipsa extra casus exceptos, & propterea extractio, & sic omnia subsequentia sunt nulla. p.101.n.2
Ecclesia violatur, si Iudex existens extra illam, emisso iaculo occidat reum in ea manentem. p.108.n.2
Ecclesia videtur in tantum posse reum defendere, in quantum gaudet immunitate, qua si non gaudeat, non est cur ipsum defendat. p.116.n.9
Ecclesia non est locus exemptus à iurisdictione laicali in casibus exceptis, qui eius immunitatem non concernunt; sed solum in casibus non exceptis. ibid.n.10
Ecclesia ius habet defendendi reum in casibus non exceptis, & reus ius habet ne in talibus casibus à loco sacro extrahatur, & ob id Prælatus non cognoscendo exactè, iniuriam Ecclesiæ, & reo faceret. p.121. num.4.
Ecclesia læsa restituitur in integrum intra quadriennium. p.146.n.29
Ecclesia, cui legatum, vel hæreditas est dalata, habet ius, & actionem ad illam ex dispositione testatoris. p.147.n.3.
Fauore Ecclesiæ talia relicta ipso iure transeunt in Ecclesiam, etiam absque traditione. ibid.n.4
Ecclesia, cui legatum, vel hæreditas est delata, non habet ius absolutum ad illa; sed sub tacita conditione, si scilicet legatario placuerit. ibid.n.19
Fauore Ecclesiæ relicta ipso iure, etiam absque traditione transeunt in Ecclesiam, non absolutè, sed reuocabiliter. ibid.n.20
Ecclesia læsa negligentia, vel facultate Prælati, non solum damno accepto, sed etiam lucro amisso, potest petere beneficium restitutionis in integrum, quia ei competit tale priuilegium. ibid.n.23
Ecclesia potest etiam agere contra Prælatum, quia ex officio tenebatur rem Ecclesiæ agere, eiusque vtilitati consulere. p.148.n.25
Ad licitam rerum Ecclesiæ alienationem requiritur semper causa legitima, hoc est euidens Ecclesiæ necessitas, aut vtilitas. p.150.n.1
Ecclesiæ necessitate, aut vtilitate cessante requiritur ad alienandum quod saltem id exigat pietas, scilicet ad propagandam fidem, ad redimendos captiuos, & huiusmodi alia. p.150.n.4

Ecclesia non præsumitur velle alienationem inualidam esse ob causam non legitimam, si legitima putabatur bona fide. p.151.n.14
Ecclesia etiam ex se decepta ob bonam fidem in sententia nonnullorum gaudet beneficio restitutionis in integrum; sed contrarium est multò probabilius. ibid.n.16.
Ecclesia volens gaudere beneficio restitutionis in integrum, debet probare inualiditatem actus. ibid. num.19.
redditibus Ecclesiæ sufficientibus debitorum extinctioni, vel Pauperum necessitati, &c. etiam applicatis in ministrorum sustentationem, non dicitur adesse causa necessaria alienandi. ibid.n.22
Rerum Ecclesiæ alienatio, vt licita sit, præter legitimam causam ad illas alienandas, requiruntur aliæ iuris solennitates; sed non pro alienatione rerum mobilium, quæ seruando seruari non possunt.p.151. num.1.
Rerum Ecclesiæ administrator potest mobilia, quæ seruando seruari non possunt, sine solennitatibus iuris alienare, si sic Ecclesiæ, vel piis operibus expedire iudicauerit. p.152.n.2
Ecclesia Parochialis si plures beneficiatos non habeat solus Rector de consensu Episcopi potest alienare. ibid.n.4.
Ecclesia, quæ sit incapax possidendi, reiecta conditione retinendi per dispositionem apposita, tanquam turpi, potest rem relictam alienare. pag. 156. num.6.
Qui relinquit Ecclesiæ incapaci retinendi, ea conditione, vt retineat, manifestè contradicit iuris dispositioni, & ad id talis conditio tanquam turpis est reiicienda. ibid.n.7
Is, qui relinquit Ecclesiæ ea conditione, vt alienare possit quandocumque voluerit, non contradicit iuri Ecclesiæ, quia Ecclesia non impeditur in omni casu rem suam alienare. ibid.n.8
Ecclesia prohibita per disponentem alienare bona sibi relicta, adhuc potest alienare si non habeat quomodo possit vtilitati, necessitati, vel pietati prouidere. p.156.n.1.
Ecclesia prohibita per disponentem alienare, si habeat quomodo possit prædictis prouidere, debet conditionem seruare. ibid.n.2
Vnio Ecclesiarum fieri non potest sine iuris solennitatibus, quia hæc est quædam alienatio, exceptis tamen casibus Tridentini Concilij, inter quos vnus est ille, si vnio Ecclesiæ fiat loco Regulari. pag.158. num.7.
Ex fructibus Ecclesiæ Parochialis non possunt erigi Canonicatus, quando maior numerus sacerdotum non est necessarius ad sacramentorum administrationem. ibid.n.9
Incorporata dicitur res Ecclesiæ, si is ad quem administratio spectat, decernat eam non alienare; quod præsumitur si finita emphyteusi per annum integrum à renouatione abstinuerit. p.162.n.13
Ecclesiæ Res semel cum solennitate iuris alienata, est semper sine solennitate iuris alienabilis, interuenientibus tribus dictis conditionibus. ibid.n.14
Ecclesia, Oratorium, vel quid simile ad perpetuum vsum Ecclesiasticum, vel in pio loco fundatum, seu erectum auctoritate Episcopi, non possunt alienari nisi iuris solennitatibus seruatis. Secus si Oratorium sit in domo priuata. p.163.n.1
Ecclesia potest duplici capite petere restitutionem rei alienatæ, primò si sine legitima & iusta causa. Secundo si cum enormi læsione alienauerit etiam seruatis iuris solennitatibus. p.166.n.3
Ecclesia non tenetur pretium restituere, si contractus initus sit mala fide; quia tunc ob pœnam delicti commissi emptor pretio priuatur in Ecclesiæ vtilitatem. p.168.n.3
Ecclesiæ datur optio an velit stare contractui celebrato nec-ne? debet tamen supplere defectus, qui intercesserunt. p.167.n.11
Ecclesia nolens stare contractui, potest non solum ipsa, sed Capitulum & Prælatus illius rem à se malè alienatam repetere. ibid.n.12
Ecclesia tenetur pretium restituere si pretium retineat, vel locupletior ex contractu facta sit. p.168.n.5
Qui inuentus est super tegulas Ecclesiæ, habetur ac si inuentus esset in ipsa Ecclesia, ac proinde gaudet immunitate. p.198.n.5
Ecclesia cum non iudicet de occultis, non punit interno affectu delinquentes. p.162.n.10
Ecclesiasticus, & laicus, cum duo sint directè contraria, mutuò se emittunt, ita vt admisso vno emittatur alterum. p.31.n.18
Ecclesiastici debent, etiam Regulares, contra Ministros iustitiæ secularis reum defendere, ianuas claudendo, eum abscondendo, & etiam extrahendo ex manibus eorum, si opus fuerit, & censuras iuris contra eosdem intimando. p.112.n.5
*Edictum* Gubernatoris Status Mediolanensis super obseruatione festiuitatis S.Dominici in dicto Statu nullum declaratur in Bulla Innocentij X. pag. 327. & seq.
*Effectus*, seu finis extrinsecus non est regulariter materia legis, seu præcepti, & non cadit sub præceptum. p.176.n.27.
*Egressus* nocturnus, & furtiuus è Monasterio intelligitur coniunctiue; ita vt non sufficiat illum esse solum nocturnum, vel solum furtiuum, sed requiritur vtrumque simul. p.283.n.18
Egressus non sufficit quod sit in crepusculis, stante expressione (nocturnum.) ibid.n.19
*Electio* Consiliarij ad triennium facta, neque valet ad annum, si statutum sit quod vltra annum fieri non possit. p.187.n.7
Electiones de Iudicibus Conseruatoribus hactenus factæ reuocantur, & noua de eis eorumque electionibus in posterum faciendis dispositio datur in Bulla 9. Gregorij XV. p.312.& seqq.
Electiones Iudicum Conseruatorum in Curiis Ordinariorum factæ in actis exhiberi debent. p.313.§.7
de *Eleemosynis* pro monialium sustentatione colligendis aliqua præscribuntur. p.291.§.5
Eleemosynæ quomodo sint monialibus seruantibus clausuram præstandæ, declaratur in Bulla 8. Gregorij XIII. p.297.& seqq.
*Emphyteusim* renouandi sufficiens causa est remuneratio obsequij in ea facti; quia sic in vtilitatem Ecclesiæ excitantur alij ad meliorationes faciendas. p.162.n.10
Emphyteusis concessio, si facta sit tibi, tuisque filiis, absque eo quod addatur hæredibus, competit filiis, licet patris hæreditatem renunciauerint; quia talis emphyteusis non est hæreditaria, sed ex pacto; secus dicas de feudo, si in eadem forma relictum sit. p.163.n.11.
Emphyteusis concessio si facta sit tibi, nulla facta mentione hæredum, vel successorum, emphyteusis hæreditaria non est, ac proinde ad filios non hæredes pertinere potest. p.163.n.13
Emphyteusis concessa ad tres generationes valida est quoad tertiam permissam, inualida quoad reliquas. p.188.n.4.
Emphyteusi data alicui, eiusque duobus successoribus, cum pacto, quod illis deficientibus tertius obuenturus sit in emphyteusim, & omnibus aliis præferendus, deciditur Dominus emphyteusis obligatus non esse duobus hæredibus cessantibus cæteris tradere. ibid.n.5

# & Verborum Notabilium.


Emphyteuta incidit in caducitatem à die, qua proprietarius declarat se velle caducitatem incursam esse. p.157.n.11.

Emphyteuta quando vendidit rem cum pacto de retrouendendo debetur laudemium. p.174.n.24

Emphyteuta non cadit in commissum, si triennio non soluit pensionem annexam rei, quæ tantum triennio, vel biennio fructificat. p.186.n.3

Emptor eximitur ab onere probationis si præmisso tractatu, aliisque solennitatibus à iure requisitis pretium soluerit. p.151.n.21

Episcopus in Oratoriis priuatis non habet ius visitandi, nec exigendi procurationem. p.16.n.4

Episcopus habet ius visitandi, & procurationem exigendi, & ipsius iurisdictioni subsunt Oratoria eius auctoritate erecta. ibid.n.6

Episcopus, aliusve Prælatus, qui extrahit, vel extrahi mandat, si id faciat quatenus vtitur potestate Ecclesiastica, secus si provt vtitur potestate laïca, &c. p.106.n.8

Postquam Episcopus id cognouit, &c. debet reum consignare Curiæ seculari. p.104.n.21

Episcopus indebitè concedens licentiam in casibus non exceptis reum extrahendi ab Ecclesia, probabiliter non incidit in censuras, & pœnas Bullæ Gregorianæ. p.113.n.14

Episcopus propria auctoritate potest extrahere Clericum sibi subditum ab Ecclesia viciniori Prælati nullius Diœcesis, sine licentia Prælati illius Ecclesiæ. p.114.n.8

Nomine Episcopi hic intelligitur verus Episcopus vel eius Officialis, seu Vicarius generalis. ibid.n.10

Si duo Episcopi sint vicini, licentia extrahendi reum, qui se recepit in locum exemptum, & nullius Diœcesis, petenda est ab Episcopo viciniori quoad habitationem, modò iste vicinam etiam Diœcesim habeat. ibid.n.11

Episcopus, vel Vicarius renuens indebitè concedere licentiam extrahendi Reum, non incurrit excommunicationem Constitutionis Gregorianæ. ibid. num.14.

Episcopus non potest denegare licentiam Regularibus prædicandi in suis Ecclesiis, & tamen illam ab eo petere debent; & ex Tridentino sufficit petita, & non obtenta. p.116.n.10

Episcopus non solum potest compellere laïcos ad obseruandas consuetudines Ecclesiæ laudabiles, sed etiam potest, exorto dubio, num consuetudo laudabilis sit, idipsum determinare. p.119.n.15

Episcopus potest examinare vires iuramenti à se præstiti de obseruandis capitulis in sua electione, quousque illud extendere se debeat. ibid.n.16

Episcopus electus & confirmatus, sed nondum consecratus potest cognoscere ea quæ diximus circa immunitatem, quia potest omnia, quæ sunt iurisdictionis. p.120.n.6

Episcopus electus, & confirmatus tantum, sed nondum consecratus potest absoluere ab omnibus censuris, & dispensare ab omnibus irregularitatibus, à quibus possunt cæteri Episcopi vigore Concilij. ibid.n.7.

Episcopus in casu nostro debet cognoscere concludenti probatione delictum esse exceptum, vel non exceptum. ibid.n.3

Episcopi iudicio remittitur quænam delicti probatio sufficiens sit; non tamen remittitur iudicio eiusdem derogare iuri, & perfectæ probationi delicti. p.121. num.1.

Episcopus in tali cognitione tenetur seruare ordinem iudiciarium, & omnes regulas iuris. ibid.n.2

Episcopus si errauerit in iudicando delictum esse exceptum, cum reuera non sit, tenetur repetere reum, & Iudex secularis restituere. ibid.n.4

Episcopus si processus delinquentis factus fuerit antequam de immunitate ageretur, potest stare processui iudicis laïci, non tamen tenetur. p.123.n.7

Episcopus pro informatione suæ conscientiæ non potest quid sufficienter habere, nisi habeat probationem veram, plenam, & concludentem. pag. 125. num.20.

Episcopus in omni casu dubio consulere debet Pontificem. p.127.n.2

Episcopus tradens indebitè reum Curiæ seculari præter peccatum mortale sacrilegij, & iniustitiæ, & sic damnorum obligationem, si reus morte puniatur, incidit etiam in irregularitatem. ibid.n.3

Episcopus, & Abbas à summo Pontifice creatus periuri sunt alienando bona Episcopatus, & Monasterij respectiuè, ad quæ non alienanda iuramento adstringuntur, inconsulto summo Pontifice. p.141.n.2

Episcopus si iurauit simpliciter non alienare bona suæ Ecclesiæ, dicitur quod intellexit solum de illicita alienatione. p.142.n.1

Episcopus si iurauit se non alienaturum bona suæ Ecclesiæ, inconsulto summo Pontifice, censetur intellexisse de alienatione licita, & iure concessa. ibid. num.2.

Episcopus, vel Abbas alienantes in casu posito res suæ Ecclesiæ, etiam in causis, quas iura concedunt, fiunt periuri, cum tale iuramentum sit de re licita. p.143.n.6.

Episcopus non debet præstare assensum alienationi, nisi præmissa prius huiusmodi informatione, & citatis his, quorum interest. p.150.n.10

Episcopus sine consensu Capituli potest alienare res modicas, vel parum vtiles Ecclesiæ, licet de non alienandis rebus Ecclesiæ iuramentum præstiterit. p.152.n.5.

Episcopi, & Abbates contrahunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ; in quo interdicto, si per sex menses perstiterint, suspenduntur à regimine, tam in temporalibus, quàm in spiritualibus. p.172.n.12

Alij Episcopis, & Abbatibus inferiores contrahunt ipso facto præter excommunicationem, etiam pœnam priuationis beneficiorum, & officiorum, & inhabilitatis ad eadem recipienda. ibid.n.14

Episcopus, Abbas, & Commendatarius in ordine ad bona suarum Ecclesiarum obstringuntur pariter iuramento de non alienando; ita vt si quis eorum per accidens non iuret, nihilominus in foro externo præsumitur iurasse, & punitur vt periurus. p.175. num.5.

Episcopus, Abbas, & Commendatarius, si non iurauerint per accidens, non sunt periuri in foro interno. ibid.n.7.

Episcopus in Monasteriis sibi subiectis auctoritate ordinaria, in exemptis auctoritate delegata debet attingere Moniales ad clausuram. p.200.n.1

Episcopi, & alij locorum Ordinarij non tenentur sub pœna peccati mortalis publicare quotannis decretum de clausura Monialium; sed sufficit si semel publicatum fuerit. p.201.n.12

ad Episcopos spectat in omnibus & quibuscumque Monialium Monasteriis dare licentiam egressus è clausura, & causam egressus approbare. ibid.n.1

ad Episcopos coniunctim cum superioribus Regularibus spectat dare licentiam egressus è clausura, & causam approbare. ibid.n.2

Episcopus potest sibi soli reseruare dare licentiam egrediendi è clausura, & potest etiam eam committere Vicario foraneo, & cuinam maluerit. p.203.n.2

Episcopus non prohibetur tribuere Vicario Generali maiorem facultatem, quàm is habeat de iure communi. p.204.n.5

Episcopus potest absoluere ab hæresi si sit occulta virtute Tridentini, quia in Bulla Cœnæ decreto Concilij non est derogatum secundum probabilem opinionem. p.228.n.3
Episcopus concedere potest licentiam ingrediendi clausuram Monasterij sibi subiecti auctoritate etiam delegata: idem etiam potest superior Regularis in Monasterio sibi subiecto. p.232.n.1
Episcopus non potest concedere licentiam ingrediendi clausuram Monasterij subiecti Regularibus. ibid. num.6.
Episcopus vbi est introducta consuetudo potest dare licentiam ingrediendi clausuram Monasterij subiecti Regularibus, & etiam licentiam eorum regiſtrare, seu approbare; secus tamen est præcisa consuetudine. ibid.n.7.
Episcopi dispensatio expectanda est, quando non potest sine moræ periculo pro ea summus Pontifex adiri. p.239.n.18
Episcopus potest fœminæ renuenti egredi de Monasterio constituere terminum ad eligendum egressum, vel ad suscipiendum habitum Religionis. pag. 246. num.5.
Episcopus non habet iustam causam ingrediendi clausuram ad confirmandam Monialem, nisi ea sit infirma, ita vt non possit ad crates accedere, & periculum sit in mora. p.249.n.1
Episcopus virtute Decreti Concilij Tridentini potest absoluere ingredientem septa Monasterij, & ibi cum Moniali incestum, seu potius sacrilegium committentem, si casus sit occultus: idem dic de aliis quatuor casibus reseruatis ex decreto Sac. Congregat. sub Clemente VIII. p.262.n.13
Episcopus potest absoluere à suspensione à diuinis quam incurrunt Religiosi admittentes fœminas illicitè in Monasteria virorum. p.287.n.1
*Eques* sancti Ioannis Hierosolymitani est vere Religiosus, & ob id pœnis prædictis afficitur. p.278.n.9
*Error* vnius non debet alteri præiudicare; præsertim reo & Ecclesiæ, pro quorum fauore clamant omnia iura. p.122.n.5
Comitantes sanctissimam *Eucharistiam* sunt tanquam Ecclesia animata. p.20.n.3
Comitantes Eucharistiam iustam causam non habent ingredi clausuram, cum statim Moniales cereis accensis eam comitentur satis decenter. p.243.n.17
Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis, & ideo exceptis in Constitutione Gregoriana aliquibus casibus nullus alius censetur exceptus à dicta immunitate. p.8.n.4
Exceptio firmat regulam in contrarium. p.22.n.4
Exceptio, quæ fit in cap.1. de homicidio, est odiosa, & est restringenda seruata verborum proprietate. p.59.n.2.
Exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis. ibid.n.7
Exceptio firmat regulam in contrarium quoad casus non exceptos. p.73.n.4
*Excommunicatio* contra ingredientem Monasteria monialium prætextu licentiarum non extenditur ad ingredientem sine prætextu illarum. p.76.n.17
Excommunicationi esse annexum effectum priuandi excommunicatos immunitate, non reperitur in iure. p.86.n.3.
Excommunicatio non contrahitur, si in iure non sit expressum. p.89.n.12
Excommunicatio lata contra confringentes & spoliantes Ecclesiam extenditur contra comburentes. p.109. num.20.
Excommunicatio lata in Canone si quis suadente, licet pœnam contineat, non pœnalis, sed fauorabilis est, atque ideo extendenda. ibid.n.24
Excommunicatio, & pœnæ dictæ extrauagantis non incurruntur; nisi etiam rei pacifica possessio habita sit; in quo casu tamen dictæ pœnæ incurrentur, etiamsi contractus sit factus saluo assensu Sedis Apostolciæ; & non aliter. p.132.n.44
Excommunicatio non est reseruata; quapropter ab illa possunt absoluere pro foro conscientiæ omnes Prælati suos subditos; quin & omnes Confessarij suos pœnitentes. p.170.n.9
In Tridentino reseruatur Excommunicatio, non in alienantes bona Ecclesiæ, sed in illa sibi vsurpantes, seu in proprium vsum conuertentes. ibid.n.11
Subiectum Excommunicationis est quicumque alienationem fieri procurauerit, vel alienationis decretum extorserit. p.183.n.4
ista tamen Excommunicatio non incurritur, nisi secuta alienatione. ibid.n.6
Subiectum huius Excommunicationis est generaliter quicumque vnam ex dictis actionibus præstiterit, siue laicus, siue Ecclesiasticus cuiuscumque dignitatis etiam Episcopalis, vel Cardinalitiæ, etiamsi per alium id præstiterit priuate, vel publice. ibid.n.10
Excommunicatio maior grauis pœna est, gladius spiritualis, ac neruus Ecclesiasticæ disciplinæ. pag. 188. num.4.
Excommunicatio, & pœnæ tam graues non imponuntur, nisi ob culpam grauem. p.126.n.3
Excommunicatio non dicitur reseruata, si ingrediens non habeat malum finem, sc. luxuriæ; secus tamen est malo fine non præciso. p.253.n.12
Excommunicatio Tridentini cadit super ingredientem absque superioris licentia citra causam rationabilem, & manifestam concessa. p.254.n.5
Excommunicatio lata contra Matrimonium contrahentes in Clement. vnic. de consanguin. & affin. contra solenne votum castitatis comprehendit tantum Moniales professas cuicumque nubentes, & eas in vxores accipientes, & Viros professos, vel in sacris constitutos matrimonium contrahentes, non autem fœminas seculares professo nubentes. p.256. num.3.
Excommunicatio in Motu Gregorij XII. lata contra facientes, vel permittentes ingredi virtute facultatum est Pontifici reseruata, sicuti est reseruata quæ in eodem motu fertur contra ingredientes virtute prædictarum facultatum. p.264.n.1
Absoluere quis possit à dicta Excommunicatione, & in pœnis dispensare. ibid.n.3
ab Excommunicatione contracta ob motum Gregorij XIII. vbi gratiæ, nemo absoluit nisi summus Pontifex, ipsius pœnitentiarij, & si casus sit occultus, Episcopus, vel Prælatus habens priuilegium absoluendi. p.272.n.4
Excommunicatio, quæ in tertio ingressu & sequentibus infertur, non est summo Pontifici reseruata, & ab ipsa potest absoluere quilibet approbatus Confessarius. p.271.n.9
Excommunicatio simpliciter prolata, intelligitur semper de maiori. p.275.n.5
Excommunicatio ferendæ sententiæ contra frequentantes Monasteria requirit præuiam monitionem; qua peracta si semel contraueniant, puniri possunt. ibid.n.8.
Excommunicatio lata in literis processus lectis in die Cœnæ Domini, anno 1656. quas personas feriat. p.328.& seqq.
Excommunicatus licet denunciatus, vel non toleratus gaudet Ecclesiastica immunitate. p.23.n.1
Excommunicatus licet sit exclusus ab Ecclesia formali, hoc est à fidelium Communione, non tamen est exclusus à materiali ob immunitatem. ibid. num.4.

Excommunicatus non defenditur ab Ecclesia ratione delicti, sed ratione priuilegij immunitatis Ecclesiæ ipsi competentis. ibid.n.5
Excommunicatus non potest sepeliri in Ecclesia, & tamen gaudet immunitate. p.84.n.9
Excommunicatus ob violationem clausuræ non potest absolui nisi à Summo Pontifice, & ex commissione ipsius id possunt etiam Romæ Pœnitentiarij; quamuis si sit occulta excommunicatio possit etiam Episcopus, contra nonnullos Doctores. pag. 228. num.1.
Excommunicatus vigore dicti Motus, &c. non potest absolui nisi à summo Pontifice. p.270.n.15
*Exempla* attentatorum adducuntur, hoc est dare mandatum, portas aperire, & huiusmodi; non item capiendi, vel extrahendi sola tractatio. pag. 107. num.2.
*Exemptorum* priuilegia circa animarum curam & Sacramentorum administrationem, Sanctimonialium monasteria, & prædicationem verbi Dei declarantur in Bulla 18. Gregorij XV. p.314.& seqq.
*Exhortatio* non importat præceptum. p.201.n.1
*Exitus* è Monasteriis non decernitur fuisse malus ante iuris humani prohibitionem; sed prohibetur ad præcauenda pericula contra castitatem. pag. 191. num.5.
Exitus non licet si possit occurri incendio, vel ruinæ minanti, vel hostium impetui, non egredientibus Monialibus è suis Monasteriis. p.205.n.6
*Expensarum* subministratio pro itineribus suscipiendis pro homicidio patrando, si homicidium fiat gratis non constituit assassinium. p.60.n.15
*Expressio*, & specialis locutio eorum quæ tacitè insunt, quando ad maiorem claritatem, & euidentiam fit non vitiatur, neque aliquid addit, licet dubietatem tollat. p.34.n.21
*Extractio* sola violenta in iure prohibetur. pag. 88. num.2.
In indebita rei extractione intercedit solum sacrilegij culpa primariò & per se, secundariò vero & consecutiuè obligatio restituendi. p.102.n.9
Extractio quia in Constitutione Gregoriana explicitè conceditur in casibus exceptis, implicite negatur in casibus non exceptis. p.112.n.3
*Extrahens* reum ab Ecclesia, si monitus desistere non vult, excommunicatur. p.1.n.2
Extrahentes reum ab Ecclesia ex constitutione Gregorij XIV. sunt ipso facto excommunicati. ibid. num.3.
Extrahens aliquem ab Ecclesia vi, dolo, vel fraude, eumque extractum mutilans, vel occidens, nec priuatur immunitate. p.52.n.1
Extrahentes Reum à manibus satellitum etiam cum vulneribus ipsorum gaudent Ecclesiæ immunitate. p.101.n.40.
Extrahens illegitimè, vel contra ita extractum, vlterius procedens tenetur ex iustitia compensare reo omnia damna quæ ex tali extractione ei contigerunt. p.102.n.7.
Extrahens illegitimè absolui non debet nisi prius restituerit Ecclesiæ extractum, & refecerit ei omnia damna, & interesse. ibid.n.8
Extrahens indebitè reum à loco sacro incurrit culpam sacrilegij grauissimam; quia in re grauissima facit contra sanctitatem Ecclesiæ, & infert iniuriam grauissimam Deo, cui Ecclesia dicata est. pag. 103. num.1.
Extrahens indebitè reum ab Ecclesia, vsurpat iurisdictionem Pontificis, de cuius licentia solum reus in Ecclesia existens extrahi inde potest. ibid.n.4
*Extraneus* offendens Principem licet non subsit ei ratione originis, vel domicilij, subest tamen saltem ratione delicti, ex quo videtur ex mente Cutelij committere crimen læsæ maiestatis. p.70.n.1
Extraneus offendens Principem non incurrit crimen læsæ maiestatis; & propterea immunitate non priuatur. p.69.n.44
Extraneus offendens Principem subest ei saltem ratione delicti concomitanter ad delictum; ita vt post delictum ei subsit, & ita priuatur immunitate; secus si antecedenter ad delictum non erat ei subditus. p.70.n.3.
Extraneus furans in Diœcesi Episcopi qui furtum prohibuit sub censura, censuram non incurrit si antecedenter ad delictum non erat subditus. ibid.n.4
*Exul* vel Bannitus, dummodo eius delictum non sit de exceptis, non priuatur immunitate. p.83.n.1

F

*Fabri* Cæmentarij, & similes necessarij monasterij ædificio constructo iustam ingessus causam habent. p.241.n.4
*Factum* in dubio non præsumitur, nisi demonstretur. p.77.n.11.
Factum tempore inhabili, sed relatum in tempus habile validum est saltem pro tempore habili, si iure illud non irritetur. p.132.n.46
Turpe est Factum proprium impugnare; secus est quando fit ob causam necessariam, provt est animæ salus, & Ecclesiæ, seu reipublicæ vtilitas. pag.167. num.13.
*Facultatis* iudicandi nomine venit statutum, lex & consuetudo. p.77.n.7
cui ligandi Facultas competit, soluendi etiam facultas competere consueuit. p.232.n.3
Facultas arbitrij alteri comissa exigit scripturam in concedenda licentia ingressus. p.240.n.6
*Familia* Episcopi laica gaudet priuilegio fori. pag.18. num.10.
Familia laica Episcopi titularis gaudet priuilegio fori. ibid.n.23.
*Famulæ* non possunt pro suo libito ingredi & egredi, sed tenentur quodammodo legibus Clausuræ Monialium. p.248.n.6
Famulæ ingredi non possunt in seruitium infirmarum, vel decrepitarum Monialium sine licentia Sedis Apostolicæ. ibid.
*Famuli* ad præstanda seruitia conuentui cogi possunt, & tales, qui ita se locauerunt, censentur vt famuli. p.29.n.14.
*Fauens* vel receptans offendentem Principem, vel Cardinalem per se & formaliter in fauorem criminis commissi in personam Principis & Cardinalis non gaudet immunitate, secus si per accidens & materialiter, puta ratione amicitiæ, aut consanguinitatis. p. 72.num.9.
quod *Fauore* alicuius introductum est, non debet in eius detrimentum retorqueri, si non desit solennitas, seu forma substantialis. p.167.n.14
quæ ad Fauorem sunt introducta non debent in odium retorqueri. p.173.n.7
per *Feudum*, & emphyteusim, seu locationem transfertur dominium vtile in feudatarium, emphyteutam, & conductorem. p.140.n.4
Feudum, vel emphyteusis si non concedatur de nouo, sed antiqua, & iam concessa renouetur, seruandæ non sunt iuris solennitates. p.161.n.1
Feudi renouatio, vel emphyteusis antiquæ non reputatur alienatio, sed prioris alienationis factæ continuatio. ibid.n.2
Feudum, vel emphyteusis, si de nouo concedatur seruandæ sunt iuris solennitates; quia tunc concessio feudi, vel emphyteusis, est vera dominij vtilis, &

cuiusdam Ecclesiasticæ seruitutis alienatio. ibid. num.4.
Positis iuris solennitatibus potest Feudum, vel Emphyteusis in perpetuum, etiam pro hæredibus extraneis concedi. ibid.n.5
vt renouatio Feudi, & emphyteusis non noua alienatio, sed prioris antiquæ alienationis, seu concessionis continuatio reputetur, tres conditiones requiruntur. ibid.n.7
Feudi, vel emphyteusis concessio si facta sit expresse in perpetuum, seu ad quoscumque hæredes, quos emphyteuta relinquere voluerit, censetur concessa in perpetuum, & transit ad hæredes non solum descendentes; sed etiam ascendentes, & extraneos. p.162.n.1.
Feudi, vel emphyteusis concessio si facta sit pro se, suisque hæredibus, non transcendit tertiam generationem, neque deuenit ad hæredes extraneos. ibid.n.3
Feudi vel emphyteusis concessio, si facta sit pro se suisque filiis, diuidenda est æqualiter inter filios, neque potest pater vni, cæteris omissis, assignare. ibid.n.4.
Feudi, vel emphyteusis concessio, si facta sit pro se, suisque filiis, & descendentibus, non transit ad extraneos, neque ad ascendentes, transit tamen ad filios quamuis hæredes non sint. p.163.n.6
Feudi, vel emphyteusis concessio si facta sit pro se, suisque filiis, & hæredibus, deuenit ad filios si hæredes sint. ibid.n.7
Feudum, licet hæreditarium non sit, nunquam potest ad filios patris hæreditatem repudiantes deuenire. p.163.n.12
Feudum, vel emphyteusis hæreditaria dicitur quando expressè in constitutione feudi, vel emphyteusis mentio fit hæredum: vt si dicatur, Tibi tuisque hæredibus. ibid.n.14
*Fidelem*, vel infidelem esse materialiter se habet ad crimen assassinij. p.61.n.2
*Filiæ* reorum læsæ maiestatis excluduntur ab eorum successione, licet non priuentur legitima in bonis paternis, quia filiæ ob sexus infirmitatem minus ausuræ creduntur, quam mares. p.167.n.9
Filiæ reorum læsæ maiestatis non priuantur sicut filij, successione aliorum consanguineorum & extraneorum. p.68.n.10
Filia moriens, habitum suscipiens, aut professionem emittens, maiori tristitia, & perturbatione præsenti afficitur. p.242.n.4
Filij hæreticorum secundum probabiliorem opinionem Doctorum succedunt ex testamento, & ab intestato ascendentibus consanguineis, & extraneis catholicis. p.67.n.6
Filij, & filiæ reorum læsæ maiestatis, priuantur modo, quo suprà dicebatur, donatione causa mortis. p.68. num.16.
Filij reorum læsæ maiestatis contrahunt pœnam infamiæ, dummodo delictum sit notorium, nec possit vlla tergiuersatione celari. ibid.n.18
Filij reorum læsæ maiestatis non possunt vt infames ascendere ad sacros ordines, & Ecclesiasticas dignitates. ibid.n.20
nomine filiorum veniunt Filij emancipati post delictum; quia præsumuntur in fraudem emancipati, secus si multo ante delicti conspirationem emancipati fuerint. ibid.n.21
Nomine filiorem veniunt etiam Filij naturales, & spurij, qui certo sint filij Parentis delinquentis, ne plus honoris detur luxuriæ, quàm castitati. ibid. num.22.
Nomine Filiorum ob tale delictum non veniunt Clerici; quia ratione dignitatis censentur exempti. ibid. num.24.
Filij committentis crimen læsæ Maiestatis humanæ æquiparantur filiis committentis crimen hæresis, & ita sicut pœnæ hæreticorum extenduntur ad Nepotes via masculina, ita etiam extendi debent in crimine læsæ maiestatis humanæ. ibid.n.29
Filij mulieris & non patris committentis crimen læsæ maiestatis humanæ non incurrunt pœnas supradictas. ibid.n.30
Filij possunt exhæredari ob causas non expressas etiam in Auth. vt cum, de appellat. cognosc. §. aliud quoque, si eæ sint similes, seu vrgentiores. pag. 207. num.13.
Finis tanquam mensura, & forma, ostendit quales sint censendæ res. p.137.n.9
*Fiscus* bonæ fidei Possessori, verbi gratia emptori, cui res alienata fuit post delictum commissum, si defunctus, cui fiscus succedit, ditior factus sit, tenetur pretium restituere. p.217.n.19
*Fœmina* secularis nubens Religioso professo non incurrit excommunicationem latam contra Moniales professas nubentes cuicumque, & contra ducentes illas in vxores, & contra professas matrimonium ineuntes. p.76.n.13
Fœmina etiam comprehenditur in canone, *si quis suadente diabolo.* p.266.n.2
Fœminæ minores septennio, &c. p.284.n.4
Fœminæ fundatrices, si in aliquibus ordinibus sit consuetudo eas admittendi, &c. ibid.n.6
Fœminæ valde illustres si in aliquibus locis sit consuetudo, quod admittantur. ibid.n.7
Fœminæ si consuetudo sit, quod sacristiam Ecclesiæ contiguam intra parietem claustri ingrediantur. ibid.n.8.
Fœmina licitè ingredi potest etiamsi nouerit à Prælato institui processionem ad hoc vt ipsa, & aliæ ingredi queant, quamuis fieri possit vt peccet ratione finis praui. ibid.n.16
Fœminæ quæ non tantum ratione professionis ingrediuntur, &c. sed ex peruerso fine, non incurrunt pœnas latas à Pontifice contra Bonacinam, etiamsi ibi exterius aliquod peccatum committant. p.285. num.23.
*Formæ* nihil addi, aut minui potest; sed seruari illa debet ad vnguem. p.73.n.9
ficuti *Forum* rei sitæ in ciuilibus; ita in criminalibus forum delicti foro originis, & domicilij potentius est. p.70.n.2.
Difficulter in foro externo admittitur excusatio. p.107. num.4.
Forum conscientiæ conuenit foro externo, cùm externum falsæ præsumptioni innititur. p.170.n.10
violat per *Fraudem* legem, qui in cortice seruat verba legis, si faciat contra mentem, & intentionem legis. p.164.n.3.
Fraudem facit, qui saluis verbis legis, mentem eius circumuenit. ibid.n.4
*Frequentia* si sit necessaria duo actus sufficiunt, quia ad inducendam consuetudinem duo actus sufficiunt. p.42.n.13.
Frequentia in criminibus duabus vicibus inducitur. p.275.n.11.
Frequentia quandonam inducitur relinquendum est arbitrio prudentis viri. ibid.n.12
Frequentia, vel etiam accessus ad monasteria ne sit prohibitus requiritur etiam præter rationabilem, & manifestam causam licentia superioris, vel tacita etiam. p.276.n.19.
*Fructus* Beneficij in sustentationem ministrorum applicati, si eorum congruæ sustentationi supersint, conuerti debent in Pauperum vtilitatem. pag.151. num.23.
Fructus Beneficiorum possunt vltra triennium simpliciter

citer locari, etiam vbi est recepta Extrauagans Ambitiosæ; modo ipsi fundi vltra triennium non locentur. p.174.n.1
Fructus non sunt quid Ecclesiæ, sed priuatorum. ibid. num.2.
Fructuum trina collectio est quæ conductorem inuitare potest ad rem Ecclesiasticam conducendam. p.186. num.2.
*Fugiens* à triremibus gaudet Indulto, si non fuerit illuc damnatus pro crimine excepto in ipso Indulto: ita dic si non fuerit illuc damnatus pro crimine excepto ab ipsa Ecclesia. p.28.n.2
Fugiens à Triremibus si non gaudeat immunitate ob crimen exceptum, propter quod illud est damnatus, non est puniendus de fuga, & antequam de Ecclesia extrahatur talis remissio per Episcopum est ei impetranda. p.29.n.3
Fugiens à Militia non est reus criminis læsæ Maiestatis in personam, sed solum in statum. p.38.n.7
*Fundamentum* Iudicij si iure non subsistat, omnia, quæ in eo fundantur, irrita sunt. p.101.n.5
*Fundatio* census vitalitij licet sit quædam emptio, est tamen emptio qualificata, quæ continet etiam alienationem per pactum quod ius acquisitum per emptionem transferatur post mortem. p.139.n.38
Fundatio census vitalitij eò tendit, vt Ecclesia remaneat priuata & pecunia, & censu. p.138.n.35
Fundatoris, vel patroni insignia non possunt auferri à capella. p.160.n.16
si *Fundus* legatus post mortem testatoris euincatur dato pretio, hoc pretium tanquam subrogatum in locum fundi, debetur legatario. p.137.n.7
Fundus dotalis, cum sit sub administratione mariti, & vxor agere prohibeatur, non præscribitur contra mulierem. p.146.n.31
*Fures* simplices receptum est in multis locis, quod immunitate Ecclesiastica non gaudeant. p.6.n.27
simplex Fur non priuatur Ecclesiastica immunitate, præsertim si furetur in loco non publico. pag.42. num.1.
simplex Fur licet nonnulli affirment, si tamen extet consuetudo in contrarium, gaudet immunitate. ibid. num.2.
Consuetudine introductum est aliquibus in locis quod Fures etiam simplices ad Ecclesiam confugientes à seculari Iudice extrahi inde possint, cum hoc crimen propter eius frequentiam Reipublicæ pernicioſum sit. p.74.n.7.
Fur qualiscumque ille sit, siue sacrilegus, siue non sacrilegus, rebus furto sublatis, vt possit spoliari recurrendum est ad Iudicem Ecclesiasticum. pag.80. num.9.
Fur sacrilegus subest Iurisdictioni Iudicis Ecclesiastici, cum sacrilegium sit mixti fori. ibid.n.10
Fur sacrilegus, & quicumque in Ecclesia delinquit capi potest à Ministris Ecclesiasticis, & datur locus præuentioni. ibid.n.11
Contra nocturnum furem vnusquisque est Iudex. p.77. num.11.
Furis receptio cum furto furtum censetur. p.79.n.9
*Furans* in Ecclesia etiam res sacras, & quicumque alius sacrilegus (licet crimen sacrilegij grauissimum sit) non priuatur immunitate. ibid.n.1
*Furtum* vnius argentei ratione paruitatis materiæ non est peccatum mortale, licet sit verum, & perfectum furtum, nec inducit censuras latas contra furantes. p.251.n.4.

G

*Generalis* cum Capitulo generali non potest ferre nouam legem, nisi sit ad trium votorum essentialium obseruationem necessaria, & cur. p.194.n.8
Generalis non potest præcipere Religiosis, quod eant ad instruendos Indos, vel alios populos valde remotos, nec ad conuertendos infideles hæreticos, vel schismaticos. p.195.n.29
Generalis cuiuscumque Religionis non potest præcipere Religioso, quod acceptet Episcopatum, & cur. ibid.n.34.
Generalis non potest præcipere Religioso, quod acceptet dignitatem extra Religionem, vel beneficium seculare. p.196.n.41
Generalis, vel Prouincialis non potest dare licentiam ingrediendi Monasterium Monialium auctoritate Pontificia soli Prælato conuentuali subiectum, quamuis tempore visitationis possit inquirere an abusus fuerit dicta facultate. p.233.n.2
Generalis nihil potest fratribus Minoribus concedere quoad ingressum in Monasteria Monialium propter Nicolai III. declarationem. ibid.n.5
*Gentilis*, si ante patratum delictum, & conceptum iudicis timorem signa dederit conuersionis, confugiens ad Ecclesiam, & baptismum petens, præsumitur non simulare, sed ex animo petere, & è contra. p.26.n.34.
Gestans in statu Ecclesiæ breuiora ignis tormenta committit crimen læsæ maiestatis. p.47.n.3
Gestans talia arma in Hispaniarum Regnis committit crimen proditionis pragmaticali lege. ibid.n.4
Gestans talia arma non committit crimen læsæ maiestatis in personam Principis, neque est propriè, & strictè proditor, quod requiritur, vt immunitate priuetur. ibid.n.5.
Gestans arma prohibita in Ecclesia si gaudere non debeat in nonnullorum sententia immunitate, debet delationi prohibitæ armorum esse annexa pœna mortis. ibid.n.6
*Grassator* viarum non gaudet Ecclesiæ immunitate. p.43.n.1.
Grassator viarum est qui in vrbe per insidias aggreditur vt viatores spoliet, vulneret, vel occidat. ibid. num.2.
ly Grassari frequentationem denotat. ibid.n.3
Grassator viarum, si non in loco publico, & frequentatis itineribus aggrediatur, gaudet Ecclesiæ immunitate, contra nonnullos. ibid.n.4
*Grauitas* præcepti clausuræ exigit, vt facultas concedendi licentiam in Monasteria ingrediendi, non committatur Prudentiæ mulieris. p.134.n.2
*Gregorius* XIII. præcepit quibusdam Regularibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne scriberent literas Monialibus sui Ordinis: non propterea ex his quis Regularis si Moniali scribat, contrahit excommunicationem. p.276.n.26
Gregorius XIII. in motu, qui incipit, Dubiis, quæ emergunt, alias pœnas statuit in superiores illegitimè ingredientes Monasteria Monialium. Vide ibi quæ sint. p.253.n.10
Inter mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, numerari debet *Grex* ouium, & caprarum, armentum boum, præsepium equorum, & similia. p.139.n.1.
secus dic de fructibus Gregis, & armenti, & similium; quia hæc non computantur inter bona pretiosa, quæ seruando seruari possunt. ibid.n.2
fructus Gregis, armenti, & similium alienari possunt sine iuris solennitate, sicut alienari possunt fructus agrorum. ibid.n.3

H

*Hæreditas* non transit ipso iure ad Hæredes; sed transit præuia acceptatione, propter pericula, quæ incurrit hæres adeundo hæreditatem. p.148.n.27

Hæreditas

Hæreditas vnius Ecclesiæ non potest sine tractatu Capituli, Prælati, & summi Pontificis consensu permutari cum ornamento, vel hæreditate alterius Ecclesiæ. p.158.n.5

*Hæres* vassalli, cum inuestitur, nouum fidelitatis iuramentum præstare debet, quia alioquin ex suorum antecessorum homagio non obligaretur. pag. 181. num.34.

Hæres in se suscipit omnia onera, & obligationes reales secundum vires hæreditatis aditæ. ibid.n.36

*Hæresis*, & apostasiæ à fide cognitio, cum sit eiusdem speciei, & sortilegij hæresim contineat, ad forum tantum Ecclesiasticum spectat, nullumque ius in iis Iudices seculares habent. p.65.n.10

*Hæreticus* in aliis criminibus præter hæresim, quæ est casus exceptus, gaudet Ecclesiastica immunitate. p.24.n.1.

opinio, quod Hæreticus in aliis criminibus gaudeat immunitate est saltem probabilis, vt concedunt etiam multi ex aduersariis. ibid.n.3

Hæreticus si sit reconciliatus Ecclesiæ, absque dubio gaudet Ecclesiæ immunitate; qui licet fuerit, de præsenti tamen hæreticus non est. ibid.n.6

Hæretici, & Schismatici nobiscum in fide, & charitate non conueniunt, & tamen censentur nomine nostri proximi. p.55.n.3

Hæreticus qui pertinaciter credit aliquid contra fidem, priuatur immunitate, etiamsi talis esse solum præsumatur. p.64.n.1

Hæreticus non priuatur immunitate ob alia crimina à crimine hæresis distincta. p.65.n.3

Hæretici in illis locis in quibus impunè viuunt, gaudent immunitate pro delictis non exceptis. ibid. num.6.

Hæreticus, qui de hæresi non fuit punitus immunitate priuatur, etiam ob alia delicta à crimine hæresis distincta. ibid.n.4

Hæretici, & alij quorum bona ipso iure confiscantur, non tenentur ad pœnam ante criminis sententiam. p.217.n.16.

Hæreticus, qui fraude, mendaciis, vel falsis testibus se defendit, & impedit sententiam, & bonorum confiscationem, non tenetur ad restitutionem. p.220. num.23.

recipientes Hæreticos, non tamen vt hæreticos, nec hæresi fauendo non incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ. p.227.n.2

*Homicidium*, & mutilatio non solum exempli causa, sed tanquam materia integrè prohibita, non gaudet immunitate. p.45.n.13

Homicidium, & mutilatio commissa in vna Ecclesia etiam non consecrata, priuant immunitate etiam in cæteris Ecclesiis, secundum probabiliorem. ibid. num.14.

Quod in vno loco est prohibitum censetur in alio permissum, & sic homicidium, & mutilatio in Ecclesia, & Cæmeterio prohibita sub pœna priuationis immunitatis, censentur extra non prohibita. pag.50. num.4.

Homicidium propriè proditorium est, quod ab amico nullo præcedente rancore, sed sub colore amicitiæ committitur. p.55.n.3

A viro nobili *Honor* æstimatur magis quam vita, ita vt viro Nobili sit instar vitæ honorem seruare. p.59. num.4.

Honor, & cura rerum sacratum spectat ad superiores Ecclesiasticos, non ad seculares. p.78.n.5

*Hortulani* iustam causam habent ingrediendi monasteria monialium excolendi causâ hortum. p.245.n.2

Hospitale auctoritate Episcopi ad sacrum vsum destinatum, ita est locus sacer, & religiosus, vt non possit profanis vsibus deseruire. p.9.n.10

*Hospitale* auctoritate Episcopi, cum altari ad celebrandum erectum gaudet Ecclesiastica immunitate. Idem dic de omni alio loco, qui canonico iure sacer, vel religiosus censetur. p.15.n.1

Hospitale auctoritate Episcopi, & cum altari ad celebrandum erectum est locus sacer, & religiosus; ita vt ad profanos vsus conuerti non possit. ibid.n.2

Hospitalia, Collegia, Confraternitates, aliique pij loci, qui sine Episcopi auctoritate sunt erecti, non gaudent hoc priuilegio. p.189.n.2

## I

*Ignorantia* coniuncta cum ingenti temeritate, scientiæ æquiparatur. p.131.n.22

Quod scienter fit est voluntarium in se, ac directè; quod autem fit per ignorantiam affectatam, est voluntarium tantùm in causa, & indirectè, scilicet in ipsa ignorantia. p.258.n.7

Ignorantia affectata minor est quàm scientia. pag.159. num.16.

Ignorantia affectata nedum crassa, & supina quæcumque, siue iuris, siue facti, excusat à censuris, vide in quo. ibid.n.21

Ignorantia affectata siue iuris, siue facti excusat legentes libros Hæreticorum ab excommunicatione lata contra scienter legentes, contra nonnullos oppositum tenentes. ibid.n.24

Ignorantia affectata excusat violantem clausuram Monialium à contrahenda excommunicatione lata à Gregorio XIII. contra clausuram violare præsumentes. p.260.n.26

Ignorantia affectata excusat loquentes cum Monialibus à contrahenda excommunicatione lata ab Ordinario contra loquentes sine licentia. ibid.n.27

Ignorantia etiam vincibilis, & culpabilis, modò non sit crassa, & supina, quando in excommunicatione contrahenda non requiritur scientia, audacia, & præsumptio, probabiliter excusat ab illa contrahenda. p.261.n.2.

Ignorantia tollit voluntarium circa obiectum, quod ignoratur. ibid.& seq.n.7

Ignorantia crassa, & supina directam malitiam, ac dolum formalem non continet, sicut continet ignorantia affectata. p.263.n.19

Ignorantia si sit nimis crassa in externo foro interdum ignorantiæ affectatæ, & dolo æquiparatur. ibid. num.20.

Ignorantia vincibilis, & culpabilis non excusat à peccato, excusat tamen à censura, & cæteris pœnis. ibid.n.21.

Ignorantia affectata non æquiparatur scientiæ veræ, sed scientiæ fictæ. ibid.n.30

Ignorantia crassa & supina quænam sit, & affectata. ibid.n.31.

Ignorantia communiter diuiditur in antecedentem, & consequentem, & quæ vtraque sit, vide diffusius, vbi quando sit iusta, probabilis, & inuincibilis, & vincibilis. ibid.n.31

Ignorantia vincibilis subdiuiditur in affectatam, & non affectatam. ibid.n.33

Ignorantia affectata est cum quis data opera vult ignorare, & non inquirere veritatem, siue ob discendi pigritiam, siue vt legis obligatione ignorata excusationem habeat, vel liberius peccare possit. ibid. num.34.

Ignorantia non affectata, quæ est tantum indirectè volita, altera est crassa, lata, seu supina, ad quam scilicet tollendam nulla, vel modica adhibetur diligentia. ibid.n.35.

Ignorantia altera est non crassa, non lata, non supina, quæ scilicet non tam facilè superari potuit, vel ad quam

quam superandam diligentia adhibita est, sed non sufficiens. p.264.n.37
Ignorantia non crassa, non lata, seu non supina an sufficere possit ad culpam mortalem, sunt Doctores pro vtraque sententia. ibid.n.38
Ignorantia quamuis crassa, & supina, quin & forsan affectata excusat à censuris sic ingredientes. p.286. num.2.
*Immobilia* reputantur annui redditus, census, iura ad ipsos, & ad quaslibet alias seruitutes, Cathedræ, Commendæ, beneficia Ecclesiastica, iurapatronatus, vsusfructus longi temporis, & similia. p.134. num.2.
*Immunitas* Ecclesiastica violatur, si potestas secularis extrahat ab Ecclesia reum illuc tanquam ad asylum confugientem. p.1.n.1
Immunitas videtur competere locis sactis ad imitationem legis Mosaicæ, & secundum iuris naturalis congruam aliquam æquitatem. p.2.n.6
Lex naturalis, nec lex Euangelica positiua absoluere præcipiunt Immunitatem Ecclesiarum, etiam supposita loci sanctitate. ibid.n.7
Immunitas Ecclesiarum non videtur introducta nec de iure naturali, nec de iure diuino, contra plures auctores. p.2.n.2
Immunitas Ecclesiarum in sententia Couar. Deciani, Cutell. stricte est interpretanda ex eo, quod derogat ius commune, quin & naturale. p.3.n.1
Immunitas Ecclesiarum in sententia auctoris, & aliorum latè est interpretanda; quia est causa pia, & Ecclesiæ fauorabilis. ibid.n.3
Immunitas Ecclesiarum est priuilegium per modum legis in iure communi insertum, quod latam habet interpretationem; est bonum publicum, & nemini præiudicat. ibid.n.4
Immunitas Ecclesiarum diminui potest ex consuetudine legitimè præscripta, ex non improbabili opinione. p.4.n.1.
Immunitas Ecclesiarum quod minui non possit non obstante quacumque consuetudine in contrarium sentiunt quamplures Doctores. p.5.n.3
Immunitas Ecclesiarum in sententia nonnullorum est de iure diuino. ibid.n.4
in materia Immunitatis Ecclesiasticæ, & Ecclesiarum non solum populus, sed nec etiam Principes seculares, neque Prælati Ecclesiastici Papa inferiores in generali, vel in particulari quidquam statuere possunt defectu iurisdictionis. ibid.n.18
Immunitas Ecclesiastica neque per consuetudinem generalem in omni casu, neque per particularem in aliquibus casibus tolli, vel diminui potest. pag.5. num.22.
Immunitas Ecclesiastica in sententia auctoris prædictis non obstantibus, consuetudine, si legitimè sit præscripta, id est habeat omnes qualitates in cap. finali, de consuetud. requisitas, diminui in aliquibus casibus potest. p.6.n.23
Immunitas Ecclesiasticorum è contra à secularium Principum iurisdictione tam quoad personas, quam quoad bona, quia est de iure diuino, vel saltem de iure positiuo iure diuino dictante, diminui non potest. ibid.n.24
Immunitas Ecclesiastica hodie de facto est diminuta consuetudine aliqua, siue quod constitutio Gregoriana alicubi recepta non sit, siue quod alicubi consuetudo in contrarium sit præscripta. ibid. num.26.
Immunitatis spatia protenduntur vsque ad extremas fores. p.11.n.7
causa Immunitatis primò, & per se est fauorabilis, non solum ratione Ecclesiæ, sed etiam ratione rei. p.18. num.11.
causa Immunitatis non est restringenda, sed potius amplianda, præsertim quod in dubio standum est semper pro Ecclesia. ibid.n.12
Immunitatis extensio ad Comitantes. Sanctissimum est valde pia, & probabilis; cum corpus Christi sit longe dignius, quin immò ratio & fundamentum, cur immunitas locis sacris, ac Religiosis concedatur. p.10.n.4.
Immunitas, qua gaudent confugientes ad statuas Principis non est sacra, sed politica, quia nec est à Pontifice, nec ob reuerentiam diuini cultus. pag. 21. num.2.
Immunitas à statuis Principum hodie sublata est propter abusus, qui sequebantur. ibid.n.3
Canones statuentes Immunitatem reis, videntur loqui secundum materiam subiectam, de personis scilicet sub iurisdictione Ecclesiæ constitutis. p.25.n.21
Ductus ad supplicium mortis, si per vim secum trahat Iustitiæ ministros ad Ecclesiam, gaudet Immunitate, secus si ab illis ducatur per Ecclesiam ad locum supplicij. p.28.n.2
Ereptus ab aliis è manibus satellitum, vel trahens secum ministros Iustitiæ, si se recipiat in Ecclesia gaudet Immunitate. p.27.n.2
Vinctus à satellitibus si per Ecclesiam ad carceres ab ipsis ducatur, non gaudet Immunitate, quia non à se, sed ab aliis vinctus ducitur. ibid.n.4
An si qui confugit ad Ecclesiam è triremibus, vbi non ex sententia, sed ex locatione, & conductione addictus erat, gaudeat immunitate, est dissensio. pag.29. num.13.
Immunitas Ecclesiæ non derogat Potestati Ecclesiasticæ, sicut derogat Potestati Laicali. p.31.n.2
Immunitas Ecclesiarum propriè tantum introducta videtur comparatiuè ad Iudices seculares, quominus scilicet eos ab Ecclesia extrahere possint, non item comparatiuè ad iudices Ecclesiasticos. ibid.n.12
Immunitas Ecclesiæ locum habet in causis ciuilibus, ita vt si debitor ad illam confugiat, gaudeat immunitate; nam concessa est de iure ciuili. p.36.n.1
Immunitas debitoribus concessa est non solum à Iure ciuili, sed etiam à Iure Canonico. ibid.n.5
Violantes Ecclesiæ immunitatem de Iure excommunicari debent. ibid.n.8
Immunitas est non solum vt debitor pœnam corporalem non luat, sed etiam vt in Ecclesia existens non extrahatur, vinculis non alligetur, aut alio modo vexetur. p.38.n.1
Immunitas quod non competeret debitoribus tributorum qui ab Ecclesia extrahi possent, si consuetudo non esset in contrarium, voluerunt nonnulli Doctores. p.39.n.1
Immunitas in sententia dictorum Doctorum conceditur Ecclesiæ quatenus approbat leges ciuiles immunitatem concedentes. ibid.n.2
Hoc ius Immunitatis respectu debitorum qui in fraudem creditorum rebus suis absconditis ad Ecclesiam confugiunt, in aliquibus locis non seruatur. ibid. num.8.
Immunitas est non solum ex eo, quod Ecclesia approbet leges ciuiles; sed etiam ex eo, quod omnibus delinquentibus & reis immunitatem concedit, aliquibus casibus exceptis. ibid.n.5
in generali concessione Immunitatis veniunt etiam debitores quicumque sint, & qui rei in iudicio & rei debitorum nominantur. ibid.n.6
Immunitate priuatur, qui vulnerat in Ecclesia lethaliter, licet sic vulneratus moriatur extra Ecclesiam; gaudet immunitate, qui mutilat, vel occidit extra Ecclesiam, si passus se recipit in Ecclesiam, ibique moriatur. p.47.n.11
Immunitate non gaudet, qui eum, cui se socium in via adiunxe

adiunxerat, nulla rixæ causa intercedente occidit. p.53.n.5.
Nec gaudet filius occidens Patrem, vel è contra, si occisus mortem præuidere non potuit. ibid.n.6
An verò gaudeat falsus testis, & Iudex iniustè condemnans? remissiuè. ibid.n.7
in materia Immunitatis non valent argumenta à paritate, vel maioritate rationis. p.59.n.9
Is, qui sub specie amicitiæ propriè proditoriè alapam viro Nobili impingit, vel fustibus illum percutit, gaudet Immunitate. ibid.n.1
in pœnis præsertim priuationis Immunitatis non sufficit æquiparatio, sed requiritur identitas; si casus tamen aliquis contingat, in dubio consulendus est summus Pontifex. p.64.n.6
In ordine ad forum Ecclesiasticum tantum Immunitas Ecclesiæ locum non habet, vt ex probabiliori DD. sententia. p.65.n.11
Præter causas supradictas non excipiuntur ab Ecclesiæ Immunitate aliæ grauiores. p.72.n.1
Omnes de iure Canonico gaudent Immunitate Ecclesiæ exceptis casibus in dicto capitulo *inter alia*, positis. p.73.n.3.
Qui furatur in Ecclesia, gaudet Immunitate Ecclesiæ. ibid.n.11.
Immunitas *ex authent. de mandat. Princip.* concedenda non est homicidis, adulteris, & virginum raptoribus. p.74.n.1
in materia Immunitatis potius standum est Iuri Canonico quàm iuri ciuili. ibid.n.5
Immunitas ad honorem, & reuerentiam rebus sacris exhibendam pertinet. p.78.n.4
Raptoribus virginum expressè Immunitas conceditur in cap. de raptoribus. ibid.n.8
Immunitas Ecclesiarum est solum in ordine ad Iudices seculares, non item in ordine ad Iudices Ecclesiasticos. p.86.n.9
Immunitas loci sacri ne violetur debet in casibus non exceptis concurrere consensus delinquentis, & consensus Ecclesiæ. p.90.n.6
Immunitas Ecclesiæ violatur si reus, cum solam vestem extra Ecclesiam posuit, extrahatur & capiatur. p.93. num.8.
Non violatur Immunitas Ecclesiæ, si reus, qui in Ecclesia captus fuit, & in carcere fori secularis nomine Episcopi detinebatur, è carcere fugit, & posteà ab eodem foro iterum capitur, & morti traditur, non expectata Episcopi sententia. p.97.n.17
Si quis exiens è carcere sub iuramento redeundi ad carcerem confugiat ad Ecclesiam, Immunitate eius gaudet, & non dicitur quod Ecclesia non restituendo foueat sacrilegium rei. p.100.n.27
Immunitas rei consistit, vt non possit à loco sacro inuitus extrahi, & iudicari. p.112.n.2
Immunitatis priuilegium primariò est concessum Ecclesiæ, secundariò autem videtur concessum etiam reo. ibid.n.4.
Immunitatis causa non est propria Episcopis, sed communis cum Ecclesia. p.118.n.2
Inconueniens non est quod causa Immunitatis spectet ad Episcopum, & quod ipse in illa dicat ius, sicut & quod in eadem dicat testimonium. ibid.n.3
Immunitas Ecclesiastica violatur per locationem ad longum tempus. p.184.n.1
Immunitatis Ecclesiasticæ violatio in terminis Constitutionis Gregorianæ reseruatur Episcopis. pag. 229. num.10.
Immunitatem Ecclesiarum esse inuiolabiliter obseruandam, quibusdam exceptis casibus, declaratur in Bulla 7. Gregorij XIV. p.306.& seqq.
*Impedimenta* Canonica Matrimonij ex crimine obligant statim. p.219.n.6
*Imperatrices*, Reginæ, & ipsarum filiæ non comprehenduntur sub eadem prohibitione; quia Pontifex de iis mentionem non facit, sicut opus erat pro reuocatione, vtpotè superioris ordinis. p.279.n.1
*Impossibilium* nulla est obligatio. p.173.n.4
Declaratio S. Congregationis, quod *Infidelis* gaudeat immunitate, vltra quod de ipsa non constat authenticè, intelligi debet de infidele volente conuerti. p.25.n.24.
Infideles qui non erant ex circumcisione in lege veteri non gaudebant refugio. p.25.n.16
Infideles mirum non est, si (cum simus in tempore gratiæ) alliciantur per aliquod priuilegium ad conuersionem. ibid.n.18
Infidelis venit propriè sub nomine nostri proximi, alioquin præceptum de diligendo proximum non extenderetur ad Infideles. p.55.n.2
Infidelis quod sit verè proximus non obstat, quia textus citatus loquitur de proximo fideli, non de infideli; secus contingit in occisione proditoriè facta, nam ibi non est apposita hæc limitatio. pag. 61. & seq. num.5.& 6.
Infidelis offendendo Pontificem, vtpote ei non subditus, non committit crimen læsæ maiestatis; secus si ei subsit vt Principi seculari ratione domicilij, vel ratione originis. p.70.n.7
Infidelis gauderet immunitate offendendo Pontificem si ei non sit subditus vt Principi seculari, in sententia extendentium immunitatem ad infideles. ibid. num.8.
Infidelis non potest sepeliri in Ecclesia, & tamen ex multorum satis probabili opinione gaudet etiam immunitate. p.84.n.10
*Is*, cuius iudicio res committitur, non tenetur informationem iuridicam facere, sed potest provt sibi placuerit, informationem sumere & quomodocumque de veritate sibi constet, iudicium ferre. pag.120. num.2.
*Ingredi* virorum Monasteria est prohibitum mulieribus ex Motu Pij V. qui incipit, *Regularium personarum*; & ex motu Gregorij XIII. *Vbi gratia*. p.278.n.1
*Ingrediens* in Monasterium ad exercendum aliquod opus necessarium ex causa vtilis ministerij, si simul intentionem habeat turpiter loquendi, vel agendi cum Moniali, non peccat contra clausuram, sed solum ob prauum finem. Contra nonnullos vtrumque asserentes. p.249.n.3
Ingrediens clausuram ex legitima licentia, si finito negotio illic moretur parumper vt circumspiciat ex curiositate, non peccabit, neque venialiter. pag.250. num.5.
Ingrediens Monasterium ex legitima licentia, si finito negotio parumper ibi demoretur circumspiciendo ex praua intentione peccat, sed non contra præceptum clausuræ. ibid.n.6
Ingrediens Monasterium ex legitima licentia, si finito negotio ibi ex praua intentione, vel secundum moram moralem, vel longissimam, non incurrit censuras, contra nonnullos, etiamsi habeat copulam cum Moniali. ibid.n.7
Ingredientes clausuram modico ingressu, vel egressu, neque peccant, neque censuras incurrunt. pag.251. num.1.
Ingrediens claustra Monialium præcisa causa necessitatis, & superioris licentia in scriptis concessa, incurrit ipso facto excommunicationem latam à Concilio Tridentino. p.252.n.1
Ingredientes ex facultate Episcopi, seu Superioris legitimi præcisa necessitate, & Moniales, quæ eos aliter admittere præsumunt, contrahunt omnes pœnas recensitas. p.253.n.16
Ingrediens Monialium Monasterium ex licentia Superioris

rioris in scriptis obtenta, si Superiori allegauerit bona fide causas sui ingressus examinandas, nullam simpliciter contrahit excommunicationem stante causæ approbatione, & bona fide ingredientis. p.254.n.1.

Ingrediens Monialium Monasterium falsam causam proponendo, & Superiorem decipiendo contrahit non reseruatam excommunicationem Pontificis. ibid. num.2.

Ingrediens, si Superiorem non deceperit sua potestate abutentem in concedenda extra casum necessitatis licentia, si superioris abusum nouit, contrahit excommunicationem etiam Tridentini; secus est si bona fide excusetur. ibid.n.3

Ingredientes peculiaria Monialium Monasteria, contrahunt etiam alias antiquiores excommunicationes. p.253.n.18.

Ingrediens sine licentia Superioris, sed animo habitum regularem assumendi, & profitendi contrahit excommunicationem Tridentini non reseruatam. p.254.n.1.

Ingrediens virtute licentiæ ab Episcopo ante motum Gregorij XIII. concessæ contrahit excommunicationem reseruatam contra ingredientes Monasteria Monialium virtute facultatum vsque tunc concessarum decretam, & cur. p.255.n.1

Ingrediens monasteria monialium solùm virtute facultatis alicuius sibi concessæ, vel etiam ingrediens absque vlla facultate prorsus contrahit pœnas motus Gregorij XIII. p.256.n.1

Ingrediens, vel admittens sine vlla facultate, & licentia, grauiùs delinquit, quàm qui cum facultate & licentia ea præstat. ibid.n.7

Ingrediens etiam ad malum finem, dummodo tamen sine prætextu licentiæ ingrediatur, non contrahit probabiliùs pœnas Motus Gregorij XIII. pag.256. num.10.

Ingredientes, qui habent facultates, si ingrediuntur non facultatibus innitentes, sed quasi illas non habentes, non contrahunt pœnas motus Gregorij XIII. p.257.n.12

Ingrediens tam prætextu facultatum, quas nouit irritas esse ob reuocationem Gregorij XIII. quàm prætextu facultatum inualidè obtentarum ob subreptionem, vel aliam causam, probabilius non contrahit excommunicationem, & pœnas dicti motus. ibid.n.16

Ingrediens si tempore ingressus fingeret se habere facultatem ingrediendi Monasterium Monialium obtentam post dictum Motum Gregorij XIII. non contraheret pœnas talis motus, sed solum excommunicationem Concilij Tridentini. ibid.n.20

Ingrediens virtute facultatum culpabiliter ex scientia, & sic ex audacia, & præsumptione, atque adeo ex ignorantia non quacumque, licet quantumcunque culpabili, & crassa, sed solum ex ignorantia adeo crassa, & supina, ita vt reputetur ingens temeritas, conrrahit pœnas Motus Gregorij XIII. p.258. num.1.

Ingrediens modo prædicto contrahit secundum probabiliorem opinionem saltem excommunicationem Tridentini non reseruatam. p.268.n.6

Ingredientes simpliciter sine necessitate, & licentia in scriptis ex decreto Concilij possunt absolui iure ordinario ab Episcopis, & si sint subditi à Prælatis Regularibus, ab omnibusque approbatis Confessariis proprij pœnitentes absoluuntur. p.272.n.3

Ingredientes non simpliciter, sed ad malum finem incurrunt casum vnum ex quinque Pontifici reseruatis. ibid.n.6.

Ingrediens Monialium Monasterium in casu vrgenti ex legitima causa non incurrit pœnas, etiamsi ad fornicandum ingrediatur, quin & de facto ibi fornicetur. p.285.n.24

*Ingressus* permissus an non intelligatur secundum consuetudinem legitimè introductam. pag. 234. num.15.

Ingressus causa est iusta si sit expellendus malefactor, qui commodè per Moniales expelli non potest, & is egredi nolit. p.244.n.1

Ingressus intra Monasteria Monialium absque speciali Pontificis licentia fratribus Minoribus in eorum Regula interdicitur. p.233.n.3

Ingressus in Monasterium permissus videtur ob vtilitatem Monasterij, vel si sic ius naturæ, vel diuinum suadent. p.245.n.4

Ingressus causa est iusta in puellis, & etiam in aliis fœminis ob alios fines præter educationem, seruatis supradictis conditionibus. p.247.n.1

Ingressus famularum iussus simpliciter non videtur nisi concurrat necessitas Monasterij, vel ratio magnæ nobilitatis, ægræ valetudinis, aut nimiæ senectutis causam præbeat. p.248.n.3

Ingressus nobilium fœminarum prætextu alicuius muneris exercendi, quod reuera non exercent, dicitur esse in fraudem legis, præsertim si notabiliter ibi morentur. ibid.n.1

Ingressus causa iusta est in famulabus secularibus, vt culinæ, & alij Monasterij inferioribus officijs inseruiant, dummodo foras eæ non exeant, si pro inferioribus officiis in Monasterio Professæ Conuersæ non sint. p.248.n.1

Ingressus puellarum vt sit iustus vltra septem causas recensitas, requirit tres alias ex præscripto sacræ Congregationis Cardinalium, nempe vt non sint supra numerum, vt quolibet semestri soluantur anticipata alimenta, vt sint separatæ à Dormitorio, & laboratorio Monialium. p.246.n.6

Ingressus in Monasteria Monialium prohibitus fuit à Sixto V. tantum virtute facultatum, quæ à Sede Apostolica hactenus ad id concessæ fuerant, non autem virtute Iuris communis. ibid.n.7

Ingressus puellarum vt educentur in Monasterio non est intrinsecè malus, imò est aliquo modo necessarius, & ideo permittitur de Episcopi, seu superioris licentia. p.246.n.2

Ingressus puellarum censetur iustus primò si non repugnet Instituto Religionis. Secundo si recipiendi sit consuetudo. Tertio si accedat consensus Abbatissæ Monasterij & licentia Superioris in scriptis obtenta. Quarto vt stent sine famulabus. Quinto vt egredi & regredi nequeant. Sexto vt sint minores 25. annis & vltra 25. ætatis annum in Monasterio non retineantur. Septimo, vt habitu continenti vtantur. ibid.n.3.

Ingressus vel egressus per duos tantum pedes præciso periculo peccati, & data parua mora non est peccatum, nec inducit censuras. p.251.n.5

Ingressus seu egressus secundum Graffium, & alios quomodo esse possit lenis materia, seu modicum. ibid.n.3.

Ingressus causa in electione Abbatissæ potest esse iusta, si opus sit se dare rixas, & altercationes Monialium, & tunc superior ingrediatur comitatus iuxta motum Gregorij XIII. p.249.n.3

Ingressus permissio etiam fœminis prohibetur. p.267. num.5.

Ingressus & accessus quoad prohibitionem tam comprehendit viros, quam fœminas. p.275.n.2

Ingressus mulierum in Monasteria virorum licitus est, si adsit priuilegium post motum Pij V. & Gregorij XIII. obtentum. p.284.n.1

*Inhabilitas* acquirendi dominium bonorum incertorum

ante omnem Iudicis sententiam obligat ad restituendum Pauperibus, & sibi ipsi etiam applicando partem aliquam, stante paupertate. p.219.n.7
Inhabilitas ad suffragium tam actiuum, quam passiuum ob crimen incurritur ante Iudicis sententiam saltem criminis. ibid.n.8
Inhabilitas acquirendi reditus Beneficij ob omissionem horarum Canonicarum contrahitur ante Iudicis sententiam. ibid.n.9
*Iniuria* facta Ecclesiæ censetur facta Prælato, & è contra. p.31.n.9
nec est Iniuria rei sacræ si cum alia sacra componatur, sed cum temporali. p.226.n.24
*Interdictum* ciuitatis, ne remaneat elusorium, extenditur ad furbubana. p.109.n.18
Interdicti censura, vt odiosa, non habet alios effectus, præter expressos in iure. p.22.n.1
*Interpretatio* circa materiam Ecclesiarum iuribus ciuilibus, & Canonicis discordantibus facienda est secundum ius canonicum, contra nonnullos Doctores. p.4.n.1.
Si exoriatur dubium super Interpretatione iuris canonici, amplectenda est illa interpretatio, quæ cum iure ciuili conuenit. ibid.n.6
*Iubilæum*, si prima hebdomada lucretur, potest etiam repetendo opera in illo præscripta, in altera hebdomada obtineri. p.236.n.6
*Iudæus*, Saracenus, & quicumque alius Gentilis confugiens ad Ecclesiam gaudet Ecclesiastica immunitate, siue confugiat ex delicto non excepto, siue ex debito ciuili. p.24.n.7
*Iudæus*, Saracenus, & quicumque alius infidelis gaudet immunitate volens conuerti, & baptizari, secus non gaudet. p.25.n.25
Iudex Ecclesiasticus potest compellere iudices seculares, vt seruent leges canonicas suum forum respicientes. p.4.n.5
*Iudex* Ecclesiasticus maiorem potestatem habet in Ecclesia, ex qua reus extrahitur, quàm Iudex secularis. p.31.n.10.
Iudicibus laïcis expressè prohibetur Iurisdictionem aliquam in Ecclesia exercere. p.47.n.8
Iudex laïcus debet suspectos de hæresi retinere, vt eos deinde Iudici Ecclesiastico tradat. p.65.n.12
Iudices laïci licet olim poterant cognoscere de crimine hæresis, hodie non possunt sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda. ibid.n.14
Iudex, & Minister in tali casu indignus est vt immunitate gaudeat, cum alterum immunitate priuauerit, secus est inspecta Ecclesiæ pietate. p.85.n.2
Iudex, qui non fuit particeps violentæ extractionis non violat immunitatem physicè; secus est moraliter. p.88.n.2.
Iudex secularis si ab alio reum extractum à loco sacro Ecclesiæ non restituat, primam iniustam extractionem continuat, & sic Ecclesiæ immunitatem violat. ibid.n.3.
Iudex promittens impunitatem reo, ad effectum ipsum extrahendi ab Ecclesia, tenetur stare promissis; aliàs potest cogi per Episcopum ad dandam hanc securitatem, cum secus talis cessio immunitatis esset nulla. p.89.n.13.
tenetur Iudex restituere reum Ecclesiæ, si priuata persona eum ab Ecclesia extraxerit per deceptionem, cui Iudex consenserit. ibid.n.14
Secus si Iudex deceptioni non consenserit; qui tamen decepit tenetur reo compensare damna, & expensas. ibid.n.15.
Iudex Ecclesiasticus in delictis exceptis casu quo nolit consignare Curiæ seculari reum, debet illum custodire in carcere Ecclesiastico, dum causam examinet. p.91.n.5
Iudex laïcus non potest immittere satellites, vel milites in locum immunem, vt ob metum reus inde discedat, & capi possit, contra nonnullos. pag.92. num.1.
Iudex Ecclesiasticus non potest donec articulus discutitur custodire reum in carceribus Iudicis laïci, licet id fiat nomine Episcopi, contra nonnullos. p.91. num.10.
Iudex laïcus, qui extrahit reum in casibus exceptis, non potest etiam dando cautionem de immunitate, in suis carceribus detinere; sed debet Ecclesiæ restituere, etiamsi reus sic extractus iuri suo cedere velit. ibid.n.11.
Iudex secularis potest apponere Ecclesiæ custodiam, ne reus inde liberè aufugiat, & si extra Ecclesiæ fines constitutus sit, eum capere, & incarcerare. pag.93. num.7.
Iudex laïcus secundum probabiliorem opinionem non potest reum in Ecclesia receptum spoliare bonis & armis, nisi de licentia Prælati Ecclesiastici; nam quod simpliciter possit, est de iure ciuili, non autem de iure Canonico. p.94.n.5
Vbi parti aliquid tribuitur vt se vindicare sine Iudice possit, Iudex vt quid gerat, non censetur iurisdictionem exercere, sed maius periculum vitare, ne priuatus id prosequatur. ibid.n.9
Iudex incompetens ob competentis defectum procedere potest. ibid.n.10
Iudici tentanti extrahere reum è loco sacro vltra casus permissos, resistere potest & reus, & Ecclesia; cum sic vtrique Iudex iniuriam faciat. p.97.n.1
Iudex laïcus debet restituere reum Ecclesiæ spoliatæ; quia per talem spoliationem Ecclesia non amittit ius protectionis acquisitum. p.101.n.36
Iudex præter casus exceptos non potest reum ab Ecclesia extractum incarcerare, vel interrogare, vel torquere, vel quidquam aliud iudiciale in eum facere. ibid.n.3
Iudex secularis per capturam iniustam non acquirit iurisdictionem in reum. ibid.n.4
Potest Iudex apponere debitam custodiam ad carcerem Curiæ Ecclesiasticæ, si ibi repositus fuerit extractus. p.104.n.19.
Non potest inde reum extrahere donec Episcopus cognouerit, an reus crimen exceptum commiserit. ibid.n.20.
Iudex mandans extrahi reum à loco sacro in casibus non exceptis, & etiam sic extractum Ecclesiæ non restituens, birruarij mandatum exequentes, consanguinei & amici ipsius occisi incurrunt excommunicationem, contra Gambacurtam. p.105.n.24
Iudex, qui non mandauit extrahi reum ab Ecclesia, si tamen restituat, cum sit sub eius potestate, non peccat ratione mandati, sed ratione indebitæ retentionis. p.106.n.1
Iudex, qui non mandauit extrahi reum ab Ecclesia, sed extractum non restituit, cum sit sub eius potestate, peccat violando reuerentiam debitam Ecclesiæ, & immunitatem eius, & quoad vtrumque facit contra Gregorianam. ibid.n.2
Iudex, qui reum nulliter, & inualide extractum etiam ipso inscio, Ecclesiæ non restituit, censetur primò extrahere, seu capere ab Ecclesia. ibid.n.3
Iudex laïcus iubens occidi reum in Ecclesia, non solum facit præter, sed etiam contra Constitutionem. p.108.n.2.
Iudex secularis vigore tam constitutionis Gregorianæ, quàm consuetudinis hodie non tenetur præstare iuramentum Prælato Ecclesiastico de non puniendo reum corporaliter pro casibus exceptis. p.114.n.2

Iudex secularis non potest in dictis casibus exceptis reum extrahere sine expressa licentia Episcopi, vel eius officialis, seu Vicarij. ibid.n.5
Ad Iudices Inferiores Ecclesiasticos etiam quasi Episcopalem Iurisdictionem habentes dare huiusmodi facultatem reos in casibus exceptis extrahendi, non pertinet. ibid.n.6
Iudex laïcus, Episcopo vel eius Officiali recusante tradere reum, potest propria auctoritate, in casibus tamen exceptis, extrahere ab Ecclesia; quod fieri debet remoto scandalo, & tumultu, & sic extractum in carcere Ecclesiastico custodire. ibid.n.9
Iudex laïcus non potest sine sacrilegio & censura reseruata sine licentia Episcopi, vel eius Officialis extrahere; secus est illis culpabiliter in casibus exceptis consentire nolentibus. p.115.n.1
Iudex secularis, donec non fuerit cognitum an delictum sit de exceptis, non potest ad proprios carceres reum ita extractum ducere, sed debet interim eum custodire in carcere Ecclesiastico. ibid. num.2.
Iudex laïcus, etiamsi notoriè constet delictum esse de exceptis, adhuc non potest propria auctoritate sine Episcopi licentia, attenta Constitutione citata reum extrahere, alioquin sacrilegium committit, & excommunicationem ipso facto Papæ reseruatam incurreret, & reus Ecclesiæ restituendus erit. ibid. num.3.& 4.
Iudex ex recepta consuetudine aliquibus in locis legitimè præscripta potest in casibus tamen exceptis sine licentia Episcopi reum extrahere à loco sacro. p.116.n.8.
Iudex secularis nec licitè, nec validè potest iudicium exercere, nec sententiam ferre in Ecclesia. ibid. num.11.
De iure communi probabilius est quod Iudex secularis non possit in casibus iure exceptis reum sine licentia Episcopi, seu inconsulto Episcopo ab Ecclesia extrahere. p.116.n.1
ad Iudicem Ecclesiasticum spectat absque dubio cognoscere vtrum casus sit exceptus, nec-ne, non solum attenta Constitutione Gregoriana, verum etiam iure communi. p.117.& seq.n.1
Nemo in causa propria est iudex competens. pag.118. num.1.
Iudex debet esse medius, ac veluti diremptor inter partes contendentes. ibid.n.5
Regula quod nemo in propria causa iudex esse debet, intelligenda est in sensu ne directe quis id faciat in propriam vtilitatem sententiam ferendo. p.119. num.13.
Iudex Ordinarius suborto dubio an sit iudex competens, potest id ipsum cognoscere, & dubio pro affirmatiua resoluto, ad causam principalem determinandam procedere. ibid.n.14
Iudex si à parte contendente allegetur suspectus, iustitiam huius allegationis cognoscere non potest, si notoria friuola non est, & supersedere debet in causa principali. ibid.n.17
Cognoscere locum an sit sacer vel religiosus, & capax immunitatis Ecclesiæ spectat ad Iudicem Ecclesiasticum priuatiue quoad laïcos. p.119.n.1
Iudex secularis, vel reus latâ sententiâ per Episcopum an gaudere debeat, nec-ne, potest appellare, si habeat sufficiens & rationabile fundamentum, contra Peregrinum, & alios. p.122.n.7
Iudex Ecclesiasticus non tenetur stare processui fabricato à iudice laïco, vt possit reum remittere Curiæ seculari. p.122.& seq.n.1
Iudex secularis cum probationes facit de delinquentis delicto, Ecclesiam, vtpote ei non subiectam, non etiam de delicto, neque ipsum delinquentem. p.123.n.5
Iudex Ecclesiasticus cum hac cognitione tenetur citare Ecclesiam, seu nomine Ecclesiæ defendere, cùm directè de eius præiudicio agatur. p.125.n.1
Iudex Ecclesiasticus sine citatione delinquentis non potest illum remittere Curiæ seculari. p.125.n.4
Iudex Ecclesiasticus in casu supradicto tenetur reo, & Ecclesiæ concedere dilationes, quæ vt iura sua defendat, necessariæ sibi visæ fuerint. pag.126. num.4.
Iudex Ecclesiasticus in tali cognitione facienda, non potest denegare dilationes ad probandum, cum id sit de iure naturæ, & aliàs delictum non esset plenè probatum. ibid.n.5
Iudex Ecclesiasticus cognoscere, & punire potest simpliciter, etiamsi delictum in loco sacro commissum non sit Ecclesiasticum, sed seculare, & à seculari commissum. p.128.n.1
Iudici durante syndicatu reuerentia exhiberi debet non minus, quàm durante officio. p.197.n.58
Iudex potest ingredi Monasterium ad expellendum Malefactorem, ad locum tamen eiusdem Monasterij exteriorem immunitate gaudentem. p.244.n.2
Iudices à Sede Apostolica delegati quid obseruare debeant in alienatione bonorum Ecclesiasticorum p.289. Bulla 2.
Iudices Conseruatores in Synodis Prouincialibus certo modo ab Ordinariis eligi debent. p.312.§.5
Iudices non suspecti quando à Principibus peti possint. p.313.§.12.
In iudicio Ecclesiastico non ita seuerè agitur ad corporis pœnam, & publicam vindictam, ad quam euitandam introducta est Immunitas Ecclesiarum, sicuti in seculari. p.31.n.11
*Iuramentum* domini videtur sufficiens ad securitatem serui quando delictum est leue; at si delictum fuerit graue, regulariter iuramentum non sufficit. pag. 34. num.3.
Iuramentum debet aliquid operari. p.143.n.3
Iuramentum simpliciter prolatum, intelligi debet secundum subiectam materiam, & secundum iuris dispositionem. ibid.n.12
Iuramentum Prælati de non alienando bona suæ Ecclesiæ inconsulto summo Pontifice, non est improbabile, quod intelligatur de alienatione tantùm illicita, & contra formam iuris. ibid.n.17
Iuramentum factum in materia ad iuris terminos restringi debet. ibid.n.21
Iuramentum Prælati non est elusorium, sed operatur vt Prælatus sit firmior in obseruandis iuris statutis. ibid.n.23.
Iuramentum extendi potest ad quamlibet alienationem etiam licitam, & iure concessam; de facto tamen non extenditur. ibid.n.24
Iuramentum Prælati de non alienandis bonis Ecclesiæ non extenditur ad casus iure non prohibitos, sed permissos. p.152.n.6
Iuramentum ex parte iurantis est personale; respectu autem eius, cui iuratur, est reale. ibid.n.41
Iuramentum obligat ad petendum Sedis Apostolicæ consensum, etiam vbi Extrauagans; *Ambitiosæ*, quoad hanc partem recepta non est, spectatis tamen verbis dictæ Constitutionis, secus tamen spectato vsu, & praxi. p.175.n.11
Iuramentum non aufert potestatem ad agendum, quam ius naturale, & ciuile concedit; sed solum facit vt homo sit periurus, si contra iuramentum agat. p.179. num.3.
Iuramentum confirmatorium promissionis ab altero acceptatæ producit actionem in externo foro, tam ciuili quàm canonico. p.180.n.11

Iuramentum confirmatorium promissionis acceptatæ, non solum inducit obligationem Religionis erga Deum, sed etiam firmat obligationem naturalem erga hominem. ibid.n.12
Ex contractu puberis sine tutoris auctoritate inito, & ex pacto seu promissione simplici, si iuramentum accesserit, etiam in foro ciuili actio conceditur, quæ alioquin non concederetur. ibid.n.13
Iuramentum, quod est per se stans solum obligat ex virtute Religionis erga Deum, & nullam propriè actionem parit. ibid.n.14
Iuramentum appositum in testamento de eo non reuocando, habet vim clausulæ derogatoriæ, & idem valet, ac si expressisset, si aliud testamentum postea fecerit, nolle derogatum esse priori. ibid. num.19.
Iuramentum posterius contra prius iuramentum perperam dicitur, & periurij criminis confirmatorium, & propterea ius ei non assistit. ibid.n.22
Iuramentum, quod sine salutis præiudicio seruari potest, seruari debet. ibid.n.23
Iuramentum præstitum ratione officij vel dignitatis, licet transeat ad successores, renouatur tamen ad maiorem solennitatem, & cautelam. p.181. num.40.
Iuramentum non obligat ad peccatum, neque est vinculum iniquitatis, nec firmat locationem de re singulis annis fructifera, vltra triennium. pag.188. num.1.
*Iurans* se rem suam non venditurum, si postea vendat illicitè facit, non tamen inualidè. p.141.n.5
Iurans non infeudare bona Ecclesiæ inconsulto summo Pontifice, non intelligitur de feudo dato, & ad Ecclesiam deuoluto, quod est licitum; sed tantum de noua feudi concessione, quæ est illicita. p.143.n.18.
Iurans non alienare res Ecclesiæ, inconsulto summo Pontifice, non intelligitur, quod non possit alienare in casu necessitatis, vel quod non possit alienare res modicas, aut parum vtiles. ibid. num.19.
Iurans se Procuratorem non reuocaturum, valide tamen reuocat, & ille desinit esse eius Procurator. p.180.n.5.
Iurans, se votum non facturum inconsulto Confessario, valide tamen inconsulto illo votum facit. ibid. num.6.
Iurans se testamentum non reuocaturum, si postea reuocet, periurus fit; sed validè reuocat. ibid. num.10.
*Iurisdictio* Ecclesiastica, & ciuilis ad inuicem iuuare se debent, cum sint ad inuicem confœderatæ. p.124. num.9.
Iurisdictio Ecclesiæ solum se extendit ad opera externa punienda. p.225.n.6
Ius ciuile in materia Ecclesiam, & ius ipsius concernente, non habet iurisdictionem, nisi ad fouendam dispositionem iuris Canonici. p.3.n.3
Iura iuribus conuenire decet, & iurium correctio quoad fieri potest vitari debet. p.4.n.7
Ius positiuum per consuetudinem legitimè præscriptam non est cur in parte abrogari non possit. pag. 4. num.2.
Ius canonicum non est contrarium dicto textui cit. in l.1. C.de his, qui ad Ecclesiam confugiunt. pag. 25. num.28.
Ius Ciuile statuit Gentilem confugientem ad Ecclesiam & Baptismum petentem, non esse defendendum, ob præsumptionem, quam habet, quod simulatè patet. Ergo talis præsumptio est Iuris, & de Iure, & contra ipsam non admittitur probatio directa, secus autem indirecta. p.26.n.38.& 39
Ius naturæ dictat fugam quando imminet periculum graue. p.46.n.7
Iura generaliter sine distinctione loquuntur de confugientibus. p.47.n.10
In iure nullibi reperitur statutum quod vulnerans proditoriè, morte non secuta, priuetur immunitate. p.58.n.4.
Ius loquendo de lædentibus maiestatem, includit omnem, qui in Maiestatem delinquit, quæ propositio vera est si antecedenter ad delictum erant subditi, secus si tantum concomitanter. p.75.n.5
vbi Ius non distinguit, neque nos distinguere debemus, præsertim si distinctio sit in præiudicium Ecclesiæ. p.84.n.5.
Ius ciuile, cum discordet à Canonico in materia Immunitatis, standum est Iuri canonico. pag. 86. num.16.
In iure vani timoris, ac doli ratio non habetur. p.89. num.8.
Quisque vti potest iure suo, licet per accidens impediatur ius alterius; quin licet per accidens sequatur damnum alterius. p.101.n.38
Iura generaliter loquentia generaliter sunt intelligenda. p.105.n.30
Vbicumque etiam in odiosis, & pœnalibus, est eadem ratio, & omnimoda similitudo, debet esse eadem Iuris dispositio, quia tunc non fit extensio, sed declaratio Iuris. p.109.n.10
Neque de iure Canonico permittitur in casibus exceptis reum Curiæ seculari tradi, nisi recepto prius iuramento de eius immunitate corporali. pag.115. num.3.
de Iure Cæsareo si maritus inuenerit in Ecclesia hominem sibi de adulterio suspectum cum vxore sua loquentem, debet ambos defensori Ecclesiæ tradere, vt seruentur, donec secularis iudex, qui de hoc cognoscere debet, inquirat Episcopum, vt illos ipsi tradat. ibid.n.5
de Iure Cæsareo licet reus per iudicem laïcum possit, si cum armis ad Ecclesiam confugerit, inde extrahi, non tamen poterit inconsulto Episcopo. ibid. num.6.
Tale iudicatur ius, seu actio, qualis est res, ad quam est ius, seu actio. p.134.n.3
Ius, & actio non comprehenditur sub bonis mobilibus, neque sub immobilibus, vbi expresse verba intelliguntur; secus autem est in hac materia prohibitionis de non alienando in fauorem Ecclesiæ. ibid. num.4.
Ius Ecclesiæ percipiendi fructus aliquos per decennium, connumeratur inter bona immobilia. ibid. num.5.
Iure antiquo in alienatione bonorum Ecclesiæ Cathedralis requirebatur consensus Sedis Apostolicæ, non quidem vt alienatio esset valida, sed solum vt esset licita, etiamsi Episcopus in sui consecratione iurauisset, se bona Ecclesiæ inconsulto summo Pontifice non alienaturum. p.141.n.1
Iure nouo per extrauagantem Ambitiosæ Pauli II. requiritur consensus Apostolicus non solum in rebus Ecclesiæ Cathedralis; sed etiam cuiuscumque alterius Ecclesiæ, & loci pij, vbi tamen extrauagans est recepta. ibid.n.6
Iuris solennitates in permutatione rerum Ecclesiasticarum seruandæ sunt spectata consuetudine, etiamsi fiat inter ipsas Ecclesias. p.158.n.1
In praxi eadem iuris solennitas, idemque assensus Apostolicus adhibetur in permutatione inter Ecclesias, ac adhibetur in venditione, & donatione inter easdem. ibid.n.6

Ius sepulchri sine simonia donari potest, seu permutari cum alia re spirituali. ibid.n.10
Ius sepulchri in sententia nonnullorum Doctorum, etiam directè, seu solitariè sumptum, sine simonia vendi potest. ibid.n.11
Ea, quæ de iure veniunt, semper facta præsumuntur. p.177.n.10.
Quisque sicut habet summum ius ad tuendam vitam; ita habet summum ius ad tuenda bona, quæ sunt instar vitæ. p.220.n.22
Ius commune non tollit priuilegium speciale, nisi expresè illi deroget. p.237.n.18
Iuris correctio est strictè interpretanda. pag. 140. num.3.
Multoties in iure magis puniuntur delicta minora committentes propter specialem rationem, quæ in illis concurrit. p.256.n.9
Afferuntur diuersa iura prohibentia loqui cum Monialibus. p.276.n.21
in alienatione *Iurispatronatus*, sepulchri, & similium, cum computentur inter bona immobilia, vel saltem mobilia pretiosa, seruandæ sunt iuris solennitates; si penes Ecclesiam existant. pag. 160. num.1.
Iuspatronatus laïcum potest alienari de solo consensu Episcopi. ibid.n.2
Iuspatronatus sepulchri, & similium est quid spirituale. ibid.n.3
Iuspatronatus sine simonia simpliciter alienari potest donatione; quia rebus sacris irreuerentia non committitur in donatione. ibid.n.5
Donatio iurispatronatus laïcalis non indiget Episcopi consensu si fiat Ecclesiæ, vel loco pio; secus si fiat laïco. ibid.n.6
Iuspatronatus potest recipi à Regularibus, non expectato Episcopi consensu. ibid.n.8
vendens Iuspatronatus, licet sit quidem simoniacus, & peccet mortaliter; non tamen est excommunicatus, nec alias simoniaci pœnas incurrit. p.225. num.17.

## L

*Laicus*, siue Ecclesiasticus habens administrationem bonorum Ecclesiæ, si scienter in quantitate notabili alienet, destruat, vel demoliatur in effectu bona, quæ sunt immobilia, vel mobilia pretiosa eiusdem Ecclesiæ, quæ seruando seruari possunt, violat Ecclesiasticam immunitatem. p.130.n.1
non solùm Laïcus sodomita, sed etiam Clericus non priuatur immunitate. p.79.n.6
*Latro* publicus priuatur Ecclesiastica immunitate. p.41. num.1.
Latro est qui deprædatur violenter. ibid.n.2
Publicus, qui deprædatur palam, publicè, vel per insidias in via publica, etiam mari, vel flumine, vel per vim in domibus priuatorum. ibid.n.3
Diffamatus in vno ex multis, latrocinio publico, vel ex aliquibus secretis, dum latro publicus reputatur, non gaudet Ecclesiæ immunitate; multò magis si sit latro notorius notorietate iuris. At gaudet si non sit notorius, nec notorietate facti, nec iuris. ibid.n.4
Præsumptio vel dubitatio quod aliquis sit publicus latro non sufficit ad effectum ipsum priuandi immunitate Ecclesiastica; sed debet in hoc casu constare esse latronem publicum per informationem factam citata parte, & per iudicis sententiam. ibid. num.6.
Latro publicus, vt immunitate priuetur, requiritur, quod deprædetur in viis publicis, & itineribus frequentatis, & non sufficit, quod furetur per insidias in loco non publico. ibid.n.7
Item requiritur quod non semel, sed bis, vel ter tale delictum commiserit. ibid.n.9
Nomen latronis frequentiam denotat. ibid.n.10
Non sufficit quod pluries tentauerit, sed requiritur quod pluries consummauerit, cum simus in materia odiosa & pœnali. ibid.n.11
Quod dictum est de publico latrone, idem dicas de Grassatore, & agrorum depopulatore. ibid.n.14
In aliquibus Regnis publici latrones, grassatores viarum, depopulatores agrorum per vnicum delictum vita priuantur: at non sic est de immunitate, circa quam Principes non possunt disponere. p.42. num.15.
*Legatarius* rei certæ statim per mortem legantis acquirit dominium legati. p.148.n.33
*Legatus* à latere non potest releuare iuramentum factum à Prælato de non alienandis bonis Ecclesiæ inconsulto summo Pontifice, quia id esset in præiudicium summi Pontificis. p.144.n.26
Si verò Legatum sine consensu repudiat, non validè repudiat, quia ius est acquisitum Religioni. p.145. num.25.
*Legatum* quodlibet generaliter in specie relictum transit à morte Testatoris in dominium legatarij; neque requiritur expectare hæreditatis additionem. p.145.n.5.
Legatum, vel hæreditas delata, & Ecclesiæ non incorporata, non est ius Ecclesiæ acquisitum, sed acquirendum. ibid.n.12
quamuis Legatum retro nostrum sit, nisi repudietur, attamen cum repudiatur, retro nostrum non fuisse palam est. p.148.n.37
Legatum in codicillis tollit primò legatum in testamento. p.237.n.22
*Legislator* tenetur legem suam seruare, quando materia legis est communis. p.34.n.25
*Lepra* adiungitur ad epidemiam, quæ nihil pestis, sed solùm infectionis aliorum periculum habet. p.206.n.2
*Leges* ciuiles de immunitate Ecclesiastica loquentes, approbantur à iure Canonico. p.4.n.2
Lex Moysis quoad confugij loca cum cæteris moralibus præceptis ad nos translata non fuit; atque ideo nunc abrogata est. p.25.n.17
Leges ciuiles seruandæ sunt quotiescumque Canonicis non contradicunt. ibid.n.29
Nulla Lex Canonica expresè de infidelibus disponit, gaudeant, vel non gaudeant immunitate. ibid.n.30
in Lege, quamuis pœnali, fit extensio, si alioquin non sequitur absurdum. p.37.n.2.
Leges ciuiles potius denegant, quàm concedant immunitatem debitoribus tributorum. p.39.n.3
Frustra Legis auxilium inuocat, qui legem contemnit. p.44.n.3.
Lex noua loquens in vno casu locum habet in altero. p.37.n.10.
Lex *quisquis*, citata solum loquitur de crimine læsæ maiestatis commisso aduersus Imperatorem, Consiliarios, & Senatores eius, eosque qui ei militant, & ideo non est extendenda ad crimen læsæ maiestatis commissum contra Rempublicam vel Principem inferiorem. p.69.n.34
Lex pœnalis extendi potest ad alios similes casus, præsertim quando in dispositione legis ratio scripta est, quia tunc non dicitur extendi, sed comprehendi sub expresso. p.74.n.2.
quod Lex pœnalis extendi possit ad casus similes & maiores ex identitate, vel maioritate rationis, non procedit quando agitur de præiudicio causæ fauorabilis. ibid.n.4

# Index Rerum,


Lex imponens pœnam priuationis vocis non extenditur ad priuationem vocis passiuæ, præsertim cum vox passiua non sit propriè vox. p.76.n.19

Lex fundata in præsumptione, deficiente præsumptione in aliquo casu, non obligat in conscientia. p.103. num.7.

In Legem committit non solum qui contra ius verba facit, sed etiam qui contra mentem. pag. 105. num.26.

in Legem committit non solum qui contra eius verba, sed etiam qui contra mentem agit. p.108.n.3

Certum est, quod is committit in legem, qui verba legis complectitur, & contra legis nititur voluntatem. ibid.n.4

Recedere debemus à verbis legis ad hoc vt mentem seruemus, idque non solum quando mens, seu ratio legis est expressa, sed etiam quando non est expressa. ibid.n.5.

Lex frequentioris vsus causa aliquid decernens, casum minus frequentem non excludit, sed comprehendit. ibid.n.8.

Lex licet prohibeat extensionem, tamen non renuit extensionem de similibus ad similia. p.109.n.13

Vbicumque & in quacumque materia ratio Legis locum habet, ibi etiam locum habet ipsa lex. ibid. num.15.

In his, quæ per rationem legis comprehenduntur, non dicitur fieri interpretatio extensiua, sed comprehensiua. ibid.n.16

Lex pœnalis licet extendenda non sit de casu ad casum à paritate, vel maioritate rationis, extendenda tamen est etiam quando agitur de censuris, quando alioquin redderetur elusoria. p.109.n.17

Lex extendenda est quando primariò est fauorabilis, licet secundariò sit odiosa. ibid.n.21

Leges latæ pro defensione immunitatis Ecclesiasticæ, etiamsi pœnas infligant, fauorabiles sunt, & inter priuilegia computari debent. ibid.n.25

Lex quotiescumque probationem requirit, de probatione concludenti, & perfecta intelligi debet. p.121. num.10.

Lex non se extendit vltra finem, & mentem legislatoris; præsertim quando verba non se extendunt vlteriùs. p.171.n.37

Lex secundum rationem attendenda est, & per rationem amplianda, & restringenda. ibid.n.38

Lex seruanda non est quando iniquè fieret, si seruaretur. p.173.n.5

Leges generaliter loquentes non censentur improbare quod aliis legibus est permissum. p.187.n.8

Lex non ligat quando de facto seruari non potest. p.200.n.3.

Lex interpretans in dubio intelligi debet iuxta legem quam interpretatur. ibid.

Lex noua interpretans recipit omnes interpretationes veteris, etiamsi strictiùs loquatur. ibid.n.4

Lex quantumcunque odiosa, & pœnalis extensionem admittit ad casus similes, si alioquin lex illa redderetur elusoria, vel si talis extensio cederet in fauorem animarum, Ecclesiæ, & similium. p.207. num.17.

Lex Ecclesiastica non obligat cum periculo vitæ, si non inuoluit aliquod bonum commune; secus autem si inuoluit. p.212.n.6

Lex debet esse iusta, & hominum moribus, & fragilitati accommodari. p.216.n.5

Leges pœnales quatenus præceptum continent, diriguntur ad subditos; quatenus pœnam infligunt, referuntur ad Iudices, vt eas in transgressores exequantur. ibid.n.6

Lex imponens taxam alicui rei venali, & imponens contrauenientibus pœnas non obligat ante criminis sententiam, licet ante omnem sententiam teneantur restituere excessum pretij. ibid.n.11

Leges tam Imperiales, quàm Pontificiæ imponentes pœnam ipso iure, & ante Iudicis sententiam obligantes, non tam rigorosè interpretantur, vt statim verbi gratia reus excidat dominio, sed quod Iudicis sententia retrotrahatur ad diem commissi delicti. p.219.n.11.

Lex pœnalis, & commissoria non est facta vt Respublica, vel alter pœnis locupletetur; sed solum vt leges seruentur, & subditi officium suum præstent. p.220.n.28.

Leges pœnales, præsertim Ecclesiasticæ, interdum statim ipso facto post commissum crimen, ante omnem Iudicis sententiam, efficiunt reum inhabilem ad acquirendum, vel ad vtendum acquisito. p.218. num.2.

Lex pœnalis probabiliùs non extenditur quoad pœnam ad casum non expressum, etiamsi in illo sit maior, nedum eadem ratio. p.256.n.11

Qui elegit nescire vt liberius delinquat, videtur grauius contemnere Legem; peccatum tamen illud dicitur grauius per relationem ad actum voluntatis, quo voluit quis ex proposito ignorare, non autem secundum se, & absolutè consideratum. p.258.n.6

Lex quæ punit occupantem rem alterius, non comprehendit occupantem rem hæreditariam; quia fictè, & non verè est alterius. p.259.n.15

Leges fauorabiles loquentes in casu vero, extenduntur etiam ad casum fictum. ibid.n.23

Lex pœnalis ex probabili non obligat sub mortali, quamuis contrarium sit probabilius. p.277.n.6

Legis intelligentia desumenda est ex ratione legis, quæ est anima legis. p.278.n.2

Lex pœnalis non debet extendi à casu expresso ad alium non expressum, præsertim diuersum. pag.283. num.3.

Lex nulla generalis in communi iure Pontificio, nec in aliis Pontificum decretis inuenitur, quæ prohibeat ingressum mulierum in virorum Monasteria sub mortali, neque ex natura rei in hoc actu per se est intrinseca malitia. ibid.n.5

*Libertatis* Ecclesiasticæ nomine non venit immunitas, siquidem libertas refertur ad personas, immunitas autem ad locum. p.111.n.2

*Licentia* in casu sedis vacantis petenda est à Vicario Capituli.

Vide in verbo *Vicarius*.

Licentia licet regulariter peti debeat ab illo, à quo negari potest, tamen debet peti à Iudice Ecclesiæ, qui illam negare non potest, ne generetur confusio. p.117.n.9.

Licentia egrediendi è Monasterio debet esse in scriptis, sicut & ingrediendi in ipsa. p.202.n.9

Licentia egrediendi è clausura conceditur etiam in causis recensitis. p.207.n.18

concedens Licentiam ex officio aliis ingrediendi Monasteria non debet esse deterioris conditionis quàm alij, sed debet vti in ingressu duabus conditionibus, hoc est vt id faciat in casibus necessariis, & à paucis, iisque senioribus, ac Religiosis viris comitatus. p.235.n.2

Licentia ingrediendi debet esse specialis, & iam concessa intelligitur pro vnica tantum vice. ibid.n.1

Licentia ingrediendi Monasterium Monialium non sufficit, nec valida est si non faciat mentionem de ingressu Monasterij, etiamsi sit ad quoscumque actus per superiorem concessibiles; valida tamen est si sit ad ingressus cuiuscumque Monasterij. p.236. num.2.


Licentia

Licentia ingrediendi indefinitè concessa intelligitur pro vna vice tantum, nisi aliud in ea explicetur. ibid.n.3.

habens Licentiam specialem loquendi cum Moniali, si ea vtatur in tempore quo omnibus est concessum cum ipsis loqui, non potest amplius ea vti. ibid. num.13.

ingrediens ex vi Licentiæ generalis, videtur renunciasse licentiæ speciali. ibid.n.23

Licentia ingrediendi clausuram Monasterij Monialium debet esse in scriptis, nec sufficit tacita, nec oretenus concessa. p.238.n.1

Licentia in scriptis requiritur etiam ad licitum Monialis ex clausura egressum. ibid.n.2

Licentia oretenus à Prælatis concessa Clericis adstrictis residentia non excusat eos à fructuum amissione. p.238.n.7.

Licentia in scriptis necessaria est etiam ingredientibus verbi gratia ministrandi causa Sacramenta, medendi infirmis, vel construendi ædificium; quia licet his omnibus in specie sit concessa, non autem est in individuo. p.239.n.11

Licentia in scriptis non est necessaria ministris quando periculum est in mora, & superior non possit commodè adiri, & si sit periculum eam obtinendi oretenns, absque ea ingredi possunt. ibid. num.13.

Licentia si in solo scripto expectando periculum esset, est necessaria oretenus. ibid.n.14

Licentia ingressus sicut debet esse in scriptis, ita licentia ingressus alicuius Monialis in scriptis esse debet. p.239.n.20.

Licentia ingrediendi ad hoc vt sit iusta, requiritur quod ingrediendi causa sit iusta, & manifesta. p.240. num.1.

Licentia ad concedendam ingrediendi facultatem non requiritur, quod sit etiam in scriptis. ibid. num.1.

Licentia ad concedendam ingrediendi facultatem non est propriè ingrediendi licentia, quam solam in scriptis obtineri petit Tridentinum corrigens cap. periculoso,de Regul. in 6. ibid.n.2

Licentia pro Medicis, Chirurgis, &c. concedi solita, singulis quibuscumque trimestribus renouari debet. p.241.n.10.

Licentia ingrediendi non est concessa nisi ob causam, qua cessante, cessat ipsa licentia. pag. 250. num.3.

Licentiæ concessæ ingrediendi claustra monialium quibuscumque fœminis, reuocatæ fuerunt à Gregorio XIII. & ab eo auctæ fuerunt pœnæ latæ contra violantes clausuram, qui ex eiusdem decreto incurrunt excommunicationem ipso facto, à qua non possunt absolui, nisi à Romano Pontifice, præsciso mortis articulo. p.252.n.2

Licentiæ ingrediendi olim aliquibus mulieribus concessæ, reuocatæ fuerunt, & per quos, & quomodo. ibid.n.9.

Licentia non liberam, sed prudentiæ consonam voluntatem importat ad allegata per Bartolum. pag. 254. num.4.

Licentia, vtpotè ab inferiore sine iusta causa concessa est nulla, & irrita. ibid.n.6

Superior concedens Licentiam ingrediendi sine iusta causa non incurrit excommunicationem. ibid. num.7.

Qui obtenta Licentia accedendi ad Monasterium, & loquendi cum aliqua ibi, aliquam data occasione alloquitur, non violat præceptum prohibens accessum; secus si præceptum sit de non loquendo.p.273. num.7.

Licentia requisita vt possint moniales licitè è clausura egredi, quomodo, & ex quibus causis possit concedi, videnda est Bulla 8. Pij V. p.29.& seqq.

Licentiæ, & indulta quæcumque quibusl bet mulieribus concessa ad ingrediendum clausuram quorumvis Ordinum Regularium reuocantur; prohibeturque vti huiusmodi licentiis pro casibus necessariis concedendis, præterquam ipsis necessitatibus vrgentibus, in Bulla 28. Gregorij XIII. pag. 299. & seqq.

Licentiæ ingrediendi monasteria monialium, aut cum eis conuersandi, quibusvis mulieribus hactenus concessæ reuocantur per Bullam 74. Pauli V. p. 311. & seq.

*Literæ* concessæ particularibus locis contra immunitatem,non sunt generaliter ad omnia loca extendendæ. p.84.n.14.

Literas scribere ad Moniales licet in iuribus præcitatis non sit prohibitum; attamen in aliquibus Diœcesibus iure speciali id vetitum est. pag.276. num.25.

scriptio Literarum est effectus intrinsecus, quem significant illa verba; tamen id locum habet quando legislator non petit expresè, vel tacitè effectum extrinsecum. ibid.n.28

Literæ Senatus Mediolani super obseruatione festiuitatis S.Dominici in dicto Statu,nullæ declarantur per Bullam Innocentij X. p.327.& seq.

Literæ processus lectæ die Cœnæ Domini anni 1656. referuntur. p.328.& seq.

*Locatio* facta de fundo non exspirat morte locantis, quia tunc locatio ipsum fundum immediatè attingit. p.174.n.4.

Locatio vltra triennium ex extrauaganti *Ambitiosæ*, inualida est, & canonicis pœnis obnoxia. ibid. num.5.

Locatio ad longum tempus reputatur alienatio, eo quod per ipsam vtile dominium transferatur in conductorem. p.184.n.2

Locatio facta ad vitam locantis, vel conducentis inualida est, quia talis locatio ex natura sua durationi temporis longi subest. ibid.n.5

Locatio bonorum Ecclesiasticorum vltra biennium prohibita est Bulla 5. Pauli II. p.289.& seq.

*Locus* deputatus ab Episcopo ad sacrificia sacer censetur, ideoque nullis temerariis ausibus profanandus. p.9.n.2.

non omnia Loca, in quibus exercentur opera pia, gaudent immunitate. p.12.n.16

Loca sacra semel Deo dicata ad vsus profanos conuerti amplius non possunt. p.16.n.3

Locus sacer dicitur proprium Iudicis Ecclesiastici Territorium; vnde ex captura Clerici in eo, non sequitur Ecclesiæ irreuerentia. p.33.n.9

Locus in quo erat Ecclesia, nunc profanata, & diruta, alienari non potest sine iuris solennitatibus. p.163. num.4.

in Loco, vbi iam erat Ecclesia modò diruta, non potest fieri stabulum; & gaudet immunitate. ibid. num.5.

Locus clausuræ est qui continetur ianua clausa, ad quam secularibus non patet accessus. pag. 198. num.3.

*Lucrum* non capere, & acquisita perdere, paria non sunt. p.147.n.14

M

*Maria* Magdalena, & Martha eius soror cum aliis virginibus in quodam Cœnobio simul vixisse perhibentur. p.192.n.17

*Magistratus* summus assistens lateri supremi Principis facit vnum corpus cum illo. p.71.n.3

Magistratus seculares præstare debent auxilium brachij secularis, si opus fuerit eo vti ad cogendas Moniales ad clausuram sub excommunicationis non reseruatæ pœna ipso facto incurrenda, secus autem Principes, qui tantum à Concilio Tridentino ad huiusmodi auxilium præstandum exhortantur. p.200. num.9.

Magistratus, & deputati ad curam Monialium non debent ingredi cum Episcopo, nisi eos Episcopus elegerit. p.244.n.5

Committens crimen læsæ *Maiestatis* in personam Principis, non quidem spectato iure communi, sed tantum constitutione Gregoriana, priuatur immunitate. p.67.n.1.

Delictum læsæ Maiestatis in personam Principis est atrocissimum. ibid.n.2

in crimine læsæ Maiestatis punitur affectus, effectu non secuto, bona acquiruntur Fisco, potest de eo cognosci post mortem, & rei memoria damnari. ibid.n.3.

Explicatur, quinam, & quando committentes crimen læsæ Maiestatis priuentur immunitate Ecclesiæ. ibid.

Filij ob crimen læsæ Maiestatis excluduntur à successione parentum, & aliorum consanguineorum, licet solum parentes tale delictum commiserint. ibid. num.4.

Filij reorum læsæ Maiestatis puniuntur magis ac filij hæreticorum. ibid.n.5

Crimen læsæ Maiestatis humanæ in muliere non contingit, & leges accommodantur ad ea, quæ frequenter accidunt, & casu, quo contingat, est leuioris considerationis. p.68.& seq.n.31

Committentes crimen læsæ Maiestatis in personam Principis superiorem recognoscentis, vt in Principes, Duces, Marchiones, Comites, & Barones Regni, non priuantur Ecclesiæ immunitate. pag.71. sect.3.n.1.

Committentes crimen læsæ Maiestatis in Statum Principis (quamuis supremi) vel in vxorem, consanguineos, Officiales, vel Consiliarios eius, gaudent Ecclesiæ immunitate. ibid.sect.4.n.1

*Mancipium*, & iuramenta rusticana etiam inter bona immobilia connumerari debent; si tamen ista affixa sint prædiis tanquam illorum pars, aliàs secus. p.134.n.7.

*Mandans* aliquem mutilari, vel occidi in Ecclesia, non priuatur immunitate, siue mandatum detur in Ecclesia, siue extra ipsam. p.52.n.1

Mandans in Ecclesia aliquem mutilari existentem extra, quia tunc videtur habere reuerentiam Ecclesiæ, gaudet immunitate. ibid.n.4

Mandans videtur facere per ipsum ex iuris interpretatione, & impropriè, quod in pœnis locum non habet. ibid.n.8

Mandans, aliquem è loco sacro extrahi, contrahit excommunicationem, non autem immunitatis priuationem. ibid.n.10

Mandans aliquem occidi, committit crimen homicidij moraliter, non autem physicè. ibid.n.11

Mandans si morte non secuta punitur vt assassinus, punietur vt assassinus etiam in priuatione immunitatis. p.63.n.2.

*Mandatum* alicui datum locandi res Ecclesiæ, extenditur tantum ad triennium, quo finito Procurator non potest absque nouo mandato in aliud triennium illas locare. p.189.n.2

Mandatum si detur ad locandas res Ecclesiæ bis vel ter, finitur primo triennio elapso. ibid.n.3

Mandatum si procuratori datum sit ad locandum vltra triennium simultaneè, non valet; secus autem si datum sit ad locandum successiuè. ibid. num.3.

*Marito* permittitur repudiatio legati, vel hæreditatis, vt vxori obueniat. p.147.n.9

si maritus, qui iure prohibetur donare vxori, & è contra repudiet hæreditatem, seu legatum sibi delatum, & nondum acceptatum, vt perueniat ad vxorem, repudiatio valet, si scilicet vxor alias erat successura. Secus si nullum habebat, & maritus repudiet in fauorem vxoris. pag. 148. num. 28. & 29.

*Mater* filium infantem, vel si quis alius occidat fœtum animatum per aliquam potionem, non gaudet immunitate, contra nonnullos. p.49.n.3

Matri non licet ingredi Monasterium vt inuisat filiam moribundam, & multo minus habitum suscipientem, & professionem emittentem. pag.242. num.3.

Matri, sorori, vel aliis consanguineis Monasterium ingredi non licet, vt Monialem visitent, aut illius professioni, vel morti assistant. p.249.n.4

An Iudex laicus sit competens, quando agitur de possessorio *Matrimonij*?
Vide in verbo *Iudex*.

*Medici*, Chirurgi, Barbitonsores, seu sanguinis minutores, & similes necessarij morbo Monialium curando iustam ingressus causam habent. pag. 241. num.1.

Medici statim in ipso morbi principio monentur suadere infirmis, vt Confessionis, & Eucharistiæ suscipiant sacramenta. p.243.n.7

*Metus* grauis censetur iustus & probabilis in ordine ad forum externum, & leges positiuas Ecclesiæ; quamuis interdum spectato iure naturæ à peccato mortali non excuset. p.263.n.25

Fratres *Minores* ex indultu Leonis X. vocati à Prælatis Ecclesiarum, aut à Prælatis Religiosis, aut à Visitatoribus habentibus curam aliquorum Monasteriorum Monialium ad hoc vt visitent prædicta Monasteria, &c. possunt ingredi. p.233.n.7

*Minorum* prædia ob solum æs alienum vigore legis distrahi possunt, & non obstante particula taxatiua, ampliantur ex glossa etiam ad casus similes. p.207. num.12.

Minor iurans reputatur maior ratione iuramenti per fictionem iuris, à qua fictione pœna recedit. p.259. num.15.

*Missa*. Decreta Sacræ Congregationis Concilij Tridentini authoritate edita super celebratione Missarum in Bulla Vrbani VIII. p.324.& seqq.

*Modus*, seu grauamen, vt promissioni accessorium censeatur, ideoque à Promissario implendum sit, requiritur primò fieri in continenti; secundò modum adiectum esse possibilem; secus non tenet. pag.145. num.9.

Modus promissioni, donationi, vel alteri dispositioni adiectus, est veluti accessoria pactio, seu obligatio; quapropter ipsa corruente propter sui impotentiam, non etiam corruit pactio, seu obligatio principalis; cum principale non pendeat à suo accessorio. ibid. num.10.

Modus adiectus tanquam causa finalis, ac principalis resoluitur in conditionem sine qua non, quia tunc corruit donatio, vel legatum. ibid.n.11

Modus adiectus non tanquam causa finalis, ac principalis, sicut non resoluitur in conditionem sine qua non; ita etiam non efficit promissionem, vel donationem reuocabilem. Obligat tamen ad præstandam eius æstimationem. ibid.n.12

Modus

Modus, quem Pontifex tacite appoſuiſſe præſumitur in alienatione ob cauſam futuram facta cenſetur Eccleſiæ defenſio, pauperum auxilium, templorum reſtauratio. p.177.n.10

*Monachus*, ſeu Religioſus acceptans rem ſibi teſtamento legatam ſine licentia prælati, licet valide acceptet, peccat tamen. p.145.n.24

Monachus, vel Religioſus in iure quærendo non ſolum prodeſſe, ſed etiam obeſſe poteſt Religioni, ſcilicet ſi donationem ſibi faciendam reſpuat, validè renunciat; & ſic ſine violatione voti Paupertatis rogare poteſt offerentem, vt alteri dare velit. ibid. num.26.

Apprehendens manibus valuas oſtij *Monaſterij* Monialium non violat clauſtrum Monialium, & tamen apprehendens valuas Eccleſiæ gaudet Eccleſiaſtica immunitate. p.11.n.5

Monaſterium licet legatorum incapax non dicatur, tamen incapax eſt retinendi rem mobilem pretioſam, & propterea ea eſt monaſterio per acceptationem incorporata. p.149.n.5

Monaſterium, vel conuentus & hortus ei annexus non poteſt alienari ſine iuris ſolennitatibus. pag.163. num.6.

Tranſitus ad arctiora Monaſteria de iure antiquo concedebatur, per ius nouum apparet ſublatus. pag.214. num.3.

Quinam prohibeantur ingredi Monaſteria Monialium ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ſine licentia. p.230.n.1

nomine Monaſterij Monialium venit ſpatium illud, quod intra Monaſterij ianuam ſemper clauſam continetur, modò clauſuræ deputatum ſit. pag.231. num.1.

Recipiens ſe intra Monaſterij ianuam, quæ ſemper claudi ſolet etiam ad vnum, vel duos pedes, incurrit ſecundum probabiliorem opinionem pœnas latas contra violatores clauſuræ. ibid.n.2

Nomine Monaſterij veniunt horti contigui, nemora & alia loca ei annexa, quæ Monaſterij muris, ſeu ſeptis cinguntur, maximè ſi per clauſtra Monaſterij ſit ad ipſa ingrediendum: prædicta intellige præciſa conſuetudine in contrarium, ſi alicubi ſit. pag.282. num.7.

ingrediens Monaſterium pro cauſa expreſſa in licentia particulari, ſi habeat licentiam generalem verbi gratia ingrediendi ad videndam conſecrationem Abbatiſſæ, poteſt iterum ingredi pro cauſa particulari expreſſa in tenore licentiæ. p.237.n.25

Ingredi clauſuram Monaſterij Monialium ſi ſolum ſolennitas ſcripturæ deſit, ex probabiliori ſententia eſt culpa mortalis. p.238.n.3

Ingredientes Monaſteria quomodo & à quibus comitari debeant, deſumendum eſt ex ſtatutis, & conſtitutionibus Monaſterij, præcipuè ex conſtitutionibus Pontificis, ſi quæ fuerint circa hoc. pag.241. num.2.

Quæ requirantur pro ingreſſu licito ad Monaſteria ſanctæ Claræ, & alia Monaſteria, quæ ſtrictiorem clauſuram profitentur. p.248.n.5

Stans in oſtio Monaſterij non peccat, nec pœnas contra clauſuram violantes latas incurrit. pag.250. num.7.

Ingrediens Monaſteria Monialium ſolùm virtute facultatis alicuius ſibi conceſſæ, vel etiam ingrediens abſque vlla prorſus facultate, ſeu licentia, contrahit pœnas motus Greg.XIII. p.256.n.1

Ingredi Monaſteria Monialium, eaque ſine licentia frequentare, & ſine iuſta cauſa eſt prohibitum. p.273. num.1.

Qui cogitauit ſe transferre ad Monaſterium, & iter inchoauit; ſed ab inchoato itinere deſiſtit, non dicitur accedere ad Monaſterium. ibid.n.3

Qui domum Monaſterio contiguam habet, & è feneſtra ſuæ domus Monialem alloquitur, non dicitur ad Monaſterium accedere; quia non dicitur ſe ad Monaſterium transferre, cum ibi exiſtat. ibid. num.4.

Mittens ſeruum ad Monaſterium propriè non dicitur ad Monaſterium accedere; miſſus tamen propriè accedit, & ſic iſte pœnas accedentium incurrit, niſi iuſta cauſa excuſetur. ibid.n.5

*In cap. periculoſo*, nulla pœna imponitur accedentibus ad Monaſteria Monialium; ſecus eſt in cap. Monaſteria, vbi Clerici præſumentes ea frequentare, ſi moniti ab Epiſcopo non deſtiterint, ſuſpenduntur; ſi verò laici ſint, excommunicantur non latæ, ſed ferendæ ſententiæ. p.275.n.5

Frequentare Monaſteria ſatis habetur per duos acceſſus, quia actus geminati conſuetudinem inducunt. ibid. num.10.

nomine Monaſteriorum, quæ aditi, vel frequentari prohibentur, probabilius veniunt Moniales, ita vt ſumatur continens pro contento. ibid.n.14

Frequentia Monaſteriorum cauſa audiendi diuina, vel videndi exteriorem ornatum Monaſterij, vel ſimili alia de cauſa, non prohibetur; ſed ſolum cauſa locutionis, ſiue aſpectus, ſiue actiui, ſiue paſſiui Monialium. ibid.n.15

Frequentia, vel etiam acceſſus ad Monaſteria vt non ſit prohibitus, requiritur manifeſta cauſa & rationabilis, non omnibus, ſeu maiori parti populi, ſed concedenti. ibid.n.16

Frequentare Monaſteria præciſo ſcandalo & praua intentione non eſt peccatum mortale ſecundum probabiliorem opinionem, contra nonnullos oppoſitum affirmantes. p.277.n.1

Non ſolùm frequentare ſine iuſta cauſa, & licentia ſuperioris, ſed etiam vel ſemel Monaſteria adire eſt peccatum veniale. ibid.n.3

Ingredi virorum Monaſteria eſt prohibitum mulieribus ex motu Pij V. qui incipit, regularium perſonarum, & ex motu Gregorij XIII. Vbi gratiæ. pag.278. num.1.

Nomine virorum Monaſterij, in quod fœminarum ingreſſus, & admiſſio prohibetur, probabiliùs veniunt ſolùm quæ ſunt intra monaſterij ambitum, ſeu ſepta, quæ vna clauſura clauduntur, ita vt pro eodem ſumatur domus, & Monaſteria. pag.281. num.1.

Nomine virorum Monaſterij licèt non veniant Religioſorum prædia, domus ruſticæ & horti à monaſterio ſeparati, non decet tamen mulieres ad hæc loca ingredi, vel admitti, licèt ceſſet prohibitio. p.282.n.4.

Nomine Monaſterij non venit chorus Eccleſiæ Religioſorum. p.282.n.5

Nomine Monaſterij veniunt etiam Sacriſtia Eccleſiæ contigua ſolo pariete intermedio eam ab Eccleſia diuidente, præciſa tamen conſuetudine in contrarium, ſi alicubi ea ſit. ibid.n.9

Nomine Monaſterij veniunt etiam prioratus, quos habent Monachi ſancti Benedicti, vel ſancti Bernardi, & ſimiles. ibid.n.10

Nomine Monaſterij non veniunt Religioſorum domus nondum completè fabricatæ, ſed fabricari inceptæ. ibid.n.11.

Nomine Monaſterij veniunt Religioſorum domus, quæ vulgo reſidentiæ vocantur, ſi eæ perpetuæ ſint habentes Eccleſiam cum Euchariſtia; ſecus contra. ibid. & ſeq.n.15.

Nomine Monaſterij non venit atrium ſcholarum, etſi hæ

hæ contiguæ sint Collegio Societatis Iesu. p.283. num.16.

*Monialium* aliquorum Monasteriorum consuetudo circa ingressum intra eorum septa recensetur, & ad Episcopum spectat reformatio in non exemptas iure ordinario, in exemptas iure delegationis à Sede Apostolica. p.191.n.14

Monialibus non licet habere ostium, per quod ex Monasterio interiori introiri possit in ipsarum Monialium Ecclesiam exteriorem. p.197.n.1

Monialibus, etiam tertiariis, non licet ingredi à ianua Monasterij, quæ est pro clausura Monasterij ipsius etiam ad claudendam aliam vlteriorem ianuam, &c. ibid.n.2.

Moniales ascendentes supra tecti tegulas, si intra eam partem, quæ monasterium respicit, contineantur, clausuram non violant, secus si eam prætergressæ ad alienam tecti partem transeant. pag.198. num.4.

Monialis siue iuste, seu iniuste à Monasterio egressa, & intra domum aliam priuatam inclusa, si ex hac egrediatur, clausuram non violat. ibid.n.7

Monialis, quæ se ponit in rota, & facit illam volvere versus partem exteriorem, vbi non est clausura, licet in opinione nonnullorum violet clausuram, secus tamen est in sententia Auctoris. ibid. num.9.

Moniales professæ etiam Ordinum Militarium S.Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, &c. astringuntur clausura. p.198.n.1.

Moniales cuiuscumque Ordinis etiamsi Hierosolymitanæ sint, comprehenduntur in decreto de clausura. p.199.n.2.

Moniales, quæ ante Tridentini decretum clausuram seruare non consueuerint, astringuntur clausura. ibid. num.3.

Moniales conuersæ, & Tertiariæ cuiuscumque Ordinis, vel Congregationis, si verè professæ sunt, astringuntur ad clausuram. ibid.n.6

Moniales quæ faciebant professionem ea conditione, vt clausura non obstringerentur, probabilius non sunt professæ. ibid.n.9

Oblatæ non tenentur ad clausuram, quia non sunt vere Moniales, nec professionem emittunt. ibid. num.10.

Moniales, quæ vel ex regula, vel ex voto tenentur ad clausulam, peccant eam violando contra regulam, vel votum, vel etiam contra præceptum Ecclesiasticum. p.200.n.17

Moniales si egressæ fuerint sine licentia Ordinarij à clausura, & superiores regulares si licentiam dederint censuris Ecclesiasticis, ab ipsismet Ordinariis puniri poterunt. p.202.n.3

Clausuram Monialium inducere spectat ad Episcopos vt Sedis Apostolicæ Delegatos, non item quod Moniales è clausura egredi non possunt; quia Concilium loquitur simpliciter de Episcopo, & consequenter extendi etiam potest ad Vicarium. pag.203. num.5.

Moniali non potest dari licentia egrediendi à clausura absque causa graui, scilicet magni incendij, infirmitatis, lepræ, aut epidemiæ. p.205.n.1

Egredi è clausura est res grauis, multis scandalis, ac Monialium castitatis periculis plena. ibid.n.2.

Moniali laboranti morbo contagioso, vt gallico, S.Lazari, Ignis sancti Antonij, & alicuius similis, dari potest licentia egrediendi è clausura, si moraliter loquendo non posset intra Monasterium curari sine graui periculo contagionis aliarum. pag.208. num.1.

Moniali satis probabiliter, vt sit Abbatissa alterius Monasterij, eiusdem Religionis tamen, & habitus dari potest licentia egressus. ibid. dub.13.n.1

Moniali conceditur egressus à Concilio Tridentino, dummodo in Monasterio, in quo facta est Abbatissa, non reperiatur Monialis idonea cum dotibus, & qualitatibus ibi requisitis ad munus prædictum exercendum. ibid.dub.14.n.3

Moniali concedi potest egressus, vt sit magistra nouitiarum in alio Monasterio, eiusdem tamen ordinis, & habitus; quin vt præsit portæ, vel rotæ, vel alteri muneri. p.209.n.4

Monialis finito officio potest de consensu vtriusque Monasterij ad prius Monasterium redire, etiamsi socia, cum qua egressa fuerit, redire non velit. ibid. num.5.

Moniali concedi potest egressus, si sit necessaria ad fundandum nouum Monasterium. ibid.n.8

Monialis quacumque causa transferatur, ali debet à Monasterio, è quo transfertur. ibid.n.13.

Monialis si transeat ad aliam Religionem de consensu Religionis à qua transit, deferre debet secum dotem, & alia bona quæ ad ipsam spectant, secus si ex propria voluntate. ibid.n.14

Moniali concedi non potest egressus, vt visitet Monasteria sibi subiecta; quia id decentius, & commodius præstari potest per Prælatos regulares. pag.210. num.1.

Monialis si transeat de vno Monasterio ad aliud eiusdem ordinis, dotem portare non debet. pag.209. & seq. num.15.

Monialium Monasteriis pressis necessitate debetur dimidium omnium elemosynarum à quibuscumque vbicumque terrarum quacumque dispositione pauperibus faciendarum, nisi sint in pauperes certos erogandæ, nec sint ad vsus alios, quàm sustentationem, destinatæ. p.211.n.6

Monialis concedi non potest egressus ob morbum quantumvis periculosum, si contagiosus non sit, licet salus eiusdem desperetur. p.212.n.1

Moniali, si morbus non sit contagiosus, neque concedi potest licentia, vt se transferat ad Monasterium eiusdem ordinis, cuius situs salubrior sit. ibid. num.15.

Monialis, ne occidatur, potest egredi è clausura. ibid. num.7.

Monialibus cuiusdam Monasterij de facto concessit Gregorius XIII. liberum egressum, quotiescumque morbo periculoso laborarent. ibid.n.8

Monialis morbo non contagioso, sed periculoso laborans, si sine Summi Pontificis dispensatione egrederetur è clausura, peccaret, nec Prælatus inferior licentiam huiusmodi concedere potest. ibid. num.10.

Monialis potest è clausura egredi, si periculum vitæ sibi certò immineat ad graues molestias, & vexationes, quas iniustè patitur. ibid.n.11

Monialis grauida effecta non potest exire, etiam ad saluandam famam, vt fœtum foris edat, sine legitima Summi Pontificis, vel alterius superioris licentia. ibid.n.12.

Monialis non potest sine legitima licentia Summi Pontificis egredi ad habendam curam neporum, & omni auxilio carentium. ibid.n.13

Moniali concedi potest egressus, vt ad strictius Monasterium transeat, contra nonnullos Doctores asserentes id solum statutum esse pro viris, non fœminis. p.213.dub.19.n.1.

Ad bonum commune Monialium spectat posse ad perfectiorem viam transire. ibid.& seq.n.2

Moniali adeo incorrigibili, vt in nullo Monasterio eius correctio speretur, concedi non potest licentia egressus

egressus inconsulto summo Pontifice, licet in rigore iuris, contrarium videatur. pag. 213. dub. 18. num. 1.

Monialis incorrigibilis carceri potius, ne alias inficiat, tradi debet quam cum tanto scandalo, & præiudicio boni communis è Monasterio eiici. ibid. num. 2.

Monialis potest seruatis seruandis transire de vna Religione ad alias, & in Religione, ad quam transit, debet facere nouitiatum, & emittere professionem. p. 214. n. 5.

Monialis necessitate cogente, si non sit aditus ad superiorem pro obtinenda licentia, potest eo inconsulto egredi. p. 215. n. 1

Monialis ad tempus legitimè egressa, nempe ob morbum, vel alium casum permissum, tenetur sanitate obtenta, vel negotio finito ad Monasterij clausuram redire. p. 214. n. 1

Monialis non præsumitur necessitate cogente coarctari à superiore ad seruandam clausuram. p. 215. n. 3

Monialis necessitate cogente egressa sine superioris licentia, tenetur eidem significare suum egressum, si duret, & ipsa possit. ibid. n. 4

Monialis egressa legitimè si in redeundo ad Monasterium sit morosa per moram breuem, v. g. vnius vel alterius diei, non violat præceptum clausuræ. p. 214. num. 4.

Monialis egressa legitimè, si finito negotio aliò diuertat per moram vnius, vel alterius diei, verbi gratia ad visendam imaginem, consanguineam, amicum, &c. non violat præceptum clausuræ. ibid. num. 3.

Moniali clausuram violanti, & ei fauentibus duplex pœna infligitur. Prior excommunicatio Pontifici reseruata, posterior priuatio dignitatum, & officiorum. p. 215. dub. 22. n. 1.

Moniales clausuram violant & censentur à Monasterio egredi, si ad Ecclesiam suam, vel ad spatium, quod est inter portam Monasterij clausam, & alteram secularibus patentem, egrediantur, & ita incurrunt pœnas contra violantes clausuram impositas. p. 226. n. 1.

Moniales non incurrunt dictas pœnas, si licitè sine licentia superioris ob periculum in mora adeundi illum egressæ fuerint, postea ad Monasterium regressæ superiorem non moneant. ibid. n. 4

Moniales iustè egressæ à Monasterio, si finita causa egressus, statim non regrediantur, sed diu culpabiliter extra Monasterium morentur, vel vagentur, non incurrunt dictas pœnas. ibid. n. 5

Moniales conuersæ professæ existentes in domibus Monasterio contiguis ad petendas eleemosynas, non incurrunt dictas pœnes, etiamsi ob inutilia, quin ob praua opera ex illis egrediantur. p. 227. n. 7

Comitantes, vel recipientes Monialem illicitè egressam, ita vt faueant huiusmodi egressui, vel perseuerantiæ in illo, seu sint causa efficax huiusmodi egressus, vel perseuerantiæ in illo, cooperando Monialis delicto, contrahunt dictas pœnas. pag. 227. num. 1.

Moniales licitè à suo Monasterio egressæ non includuntur in dicta prohibitione; & liberum est Abbatissæ istas absque alia superioris licentia admittere, præsertim si sint eiusdem ordinis, & habitus, & iter faciant; secus si ingrediantur ex pura recreatione, vel causa inuisendæ amicæ. p. 231. n. 8

Moniales choro deputatæ, durissimum est si grauentur inferioribus officiis. p. 248. n. 2

Monialis commodè potest confirmari per feneſtellam, per quam Moniales Eucharistiam recipiunt. p. 249. dub. 51. n. 2.

Ingrediens Monialium Monasterium ex legitima licentia, tenetur finito negotio statim egredi. p. 250. num. 1.

Monialis ex legitima licentia è Monasterio egressa, tenetur finito negotio statim egredi. ibid. n. 2

Monialis legitimè egressa, si finito negotio extra Monasterium degat cum quacumque praua intentione, & executione, non incurrit censuras, & cur? ibid. num. 8.

Moniales præsumentes admittere in sua Monasteria ingredientes prædictos respectu facultatum contrahunt easdem pœnas. p. 268. n. 8

Monialis admittens tam virum, quàm fœminam incurrit pœnas dicti motus. p. 270. n. 10

Monialis si vrgente necessitate aliquem admittat, non incurrit dictam excommunicationem & pœnas, & cur. ibid. n. 11

Monialis, si ad ipsam non spectet impedire ex officio verbi gratia, cum non sit prælata Monasterij, nec præsit portæ custodiendæ, non incurrit pœnas dicti motus Gregorij XIII. secus si ingredienti ianuam aperiat, consulat, iubeat, vel mandet, aut si manu trahat, inuitet, & aliquo alio modo positiuo faciat quempiam ingredi. p. 269. n. 2

Monialis qualiscumque illa sit, si mandet, vel consulat ingressum personæ, quæ ingreditur, contrahit dictas pœnas. ibid. n. 3

Monialis, si non mandet, vel consulat ingressum personæ, quæ ingreditur, sed alteri, contrahit etiam dictas pœnas, si tenebatur ex officio impedire ingressum; at contrà si non tenebatur ex officio. ibid. num. 4.

Monialis qualiscumque etiam illa sit, si confabuletur, vel comitetur personam, quæ illicitè Monasterium ingreditur, non contrahit dictas pœnas, sed peccat tantum mortaliter, vel venialiter prout sua locutione dat ansam notabilis, vel leuis moræ. ibid. num. 5.

Monialis qualiscumque etiam illa sit, non contrahit dictas pœnas, si admittat ad ingressum ex aliqua inaduertentia, obliuione, negligentia, ignorantia etiam crassa, & supina, quin & affectata, vel ex aliquo bono fine, verbi gratia ne admissus ab inimicis percutiatur, &c. ibid. n. 6

Monialis, quæ virum, vel fœminam prætextu licentiarum ingredientem in Monasterium Monialium extra casum necessitatis admittere præsumit, ipso facto incurrit excommunicationem Pontifici reseruatam, priuationem officiorum, & inhabilitatem ad illa. ibid. n. 7

Superior Monialium, aut alius admittens non incurrit pœnas dicti motus; quia textus loquitur tantum de Monialibus. p. 270. n. 8

Monialium numerus in vnoquoque conuentu præscribitur, & clausura indicitur, pœnæque eisdem, earumque receptatoribus & fautoribus ac Superioribus imponuntur, si sine licentia ex causa magni incendij, vel infirmitatis, lepræ, aut epidemiæ eis tantummodò concedenda è monasteriis egrediantur, in Bulla 8. Pij V. p. 290. & seqq.

Monialium absque licentia è clausura exeuntium pœnæ præscribuntur. p. 292. §. 2

*Monetarum* tonsores, & alij sine armis, & violentia subripientes, seu occultè, vel in viis priuatis, aut etiam in viis publicis, at non per insidias, sed quasi ex accidenti furantes, non priuantur immunitate Ecclesiæ. p. 44. n. 5.

Cudens falsam Monetam, vel bonam tondens non priuatur immunitate ob rationes supra dictas. pag. 84. num. 1.

Cudens falsam Monetam, vel bonam tondens committit

mittit iniustitiam aduersus Rempublicam, & Regem; & sic committit furtum publicum, non tamen dicitur committere latrocinum publicum, quod requiritur ad perdendam immunitatem. ibid. num.2.

Cudens falsam Monetam committit crimen læsæ maiestatis in statum Principis, non autem in personam eiusdem. ibid.n.3

*Motus* proprius Pij V. & cap. periculoso, de statu regul. in 6. interpretatur. p.199.n.5

Motus Pij V. qui incipit, Decori & honestati, non est vbique vsu receptus, vbi tamen vsu receptus est non potest Superior regularis sine Ordinario dare licentiam egressus, secus tamen est, vbi motus prædictus non est vsu receptus. p.202.n.7

Motus Gregorij XIII. excommunicat Religiosos vtriusque sexus si in vnum seu collegialiter coacti quempiam virtute facultatum ingredi faciant, vel permittant. p.266.n.3

Motus Gregorij XIII. puniens conuentum prætextu facultatum aliquem ingredi facientem vel permittentem, afficit tantum superiores, & eorum consultores, seu præcipuos Officiales, quorum consilio Superior gubernatur. ibid.n.9

*Mulier* ex vnico actu fornicationis non dicitur publica meretrix, nec quis ex vnico actu vsuræ dicitur publicus vsurarius. p.41.n.12

Multer nupta ob timorem viri suspicantis eam esse adulteram, iustam habet diuortij causam. p.247.n.6

Mulieres etiam coniugatæ ex declaratione factæ Congregationis, admitti possunt in monasteriis Monialium, si adsit casus vrgens, & grauis necessitas. ibid. num.10.

Mulieres seculares habentes licentiam ingrediendi, non possunt ea vti, nisi accedat consensus Monialium capitulariter obtentus, secus incurrunt censuras. p.250.n.10.

Mulier ingrediens Religiosorum Monasterium, in quo scit hic, & nunc nullum Religiosum esse, probabilius peccat mortaliter, & contrahit censuras; quia per accidens est in aliquo casu non violari finem legis. p.279.n.5

Mulieres aliquæ seniores, & selectæ ingredi possunt cum Imperatricibus, & Reginis ratione decentiæ. ibid.num.3.

Mulieres Monasteriorum virorum fundatrices non comprehenduntur in prohibitione, vbi vide quomodo Gregorius XII. derogauerit regulæ Fratrum Minimorum, & quidnam indulserit circa fundatrices. p.279.n.1

Mulieres, quæ nullius facultatis prætextu ingrediuntur, & Religiosi Mulieres sic ingredientes admittentes, ex non omnino improbabili sententia non comprehenduntur in prohibitione. pag. 280. num.1.

Certum non est dicere talem mulierum in Monasterium virorum ingressum, & admissionem esse sub peccato mortali, & excommunicationis censura prohibitum. ibid.n.2

Mulieres ingredientes virorum Monasteria dato quod contrahant excommunicationem, à quonam ea lata sit. p.281.n.10

Mulieres ingredientes excusantur ab incurrenda censura motus Pij V. si bona fide, seu ex ignorantia culpabiliter crassa, & supina, quin & forsan etiam affectata ingrediantur. ibid.n.11

Mulieres cum reliquo populo admitti possunt intra Monasterij septa ad diuina officia; secus si Religiosi soli priuatim in claustro id efficiant, & quæ diuina officia sint, vide diffusius. p.284.n.15

Mulieribus ingredi claustra, & illuc admitti vesperi non licet, nec quando processio est iam celebrata præcisa modica mora. ibid.n.18

Mulieres in Monasteriis claustra ingredientes possunt etiam in locum, quem De profundis, appellant, ingredi, quando talis locus est coniunctus claustro. p.285.n.22.

Mulieres ex prædictis causis ingredientes tenentur his officiis completis statim egredi, non quidem statim physicè, sed mortaliter. ibid.n.25

Mulieres si officinas Monasterij interiores ingrediantur incurrunt pœnas, quia priuilegium ingrediendi est limitatè concessum; contrarium autem non est improbabile. ibid.n.27

Mulieres nullius facultatis, aut priuilegij prætextu ingredientes, & Religiosi mulieres has admittentes an peccent mortaliter, & pœnas ac censuras incurrant. ibid.n.28.

Mulieres virtute cuiuscumque priuilegij Pontificij iustum est non admittere, si illud de prohibitione regulæ mentionem non faciat, & talis prohibitio sit sub regula. ibid.n.30

Mulieres virtute talis priuilegij ingredientes, & Religiosi ipsas admittentes contrahunt censuras, nisi ignorantia excusentur. ibid.n.31

Mulieres ingredientes virorum Monasteria ex motu Pij V. contrahunt excommunicationem Papæ reseruatam. p.286.n.1

Mulieres prohibentur ingredi monasteria & clausta cuiuscunque Ordinis Regularis, etiam prætextu cuiusvis priuilegij, facultatis, aut licentiæ, aliquibus casibus exceptis, de quibus in Bulla 20.Pij V. p.295. & seqq.

Mulieres seculares quomodo possint vti licentiis sibi concessis ad ingrediendum claustra monialium. ibid.

Mulieres quæcumque, etiam non habentes licentias, vel priuilegia ad ingrediendum claustra monialium, prohibentur intra clausuram earum ingredi. p.296.§.2

Mulieres licentiis ingrediendi claustra monialium abutentes quibus pœnis subiaceant, declaratur in Bulla 52. Pauli V. p.301.§.1.& seqq.

*Musicis* solum est permissum docere ad crates Magistro existente extra clausuram. Idem dicas de organista, si Moniales doceret. p.241.n.7

*Mutilans*, seu occidens in Ecclesia, siue sub spe immunitatis, siue sine tali spe; item siue præmeditatè, siue ex proposito, sed ex subita ira, & occasione, & prouocatus, priuatur immunitate; secus si per modum defensionis cum moderamine inculpatæ tutelæ.p.48. num.1.& 2.

Mutilantes, seu occidentes in Ecclesia, si ex subita ira & occasione, & prouocati, in sententia plurimorum gaudent immunitate. ibid.n.3

Decisio Summi Pontificis quod non gaudeant immunitate occidentes, & mutilantes in Ecclesia est generalis, & fundata præcipuè in ratione quadam communi. ibid.n.4

Immunitate eodem modo priuantur mutilantes, & occidentes in Ecclesia, sicut & publici latrones, & sic non requiritur, quod sub spe immunitatis. ibid.n.6

Momine Mutilantis, vel occidentis non venit mandans mutilari, vel occidi, nisi lata, & extensa significatione, quod in materia pœnali circa immunitatis priuationem faciendum non est. p.52.n.2

## N

*Necessitas* facit licitum quod aliàs non erat licitum, & necessitas non habet legem, debet intelligi de necessitate sic vrgenti, quæ non permittat legem seruari. p.138.n.24

Necessitas quando compatitur conseruationem legis, non prævalet contra legem. ibid.n.25
Necessitas est, vt si Ecclesia grauetur ære alieno, & non possit soluere, nisi alienet, vel si reparanda sit Ecclesia, fundus instaurandus, vel domus suffulcienda, quæ alioquin corrueret. pag.150. numero 2.
Necessitas Reipublicæ læsæ, & scandalizatæ præferri debet necessitati particularis personæ iustè condemnatæ. p.151.n.28
Necessitas legem non habet, & per epicheiam censeri potest casus necessitatis exceptus. pag.215. numero 2.
*Negatio*, cum sit malignantis naturæ, quidquid post se inuenit, destruit, eiusque oppositum ponit. p.206.n.3.
*Nobilis* inuasus licet possit fugere, vitamque suam & proximi seruare, non tamen tenetur, sed potest sine peccato, & irregularitate inuadentem occidere. p.59.n.5.
Nobiles fœminæ si reuerà ad aliquod opus necessarium Monasteria ingrederentur, & in illo occuparentur non minus quam fœminæ viles ad illud opus exercendum alias ingressuræ, si statim moraliter finito opere egrediantur, non peccarent, data etiam curiositate. p.248.n.2
*Nouitiæ* cuiuscumque approbatæ Religionis non tenentur ad clausuram, quia neque hæ sunt professæ. p.199.n.11.
Nouitiæ egredientes è Monasterio ex causa rationabili, non interrumpunt nouitiatum; secus si egrediantur sine causa, licentia, vel habitu. ibidem num.12.
Nouitia si egrediatur de licentia Abbatissæ, male tamen concessa, adhuc tamen non interrumpit nouitiatum. ibid.n.13
Nouitiæ dari non potest licentia egrediendi ad visendos parentes. ibid.n.14
*Nuptias* contrahens si dispensationem absolutè obtinuit à voto perpetuæ continentiæ, vt nubat cum persona expressa, potest ea impedita contrahere cum alia; secus si dispensatio conferatur limitatè, verbi gratia ne mulier decepta infamiam incurrat. p.236.n.7.

O

*Oblatio* libelli, & litis contestatio quando non videatur necessaria. p.126.n.1
Oblatio libelli, & litis contestatio non est necessaria quando agitur ad cognitionem qualitatis delicti, & non ad pœnam illius. ibid.n.2
Oblationes imagini Regularium factæ sine solennitate iuris alienari possunt, nisi sint vota aurea, vel argentea magni valoris. pag.135. numero 17.
*Obligatus* ad ratiocinia ex causa alicuius administrationis etiam gaudet immunitate. pag.39. numero 9.
Obligatus ad reddendum ratiocinia ratione tutelæ, vel administrationis si sit in fraude, multo minus priuabitur immunitate.
Vide in verbo *Tutor*.
*Obstetrix* potest intromitti in Monasterium tempore partus alicuius mulieris, ibi forsan cum licentia legitima existentis. p.241.n.8
*Occasio* delinquendi sumitur à malitia hominum, & non debet Ecclesiæ prædicta occasio imputari. p.2. num.15.
*Occidens*, vel mutilans in Ecclesia, vel Cæmeterio non gaudet immunitate; nam, &, in textu stat pro vel. pag.44.num.1
Occidens, vel mutilans in locis contiguis Ecclesiæ, putà in Sacristia, tecto, atrio, & simili, gaudet immunitate, etiamsi sub spe immunitatis, occiderit. p.50.n.1.
Occidens proditoriè proximum suum non gaudet immunitate. p.53.n.1
Occidens, vel mutilans in Ecclesia non priuatur immunitate debita pro aliis delictis ante vel post commissis, scilicet non exceptis; secus si pro occisione commissa in Ecclesia talis punitus non sit. pag.53. sect.10.n.1.& 2.
Occidens aliquem veneno, quia proditor censetur, non gaudet immunitate. p.54.n.1
Occidens inimicum veneno, in sententia Authoris gaudet immunitate, quia non dicitur propriè occidere proditoriè. ibid.n.6
Occidens inimicum in somnis non priuatur immunitate. ibid.n.7
Occidens per insidias inimicum quomodolibet, vel per fenestram, vel à tergo, vel in electo, dummodo non simuletur amicitia, post Constitutionem Gregorianam gaudet immunitate. ibid. numero 8.
Occidens inimicum promissione, seu fideiussione data de non offendendo, priuatur immunitate, quia per dictam cautionem sublata fuit ab inimico omnis occasio sibi præcauendi, & sic occisor propriè proditor censetur. p.55.n.1
Occidens propriè proditoriè Infidelem gaudere non debet immunitate. ibid.sect.4.n.1
Occidens amicum reconciliatum neque committit homicidium proditorium, & sic neque immunitate priuatur. ibid.sect.3.n.5
Occidens inimicum suum in duello non priuatur immunitate. p.56.n.1
Occidens per industriam inimicum dormientem, vel alio modo incautum, verbi gratia à tergo, vel à fenestra, gaudet immunitate. ibid. sect.6. numero 1.
Occidens ex proposito, deliberatè, & per industriam, sed non per insidias inimicum, non priuatur immunitate. p.57.n.1
Occidens ex industria, & animo pensato, sed non per insidias, non committit homicidium propriè, & strictè proditorium. ibid.n.2
Occidens inimicum mandantis etiam pacta pecunia, vel accepta, non occidit incautum, cum homo semper habeat occasionem sibi præcauendi ab inimico suo. Idem dic etiam præsente ipso mandante. p.62.n.2.
Occidens patrem insidiosè, & incautè, non priuatur immunitate; secus est si inter patrem, & filium nulla præcesserit inimicitia. pag.82. numero 3.
Occidens bannitum ex permissione statuti, si occidat in Ecclesia, licet non possit puniri vt homicida, punitur tamen vt Ecclesiasticæ immunitatis violator. p.84.n.16
Occidens tali casu in Ecclesia contrahit excommunicationem constitutionis Gregorianæ latam contra extrahentes ab Ecclesia. ibidem numero 17.
Occidens Clericum, vel regularem, vel etiam Episcopum, non priuatur Ecclesiæ immunitate, cum non sit homicidium de exceptis. pag.86. numero 1.
Occidens supradictos contrahit excommunicationem, non autem amittit immunitatem, quia priuilegium est concessum loco sacro, non personæ sactæ. ibid.n.2.

Occidens Clericum saltem constitutum in sacris est parricida, sed impropriè, & dato, quod esset propriè, diximus parricidam gaudere immunitate. ibid. num.4.

Occidens Clericum committit sacrilegium, & tamen per ea quæ dicta sunt non eximitur ab immunitate. ibid.n.5.

Occidens Clericum committit crimen læsæ maiestatis, sed remotè. ibid.n.6

Occidens Clericum licet delinquat in Ecclesiam, non tamen delinquit materialiter: quod oporteret, vt priuetur immunitate. ibid.n.7

Occidens pœnitentem sacerdoti sua peccata confitentem, vel quomodocumque aliud sacramentum actu sumentem, non priuatur immunitate; secus si id facinus committat animo hæreticali, aut cum errore intellectus. pag. 87. num. 1. & 2.

Directa, & positiua sui ipsius *Occisio* non potest iustè executioni mandari. p.222.n.17

*Occisor* proditoriè proximi sui est, qui illum incautum nihil sibi præcauentem per insidias, & industriam occidit. p.53.n.3

Occisor Cardinalis nondum Episcopi in sententia Farinacij, Ecclesiæ immunitate non priuatur. pag.69. num.41.

*Odium* propter præcedentes inimicitias præsumi debet adhuc durare, non obstante promissione de non offendendo. p.55.n.4

*Oeconomus* Monasterij habet iustam causam ingrediendi clausuram ad quærenda instrumenta in Archiuio, si id fieri necesse est, & commodè præstari per Moniales non possit. pag. 245. num.1.

*Offendens* Principem ad hoc vt priuetur immunitate, debet ei esse subditus aliquo modo, v. g. ratione originis, vel domicilij. pag. 69. numero 43.

Quilibet Offendens Papam committit crimen læsæ Maiestatis, & propterea immunitate priuatur. ibid. num.45.

*Officialis* Regius, & Debitor ex causa syndicatus multo minus priuatur immunitate. pag. 85. numero 6.

*Officinæ* interiores dicuntur omnia loca intra Monasterij ianuam, & clausuræ ambitum existentia. p.282. num.8.

*Oleum* sanctum non solum non est Sacramentum simpliciter, sed tantum materia Sacramenti. pag. 21. num.12.

*Operans* cum conscientia dubia peccat pro ratione peccati, cuius periculo se exponit. pag. 240. num.5.

Operantes quodcunque aliud, &c. ex ignorantia siue iuris, siue facti affectata, non contrahunt pœnam contra facere aliquid præsumentes, aut casu temerario facientes latam. pagina 259. numero 25.

*Oratoria* Episcopi auctoritate ad diuina officia deputata gaudent Ecclesiastica immunitate, licet non consecrata, nec benedicta. Secus dicendum de Oratoriis priuatis. p.9.n.4

Oratorium authoritate Episcopi erectum gaudet immunitate, secus est, si sit erectum priuata auctoritate, vt sunt in Priuatorum domibus, & Confraternitatum, etiamsi in ipsis Missa celebretur de licentia Episcopi. p.16.n.1

Oratoria, quæ priuata authoritate eriguntur, priuata authoritate ad vsus profanos conuerti possunt, etiamsi de licentia Episcopi in iis celebretur. ibid. num.2.

Oratoria priuata domorum licet in ipsis Missa celebretur, fideles confiteantur, & Eucharistiam sumant, non gaudent immunitate. pag. 17. numero 17.

Oratoria, quæ authoritate Episcopi erecta sunt, eo ipso cultui diuino in perpetuum sunt deputata, ita vt amplius ad vsus profanos conuerti non possint. p.16.n.5.

Oratorium in dubio quomodo probetur erectum esse Episcopi authoritate. ibid.n.7

*Ordinarius* probabiliter, & de illius facultate quilibet Confessarius potest absoluere à censura incursa propter rei executionem; quia nullibi reperitur Pontifici reseruata. pagina 110. numero 1.

Nomine Ordinarij in omnibus decretis venit Vicarius Generalis, non item foraneus. pag. 203. numero 3.

P

*Pactum*, seu promissio alicui facta ad hæredes extenditur, licet id expressum non fuerit. pag. 11. num.38.

Pactum, quo concedens obligatur sequentem successorem aliis præferre, & rem in emphyteusim eidem concedere, est nullum, quia nihil aliud est quàm perpetuare emphyteuses per machinationem. p.185. num.2.

Pactum in scriptura publica inclusum, in sententia nonnullorum non est locatio, neque alienatio, sed solum obligatio personalis locandi, vel alienandi. p.186.n.8.

Pactum additum emphytensi reprobatur, at emphyteusis vitium non habet. p.186.n.6

Pactum, quod pignus incidat in commissum licitum est, & mora solutionis interueniente, etiam cessante pacto licitum est pignus detrahere postquam ter denunciatum est debitori, vt soluat. p.221. num.2.

*Palatium* Episcopi gaudet immunitate, etiamsi sit ab Ecclesia disiunctum. p.18.n.13

Palatio Episcopi conceditur immunitas simpliciter, & ratione dignitatis Episcopalis, & sic mirum non est, si gaudeat immunitate, quamuis sit disiunctum ab Ecclesia, & quamuis non habeat oratorium, seu sacellum, in quo Missa celebretur. ibid. num.15.

Palatium Episcopi gaudet eodem immunitatis priuilegio. p.17.n.1

Palatium Episcopi gaudet immunitate etiam mortuo, vel absente Episcopo, dummodo tamen Palatium non sit alteri locatum. ibid.n.2

Palatium Episcopi si distet extra 40. passus per circuitum Ecclesiæ Cathedralis, non gaudet immunitate, secus si sit intra 40. passus. ibidem numero 3.

Palatium Episcopi non debet ab Ecclesia distare, sed illi esse contiguum. ibid.n.4

Palatium Episcopi si distet ab Ecclesia non gaudet immunitate, præsertim si non habeat Oratorium, in quo sacrum celebretur: sed contraria sententia est magis tuta in praxi. ibid.n.5

Palatium Episcopi licet distet vltra 40. passus ab Ecclesia, dummodo habeat sacellum, seu Oratorium, in quo celebretur, gaudet immunitate. ibid. numero 7.

Amplia quod palatium Episcopi licet non habeat sacellum, & Oratorium, in quo celebretur & distet vltra 40. passus ab Ecclesia, gaudet immunitate. ibid. & seq.n.8.

# & Verborum Notabilium.


Palatium Episcopi, vbi reperitur quando etiam transcurrit visitando Prouinciam, gaudet Ecclesiastica immunitate, in sententia nonnullorum. pag. 18. num. 13.

Canones statuentes Palatium Episcopi debere esse contiguum Ecclesiæ, quoad hoc hodie recesserunt ab vsu, & meritò, quia editi fuerunt in antiquis temporibus, quando Clerici habitabant simul cum Episcopo: quod hodie locum non habet. ibid. num. 14.

Palatium Episcopi venit appellatione loci sacri & religiosi, licet sacellum non habeat, & multò magis si habeat. ibid. n. 17

Palatia Cardinalium siue in vrbe, siue extra Vrbem existant, non de iure, sed de consuetudine gaudent immunitate. p. 19. n. 1

Palatij Episcopi nomine venit etiam seminarium annexum, quin & furnus, & quæcumque alia domus ipsius seminarij. p. 18. n. 19

Palatium Episcopi extra propriam Diœcesim non gaudet immunitate, quia Episcopus ibi nullam habet authoritatem, nec potest Pontificialia exercere. ibid. num. 20.

Palatia Cardinalium contra nonnullos in sententia Dianæ non improbabiliter gaudent immunitate. p. 18. n. 21.

Palatium Episcopi titularis non gaudet immunitate, at oppositum non improbabiliter tenet Diana. ibid. num. 22.

Palatia Cardinalium etiam in Vrbe annexa Ecclesiis suorum titulorum gaudent de iure Ecclesiastico immunitate, in sententia Authoris. pag. 20. num. 11.

Palatia Legatorum Pontificis apud Imperatorem & Reges gaudent immunitate Ecclesiastica, si non de iure, saltem de consuetudine. ibid. n. 14

Palatia supremorum Principum, & Oratorum eorum gaudent immunitate ciuili. p. 21. n. 4

Appellantes à *Papa* ad futurum Concilium, licet id agentes incidant in crimen læsæ maiestatis, non tamen priuantur immunitate, contra Gambacurtam, & Cutellium. p. 71. n. 4

*Parochus*, qui ex lege pœnali tenetur fieri sacerdos intra annum, aliàs vacet beneficium, non contrahit talem pœnam anno non elapso. pag. 221. num. 6.

*Participans* cum excommunicato in crimine criminoso non incurrit excommunicationem, nisi post declarationem excommunicati non tolerati. p. 265. num. 6.

*Particula tantùm*, est taxatiua, & posita in constitutione Gregoriana omnia reducit ad formam, quam ibi præscribit summus Pontifex. pag. 7. num. 3.

Particula taxatiua tantùm, de sui natura impedit extensionem in non exceptis, seu non expressis nomine facultatis. ibid. n. 5

Particula *&*, dicitur coniunctiua, & posita in concessionibus quid operetur. p. 252. n. 8

Particula *huiusmodi*, relationem habet ad præcedentia; & ideo nihil obstat quod Paulus V. in motu simpliciter mentionem faciat de ingredientibus. p. 253. n. 9.

Particula *&*, stat pro id est; quod contingit quotiescumque dictio copulatiua ponitur inter duo, quorum vnum est effectus alterius. pag. 275. numero 6.

Particula *&*, quæ de sui natura ponitur inter diuersas res significatas, sumitur pro *seu*, quæ sumitur dispositiuè, & est inter nomina diuersa idem significantia. p. 282. n. 3

*Pater* non potest mutare voluntatem Domini concedentis expressam in concessione emphyteusis, vel feudi; secus si de filiis tanquam hæredibus mentio facta esset. p. 262. n. 5

*Paulus V.* secundum mentem Cherubini in suo Bullario reuocauit simpliciter omnes facultates, & priuilegia ingrediendi, & etiamsi in ipsis non contineatur licentia conuersandi, & refectionem corporalem sumendi cum Monialibus. p. 252. n. 5

Paulus V. quod non reuocauerit simpliciter omnes facultates & priuilegia ingrediendi, est etiam probabile. ibid. n. 7

Pro alendis *pauperibus*, ne frigore vel fame pereant, licet vasa sacra infringere, & pretium erogare, si alia non suppetant: refertur mos S. Ambrosij, & laudatur. p. 150. n. 5

Grauius est *peccatum* agentis quam patientis, & in foro exteriori maior pœna imponitur agenti, quàm patienti. p. 75. n. 10

Peccatum, quod ex confessione etiam mediatè scitur, transit ad quemcunque cum onere sigilli sacramentalis. p. 105. n. 33

an possit Potestas laïca procedere contra *Pecora* personæ Ecclesiasticæ, si contra statutum in pascuis prohibitis illa fuerint reperta. ibid. n. 40

*Pecunia*, & quæcumque alia res pretio æstimabilis, promissa vel data pro assassinio, debet esse in magna quantitate, vt constituat assassinium. pag. 60. num. 9.

Pecuniæ quælibet quantitas vel promissa, vel data, licet exigua, & modica constituit assassinium in sententia Auctoris, & priuat reum immunitate Ecclesiæ. ibid. n. 10

Cudentes falsam pecuniam, vel bonam tondentes, & omnes alij offendentes Principem in dignitatem, non autem in per sonam, gaudent immunitate. p. 72. num. 3.

Pecunia quæ in capsa etiam, & in domo testatoris reperitur, non est res pretiosa; quia hæc vsui quotidiano deseruit, & seruata fructum non parit. p. 136. n. 1.

Pecunia pupilli destinata ad emenda prædia, non potest alienari nisi interueniente solennitate, quæ requiritur ad alienationem immobilium. pag. 137. num. 5.

Pecunia est illius, cuius est res, ex qua desumitur. ibid. num. 13.

Pecunia non habet alium vsum, nisi vt consummetur; secus si loquamur de pecunia in montibus, & censibus perpetuis collocata. p. 139. n. 36

Pecunia & bona mobilia, quæ ab Ecclesiis acquiruntur cum onere perpetuarum Missarum, conuerti debent in bona immobilia frugifera cum expressa oneris mentione. p. 164. n. 1

Pecunia ita relicta non potest impendi in emendo conuentu vel horto conuentui annexo, contra sententiam nonnullorum affirmantium monasterium, & conuentum annumerari inter bona immobilia. ibid. num. 2.

*Pensionis* variatio non tollit integrè fraudis præsumptionem. p. 186. n. 3

Omnes publicè *percutientes*, vel occidentes etiam Clericum, vel Religiosum, licet sacrilegium committant, non priuantur immunitate. pag. 81. numero 3.

In sacra scriptura pro aduenis, & *Peregrinis* intelliguntur qui eumdem Deum, eademque præcepta, cæremonias, & sacrificia colebant. p. 25. n. 14

*Periurium*, cum non sit vnum de criminibus exceptis, non tollit Ecclesiæ immunitatem. pag. 29. num. 3.

Iramenti relatione impetrata, cessat periurium. ibid. num.4.
*Periurus*, & falsus testis non priuantur immunitate. p.81.n.1.
Periurus, & falsus testis æquiparantur homicidæ, sed quoad pœnitentiam, non quoad omnes alios effectus. ibid.n.4
Periurus, & falsus testis, si causa sint vt quis morti damnetur, sunt homicidæ proditorij moraliter, non autem physicè, & ideo non priuantur immunitate. ibid.n.5.
*Permutans*, vel paciscens propria auctoritate beneficia, simoniam committit, secus est de permutante, vel paciscente propria auctoritate Prælaturas, vel officia Regularia, mutuas preces, mutua sacrificia, mutuam operam in audiendis confessionibus, &c. p.226.n.23.
*Permutatio* est rei alienatio, cum rei dominium transferat in alium. p.158.n.2
Permutatio prohibetur eodem modo, quo prohibetur venditio, & donatio. ibid.n.3
Permutatio non potest fieri de iurepatronatus cum priuato sine Episcopi consensu, si iuspatronatus sit Ecclesiæ: at si sit iuspatronatus priuatum, non requiritur necessariò, sed solum ex probabiliori sententia. p.164.n.8
Persona loquentis cum fert legem, in generali sermone censetur excepta, si aliunde contrarium clarè non constet. p.83.n.10
Personæ quæcumque sine licentia superioris in scriptis obtenta ingredientes Monialium Monasteria, non reseruatam excommunicationem ipso facto incurrunt, etiamsi alioquin iustam habeant ingrediendi licentiam. p.253.n.11
Personæ cuiuscumque status, & conditionis (etiamsi sint Comites, Marchiones, aut Duces, quæ ingredi audent Monialium Monasteria virtute quarumcunque facultatum à quocumque concessarum, excommunicationem summo Pontifici reseruatam ipso facto contrahunt. ibid.n.14
*Pharmacopola* potest monasterium ingredi dum ipsius ingressus ad Moniales pharmaca condire, & componere instruendas necessarius est. pag. 241. num.2.
Pharmacopola non potest ingredi ad præbendam Moniali medicinam, cum hæc per aliam Monialem præberi possit. ibid.n.3
*Pius V.* in quodam suo Motu, qui incipit *Regularium Personarum*, excommanicationem decreuit præcipuè contra fœminas Monasteria virorum prætextu facultatum vsque tunc concessarum ingredientes. p.256.n.4
*Pœna*, & eleemosynæ propriis operibus relictæ possunt pro fabrica Palatij Episcopi applicari. pag. 18. num.18.
in Pœnis non est facienda extensio ad delicta similia. p.40.n.6.
in Pœnis, vt in censuris, & irregularitatibus non valet argumentum à paritate, quin neque à maioritate rationis. p.45.n.12
Pœnæ priuationis immunitatis sunt ob actum consummatum, & non inchoatum tantum; nam si secus esset, ad perdendam immunitatem sufficeret gladij euaginatio in Ecclesia. p.49.n.3
Pœnæ, & censuræ decretæ *in dicto cap.* aduersus crimen assassinorum hodie locum non habent. p.60. num.4.
Pœna ordinaria non intrat contra mandatarium, qui accepto mandato ad occidendum, tantum vulnerauit, contra Megalium. p.63.n.7
Pœna lata contra delegatum Papæ non extenditur contra delegatum Ordinarij. p.76.n.18
Pœna lata contra deferentem arma, & instrumenta bellica ad hostes nominis Christiani, non extenditur ad deferentem illa ad hæreticos. ibid.n.21
Pœna iuris ciuilis circa punitionem extrahentis reum ab Ecclesia non videtur vsu recepta; quia tam in puniendo, quàm in iudicando tale crimen, non iuri ciuili, sed iuri canonico standum est. pag.103. num.5.
Pœna lata contra immunitatis Ecclesiæ violatores non est antiqua, contra nonnullos Doctores; quia per Tridentinum, & constitutionem Gregorianam renouantur circa id omnes pœnæ in antiquis canonibus latæ. ibid.& seq.n.8
Ad incurrendas in foro conscientiæ pœnas constitutionis Gregorianæ requiritur scientia earum, nec sufficit ignorantia culpabilis, etiam crassa, & affectata, siue iuris, siue facti. pag. 107. numero 3.
Enumerantur pœnæ contra alienare præsumentem, & contra eum, qui rem alienatam receperit. pag.130. num.1.
Pœna imposita facienti non incurritur ob criminis attentationem. p.132.n.39
Pœna caducitatis adiecta rei, quæ donata fuit Ecclesiæ capaci, cum clausula, seu conditione, vt non alienetur, non incurritur semper, sed solum quando sine iusta causa alienatur, vel etiam sine debita solennitate, & consensu Pontificis. pag.156. num.9.
Pœnæ, & censuræ Extrauagantis *Ambitiosæ*, non contrahuntur in permutatione facta inter Ecclesias, ex quo res Ecclesiæ in tali casu non exeunt ab Ecclesia. Idem dic de venditione & donatione inter eas dem. p.159.n.14
Ad incurrendas pœnas decreti Vrbani non requiritur dolus, sicut requiritur ad incurrendas pœnas Extrauag. *Ambitiosæ*, sed sufficit ignorantia vincibilis, seu culpabilis, quamuis grauiter. p.171. num.20.
Exceptis censuris, & irregularitate, pœnæ aliæ latæ contra violantes clausuram, & quoscumque alios non contrahuntur ante sententiam criminis declaratoriam. p.216.n.1
Pœna, præsertim quæ non potest absque aliqua hominis actione executioni mandati (etiamsi feratur ipso iure, vel ipso facto, & nulla expectata Iudicis sententia) non obligat in foro conscientiæ ante condemnationem. ibid.n.2
Nemo subit pœnam, nisi per sententiam criminis reus condemnetur. ibid.n.3
Verba (ipso iure, ipso facto) intelligenda sunt de declaratione pœnæ, non autem criminis. ibidem num.4.
Pœnæ latæ in motu Gregorij XIII. de datis, & promissis pro iustitia, vel gratia contra transgressores sui motus, non contrahuntur ante Iudicis sententiam, saltem criminis. ibid.n.7
Pœnæ latæ in motu proprio Clementis VIII. de largitione munerum Religiosis interdicta, non contrahuntur in foro conscientiæ ante criminis sententiam. ibid.n.8
Recensentur pœnæ, quæ in foro conscientiæ non obligant ante Iudicis sententiam criminis declaratoriam. p.217.n.13
Pœna testamentaria de facto contrahitur in foro conscientiæ ante vllam Iudicis sententiam, non ex eo quod infligitur sine executore, sed quia voluntas testatoris sic disponit. p.219.n.13
Pœna tastamentaria potius conditionis, quàm pœnæ rationem habet. ibid.n.16

# & Verborum Notabilium.


Pœna conuentionalis in foro conſcientiæ ante Iudicis ſententiam contrahitur. ibid.n.17

Aſſignatur diſparitas inter pœnam conuentionalem & legalem. ibid.n.18

Pœnam conuentionalem probabile eſt in foro conſcientiæ ſoluendam non eſſe antequam debitor talis pœnæ per ſententiam Iudicis ad eam compellatur, & cur. p.220.n.19

Pœna triplex eſt, legalis, iudicialis, conuentionalis, & quæ ſingulæ ſint. p.221.n.4

Pœna legalis benigniorem interpretationem admittit quàm pœna conuentionalis, & iudicialis. ibid. num.5.

Pœna conuentionalis ( ſicut iudicialis ) conſtituta niſi ad certum tempus aliquid peractum fuerit, tempore culpabiliter elapſo contrahitur. ibid. num.7.

Pœna ante tempus contracta peti non poteſt niſi tempus ſtatutum aduenerit. ibid.n.8

Pœnæ ſtatutæ in motu Clementis VIII. de largitione munerum, contrahuntur tantum à largientibus, non autem à recipientibus. pag. 226. numero 6.

Pœna impoſita hæredi non vindicanti necem defuncti non comprehendit fideicommiſſarium, qui eſt hæres fictus. p.259.n.12

Pœna illius legis, quæ imponitur maiori venienti contra iuramentum, non ligat minorem venientem contra iuramentum ſuum. ibid.n.14

Pœna priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa, in caſu, de quo agitur, non contrahitur ante Iudicis ſententiam, contra nonnullos. Requiritur enim ſaltem aliqua ſententia criminis declaratoria, ſecundum probabiliorem opinionem. pag. 286. num.1.

Pœnarum & mulctarum impoſitio contra exules, bannitos, alioſque facinoroſos homines, necnon contra communitates, & alios ſua Territoria huiuſmodi ſceleſtis hominibus expurgata non cuſtodientes, in Bulla 6. Sixti V. p.302.& ſeqq.

*Pollutionis* effectus cum ſit pœnalis, & odioſus, non excedit ambitum Eccleſiæ, ſecus eſt de priuilegio immunitatis, quod eſt gratioſum & fauorabile. p.11. num.4.

*Pontifices* Romani non ſolùm non conſentiunt conſuetudinibus contra immunitatem Eccleſiaſticam, ſed ſingulis annis potiùs reclamant in Bulla Cœnæ. p.5.n.12.

Pontifex quia in Bulla nullam mentionem fecit de Epiſcopis, ſequitur quod ipſis noluerit ſuorum Clericorum extractionem prohibere directè, vel indirectè. p.31.n.22

Summi Pontifices, vbi volunt includere Clericos, & Laïcos, eos ſpeciatim exprimunt. p.22.n.4

inter Pontificem, & Cardinales non ſolùm vnio, ſed etiam vnitas, & identitas quædam intercedit. p.69. num.40.

Pontifices, & Epiſcopi ſciunt, & tolerant aliquid fieri contra immunitatem, non conſentiendo, & approbando, ſed diſſimulando, ad maiora mala vitanda, & incommoda. p.119.n.21

Conſenſus ſummi Pontificis iuxta extrauagantem *Ambitioſæ*, requiritur in illis caſibus, in quibus Prælati conſenſus, & tractatus à iure expoſtulatur. Secus vbi conſenſus Prælati non requiritur. p.143. num.22.

Obtento conſenſu Pontificis, poſſunt Regulares alienare, non ſeruatis aliis requiſitis iuris communis, iuxta formam priuilegiorum, quæ poſt Extrauag. *Ambitioſæ*, à Sede Apoſtolica obtinent. pag. 154. num.35.

Solus conſenſus ſummi Pontificis ſufficit ad validè, & licitè alienandum. p.155.n.37

In ſolennitatibus requiſitis de iure Canonico ſummus Pontifex poteſt diſpenſare. ibid.n.38

Conſenſus ſummi Pontificis, ſeu Sedis Apoſtolicæ, licet ſuppleat cæteras iuris ſolennitates, non tamen ſupplet cauſam legitimam alienandi; quia conſenſus prædictus eſt conditionatus, & conditio, ſi ſit ineuidens, etiam non expreſſa intelligitur. ibid. num.41.

Summus Pontifex non ſubeſt pœnis iuris poſitiui; & alienans ſine cauſa non ſubeſt cenſuris. pag. 176. num.1.

Summus Pontifex de iure naturali, & diuino prohibet bonorum Eccleſiæ alienationes inutiles facere. ibid.n.3

Summus Pontifex Bonorum Eccleſiæ non Dominus, ſed ſummus Adminiſtrator, non ad diſſipandum, ſed ad diſpenſandum à Chriſto Domino conſtitutus eſt. ibid.n.4.

Summus Pontifex ex officio, quin etiam ex præuio quodam pacto, ſaltem implicito, tenetur iuxta mentem piam fidelium relinquentium illa diſtribuere, vel alienare. ibid.n.5

Summus Pontifex ſi alienet ex iuſta, & rationabili cauſa res Eccleſiæ, alienatio ab ipſo facta eſt iuſta, & valida. ibid.n.6

Summus Pontifex ſi ſine rationabili cauſa res vnius Eccleſiæ alteri tribuat, & ſic de ſimili, alienatio eſt valida, ſed non iuſta. ibid.n.7

Summus Pontifex ſi abſque iuſta cauſa res Eccleſiæ in vſus profanos conuertit, v.g. ſine rationabili cauſa laïcis donet, non eſt alienatio iuſta, neque valida. ibid.n.8

Summus Pontifex alienans bona Eccleſiæ cum damno ipſius Eccleſiæ, peccat contra iuſtitiam, & tenetur ad damni compenſationem; & recipiens non fit dominus rei. ibid.n.9

Summus Pontifex Deus repræſentatiuè vocatur, & in Beneficialibus, & cæteris Eccleſiæ bonis plenam omnino diſponendi poteſtatem habet. ibid. numero 10.

Summus Pontifex tunc dicitur habere cauſam ſufficientem alienandi res Eccleſiæ, quando qui eas tradidit, non præſumitur rationabiliter inuitus, ſed caſum excepiſſe. p.177.n.1

Summus Pontifex in qualibet alienatione præſumitur habuiſſe iuſtam, & rationabilem cauſam alienandi, niſi conſtet euidenter oppoſitum. ibid.n.2

Summus Pontifex alienans motu proprio, & ex certa ſcientia, præſumitur alienare in foro conſcientiæ etiam ex ſufficienti cauſa, licet alienatio ſit grauita. ibid.n.4

Summus Pontifex nunquam præſumitur velle derogare iuri alterius, niſi exprimat etiam in conceſſione cum clauſula *Motu proprio*. ibid.n.5

Summus Pontifex alienans ad inſtantiam Partis, non non ſemper præſumitur alienare ex ſufficienti cauſa; & ideo ponitur in reſcriptis, *Si preces veritati nitantur*. ibid.n.6

Impetrans præſumi poteſt decepiſſe Pontificem, cum qui pro ſe poſtulat, errare poſſe præſumatur. ibid. num.7.

Summus Pontifex poteſt ex iuſta cauſa reuocare alienationes, & donationes, tam ab ipſomet, quàm ab anteceſſoribus factas. p.178.n.11

Summus Pontifex ſi aduertat alienationes in detrimentum Eccleſiæ factas fuiſſe, & ex alia via Eccleſiæ ſatisfieri non poſſe, tenetur eas reuocare, & irritare. ibid.n.13

Summus Pontifex alienans, vel infeudans Caſtra, Ciuitates,

uitates, vel Dominia illius, nisi prius iuramenti vinculum sibi relaxet, peccat contra iuramentum. ibid.n.1.

Summus Pontifex obstringi potest vinculo iuramenti, cum tale vinculum sit de iure naturali, & diuino. ibid.n.3

Summus Pontifex potest secum in iuramenti vinculo dispensare, vel saltem alteri secum dispensandi facultatem dare, modò habeat dispensandi iustam causam. ibid.n.4

Summus Pontifex in lege naturali vel diuina dispensare non potest sine iusta causa. ibidem numero 5.

Recipiens ex alienatione, seu donatione summi Pontificis, ea ab ipso reuocata, tenetur rem acceptam, vel id, in quo ditior factus est, si bona fide recepit, restituere. ibid.n.15

Summus Pontifex alienans cum causa contra iuramentum bona Cameræ, & Sedis Apostolicæ, licet alienet illicitè, non tamen alienat inualidè. p.179. num.1.

Pontifici obedientia debetur de iure diuino, at eiusdem præceptum non obligat, nisi iure positiuo, & potest contraria consuetudine aboleri. pag. 191. numero 11.

Pontifex potest Monachis aliqualem clausuram præcipere, nempe vt cum hac, vel illa limitatione exeant; vel ne à suis Conuentibus vltra vnam dietam abeant sine ipsius licentia, inspecta tamen Monasterij necessitate. p.193.n.1

Pontifex potest Monachis clausuram indicere, quod etiam fieri potest ab aliis Superioribus ob eandem rationem. ibid.n.2

Summus Pontifex non potest cogere Religiosos ad arctiorem viuendi modum, quàm prima instituti forma postulat, nisi Regulæ reformatio ad trium votorum essentialium obseruationem necessaria sit, & cur. ibid.n.12

Summus Pontifex potest præcipere Religiosis ob iustam causam id, quod præcipit aliis clericis, licet in eorum regula non contineatur. pag. 194. num.13.

Pontifex si sine strictiori clausura Regula, & Institutum alicuius Ordinis conseruari non potest in suo vigore, potest eandem pro vniuerso Ordine decernere. Idem dic de eo, penes quem residet potestas statuta religiosa condendi. ibid.n.3

Pontifex potest præcipere Religioso de quacumque Religione quod acceptet Episcopatum. pag. 196. num.38.

Pontifex potest præcipere Religioso non ratione voti obedientiæ, sed eo modo, quo potest idem præcipere Clericis secularibus in ordine ad commune bonum vniuersalis Ecclesiæ. ibid.n.40

Pontificis electio etiam per simoniam facta, si alioquin à duabus tertiis partibus Cardinalium legitimè facta sit, non est ipso iure irrita. pag.225. num.11.

Pontifex concedens indulgentiam Ecclesiam visitantibus, intelligitur concedere, vt sæpius in die illam visitans toties lucretur indulgentiam. pag.236. num.5.

Pontifex prohibens excommunicari vniuersitatem, permittit excommunicari aliquos ex vniuersitate. p.266.n.6.

Vana est illa *Potentia*, quæ non reducitur ad actum. p.165.n.10.

Præceptum clausuræ non potest aboleri contraria consuetudine in posterum inducenda. pag. 191. num.6.

Præceptum de clausura seruanda fundamentum habuit ex lege veteri, in qua etiam erant virgines clausæ Propheticam vitam agentes. ibid. & seq. num.16.

Præceptum superioris iuxta regulam est merum ius positiuum; & consequenter consuetudo præualere potest contra illud. ibid.n.10

Præceptum de clausura strictiori non inducit nouam austeritatem prorsus alienam à priori regula; sed potiùs, etsi indirectè, pertinentem ad eam. pag. 192. num.1.

Præceptum superioris in dubio habetur pro legis interpretatione. p.194.n.4

Præceptum de seruanda clausura est morale, & moraliter intelligendum. p.250.n.4

Præceptum de clausura seruanda, vtpote positiuum, non obligat cum tanto incommodo, & cum tanta necessitate. p.284.n.14

Quotiescumque directè agitur de *Præiudicio* alicuius, agitur de præiudicio eiusdem ad ipsum condemnandum. p.125.n.5

Faciens aliquid in præiudicium tertij, tenetur curare quod damnum tertio illatum resarciatur; quin & si opus fuerit tenetur officium iudicis implorare. p.178.n.14

Prælatus Ecclesiasticus potest exercere iurisdictionem suam in locis sacris. p.31.n.3

Prælatis permittitur etiam in Ecclesiis citra immunitatis violationem, subditos suos punire, ac verberibus afficere; & ideo possunt illos ab Ecclesia extrahere, vt loco decentiori puniant. ibidem num.19.

Prælatus Ecclesiasticus non obligatur domino seruum suum tradere quando delictum est graue, simplici iuramento, sed tenetur dare maiorem securitatem. p.34.n.4

Prælatus Ecclesiasticus debet in tali casu reum cautum seruare, & interim Pontificem certiorem reddere. p.69.n.42

Prælatus Ecclesiasticus accepta securitate quod reus pro delictis non exceptis non punietur, potest eum Iudici seculari consignare, si expedire iudicauerit, spectato tamen iure loci. pag. 90. numero 3.

Prælatus Ecclesiasticus, si per consignationem factam Iudici laïco de reo, Iudex nolit stare promissis, potest eum compellere per Ecclesiasticas censuras, spectato iure communi. ibid.n.4

Prælatus Ecclesiasticus non potest in casibus non exceptis consignare Iudici laïco reum inuitum, spectata constitutione Gregoriana. ibid.n.5

Prælatus Ecclesiasticus ex dicta constitutione non debet requirere in consignatione rei iuramentum. p.114.n.3.

Prælatus in casibus exceptis potest sine nota irregularitatis, & censuræ, quin & debet Iudici seculari reum puniendum tradere, si fuerit requisitus. p.113. num.17.

Prælatus Religionis saltem de iure communi, non potest suis Religiosis negare licentiam transeundi ad Religionem strictiorem, & tamen illam ab eo petere debent, & sufficit petita, & non obtenta. p.117. num.11.

Prælatus etiam Regularis licet non habeat dominium bonorum suæ Ecclesiæ, quia tamen habet administrationem, potest ad causas pias liberè disponere de redditibus Ecclesiasticis. p.131.n.28

Prælatus non potest disponere de rebus, quæ sunt de proprietate Ecclesiæ, sed solum de fructibus. p.131. num.12.

Prælatus quod possit disponere de pecunia à testatore ad res immobiles, vel mobiles pretiosas emendas relicta,

licta, est valde absurdum. ibid.n.14
Prælatus scindens arbores, easque vendens in vtilitatem Ecclesiæ, non peccat in casu, quo talis scissio damnum prædio non inferat. p.139.n.4
Prælatus iurans perpetuo in Ecclesia se permansurum, non intelligitur, quod non possit abesse ex causa necessitatis, seu vtilitatis Ecclesiæ. pag. 143. num.20.
Prælatus sine Capituli consensu, aliisque solennitatibus iure requisitis non potest Ecclesiæ suæ præiudicare in bonis, vel iuribus acquisitis. Secus est in acquirendis, quibus etiam sine Capituli consensu potest renunciare. p.144.n.1.& 2
Prælatus validè repudiat donationem Ecclesiæ suæ oblatam, & validè repudiat legatum, & donationem, si non adimpleat conditionem legati, vel donationis. p.145.n.3
Prælatus Ecclesiæ nocere non potest, si solus sine Capituli consensu modum donationis transgrediatur. ibid.n.16.
Prælatus nocere potest Ecclesiæ in casu, quo donatio facta fuerit sub conditione, & conditionem Prælatus, qui res Ecclesiæ administrat, non adimpleat. ibid.
Prælatus habet se ad Ecclesiam, tanquam tutor, seu curator. ibid.n.23
Prælatus licet absque Capituli consensu, cæterisque iuris solennitatibus non possit obesse alienando res Ecclesiasticas, potest tamen obesse in iudicialibus, permittendo aduersus suam Ecclesiam sententiam ferri. p.146.n.27
Prælatus non potest sine Capituli consensu, aliisque iuris solennitatibus rei immobilis, vel mobilis pretiosæ legatum, vel hæreditatem Ecclesiæ suæ delatam non acceptare, seu repudiare. pag. 147. num.1.
Prælatus, quin & Capitulum, peccat graviter non admittendo legatum, vel hæreditatem, nisi forsan ex causa rationabili illa non admittat. ibid. num.22.
Prælatus non potest validè hæreditatem iam aditam repudiare, quia hæc est alienatio, cum sit iuris iam acquisiti in alterum translatio. pag. 148. num.27.
Prælatus monasterij incapacis legatorum potest sine solennitatibus in proprios, & quotidianos vsus monasterij rem legatam alienare. ibid.n.1
Prælatus Religionis, seu Abbas, si Episcopo subiectus sit, etiam Episcopi consensus requiritur: idem dic de quovis inferiore Ecclesiæ Rectore. pag.154. num.17.
Prælatus, Rector, vel Defensor, si procul absint, & res non patiatur moram, vt si adsit periculum ab Hæreticis confiscari, sufficit consensus præsumptus. ibid.n.21.
Prælatus in iure acquirendo potest præiudicare Ecclesiæ. p.157.n.2
Prælatus, vel Beneficiatus, qui est dominus directus emphyteusis, facere potest sine solennitate iuris remissionem caducitatis emphyteutæ, qui incidit in commissum ob non solutum canonem. ibid. num.9.
Prælati Ordinum ab Episcoporum iurisdictione exempti, quasi Episcopalem iurisdictionem in suos Regulares habent, & possunt condere constitutiones, sicut Episcopus condere potest statuta ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentia. pag. 194. num.4.
Prælati non exempti iurisdictionem aliquam statuendi in rebus non grauibus per consuetudinem possunt sibi comparare. ibid.n.6
Prælati Ordinum potestatem habent statuta condendi, quamuis non omnes eadem, sed pro diuersitate Ordinum, priuilegiorum, & consuetudinum. ibid. num.7.
Prælato incumbit mediis opportunis præcauere spirituale subditi periculum. p.195.n.22
an Prælatus, seu superior, possit coarctare, & coarctandi iusta causa subsit, in dubio standum est superioris iudicio. Idem dic de alio impedimento Religiosi. ibid.n.26
Prælati nomine Pontifex etiam intelligitur. pag.196. num.37.
Prælatus potest præcipere Religioso, quod acceptet superioris munus, vel quodcumque beneficium consuetum regi per Regulares suæ Religionis. ibid. num.45.
Prælatus potest præcipere Religioso quod acceptet beneficium sui Monasterij, licet sit parui valoris, dummodo non cogatur relinquere alimenta necessaria à Monasterio sibi præstanda ad supplementum victus. ibid.n.44.
Prælatus potest præcipere Religioso, quod acceptet beneficium, licet sit manuale, & ad nutum amouibile, nisi iustam excusationis causam habeat. ibid. num.45.
Prælatus potest præcipere Religioso, quod tempore pestis deseruiat Religiosis domesticis, etiam in temporalibus. ibid.n.49
Prælatus non potest præcipere Religioso, quod tempore pestis administret sacramenta extraneis, si tantum ei incumbat vita contemplatiua; si verò vita actiua, potest præcipere in supplementum Parochorum. ibid.n.53.
Prælatus potest præcipere Religioso, quod in certo loco stet ad tempus, seu potest dare illum in pignus, vel in obsidem pro necessitate Monasterij, secus si id faciat pro pace Reipublicæ, & cur. p.197. num.55.
Prælati iurisdictionem quasi Episcopalem habentes possunt in monasteriis exemptis quidquid possunt Episcopi. p.203.n.7
Prælatus Regularis conuentualis potest concedere licentiam ingrediendi clausuram Monasterij Monialium sibi subiecti, dummodo à suis Superioribus Generalibus eidem ablata non sit talis facultas. p.233. num.1.
Prælati Conuentuales ad hunc ingressum non indigent licentia Prouincialium. ibid.n.9
Prælati, & Officiales puniri iubentur, cum totus Conuentus in simoniaca Monachi receptione deliquerit. p.266.n.7.
Prælati, siue seculares, siue Regulares, dantes licentiam, &c. sine iusta causa, vel postea admittentes non contrahunt eadem pœnas. p.268.n.9
Prælati seculares soli Pontificiali dignitate insigniti, & quicumque Prælati Regulares contrahunt pœnas. p.271.n.2.
Prælati seculares Pontificiali Dignitate insigniti, & Prælati Regulares quicumque in casu necessitatis ingredientes, si ingrediantur soli, vel comitati à personis non habentibus conditiones requisitas in eo Motu, non contrahunt dictas pœnas. ibid.n.3
Prælati Pontificali Dignitate insigniti excommunicationem non pro primo, vel secundo ingressu, sed solum pro tertio, & quocumque deinceps ingressu incurrunt. ibid.n.5
Prælati Regulares secundum opinionem probabiliorem si extra casum necessitatis Monialium Monasteria sibi subiecta ingrediuntur, in primo & secundo ingressu contrahunt excommunicationem, & priuationis officiorum pœnam. ibid.n.6

Prælati Regulares probabile est quod pœnas excommunicationis, & priuationis officiorum contrahant solum in tertio ingressu. ibid.n.7

Prælati Religionum possunt designare clausuræ terminos, extra quos Religiosi non possint sine licentia exire. p.283.n.17

Prælatus etiamsi illegitimè exiret, incideret in casum, si alias esset reseruatus à suo Superiore. ibid. num.22.

Prælati Religionum non possunt ad libitum processionem extraordinariam intra claustra instituere, ad finem vt mulieres illuc licitè ingrediantur. pag.285. num.17.

Prælati Religionum processionem eo fine instituentes ad libitum, vt ea occasione mulieres licitè possint Monasterium ingredi, peccant tantùm abusu potestatis. p.285.n.19

Prælati Monialium non debent, nec licitè possunt ingredi claustra earum, nisi in casibus necessariis, & paucis comitati Religiosis, vt declaratur in Bulla 28. Gregorij XIII. p.299.& seqq.

non potest *Præscribi* contra ius naturale, vel diuinum. p.5.n.8.

*Præscriptio* incipere non potest contra filium, dum bona ipsius aduentitia sunt penes patrem, & filius pro his agere impeditur. p.146.n.32

Præscriptio aliquando suspenditur, ac quodammodo dormit. ibid.n.33

*Præsumptio* tunc dicitur iuris, & de iure, quando ius certum quid statuit ob præsumptionem, quam habet. p.26.n.37

Præsumptio desumi debet ex communiter contingentibus. p.62.n.8

Præsumptio supponit dolum, & scientiam. pag. 131. num.20.

Præsumptio causæ non infert causam, & sic non infert in alienatione valorem. p.166.n.4

*Princeps* non præsumitur contra se ipsum legem condere. p.39.n.4

Principes non possunt quidquam statuere circa immunitatem Ecclesiarum, cùm hoc spectet solum ad summum Pontificem. p.57.n.9

Nomine Principis in casu priuationis immunitatis venit qui supremam habet iurisdictionem, & nemini est subiectus; vt Pontifex, Imperator, Rex Hispaniarum, Rex Galliæ, Angliæ, Poloniæ, &c. p.69. num.35.

*Par* est & expediens bono publico, quod diligenter & exactè defendatur supremus Princeps cum Tribunali supremo suo sumptu, cum quo bonum publicum curat. p.71.n.4

Principes seculares non possunt quidquam statuere circa immunitatem Ecclesiasticam. p.79.n.7

Principibus datur facultas puniendi expresè incendiarium, consultis Prælatis Ecclesiasticis, in quantum incendiarius confugit ad Ecclesiam, non ad ipsum extrahendum ab illa, sed vt Principes prudenter procedant in assignanda pœna incendiario. pag.82. num.3.

Princeps vnius Territorij non dicitur quod faciat iniuriam Principi alterius Territorij non restituendo reum, qui illuc confugit; cum liber in illius Territorium intrauerit. p.100.n.28

Princeps extrahens reum sibi subditum à Territorio alterius violat iurisdictionem ipsius. ibid.n.29

Princeps supremus à subditis cogi non potest, vt alteri se subiiciat. p.118.n.8

Non præsumitur à supremo Principe tanquam legum, & iustitiæ fonte, atque Consiliariis optimis munito, vt possit quidquam iniustum promanare. ibid. num.9.

Quod statuitur à Principe per epistolam ad consultationem priuatorum, publici iuris vim obtinet; secus quando fit pro vno casu locali tantum. pag.124. num.14.

Regula (quod Principi placuit, legis habet vigorem) procedit quando Princeps habuit animum legem condendi, & facit publicare. ibid.n.16

In dubio quilibet præsumitur bonus, præsertim Princeps, & Princeps Ecclesiasticus vices Dei gerens. p.177.n.3.

Princeps secularis Pontifice inferior, & ei subditus, ex iusta causa potest contractus factos, vel faciendos irritare. p.178.n.12

Princeps, Episcopus, vel Canonicus, si admittantur ad suum officium non præstito iuramento, non obligantur ex iuramento, sed ex vi pacti. pag. 181. num.33.

*Priuilegium* immunitatis per circuitum 30. vel 40. passuum, procedit solum in Ecclesiis, quæ sunt extra murorum ambitum; non autem in Ecclesiis intra muros populi contentis, contra nonnullos. pag.13. num.6.

Priuilegium immunitatis per circuitum 30. vel 40. passuum procedit in eo, qui iam ad Ecclesiam confugit, & ex illa progreditur per 30. vel 40. passus, non autem in eo, quem Ecclesia nondum iam recepit. ibid.n.7.

Priuilegia immunitatis in dubio non sunt restringenda, sed potius amplianda. p.14.n.17

Priuilegium immunitatis Palatio Episcopi conceditur in reuerentiam, & decorem dignitatis Episcopalis, quæ est suprema dignitas in Ecclesia. pag. 18. num.9.

Priuilegium ad non expressa per consequentiam trahi non debet. p.20.n.5

Priuilegium extendi potest vltra casum expressum ex voluntate priuilegiantis rationabiliter præsumpta, præsertim Principibus secularibus consentientibus. ibid.n.6.

Priuilegium immunitatis indistinctè conceditur omnibus, estque non tam personale, quàm locale; conceditur enim personis non ratione personæ, sed ratione loci, qui sacer, & sanctus est. pag. 25. num.8.

Priuilegium loco concessum extenditur ad omnes ibi existentes. ibid.n.9

Priuilegium immunitatis est fauorabile, & ideo latè interpretandum. ibid.n.10

Priuilegium immunitatis licet vt fauorabile sit latè interpretandum, non tamen plus est extendendum, quàm in terminis habilibus, & iuxta capacitatem subiectorum. ibid.n.23

Priuilegium ratione loci concessum, ex qualitate personarum metiri non debet; nec in Ordine ad ipsum personæ ratio haberi. p.33.n.7

Priuilegium immunitatis cum sit pium, debet etiam ampliari ad debitores. p.37.n.4

Priuilegium immunitatis non excludit suspectum de fuga, nec illud impediri potest delicto debitoris committendo. p.38.n.3

Priuilegium immunitatis competit primò & per se Ecclesiæ, necnon competit immediatè, directè, & per se etiam reo. p.125.n.1

Priuilegium immunitatis potius dicendum est competere reo, quàm Ecclesiæ, cum Ecclesiæ intuitu ei concedatur, & homo capax sit beneficij. ibid. num.2.

quod in Priuilegium, & Beneficium concessum est, non debet in odium, & detrimentum conuerti. pag.154. num.22.

Priuilegium absoluendi ab omni censura, etiam Sedi Apostoli

Apostolicæ reseruata Regularibus concessum, extenditur ad censuras, quæ futuro tempore à Pontifice sibi reseruabuntur. p.228.n.4
Priuilegium indefinitè concessum, sed alteri non onerosum, sed est merum beneficium Principis, amplè est accipiendum, & ad futura etiam extendendum. ibid.n.5
Priuilegium personale non dicitur solum, eo quod personæ particulari concedatur; sed etiam quia conceditur certo personarum generi. p.233.n.11
Priuilegium relatum ad personas dicitur personale, & relatum ad locum, Ciuitatem, Religionem, Monasterium, vel Collegium est reale. ibid.n.12
Priuilegium in fauorabilibus extenditur etiam ad iteratos actus, quoties absolutè conceditur, secus est si aliud de mente concedentis colligatur. pag. 236. num 4.
Priuilegium eligendi sibi Confessarium potest intelligi toties quoties opus fuerit confiteri, & quod possit mutari. ibid.n.8
Priuilegium quando est merè gratiosum, non finitur finito primo actu. ibid.n.9
Priuilegium in odiosis, vt ingrediendi Monasterij clausuram, non admittit extensionem ad iteratos actus, sed finitur primo actu. ibid.n.10
Priuilegium non tollit aliud priuilegium, nisi de eo mentionem faciat, maximè si primum priuilegium est speciale, & secundum generale. pag. 237. num.19.
Posterius priuilegium generale non tollit priuilegium primum speciale, quando sunt contraria, secus quando non sunt contraria, sed de eadem re. ibid. num.24.
Priuilegium ad eius valorem non requirit scripturam nisi aliter in aliquo casu iure præscribatur. pag.240. num.3.
Priuilegia in corpore iuris inserta non comprehenduntur in generali priuilegiorum derogatione. pag.246. num.8.
Priuilegiis in Concilio concessis per nullam clausulam quantumvis generalem derogatur, nisi de ipso ob eius grauitatem fiat specialis mentio. ibid. num.9.
Priuilegium Pontificis fœminis ad ingrediendum Monasteria virorum concessum, non suffragatur quando Monasteria suis statutis ingressum prohibent, & dictum priuilegium non haberet clausulas derogatorias. p.285.n.29
*Procurans* alienationem, vel alienationis decretum dolosè, vel scienter in detrimentum Ecclesiæ, incurrit excommunicationem summo Pontifici reseruatam. p.182.n.1.
Procurans alienationem modo supradicto à nemine potest absolui à dicta censura summo Pontifice inferiori. ibid.n.2
Procurans alienationem modo supradicto, si nesciat alienationem esse in detrimentum Ecclesiæ, excommunicationem non incurrit. ibid.n.3
*Proditor* propriè dicitur is qui aliud gerit in opere, aliud in corde. p.56.n.2
*Profitens* ea conditione, vt in domo propria maneat, non tenetur ad clausuram. p.199.n.15
*Prohibitio* conuiuendi nutriendi, Iudæos, eisque famulandi, non extenditur ad idem exercentes cum Saracenis, & Paganis. p.76.n.20
Prohibitio alienandi res Ecclesiasticas est ad effectum vt res conseruentur suæ Ecclesiæ, vt illis ipsæ Ecclesiæ, Monasteria, & pia loca sustententur. p.138. num.33.
Prohibitio citatæ extrauagantis non est de nouo lata, sed antiqua renouata, & confirmata. p.159.n.11
Prohibitio antiqua alienandi, non solum fuit ne res exirent ab Ecclesia, & applicarentur vsui profano; sed etiam ne perirent, & vt conseruarentur. ibid. num.12.
in qualibet Prohibitione censetur excepta causa occurrens, quæ suaderet oppositum. p.173.n.6
Prohibitio locationis vltra triennium extenditur ad omnia bona Ecclesiarum, Monasteriorum, & piorum locorum, si Episcopi auctoritate sint erecti. p.189. num.1.
*Promissarius*, vel legatarius, licet modum nondum impleuerit, tamen ius suum transmittit ad hæredem, qui etiam modum implere potest, & debet, & tam actiuè, quam passiuè transmittit. p.145.n.8
Promissarius, vel eius hæres implorare potest iudicis officium, vt iurantem se absente, & nesciente cogat ad præstandum id, quod sub iuramento promisit. p.180.n.18.
*Promissiones*, & contractus, qui iure positiuo, vel naturali sunt irriti, iuramento ita confirmantur, vt omnino impleri debeant, si eorum impletio licita sit. p.181.n.27.
Promissio priuata non censetur neque formalis, neque virtualis locatio. p.185.n.6
Promissio etiam de renouando locationem post triennium in scriptura publica redacta, in sententia nonnullorum non venit sub prohibitione Extrauagantis. ibid.n.7.
*Promissum*, seu legatum sub modo, statim etiam non impleto modo peti potest, quamuis promissarius, vel legatarius satisdare debeat de illo implendo. p.145.n.7.
*Promittens* Ecclesiæ se donaturum centum, si pro eius patre anniuersarium celebretur, si Ecclesiæ Prælatus nolit implere conditionem, promissor liberatur obligatione. ibid.n.17
*Proselyti* hi vocabantur, qui vt iure ciuitatis fruerentur, vel promissionum participes fierent, circumcidebantur, ac legi se subiiciebant. p.25.n.15
*Puellæ* educationis gratia ingredi non possunt Monialium Monasteria, in quibus non est consuetudo ad dictum finem ea recipiendi, sine licentia Sedis Apostolicæ. p.246.n.10
Puellæ pauperes, quæ commodè viuere possunt in Monasterio ob legata eis alimenta à propinquis ea lege, vt in Monasterio retineantur, iustam habent causam ingrediendi. p.247.n.2
*Pupillus* non potest sine Prætoris auctoritate repudiare fundum sibi legatum; nam rem suam alienare non potest. p.146.n.6
Pupillo, seu minori prohibita est non solum alienatio bonorum, sed etiam omissio lucri, at Prælato solum prohibita est acquisiti lucri alienatio. ibid.n.21

## Q

*Quæstio* facti criminis hæresis non est magis spiritualis, quàm quæstio facti aliarum rerum spiritualium, de quibus Iudex secularis de facto cognoscit. p.66.n.15.
in *Quantitate* parui momenti possunt etiam alienari sine solennitatibus, & consensu summi Pontificis res immobiles Ecclesiæ. p.131.n.25
Quantitas parui momenti æstimatur etiam ea, quæ centum aureos non attingit. ibid.n.24

## R

*Raptus* est rapina grauior quolibet alio latrocinio, non tamen excipitur cum latrocinio; quia non valet argumentum à maioritate rationis. p.78.n.2

*Raptores* virginum si consuetudine legitimè introducta id seruetur, non gaudent immunitate in aliquibus locis. p.74.n.6
Raptor virginis, & adulter propter rationes dictas non priuantur immunitate. p.77.& seq.n.1
Raptorem virginis intelligi nomine publici latronis non videtur proprium vocabuli. p.78.n.10
Raptor virginis dato quod sit publicus latro, non tamen priuatur immunitate; nam neque publicus latro ea priuatur, si non pluries in viis publicis cum armis, & violentia deprædatus sit. ibid.n.11
*Rebelles*, vel offendentes statuas, vel imagines dicatas Pincipi, licet committant crimen læsæ Maiestatis, non tamen in personam Principis, gaudent Ecclesiæ immunitate. p.71.n.1
*Rectores* Ecclesiarum subministrantes alimenta reo, possunt ipsum compellere ad laborandum pro Ecclesia, seu conuentu in victus compensationem, secus si non possit, aut non soleat. p.93.n.6
Rector, Beneficiatus, vel Religiosus potest testificari in causa suæ Ecclesiæ. p.118.n.4
Deficiente Rectore Ecclesiæ, si Prælatus bona illius Ecclesiæ alienare duxerit, debet illius Ecclesiæ defensorem constituere, qui partes Rectoris gerat, & cum eius consensu saltem tacito alienare. pag. 144. num.20.
*Reformatio* in Moniales exemptas, sed Religiosis subiectas spectat ad Prælatum Ordinis Generalem, vel Prouincialem. p.191.n.15
à *Regula* generali recedendum non est vbi exceptio non ponitur. p.73.n.5
qui habet Regulam pro se, fundatam habet suam intentionem in casibus non exceptis. ibid.n.6
Regulæ reformatio necessaria videtur ad Ordinis conseruationem, cum absque ipsa paucissimi ad perfectionem religiosam peruenire studeant. pag.194. num.15.
*Regulares* possunt alienare sine assensu Apostolico mobilia non pretiosa, vt vinum, frumentum, vestes, præsertim attritas, & similia. p.133.n.57
Regularium superiores possunt sine assensu Apostolico ex bonorum Monasterij fructibus facere pingues eleemosynas. ibid.n.59
Regulares non possunt vendere stabilia, vel mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, nec etiam pro fabrica Monasterij, vel ad effectum emendi census. p.140.n.11
Regulares non possunt inconsulto summo Pontifice fundare censum, & accipere pecunias ad cambium, vel ad mutuum, cum solutione lucri cessantis, aut damni emergentis. p.149.n.1
Regulares, etiam è Societate Iesu, alienantes indebitè, & non seruatis seruandis, res Monasterij, incurrunt pœnas statutas in constitutione, & priuantur voce actiua, & passiua, redduntur que perpetuò inhabiles ad illas obtinendas, sublata Generali, & Protectoti facultate moderandi, & relaxandi pœnas. p.170.n.15.
Regulares habentes administrationem bonorum Religionis, si iura, redditus, vel possessiones ad vitam recipientis, vel ad aliud certum tempus (nisi ob necessitatem Monasterij cum consensu Capituli, vel Prælati) alienent, contrahunt suspensionem ab officio, & alienatio est nulla, ex Clement. 1. de rebus Eccles. non alien. p.171.n.23
Regulares si inter se conueniant, seu paciscantur, Elige me in Prouincialem, & ego eligam te in Priorem, grauiter peccant, sed à simonia excusantur. p.226.n.26.
Regulares possunt absolui ab hac, & similibus inhabilitatibus à suis Confessariis per Prælatos deputatis semel in vita, dummodo per integrum annum qualibet hebdomada semel recitent Psalmos Pœnitentiales cum litaniis, vel si sint impediti, suppleant in die sequenti. p.230.n.9
Regulares cuiuscumque Instituti quoad Confessarij scilicet electionem, vti non possunt Bulla Cruciatæ, secus tamen dic de nouitiis. p.272.n.12
Regulares virtute priuilegiorum suæ Religionis possunt absoluere si casus similiter sit occultus, & non sit specialiter ab Episcopo reseruatus. pag. 273. num.15.
Regulares possunt etiam absoluere à casibus & censuris in iure latis, propter quas excusantur aliqui adire Sedem Apostolicam, & quinam sint, vide ibi. ibid. num.16.
Si quis leget vel donet centum cum modo, seu obligatione vt anniuersarium celebretur, *Relictum* reuocari non potest ob non adimpletum postea modum, sed agi potest ad implementum. pag. 145. num.18.
Relicta cum perpetuo onere Missarum reinuestiri debent in re actualiter frugifera, & immobili. p.165. num.7.
*Religiosorum* excessus grauibus pœnis puniuntur, qui tamen semper in locis sacris morantur. p.32.n.24
Religiosi, qui sui commodi gratiâ existimationem proprij Ordinis per implorata iudicia denigrant, & proiiciunt, vocantur ingrati. p.33.n.13
Religiosus si delinquat non gaudet Ecclesiæ immunitate, & sic à Prælato Religionis ab Ecclesia extrahi potest? p.35.n.1
Religiosi gauderent Ecclesiæ immunitate, si ea gauderent Clerici; & sic nunquam de delictis suis à superioribus puniri possent, cum semper sint in Monasteriis immunitatem habentibus. ibid.n.2
Religiosis immunitas conuenire non potest, nec de iure Cæsareo, nec de iure Pontificio. ibid.n.3
Religiosi attentis votis solennibus non veniunt appellatione liberorum, sed seruis æquiparantur, ideo suis Superioribus tradi debent. ibid.n.4
Religiosi quod gaudeant immunitate in Ecclesiis non suorum Monasteriorum affirmant Gambacurta, & Petrus Cenedus, secus si à Superiore eis tantum imponenda sit pœnitentia paterna. p.36.n.6
Religiosus in Ordine ad Prælatum Religionis quod non gaudeat Ecclesiæ immunitate simpliciter dicendum est. ibid.n.9
Religiosus committens apostasiam, & quodcumque aliud delictum etiam non exceptum, non gaudet immunitate, ita vt à suo superiore ab Ecclesia extrahi possit, & puniatur in foro etiam iudiciali, secundum sacros Canones, contra plures Doctores. ibid.n.11.
Religiosus ministrans Baptismum, & pœnitentiam sine licentia Parochi non incurrit pœnas Clementinæ primæ de priuilegiis. p.75.n.15
Religiosi pœna fraudantis decimas Ecclesiæ non extenditur ad Clericum secularem. ibid.n.16
Religiosus, subditus, vel quicumque alius, nullo iure administrationem habens, alienans aliquid Ecclesiæ, destruens, vel demoliens, excommunicationem & pœnas Extrauagantis non incurrit. pag.131. num.19.
Religiosus, cum per professionem cesserit bonis, quæ solum erant obligata pro debito, non tenetur, vt soluat, si quid debiti superfuerit, artem exercere; in sententia tamen Authoris peccat contra iustitiam repudiando hæreditatem. p.148.n.40
Religiosi proprium velle non habent, sed id per obedientiæ votum in superioris voluntatem transtulerunt. p.194.n.9

Religiosus professus regulam de tempore quo accidentalia Religionis non erant in viridi obseruantia, non tenetur ad inusitatos rigores ipsius; secus verò si per Capitulum Religionis, vel summum Pontificem decernatur primæua eiusdem obseruantia, & cur. ibid.n.14

Religiosi si Ordo ipsorum à fundatoris sui institutis recedat, & paulatim ad deteriora cum Ecclesiæ, & ipsorum Religiosorum spirituali detrimento labatur, tenentur acceptare reformationem Regulæ factam vel à maiori parte Capituli, vel à summo Pontifice. ibid.n.16

Religiosus tenetur obedire Prælato aliquid præcipienti in cautelam præcauendi recidiuam in aliquod peccatum, vel periculum imminens, saltem in casu, quo id valde conferat ad talem finem. ibid.n.21

Religiosus tenetur obedire Prælato aliquid præcipienti ob aliquam publicam necessitatem. pag.195. num.23.

Religiosus tenetur tamen obedire superiori in iis, quæ sunt secundum Regulam, & pertinent ad statutum Religionis. ibid.n.35

Religiosus debilis complexionis, vel valde vtilis bono communi Religionis, non tenetur obedire, si iussus sit seruire tempore pestis. p.196.n.51

Neque tenetur Religiosus deseruire externis peste infectis; quia id est supra, non iuxta Regulam. ibid. num.52.

Religiosorum munus est, esse Episcoporum, & Parochorum coadiutores in salute spirituali proximorum adiuuanda. p.197.n.54

Religiosum assumi in Prælatum alterius Religionis, vel habitus prohibetur expresè. p.208.n.2

Religiosus iustè ad perpetuum carcerem damnatus fugere licitè non potest; quia ratione voti obedientiæ tenetur Prælato obedire in omnibus, quæ sunt secundum regulam, & accessoria ad regulam. p.223. num.5.

per Religiosos intelliguntur etiam seculares Religiosis moribus dotati, & etiam matronæ graues, & vitæ exemplaris. p.235.n.6

Religiosus non est reus pœnarum contentarum in motu Clementis VIII. de largitione munerum, obtenta licentia oretenus, & non in scriptis; quia dicta solennitas requiritur tantum in foro externo, non autem interno; sed melius dic, quia dicta Bulla non est vsu recepta. p.238.n.9

Religiosi omnes tenentur restituere pecuniam simoniacè acceptam; Abbates verò, & maiores personæ, pœna lata contra simoniacos afficiuntur. pag.266. num.8.

Religiosi accedentes ad Monasteria Monialium, ipso facto incurrunt pœnam priuationis officiorum & vocis actiuæ & passiuæ. Vide decretum per extensum relatum. p.277.n.4

Religiosi licitè sine vllo peccato possunt Monasteria adire, & Moniales alloqui, si id faciant de licentia Episcopi, iuxta decretum Vrbani VIII. quod vide per extensum. ibid.n.7

Religiosus afficitur decreti pœnis etiam ob vnicum accessum; quia decretum loquitur de accedentibus sine licentia sacræ Congregationis, non autem de frequentantibus. ibid.n.8

Religiosus si sit exemptus, qualis hodie est ferè omnis, non afficitur pœnis impositis ab Episcopo contra frequentantes Monialium Monasteria sine sua licentia, quamuis hodie ex alio capite supradicto puniri possit ab Episcopo. Vide verba decreti per extensum. p.278.n.11.

Religiosi grauiter peccant, si fœminas in sua Monasteria admittunt; secus tamen est si admittant fœminas licitè ingredientes. ibid.n.3

Religiosus incurrit pœnas, si finitis officiis causa est, vt ibi fœminæ ingressæ diu commorentur; secus tamen dic de fœminis diu ibi dicta occasione commorantibus. p.185.n.26

Religiosi mulieres in sua Monasteria admittentes ex motu Pij V. suspenduntur à diuinis, & incurrunt officiorum priuationem, & ad illa in posterum obtinenda inhabilitatem ipso facto. p.286.n.3

*Relinquens* legatum rei immobilis Monasterio incapaci, tacitè videtur illud voluisse relinquere ad vsum Monasterij eo modo, quo potest, secus dicendum est si fuerit legatum rei immobilis pretiosæ. pag.149 num.4.

*Reliquias* vendere (nisi vendantur ratione capsæ, vel vasis pretiosi) est simonia, quæ consummata infert excommunicationem, in opinione aliquorum, licet minus probabili. p.133.n.53

Si reliquiæ alicubi traditæ sint perpetuæ sepulturæ, vt inde nunquam extrahantur, vsus & stylus Curiæ Romanæ habet, vt non possint absque consensu Apostolico extrahi, & aliis tradi. ibid.n.54

Reliquia modica poterit licitè alicui Ecclesiæ, vel Oratorio donari sine assensu Apostolico. ibid.n.56

*Renouans* locationem factam pro triennio post secundum annum, validè facit, quia tunc non præsumitur ex fraude procedere. p.186.n.1

*Renouatio* facta ante secundum annum cœptum, & cum eadem persona, licet pensio varietur, est inualida; quia tunc præsumitur fraus, & verum est dicere, rem Ecclesiæ vni esse locatam ad quinquennium. ibid. num.2.

*Repudiatio*, seu non acceptatio est quædam alienatio, quandoquidem ipsa res repudiata transit ad hæredem. p.147.n.2

Repudiatio, seu iuris abdicatio species alienationis censeri debet in causa Ecclesiæ fauorabili. ibid.n.7

Repudiatio non est alienatio, sed solum non acquisitio. ibid.n.13.

Repudiatio simpliciter non est alienatio, quia ius legati, vel hæreditatis adeundæ non est absolutum, sed conditionatum, pendens à voluntate acceptantis. ibid.n.15.

facta rei Repudiatione, conuincitur nunquam res Ecclesiæ fuisse. ibid.n.16

Repudiatione facta res transit ad hæredes, non ex repudiatione, sed ex successione, quæ impediebatur legatione facta. ibid.n.18

Repudiatio hæreditatis, vel legati facta à Prælato non est valida sine iuris solennitatibus, si facta sit in fauorem illius, ad quem hæreditas non perueniret; sed peruenit solum ex eo, quia Prælatus in eius fauorem repudiauit. p.148.n.26

Repudiatio, quæ fit à marito de re sibi delata, quam rogat dari vxori, valet; secus si iubeat donari vxori, quia ex mandato supponitur acceptatio tacita. ibid. num.31.

*Res* transit cum onere suo, & res furtiua transit ad quemcumque cum onere restitutionis. pag. 105. num.32.

si Res prohibetur alienari, non solum prohibetur Dominij directi translatio; sed pignoris etiam obligatio, vsusfructus, & seruitutis constitutio. pag. 132. num.34.

si Res aliqua ab antiquo tempore in feudum, vel emphyteusim concedi solita erat, poterit à Prælato, dummodo non fuerit Ecclesiæ incorporata, sine alia solennitate concedi, si Ecclesiæ expedire videatur. ibid.n.35.

vt Res dicatur solita concedi, sufficit si semel concessa fuerit. ibid.n.36

Res

Res pretiosa dicitur, quæ valet pluris, quàm 15. scutis aureis; & sic tunc solum alienari non potest sine iuris solennitate. p.134.n.12
Requiritur tamen ad hoc vt sine iuris solennitate possit alienari res modica, quæ scilicet valet minoris, quam 25. scutis aureis, quod sit etiam minus vtilis, & adsit alienandi necessitas, & sit, si sit stabilis, disiuncta ab aliis territis Ecclesiæ. p.135.n.13
Res, quæ non attingit valorem vigintiquinque aureorum, non est pretiosa, & sine iuris solennitate alienari potest. ibid.n.1
Res & actus iudicatur ex suo principio, & in omnibus attendi debet principium & finis. p.136.n.8
Res Ecclesiæ debitæ necessitate intercueniente alienari possunt, seruatis tamen debitis iuris solennitatibus, quæ remittuntur, si necessitas sit adeo vrgens, vt non patiatur eas seruari. p.138.n.19
Ad alienandum res Ecclesiæ non adhibitis debitis solennitatibus, non sufficit vtilitas, & necessitas qualiscumque, sed requiritur euidens. ibid.n.20
Res, quæ sunt in continuo periculo, cùm consistant in hominis vita, censentur bona mobilia. ibid. num.28.
Per generalem hypothecam non tam res, quàm persona remanet obnoxia obligationi. p.140.n.7
Res sterilis, & domus, ex qua nihil vtilitatis percipitur, non potest alienari. ibid.n.10
Res relicta sub conditione non acquiritur legatario, vel donatario ante conditionis euentum. pag.145. num.4.
Res relicta sub modo acquiritur legatario, vel donatario, etiam non adimpleto modo, quamuis legatario, vel donatario remaneat grauamen & obligatio aliquid faciendi. ibid.n.5
Res semel Ecclesiæ acquisita, est quasi sacra facta, & in speciali dominio Christi constituta; ideoque reuocari non potest. ibid.n.19
Res legata immobilis, non est Monasterio ob eius incapacitatem incorporata. p.148.n.3
Rerum alienatio vt Ecclesiæ sit licita, tempore, quo fit, necesse est vt interueniat altera ex duabus dictis causis; quia ex illis alienatio honestatur. pag.150. num.7.
Res Ecclesiæ, quæ alienatur, dari semper debet plus offerenti, qua tamen non sic data, alienatio adhuc sustinetur. ibid.n.13
pro alienatione Rerum immobilium, & mobilium pretiosarum statuuntur à iure quædam particulares conditiones. p.152.n.7
Res relicta sub conditione, quod non possit alienari, operatur tantùm, vt non possit alienari pro quacumque necessitate, sed pro graui. p.156.n.5
Res Ecclesiæ si alienata fuerit in casu licito, & cum debita solennitate, alienatio valida erit, sed respectu læsionis enormis gaudet beneficio restitutionis in integrum. p.168.n.8
*Reseruatio*, vtpotè pœnalis, nunquam adesse censetur, nisi expressè facta fuerit. p.111.n.9
Reseruatio est veluti pœna, & pœnam saltem in foro interno probabiliter non contrahit ignorans ignorantia prædicta; sed solum contumax, & pœnæ contemptor. p.262.n.15
*Reipublicæ* interest, quod Ecclesiæ sint refugium confugientibus ad ipsas, ob honorem, & reuerentiam debitam Deo, quod est bonum maius, & in ordine superiori. p.2.n.13
*Reuerentia.* An possit Potestas laica punire personam Ecclesiasticam, si reuerentiæ signa ipsi non exhibuerit, vel coram ipsa quomodocumque aliter deliquerit. Vide in verbo *Potestas.*
*Reuocans* alienationem rei Ecclesiæ, antequam alter pacificam possessionem rei venditæ recipiat, non incurrit excommunicationem Extrauagantis. p.132. num.43.
*Reus* cuiuscumque maleficij non est ab Ecclesia violenter extrahendus. p.1.n.4
Rei extrahendi non sunt, neque ab Ecclesiæ atriis, vel domibus Episcopi. ibid.n.5
Rei ideo non extrahendi, quia defendi debent loci sancti reuerentia, & intercessione. ibid.n.6
Reos extrahere ab Ecclesiis, vel Ecclesiarum atriis prohibetur non tam iure Canonico, quàm iure ciuili. p.2.n.1.
Rei confugientes ad Ecclesiam pro delictis exceptis consignantur Curiæ seculari, vt puniantur. ibid. num.12.
Rei apud antiquos recurrentes ad asyla pro quiscumque delictis immunitate gaudebant, & ab omni pœna liberabantur: at nunc pro delictis exceptis non gaudent. ibid.n.18
Reus quod non gaudeat immunitate intra circuitum 30. vel 40. passuum ab Ecclesia, videtur vsu receptum, contra, id quod statuitur per sacros Canones. pag.6. num.25.
Reus ad supplicium ductus, si casu ei obuiam factus Cardinalis pileum suum imponi ei faciat, in sententia nonnullorum Doctorum liberandus est à morte, & maiori pœna puniendus. p.19.n.3
Reus si præstito iuramento de redeundo ad carcerem, nolit redire, sed se in Ecclesia defendere, potest Prælatus concedere facultatem, vt habita cautione de immunitate pœnæ corporalis ab Ecclesia extrahatur, secus si adsit periculum pœnæ mortis. p.30.n.5.
Rei, qui non gaudent immunitate, cùm in Bulla excipiuntur, exceptio non fit per particulam *tantum.* p.37.n.13.
Reorum appellatione veniunt etiam debitores, vtpotè rei debitorum. ibid.n.14
Reus carcerari potest in die festo & puniri, non autem in loco sacro. p.38.n.5
Reus per vim intrans in Ecclesiam cum satellitibus, à quibus ducitur, si vt se eximat ab eorum manibus illic eos vulneret cum magna sanguinis effusione, gaudet immunitate. p.46.n.4
Reus ob delictum læsæ maiestatis in primo genere tantum priuatur immunitate; at offendens birruarios non committit in primo genere. ibid.n.5
Reus, qui captus à satellitibus in Ecclesia eos vulnerat, peccat quidem vulnerando; sed non peccat confugiendo ad Ecclesiam. ibid.n.6
Reus ad euitandum graue periculum contra Principis voluntatem licitè fugere potest à carcere, quin & carcerem infringere. ibid.n.8
Reus, qui trahit satellites secum, & non trahitur à satellitibus, non dicitur esse in posse in forum, sed verè confugit ad Ecclesiam. p.47.n.9
Reus puniri debet in loco, in quo deliquit. p.50.n.4
Reus in quocumque euentu parti læsæ satisfacere debet. p.95.n.14.
Reus, qui ducitur ad supplicium mortis, si se eximat è manibus satellitum, gaudet Ecclesiæ immunitate. p.84.n.6.
Non est improbabile reum posse absolutè extrahi ab Ecclesia ob alia delicta non excepta, quando ob excepta absolutè priuatur immunitate. p.86.n.3
Reus è loco sacro extrahi inuitus, & contra voluntatem Ecclesiæ non potest. p.87.sect.1.n.1
Reus egressus ab Ecclesia tantum ad exonerandum ventrem, statim regressurus, quia indecens est vt Ecclesia Dei his immunditiis fordescat, gaudet immunitate. ibid.sect.2.n.1.

# & Verborum Notabilium.


Reus ad necessaria naturæ, absque eo, quod in domibus extraneorum se recipiat, potest ab Ecclesia progredi per spatium 30. passuum, vltra quod non prodest excusatio. p.88.n.2

Reus si liberè à loco sacro egrediatur, potest capi, & puniri per Iudicem laïcum; cum immunitas reo concessa sit tantum ratione loci. pag. 87. sect. 2. numero 2.

Reus si per vim extractus sit ab aliquo loco sacro, debet à Iudice Ecclesiæ restitui, & sic non puniri; cum talis extractio, vtpote violenta, sit nulla. pag. 88. num. 1.

Reus extractus per metum ei incussum, putà ob persuasam extractionem de eo faciendam à Iudice seculari à loco sacro, non potest capi, neque puniri, cum moraliter in tali casu extrahi censeatur. ibid. sect. 4. n. 1.

Reus rogatus, vel blanditiis, vel dolosis verbis inductus ab Ecclesia voluntariè egressus capi, & puniri potest, cum in tali casu non violenter ab Ecclesia extrahatur. p.89.n.1

Reus è loco sacro extrahi contra voluntatem Ecclesiæ non potest, secus de Ecclesiæ voluntate in delictis exceptis. p.90.n.1

Reus in delictis exceptis nullum ius habet ad immunitatem Ecclesiæ, & sic Prælatus Ecclesiæ tueri illum non potest. ibid.n.2

Reus in Ecclesia carcerati, vinculis alligari, vel alio quocumque modo vexari non potest. p.91.n.1

Reus neque potest in Ecclesiæ vinculis alligari, saluo iure restituendi loco sacro. ibid.n.2

Reus dum causa examinatur, an gaudere debeat, necne immunitate, gaudet ipsa immunitate Ecclesiæ. ibid. num. 6.

Reus regulariter etiam de iure communi, non est consignandus Curiæ seculari, vt in eius carceribus detineatur, sed tutus manere debet penes Iudicem Ecclesiasticum. ibid.n.9

Reus dum in Ecclesia existit, victu, & vestitu, & reliquis vitæ necessariis impediri non debet. pag. 92. num. 1.

Reus, si in Ecclesia existens non habeat vnde neque de suo, neque de bonis consanguinei, vel amici viuat tenetur Ecclesia illi alimenta præstare. p.93. num. 2.

Reus, cum sub Ecclesiæ protectione sit, par est, vt Ecclesia, vtpotè pia, ipsum non derelinquat, ne ipse necessitate seculari Iudici se tradat. Idem in iure statuitur de custode in ordine ad captiuos. Idemque possunt facere Regulares, non obstante in contrarium Bulla quadam Sixti V. pag. 93. numero 3.

Reus si habeat bona ad se alendum, debet compensare expensas Ecclesiæ, quia tunc Ecclesia præsumitur solum velle subuenire præsenti necessitati, non autem absolutè donare. ibid.n.4

Reus si simpliciter non habeat bona, cum quibus possit se sustentare, tenetur Ecclesia ei subuenire, vel de proprio, vel applicando aliquid pro vsu pauperum deputatum; secus si possit laborando se alere. ibid. num. 5.

Reus, qui manibus ferrum, vel valuam Ecclesiæ apprehendit, gaudet immunitate. ibid.n.11

Reus vt gaudeat immunitate, sufficit quod præcipuas corporis partes habeat in loco sacro. ibidem numero 12.

Reus bonis suis, quæ secum ad Ecclesiam transtulit, & iustè possessis spoliari non debet: ideò si quis eum in Ecclesia spoliauerit dictis bonis, quin & armis, saltem non prohibitis, puniri debet tanquam immunitatis Ecclesiasticæ violator. p.94.n.1

Reum armis prohibitis, & rebus furtiuis spoliare se habet non per modum iurisdictionis exercendæ, sed per modum facti, & iuris defensionis naturalis. ibid. num. 7.

Reus si bona sint aliena, vel alteri obligata, potest probabiliter ipsis spoliari à Iudice sæculari, cum hoc non sit illi nocumentum inferre. ibid.n.2

Reus potest spoliari à Iudice armis prohibitis, cum quibus ad Ecclesiam confugit, cùm hoc etiam non sit reo nocumentum inferre, sed peccandi occasionem auferre. ibid.n.3

In praxi obseruandum semper est, quod in spoliando reum in Ecclesia rebus alienis, seu armis, semper intercedat licentia Prælati Ecclesiastici; quo tamen recusante, per seipsum poterit. ibidem numero 8.

Reus dum in Ecclesia existit, morte vel pœna aliqua corporali non damnetur per Iudicem secularem, neque etiam per Ecclesiasticum, quin potiùs de morte, debilitate, & omni pœnarum corporalium genere securus esse debet. p.95.n.1

Reus in Ecclesia affici potest solum pœna pecuniaria. ibid.n.2.

Reus existens in Ecclesia damnari non potest pœna seruitutis, exilij, aut triremis, quia sunt hæ valde graues pœnæ, & corporalibus æquiparantur. ibid. & seq.n.3.

Reus existens in Ecclesia procurare debet vt Iudex Ecclesiasticus ipsum condemnet; quia sic à Iudice mulctatus non poterit amplius de eodem delicto ab vllo accusari, inquiri, vel iudicari. pag. 96. num. 9.

Reus si iudici seculari consignetur modo supradicto, Iudex secularis pœnam inferre poterit. ibidem numero 10.

Reus, cum ad Ecclesiam confugit in casibus non exceptis, consuetudine receptum est, vt Iudex laïcus seruatis seruandis contra eum delicto condignam, etiam capitalem, proferat sententiam, quam tamen executioni non mandat. ibid.n.11

Reus confugiens ad Ecclesiam, licet non possit à Iudice laïco spoliari bonis, quæ possidet in Ecclesia, potest tamen spoliari bonis quæ possidet extra Ecclesiam. p.97.n.15

Potest etiam, dum existit in Ecclesia, affici pœna bonorum, quæ possidet in Ecclesia, quin & omni alia pœna etiam capitali, quæ tamen pro tunc, cùm reus existit in Ecclesia, executioni non mandetur. ibid.n.16.

Reus in Ecclesia ad defendendam immunitatem resistere potest armis, & quacumque alia vi; quia cuilibet ius suum armis defendere licet. ibid.n.3

Reus ex hoc ipso, quod non sit in manibus Curiæ, etiamsi violenter sit ab aliis extractus, habet ius confugiendi ad Ecclesiam. p.100.n.24.

Exactio violenta non potest priuare reum iure, quod habet ad vitam, libertatemque suam tuendam. ibid. num. 25.

Ecclesia excipiendo, & defendendo reum vi à satellitibus subductum, non facit contra iustitiam, nec fouet iniustam spoliationem. ibidem numero 26.

Reus immunitate gaudet, etiamsi detentus à satellite simul cum satellite ad Ecclesiam confugiat. ibid. num. 30.

Reus captus antequam deducatur ad carcerem, non intelligitur ita perfectè captus, vt sit in tuto, sub dominio, & potestate iustitiæ. ibid.n.33

Reus à manibus Curiæ secularis violenter ab aliis extractus, si confugerit ad Ecclesiam, quod Ecclesiæ immunitate gaudeat, & consequenter Curiæ seculari

restituendus non sit, decisum fuit in Hispaniarum Regnis. ibid.n.34
Reus si extra casus exceptos extractus Ecclesiæ non restituatur, omnia acta sunt nulla. p.101.n.1
Reus ab Ecclesia iniustè extractus, si postea à carceribus aufugiat, & itetum capiatur in loco etiam non immuni, Ecclesiæ restitui debet. pag. 105. numer.34.
Reus dum in Ecclesia existit, non potest vinculis alligari, vel aliquo quocumque modo vexari. pag. 110. num.18.
Reus extractus ab Ecclesia non seruatis seruandis, etiamsi confessus fuerit se delictum exceptum commisisse, adhuc est restituendus Ecclesiæ, ob non seruatam formam Gregorij. p.116.n.7
Reus dum constat, an immunitate gaudere debeat necne, non potest per Iudicem laïcum extrahi sine Episcopi licentia. p.117.n.13
Reus potest extrahenti resistere, & extractus iam agere vt Ecclesiæ restituatur. p.125.n.3
Reus si sponte compareat non citatus, petatque audiri pro sui iuris defensione, audiri debet, & quousque audiatur, opponere se potest sententiæ Ordinarij declarantis immunitatem ipsi non competere. pag.126. num.7.
Reus si captus à iudice laico alleget Clericatum, de hoc cognoscere spectat ad iudicem Ecclesiasticum. p.127.n.3.
Reus confugiens ad locum sacrum in casibus non exceptis, non potest inde expelli. pag. 128. num.1.
Reus non est expellendus à loco immuni prætextu quod alibi possit se recipere; quia habet ad quem maluerit locum sacrum. ibid.n.4
Reus non seruans debitam reuerentiam Ecclesiæ, vel in ea cibum sumens, & quid simile, potest cum violentia ad loca circumiacentia immunia impelli, si renuat obedire. ibid.n.6
Reus turbans quietem, inficiens disciplinam Regularem, vel indecenter se gerens, potest expelli etiam à domibus, & conuentibus ipsorum. ibid. num.7.
Reus non tenetur exequi in se pœnam sui delicti, non solum in pœnis priuatis, sed in aliis, in quibus actio talis exigitur. p.217.n.23
Reus impediens sententiam confiscationis non facit contra iustitiam commutatiuam, sed solum contra veritatem & obedientiam, & iustitiam legalem, quarum virtutum violatio non obligat ad restitutionem. p.220.n.21.
Reus postquam per Iudicis sententiam condemnatus est ad pœnam honestam, & non nimis acerbam, debet illam per seipsum exequi. p.222.n.11
Reus damnatus ad pœnam pecuniariam debet eam soluere, quamuis expectare possit donec exigatur. Limita nisi iudex expressè iubeat, quod reus sine alia admonitione pecuniam per se afferat. ibid. num.12.
Reus captus potest ante sententiam Iudicis licitè fugere, quia carcer in tali casu non se habet per modum pœnæ, sed solum per modum custodiæ. p.223. num.1.
Reus potest etiam post sententiam mortis, mutilationis, vel cuiuscumque alterius similis mali grauis licitè fugere, & cur. ibid.n.2
Reus potest ad euitandas pœnas, vincula & carceres illicitè perfringere, & quare, etiamsi damnatus sit ad perpetuos carceres, ad triremes, vel ad seruitutem. ibid. num.3.
Reus etiam ad grauissimam pœnam damnatus, quamuis possit licitè fugere, potest etiam licitè non fugere, sed amore iustitiæ Iudicis sententiæ se conformare. ibid.n.7
Reus in omni casu, in quo licitè potest fugere, eiusque rei causâ compedes, & carceres effringere, potest etiam per alium licitè adiuuari consilio & instrumentis, nisi obstet lex specialis, vel specialis obligatio ratione officij. ibid.n.8
Nemo potest ad violandam custodiam reo cooperari principaliter, quia publicam custodiam violare est res per se grauis, ac proinde soli reo permissa. ibid. num.9.
Reus fugiens à carcere grauiùs punitur, & maximè ratione præsumpti delicti. ibid.n.11
Reus postquam per Iudicis sententiam condemnatus est ad pœnam mortis, mutilationis, vel flagellationis publicæ, & infamis, debet ad illam cooperari, indirectè tamen, & per accidens, secus directè & per se. p.222.n.15.
Reus aliorum criminum in Ecclesia commissorum, præsertim si rationem sacrilegij habeant, ratione loci commissi delicti potest puniri à Iudice Ecclesiastico, vel consulto Romano Pontifice Iudici seculari est remittendus. ibid.n.16
*Reges*, Imperatores, eorumque vxores, filij & filiæ, non prohibentur ingredi septa Monasterij Monialium, contra Merollam. p.230.n.3

S

*Sacerdos* indutus cotta & stola ante crucem ad efferendum defunctum non potest capi, saltem de consuetudine, à satellitibus. p.21.n.15
Reuerentia eadem, quæ competit Ecclesiæ, quæ domus Dei est, videtur multò magis competere Sacerdoti. ibid.n.16
Amplia multò magis procedere, si Sacerdos cotta & stola indutus deferat Oleum sanctum, vel Eucharistiam ad infirmos. ibid.n.17
Sacerdos habet iustam causam ingressus, &c. vt celebret officium sepulturæ, vel aperiat, vel cooperiat sepulturam Monialis, vel Monialem in sepulturam immittat: idem dic de seculari, quæ intra claustra sit sepelienda, si Moniales per seipsas commodè id præstare non possint. p.242.n.5
Sacerdos quod possit ingredi clausuram ad portandam Moniali infirmæ insignem aliquam reliquiam, non est improbabile. p.243.n.14
Sacerdos excommunicatus, ac publicè denunciatus, si graui metu adactus confessionem audiat, & absoluat non sine irreuerentia Sacramenti, si communicet cum excommunicatis in contemptum Ecclesiasticæ potestatis, vel cum Christianæ Religionis detrimento, contrahit irregularitatem, & pœnas. p.263. num.30.
*Sacrilegium* tendit specialiter contra reuerentiam Deo debitam. p.79.n.2
Sacrilegium est delictum mixti fori. pag. 229. numer.17.
*Sacrilegus* in sententia multorum Doctorum priuatur immunitate. ibid.n.3
Sacrilegi omnes præter occidentes, vel mutilantes, gaudent immunitate. p.81.n.2
*Salomon* Ioab ad altare confugientem impunem non reliquit, quia per insidias Abner occiderat. pag.53. num.2.
*Scribens*, vel mittens ad Monialem literas etiam obscœnas non contrahit excommunicationem contra loquentes latam.
Vide in verbo *Monialis*.
*Scriptura* non est de ratione priuilegij, nisi sic de iure decernatur. p.276.n.20

*Sedis* Apostolicæ, inferiorumque Ecclesiarum, ac sonarum Ecclesiasticarum iura præseruantur à ibuscumque præiudicialibus, per Constitutionem bani VIII. p.319.&q.

*Sepulchrum* proprium habens suis sumptibus empn, vel ædificatum, quoad proprietatem, habita rane expensarum, vendere potest sine simonia, &ar. p.160.n.13.

Sepulchrum ratione materialitatis à parentibus ad os transferri solet. ibid14

dicta de Sepulchro extende proportionaliter etia ad capellam dari solitam pro vsu sepulturæ. ibidumero 15.

*Sermo* simpliciter in odiosis prolatus intelligitur drima vice. p.236.11

*Seruus* pœnæ hodie quis non efficitur per condemnationem triremium, vel cuiuscumque alterius eris publici, etiam in perpetuum. p.in.6

Seruus pœnæ licet effectus sit damnatus ad morti, si tamen quando ad supplicium ducitur, se subtrahat è manibus satellitum, gaudet immunitate. ibid. num.7.

Seruus si fugiat ad Ecclesiam non liberat se à Potestate Domini, reus tamen se liberat à potestate Iudicis. ibid.n.9.

Seruus, qui fugit ad Ecclesiam, non est reus cuius criminis, & ab Ecclesia non defenditur, cu eius dominium, & possessio sit apud dominump.29. num.10.

Nemo hodie etiam per condemnationem ad ois publicum in perpetuum, pœnæ seruus efficitu ibid. num.12.

Seruus, licet comparatiuè ad Iudicem gaudeatmmunitate, tamen non gaudet comparatiuè ad dominum. 134.n.1

Seruus postquam Clericis iuramentum præstitit dominus de eius immunitate, ad seruitium domini sui redire compellitur, etiam inuitus, alioqu à domino poterit occupari. ibid.n.2

Si seruus armatus irruat in Ecclesiam, & ibi mutilat, vel occidit, est extrahendus; quia tunc immnitate non gaudet. 135.n.6

Serui fugitiui, qui reuocati retineri non possun, possunt sine consensu Pontificis alienari etiam i casu, quo sint affixi prædiis rusticis, vel vrbanis.p.135. num.14.

Si seruus sit relictus Ecclesiæ ea conditione, quod non vendatur, alioquin pertineat ad hæredem testatoris, venditus pertinebit ad hæredem testatori. ibid. num.16.

Seruus, si per generalem tantum hypothecam obligatus fuerit, manumitti potest, licet alij probabiliter sentiant oppositum. p.140.n.9

*Simonia* nulla (etiam realis, id est, vtrinque consummata,) inducit pœnas iuris (in quibus est etiam pœnalis restitutio accepti) nisi in Religionis ingressu, Ordine, & Beneficiis. p.224.n.3

Committens realem simoniam in sacramentis conferendis, vel accipiendis, & in aliis similibus spiritualibus vendendis, peccat grauiter; sed non tenetur pœna excommunicationis, suspensionis, aut inhabilitatis. ibid.n.4

Committens simoniam in Religionis ingressu, Ordine, & Beneficiis, etiam conuentionalem, siue purè conuentionalem, siue mixtè, non incurrit excommunicationem. p.225.n.7

Excipe simoniam confidentialem in Beneficiis, quæ pœnas iuris inducit etiamsi non sit completa ex vtraque parte. ibid.n.8

Simonia confidentialis, nisi sit simul realis, licet ipso facto inducat excommunicationem, tamen probabiliter nec inhabilitatem ad beneficia, nec priuationem beneficij in foro conscientiæ ipso facto inducit, sed solum in foro externo. ibid.n.9

Simonia realis probabiliter non obligat ad restituendum spirituale simoniacè acceptum, ante sententiam, ob Religionis ingressum, Ordinem, & Beneficium. ibid.n.12

Simonia, quæ fit in sacramentis, vel aliis spiritualibus, exceptis recensitis, in opinione nonnullorum Doctorum non obligat simpliciter ad restituendum pretium simoniacè acceptum. ibid.n.13

Simonia non obligat ad restitutionem de iure naturali, sed solum de iure positiuo. ibid.n.14

Conferens, vel acquirens Beneficium per simoniam realem, pœnas Iuris incurrit; secus tamen est in Prælaturis, & officiis Regularium. p.226.n.19

Simonia non est si duo adulti paciscantur, vt se mutuo baptizent. ibid.n.25

*Sixtus IV.* tantùm prohibet absolutionem faciendam vi facultatum ab ipso, non item ab aliis Pontificibus concessarum. p.287.n.6

*Socij*, & complices, & sic multò magis proxenet, seu mediator, qui habuerunt cognitionem qualitatis assassinij, priuantur immunitate.
Vide in verbo *Assassinium*.

Socius Confessarij Monialium debet esse integræ vitæ, & supra quinquaginta annos, si commodè potest fieri. p.243.n.20

*Sodomiæ* reseruatio in sententia Graff. extenditur tantùm ad agentem, & non ad patientem. p.75.n.11

*Sodomita*, quamuis sodomiæ crimen grauissimum sit, non priuatur immunitate. p.78.n.1

Sodomita si in casu, quo confugerit ad Ecclesiam, consulatur Summus Pontifex, daturus est facultatem, vt sodomita ab Ecclesia extrahatur. pag. 79. num.8.

Sodomita vt incidat in constitutionem Pij V. necesse est vt de pluribus actibus sit infamatus, ponderato verbo (exercens) ibi appositio. ibid.n.9

*Solennitatum* omissione probata contractus in foro externo, quamuis in vtilitatem Ecclesiæ factus fuerit, irritus declaratur. p.167.n.9

*Statutum* prius iuramento confirmatum non tollitur per generalem derogationem statutorum, sed ad talem effectum requiritur specialis derogatio. pag. 180. num.20.

Statutum Episcopi ligans excommunicatione accedentes, loquentes, vel scribentes ad Monasteria Monialium, extenditur etiam ad Monasteria exempta, & Regularibus subiecta. p.276.n.30

Statuta peculiaria ipsarum Religionum plerumque iubent, vt ad interiores domus intra Monasterij claustra Mulieres non admittantur, quamuis non semper obligentur sub mortali. p.280.n.6

*Subditus* iussus à Prælato ad acceptandum aliquod munus debet detegere impedimentum, ad hoc vt cum eo dispensetur; & quatenus huiusmodi sit peccatum, tenetur ab eo declinare, & acceptare officium. p.196.n.46.

Subditus qui desperat posse se cohibere prauos motus, non tenetur obedire. ibid.n.47

Subditus existimans se parum idoneum ad munera exequenda quoad scientiam, & alias qualitates extrinsecas, tenetur stare iudicio superioris. ibid.n.48

*Subscriptio* in multis locis neque est in vsu; quare standum est locorum consuetudini, quæ potest legem inducere, & abrogare. p.154.n.28

*Superior* Religionis, cum Nouitium in Religionem suscipit, validè repudiat hæreditatem, quæ post eius professionem, & patris obitum Religioni obuentura esset. p.145.n.21

Superior pro alienatione rei Ecclesiæ sibi subiectæ, est Episcopus, siue Archiepiscopus in sua Diœcesi. p.153.& seq.n.15.
Superior, v. g. Episcopus, nunquam potest alienare bona Ecclesiæ inferioris, sine illius Ecclesiæ Rectoris consensu, saltem tacito. p.154.n.19
Superior potest ex iusta causa coarctare libertates, & immunitates in Regula concessas. pag. 195. numero 24.
Superior potest obligare priuatum tantum ex iusta causa, quando ad exemplum aliorum & correctionem ipsius id expedire iudicaret; licet regula non obliget sub culpa; sed pœna tantum. ibid. numero 28.
Superiori accusato de aliquo delicto etiam pendente accusatione obediendum est. p.194.n.17
Superior Religionis licet ipso iure incidat in pœnam priuationis, attamen eam non contrahit ante iudicis declarationem, exceptis censuris, irregularitate, & pœnis testamentariis. p.197.n.59
Superior curare debet, vt Monialis egressa propter morbum foris non maneat plusquam cura patiatur. p.205.n.7
Superior, si durat egressus Monialis, & causam ipsius non approbet, potest illum emendare; secus est si Monialis iam rediit ad Monasterium. pag. 215. num.5.
Superior Religionis incidens in casum ipso facto priuationis superioritatis, etiamsi publicè constet, in dictam pœnam non incurrit absque Iudicis declaratione. p.217.n.15
Superiores Ordinis Prædicatorum, & consequenter omnium Mendicantium gaudent eadem prorsus facultate erga alios Regulares subditos, quâ gaudent Episcopi virtute Tridentini, ex indultu Pij V. p.229. num.5.
Superior Religionis non potest alteri delegare facultatem recensitam (stante clausula per se ipsum) apposita in dicta concessione. ibid.& seq.n.6
Superior Religionis etiam localis an possit ex priuilegio cum subditis etiam in foro externo in pœnis dispensare, est discrimen inter Doctores, pars verò negatiua est probabilior. p.230.n.11
Superiores rectè facerent si concederent facultatem ipsis Abbatissis vel Monialium Confessariis, vt in casibus necessitatis, & in ordinariis passim occurrentibus licentiam ingrediendi in scriptis tribuerent. p.239.n.19.
Superiores, tam seculares, quàm Regulares volentes visitare Monasteria, iustam causam habent clausuram ingrediendi cum comitatu paucorum seniorum, ac religiosorum virorum. p.244.n.1
Superiores iustam ingressus causam habent ad visitandas officinas Monasterij, cellas & supellectilem Monialium, decentiam dormitorij, ædificium, &c. ad quæ omnia inducere secum debent Notarium. ibid.n.2.
Superiores iustam ingressus causam habent ad occultas res Conuentus tractandas. ibid.n.3
Superiores seculares, seu Regulares iustam causam ingressus habent in Monasteria sibi aliquo modo subiecta, non solum causa visitationis, sed etiam causa cuiuscumque alterius rei necessaria; secus est si nullo modo sint subiecta. ibid.n.4
Superior non dicitur habere iustam causam ingrediendi clausuram ad præsidendum electioni Abbatissæ, & vota suscipienda. p.249.n.1
Superiores quocumque nomine censeantur, permittentes ingredi prætextu licentiarum, vltra excommunicationem incurrunt pœnas priuationis dignitatum, beneficiorum suorum, & inhabilitatis ad i, & alia in posterum obtinenda. p.252.n.3
Superiores vtriusque sexus secundum probabiliorem opinionem contrahunt excommunicationem, & ceras pœnas, vt priuationem officiorum, & inhabilitatem ad illa latas in motu Gregorij XIII. contrafacientes, vel permittentes ingredi virtute sacratum. p.265.n.1
Superior non præsumitur velle statutis inferiorum derogare, nisi id exprimat. p.279.n.5
*Suspectus* de hæresi, eo quod auxilium præstet aliquo modo Hæretico, vel blasphemus, non gaudet immunitate, non per se, sed ratione hæresis, cuius suspicionem incurrit. p.65.n.8
Suspectus de hæresi ob bonum publicum, & ob fauore fidei ab Ecclesia extrahi potest, vt examini subiciatur. ibid.n.9
*Suspenso* à diuinis cum sit censura contrahitur absque alia iudicis sententia. p.266.n.2
*Suspensus*, vel interdictus ab ingressu Ecclesiæ, si ad ipsa confugiat, gaudet Ecclesiastica immunitate, licet denunciatus. p.22.n.1
Suspensus, vel interdictus ab ingressu Ecclesiæ censetur esse priuatus ab ingressu formali, hoc est ad auenda diuina officia; non autem ab ingressu materiali, scilicet vt gaudeat illius immunitate. ibid. num2.
Suspensus, aut interdictus ab ingressu Ecclesiæ, si ob vitalem grauem pœnam confugiat ad illam tempordiuinorum officiorum, non censetur delinquere contra censuram. ibid.n.4
Suspensus, vel interdictus ab ingressu Ecclesiæ, licet priuur sepultura Ecclesiastica, non tamen priuatur immunitate, quia in pœnis non valet illatio de casu ad casum. p.23.n.8

## R

*Tabernaculum* Sanctissimæ Eucharistiæ gaudet immunitatis priuilegio, si actu illam habet, & sacerdos illam portans incidat per plateam. pag. 20. num1.
*Terra* sterilis potest concedi in emphyteusim, vt melioretur. p.162.n.15
*Templum* Hierosolymitanum in lege veteri præter Ciuitates Refugij reis pro asylo constitutum fuisse, de mente prædictorum est probabilis opinio. pag. 20. nun.4.
Templum Salomonis alienigenis ingredi, vel limine tenus attingere non licebat. p.25.n.13
*Tempus* decennij longum tempus, & quasi perpetuum à iure reputatur. p.134.n.6
ex Tenporis diuturnitate præsumuntur omnia legitimè gesta, nisi ex instrumento facto, vel aliunde contrarium conuincatur. p.154.n.33
Tempus longum spectato iure antiquo reputatur decennium, quia septennium pro modico tempore iudicatur. p.184.n.3
Tempus longum inspecta constitutione Pauli II. reputatur triennium, si res fructificet singulis annis, & sic sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, aliisque grauissimis pœnis prohibentur vltra triennium locari bona Ecclesiæ; vbi tamen est vsu recepta. ibid.& seq.n.7
*Testamentum* iuramento firmatum reuocans validè reuocat, ita vt prius testamentum reddatur irritum, etiamsi factum fuerit ad pias causas; secus si in eo institutus sciuerit, & acceptauerit. pag.180. numero 16.
Testamentum quod de iure positiuo non valet, non validatur iuramento emisso contra prius iuramentum de non agendo. ibid.n.21

Testamentum iuratum si factum fuerit ad pias causas sine sacrilegij crimine reuocari non potest. ibid.n.24
Testamentum per se, & nudè consideratum de sui natura est reuocabile, secus dic de testamento iurato. ibid.n.25.
Testator poterat res suas in testamento relictas alienare sine solennitatibus; & ita dicendum est de Ecclesia, iure transmisso. p.155.n.2
Testator potest hæreditatem suam Ecclesiæ relinquere ad certum tempus, quo elapso teneatur illam transferre in aliquem ex consanguineis ab ipsa Ecclesia eligendum. ibid.n.3.
Testator promittens se daturum sua bona, vel partem illorum alicui, & talem promissionem iuramento confirmans, contrahit obligationem, quæ transit passiuè ad hæredes, sicut promissarius acquirit ius transmissibile actiuè ad suos hæredes, si sciens acceptet. Secus non. p.180.n.17
*Testes* examinati in processu informatiuo sunt postea repetendi citato, & audito Fisco Ecclesiastico, & ipso reo, nisi forsan habeantur pro repetitis. p.126. num.1.
repetitio Testium multum Ecclesiæ, & reo cum rei veritate potest prodesse. ibid.n.2
Solus processus informatiuus non facit fidem, cum Testes examinati, parte non citata, non probent, nec faciant indicium etiam in criminalibus. ibid.n.3
Testes non obstat, quod deponant super crimine, licèt non sint repetiti. ibid.n.4
*Theatini* inconsulto summo Pontifice, possunt alienare immobilia, donec dictum institutum non retinendi immobilia seruauerint. Secus si è contra. p.171.n.29.
Theatini non possunt inconsulto summo Pontifice, alienare mobilia. ibid.n.30
Theatini forsan, inconsulto summo Pontifice, neque possunt alienare immobilia illa, quæ ex alio instituto retinere possunt, v. g. hortos domui contiguas, villas recreationis causa, & similia. pag.172. num.45.
Patres Theatini causa necessitatis vrgente (etiam inconsulto Patre Generali) poterunt alienare immobilia. p.173.n.8
Generalis Religionis Theatinorum non potest abdicare à se onus dandi facultatem alienandi bona immobilia, illamque committere Præpositis, & Capitulis Domorum, quia iura obligant Generalem per seipsum. ibid.n.9
*Tractans*, consulens vel alia ratione verba faciens de alienandis, aut infeudandis bonis immediate pertinentibus ad Ecclesiam Romanam, & de quibusdam etiam aliis bonis, incurrit excommunicationem. p.183. num.1.
*Tractatus*, & consensus à iure requisiti debent esse inter congregatos. p.153.n.10
*Transactio*, remissio, vel concordia de rebus in Ecclesia possessis, fieri non potest sine iuris solennitate. p.157.n.3
Transactio, remissio, vel concordia, probabiliter fieri possunt de rebus, in quarum possessione nondum existit Ecclesia, & consequenter de re litigiosa, præsertim si sit magni dispendij Monasterio. ibid. num.4.
Transactio, remissio, vel concordia probabiliter fieri potest, etiam de rebus, in quarum possessione iam existit Ecclesia, si iniustè possideat. ibid.n.5
Transactio, remissio, vel concordia de decimis futuris fieri non potest, licet fieri possit de præteritis; non sic cessio iuris acquisiti circa res futuras. ibid. num.6.
*Translatio* monialium, quando ex iusta causa fieri debet, facienda est in aurora, & deduci debent à personis grauibus, & honestis, & sanguine eis proximioribus. p.209.n.7
*Transmutatio* vnius rei Ecclesiasticæ in aliam, absque alicuius dominij directi, vel vtilis translatione, sed ad vtilitatem maiorem Ecclesiæ, non venit sub constitutione *Ambitiosæ*. p.173.n.11.

## V

V *Assallus* qui iurauit Principi fidelitatem, tenetur etiam ex vi iuramenti eam seruare successori, licet non fuerit expressum, modo iuramentum præstitum fuerit Principi vt Principi, non vt priuatæ personæ. p.181.n.39
*Venditio*, & donatio etiam inter Ecclesias fieri non potest sine solennitate iuris. p.158.n.4
Verbum *proditorium*, in Constitutione Gregoriana appositum est strictè interpretandum. p.56.n.3
Verba *blanda, & fallacia* æquiparantur violentiæ, habito respectu ad mulierem, & valdè impropriè; secus habito respectu ad virum, nam necessarius est metus cadens in virum constantem. p.89.n.7
Verba, *quauis dignitate præfulgeant*, apposita in Constitutione Gregoriana, non de extrahentibus, cum ij viles sint, sed de mandantibus intelligi debent. p.105.n.28.
Verbum, *alienare*, latè sumpto vocabulo, amplectitur omnes contractus, quibus directè rei traditæ dominium transfertur, vel dominium vtile per feudum, emphyteusim, locationem in longum tempus; & multo magis per contractum censualem, per quem dominium, seu directum, seu vtile in alterum transfertur, constituta pensione annua. pag. 131. num.29.
Verbum *è vestigio*, sonat statim, vel continuò. p.214. num.2.
Verbum *ipso iure, vel ipso facto*, accommodatur pœnæ secundum capacitatem ipsius pœnæ; & verbum *ante sententiam Iudicis*, intelligitur ad summum ante sententiam pœnæ, non item ante sententiam criminis. p.219.n.12
Verba, *quomodolibet dando, vel recipiendo*, posita in Extrauag. 2. de simonia, intelliguntur tantum de Religionis ingressu, ordine, vel beneficio. pag.226. num.21.
per Verbum *facere, vel permittere*, in motu Gregorij XIII. appositum, venit quæcumque actio vel positiua, vel negatiua, vt iubendo, consulendo, aut ianuam aperiendo; vel negatiua, vt non prohibendo. p.266.n.1.
Verba, *excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium fiant penitus alieni*, important censuras non latas, sed ferendas. p.275.n.4
*Vicarius* Capituli in probabiliori sententia, Sede vacante potest cognoscere, vtrum delicti casus sit exceptus. Vide in verbo *Capitulum*.
Vicarius generalis, & Vicarius foraneus potest dare licentiam egressus à clausura, & causam egressus approbare. p.203.n.1
Vicarius Generalis habet vnam, eademque iurisdictionem, & constituit vnum, & idem Tribunal cum Episcopo. p.203.n.4
Vicarius Generalis Capituli Sede vacante potest circa clausuram monialium quicquid potest Vicarius Episcopi: idem dic de Vicario cuiuscumque Prælati iurisdictionem quasi Episcopalem habentis, & de Vicario Generali Ordinum Militarium. ibid.n.6
Vicarius Generalis est Iudex Ordinarius subditorum Diœcesis. p.204.n.1
Vicarius Generalis potest Diœcesanorum omnium

Confessiones audire, eorumque matrimoniis validè assistere; & eiusmodi facultates etiam aliis sacerdotibus delegare. ibid.n.2

Vicarius Generalis potest in foro externo contentiosas causas cognoscere, præcipere, iudicare, atque etiam excommunicare. ibid.n.3

Vicarius Generalis (attento iure communi) non potest concedere meras, & voluntarias gratias, cuiusmodi sunt collatio Beneficiorum, dispensatio in irregularitatibus ex occulto delicto, denunciationibus, matrimoniis, &c. ibid.n.4

Nulla consuetudine introduci potest, vt à Vicario Generali ad Episcopum appelletur. ibid.n.6

à Vicario foraneo, seu Decano rurali potest appellari ad Episcopum. ibid.n.8

Vicarij Generalis iurisdictio, mortuo, vel deposito Episcopo, exspirat. ibid.n.9

Vicarius Generalis mortuo Episcopo non potest exercere iurisdictionem, nisi sit à Capitulo confirmatus. ibid.n.11

Vicarij Generalis iurisdictio extinguitur, vel per mortem Episcopi, vel per mandati reuocationem: per mortem statim, per reuocationem verò, si ei fuerit legitimè intimata. ibid.n.22

Vicarij Generalis acta, & literæ dimissoriæ ab eo datæ valent etiam mortuo Episcopo, si communiter eius mors ignoretur, licet mors Episcopi præcesserit. ibid.n.13.

Vicarij Generalis iurisdictio suspenditur solum, non autem omnino amittitur per Episcopi excommunicationem, vel suspensionem. ibid.n.14

Vicarius propriè dictus Episcopi, Prælati, Præsidis, vel Rectoris ab ipsis constitutus ad exercendam iurisdictionem, pro eorum arbitrio deponitur, secus est, si Vicarius datus sit in subsidium principalis Prælati. ibid.n.16.

Vicarij foranei, seu rurales in quibusdam locis ab Episcopis constituti, ita vt eorum dignitas, seu officium perpetuum sit, deponi non possunt, nisi ob graue delictum depositione dignum. ibid.n.17

Vicarij Episcoporum, & quicumque Abbates, & Prælati seculares iurisdictionem quasi Episcopalem habentes, si ipsi etiam præter casum necessitatis ingrediantur Monialium Monasteria sibi subdita, non contrahunt pœnas. p.271.n.3

*Violatio* clausuræ ad malum finem luxuriæ est casus ex quinque summo Pontifici reseruatis, à quo nemo poterit absoluere virtute priuilegiorum. pag.253. num.13.

sub *Voto* obedientiæ comprehenditur quidquid secundum regulam præcipit superior. p.191.n.9

Vota Monialium in electione Abbatissæ recipi possunt à superiore per fenestellam, clausis Ecclesiæ ianuis. p.249.n.2.

*Vrbanus* VIII. in vna ex suis Bullis annullat, reprobat & declarat semper fuisse nullas omnes consuetudines contra immunitatem Ecclesiasticam. pag.5. num.13.

*Vsus* rationis an masculo, vel fœminæ citiùs adueniat, est dissensio. p.231.n.6

Vsus receptus in quibusdam locis, quo Episcopus, vel ipsius Vicarius facultatem quandam generalem quoad personas; sed specialem ad ingressum in scriptis concedit, approbatur. p.240.n.7

*Vulnerans* in Ecclesia vulnere non lethali, quamuis cum magna sanguinis effusione, non priuatur immunitate. p.46.n.1.

Vulnerare etiam cum magna sanguinis effusione, non est mutilare, nec occidere, & solum mutilanti, & occidenti pœna priuationis immunitatis infligitur. ibid.n.2.

Vulnerans propriè proditoriè animo occidendi proximum suum, morte non secutâ, non priuatur immunitate. p.58.n.1

FINIS.

Delbene
De immunitate
Ecclesiastica

Th
1354a